




V
B
J
C



R. D.

MICHAELIS ANTONII

HACKI

BATIS Monasterij B. M. V. de Oliva
O. Cisterciensis S. Theologiæ Doctoris Proton.
post. S. R. M. Polon. Intimi Cameræ Secretarij
& Commissarij

ERMONUM ASCETICORUM,

Speciali Methodo

iosis & fermè perpetuis S. Scripturæ Textibus

concinnatorum

TOMUS TERTIUS,

in quo

Tractatus Quatuor Sermonum

Adventu Anni 1690. ad finem Anni 1694. supra ti-
m & tres primos versus Psalmi 44. singulis Annis, sigillatim pro
hemate ad Dominicas Adventus & Quadragesimæ, atq; omnia
Festa solenniora accommodato, continentur.

Cum Indice locupletissimo

Pro Viris Religiosis, & pro Concionatoribus.

Cum Licentia Superiorum.

Typis Monasterij B. M. V. de Oliva
Anno à Verbo Incarnato M. DC. XC. V.



Gloria Regum investigare sermonem. *Prov.* 25. *v.* 2.

Omnis sermo Dei ignitus clypeus est operantibus in se. *Prov.* 30. *v.* 5.

Velociter currit sermo Dei. *Psal.* 147.

Sapiens Deum alloquitur: ut scirent filii tui quos dilexisti Domine, quoniam non natvitatis fructus pascunt hominem, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. *Sap.* 16. *v.* 26.

Onus erit unicuiq; sermo suus. *Jer.* 23. *v.* 36.

Apostolus imperat: Sermo vester in gratia sale sit conditus. *Coloss.* 4.

Sapientia 6. *v.* 27. inquit: Ergò accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis.

Eccli. 42. 15. In sermonibus Domini opera ejus.

Ecclesiasticus ait: *c.* 43. 28. Propter ipsum confirmatus est itineris finis, & in sermone ejus composita sunt omnia. Super quo Rabanus: Propter ipsum, hoc est, Filium Dei, confirmatus est ordo transeuntium rerum, & terminus constitutus est sæculi: quia sicut ab ipso Verbo Dei universa originem acceperunt, sic & in ipso finiuntur. Ipse enim in Apocalypsi ait; Ego sum A & O. Principium & finis,



EMINENTISSIMO & REVERENDISSIMO

PRINCIPI
MICHAELI

S. R. E. *Tit.* S. MARIÆ de Pace Presbytero

CARDINALI
RADZIEIOWSKI

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI
LEGATO NATO
REGNI POLONIÆ & M. D. LITVANIÆ
PRIMATI PRIMOQ; PRINCIPI

DOMINO DOMINO
MECÆNATI BENEFICENTISSIMO

ASceticum Quadriennalium Sermonum me-otum Volumen Tuis Eminentissime PRINCEPS si-stere se conspectibus non veretur, cùm illi congeni-Purpurato Sangvini & Honori TUO Beneficentia ascensum Purpureum. Nam cui à me etiam minimo id obsequij potiùs

potiùs deberetur, quam TIBI Eminentiſſimo Vaticani, Rev
rendiſſimo totius Cleri Sarmatici, Celſiſſimo Regni eiuſde
ſub Interregno Capiti? Tantò magis, quando Electæ sup
& Coronatæ MAJESTATI nunc felicibus jungeris auſpicij
ſub hoc Unum CAPUT totam Sarmatiæ Polonæ facis in u
coaleſcere Rempublicam. Nec immeritò TIBI Archipræ
Eminentiſſime, Epithalamium Monarchæ Cæleſtis cum Re
na adſtante illi à dextris præſentatur, dum per TE tanquam M
diatorem, Monarchæ Noſtro Terreſtri Corona Regni Lechi
ſtrictiſſimâ copulatur unione. *Eructavit Cor TVVM Verbu*
bonum, [*Ps.* 44] Verbum Pacis & Concordiæ: & extunc d
cuntur & dicantur omnium opera AUGUSTO REGI Sere
niſſimo. Nonne *lingva TVA* in hoc fuit *calamus Scribæ* (Sp
ritûs Divini, qui eſt vinculum Trinitatis) *velociter ſcribentis*
cordibus Senatûs Populiqúe Poloni? *Velociter enim cucurrit S*
mo TVVS, (*Ps.* 150) pacem ſpirans, & concordiam inſpiran
Durus erat ſermo Joan. 6) ille ſciſſionis, ubi alter alteriu, *fr*
ter fratris & amici carnes comedere (Jer. 19.) *videbatur.* Nu
optimus Sermo TUUS (1. Reg. 9.) unionis, tanquam *Angeli*
[*Is.* 33.] imò Archangeli, quia MICHAELIS. *Factum erat br*
lium magnum [*Ap.* 12.] in Ordinibus Sarmatiæ; *diviſum fu*
eorum; (*Osee* 10) *in amaritudine erat ſermo Populorum*: (*Jo*
Quis *venit in adjutorium?* (*Dan.* 10) *quis in omnibus his adj*
ibid.) Nemo niſi MICHAEL *Princeps Magnus*, (*Dan* 12.) q
ſtat Pro filijs Populi ſui: TU Eminentiſſime Cardinalis M
xime Cardo Eccleſiæ Sanctæ juxta ac Reipublicæ Polonæ, tit
lo S. MARIÆ (utiqúe per vocem ubiq; decantatam, Regin
Poloniæ) de Pace Glorioſiſſime. Titulus TUUS titulus
Pacis. Sub hoc Titulo TUO feliciter Solium AUGUST fi
matur, in ſuo pacatur Reſpublica centro, vicinis terror in
tur inimicis. Cùmq; *Omnipotens ſermo à Regalibus ſedibus ven*
at, Sap. 18.) ſimulq; *Gloria Regum ſit, inveſtigare ſermonem* (P
25.) TUUS, ô Magnum Poloniæ Oraculum! Sermo, *qui*
in poteſtate eſt, Luc. 4. *& poteſtate plenus eſt*, Eccles. 8. *ſan*
omnia, *Sap.* 16] & promptiſſimas Sermonum ac Votorum
berrimæ Gentis voces Unum facit reſonare REGEM, Noni

AUGUSTUM. Ita Majestatem Libertate fundas, ita Li-
atem Majestate fulcis; & *utrumq; consummas in unum. Io.17*
rgo REGIE, quia Regiâ defuncto Rege fungens authorita-
Archi-Antistes, non minùs regiè fecisti REGEM AVGV-
VM Speciosum formâ præ filijs hominum. Quid enim spe-
us pace, concordiâ & unione, per quæ caput præest mem-
& membra capiti subsunt, simul unum corpus efficientia,
sibi invicem sunt unita; *ut non sit schisma in corpore,* 1 Cor.12
dipsum pro invicem solicita sint membra. O quàm speciosum
ale Corpus Reipublicæ! Inde equidem *specie* hâc *& pul-*
udine intendet prosperè, prosperè procedet & regnabit AVGV-
VS, ordine Secundus, auspicio Secundissimus; & exinde
oniam jam suam, prosperam reddet & Augustam. Quo
ore id factum? quo Authore fit? quo Promotore fiet? TE
haele Domini Exercituum Pacifico, in cujus labijs *diffusa*
ujus *gratia* Sermonis. *Ps.* 44 Verè in diebus istis *pretiosus*
sermo Domini, 1. Reg. 3.) tandem *factus est sermo Dei* 1 *Par.*
d Summum Sacrosanctæ Ecclesiæ Caput, *& egressus est ab*
c bonus sermo, 4. Reg. 20. *ut sit pax & veritas in diebus no-*
per Caduceatorem pacis Legatum datum ad TE Legatum
m: & sic *purus* hic *sermo* TVVS *pulcherrimus firmatus à Deo,*
diffusâ per labia Tua, Gratiosissime Princeps, gratiâ est
ifestatus ac publicatus: Vnde *orietur in diebus* AVGVSTI
GIS *justitia & abundantia pacis*; *Ps.* 71. & *propterea benedi-*
llum & TE DEVS *in æternum. Ps.* 44. Dumqúe Junossio
o candidus, & Purpurâ Cardinali cerneris rubicundus,
ni exinde speciosus? Non minùs *specie* TVA *& pulchritu-*
Orbi *intendens* universo, *prosperè procedes & regnabis* (ô!
ant Superi!) in terris quàm diutissimè & felicissimè, in
perenissimè & gloriosissimè. Hæc sunt, quæ in præsen-
pere Sermonum meorum exili & proletario pro varijs
orum per annum solennitatibus, diverso allegoriæ, anago-
& tropologiæ sensu pertractantur. Hæc ausu meo fidu-
sub TVO Eminentissime Princeps patrocinio publicæ lu-
ntur. *In TE* Domino, Patrono ac Mecænate meo *laudabo*
ones meos, Ps. 55. quandquidem etiam *involvuntur senten-*
tiæ

tiæ Scripturæ sacræ & Sanctorum Patrum, *sermonibus* me
(Iob. 38.) licet *imperitis* Patere itaq; TVIS illa sacratis dicari & præsen-
tari Palmis; Dignare ea gratiosis intueri ac tueri obtutibus
TVA cernuum me licet Mediastinum TVIS tamen subtrac
plantis, complectere protectione, toto semper corde ingemi-
nantem:

Orbis vive Decus, Lumen Columenq; Senatis
Purpurei: Lechicæ Celsissima Gloria Gentis;
paXqVe tVo MIChaeL Vt sVrgat VIVIDa Voto

Ita animitùs precatur

Devotissimus Servorum, & Exoratorum
Devinctissimus

F. Michaël Antonius Hacki
Abbas Olivæ S. O. C.

Lectori Benevolo.

SEptem Tractatibus, septennio Regiminis nostri transacto correspondentibus; sequuntur quatuor Tractatus, juxta annorum subsequentium curriculum; quos & alios futuros, conceptu & impetu ex Psalmo 44. assumpto in publicum emittimus. Placuit hunc Psalmum eligere ad Themata pro Dominicis & Festis applicanda, tanquam novi Testamenti præconia celebrantem, ejusqúe mysteria detegentem, ubi de Christo & Ecclesia, de B. Virgine, & SS. Apostolis, de conversione populorum ad fidem multa eleganter proponuntur. Propositum nostrum est, eundem Psalmum sic continuare usqúe ad finem ejus, & exitum vitæ juxta beneplacitum Divinum transigendæ: quod ut ad augmentum gloriæ Divinæ & salutem animæ nostræ, & eorum, qui hæc lecturi sunt cedat; subsidium orationum humillimè exoramus. Omnia autem hæc supremo sacrosanctæ Ecclesiæ judicio submittuntur, cujus non minùs stabilimento & incremento sunt consecrata.

FACULTAS SUPERIORUM.

QVia Deus disponens omnia svaviter & gubernans sapienter, dedit spiritum Melliflui nostri Patris Divinissimi Bernardi, Reverendissimo Domino Michaëli Antonio Hacki Abbati B. M. V. de Oliva Sacri Ordinis nostri Cistercien-

sis

ſis, adeòq; , ut cæteri ex lectione præinſertorum
Sermonum in quatuor tractatibus expreſſorum,
perfectiora ſtudeant æmulari chariſmata virtuu,
authoritate noſtra Commiſſoriali, quâ deſuper
fungimur, per præſentes impertimur facultatem
eoſdem Sermones publicæ luci exponendi. Da-
tum Olivæ 18. Maij 1695.

*Fr. Antonius Krzesimowski Abbas Coro-
vnicenſis, Commiſſarius ac Vicarius Ge-
neralis per Regnum Poloniarum, Pruſſi-
am, & M. D. Lithvaniæ, S. R. M.*



APPROBATIO LOCI ORDINARII.

QVantum emolumenti ſanctioris vitæ lu-
mnis priores Tomi Sermonum aſceticorum
attulerint, proborum teſtantur Virorum teſtimo-
nia, & domeſtica ad omne ſanctimoniæ puri-
compoſita intra ſacros Olivæ parietes probam
documenta. Cùm igitur tertius Tomus eorun-
dem Aſceticorum Sermonum, parem primo &
ſecundo referat utilitatem, & ſvave ſpiret eloqui-
um; dignum cenſeo, ut lucem publicam videat,
pro jureq; Officij mei imprimendi eum poteſta-
tem concedo. Gedani 11. Sept. 1695.

*Joannes Paulus Gomolinski S. T. D. Archi-
diaconus Plocenſis, Vicarius in Spiritua-
bus & Officialis Gedanenſis & per Po-
meraniam Generalis, S. R. M. S.
mp.*

TRACTATUS

PRIMUS è QUATUOR

&

OCTAVꝰ IN ORDINE ANNORUM

SERMONUM CAPITULARIUM

Ab Adventu Anni 1690. in Annum 1691. habitorum.

Ubi super Titulum Psalmi 44. & primi Versûs initium:

Eructavit cor meum verbum bonum

discurritur & tractatur.

Sermo I. Dominica Primâ Adventûs.

In finem: Initium est Tituli supra Psalmum 44.

ADventus Domini, cujus hodie solenne auspicamur initium, quid censetis PP. RR. FF. DD. quem respiciat? Non alium crediderim ego præter servum, cùm Dominus & servus sint sibi correlativa. Equis est adveniens Dominꝰ, nisi Deus noster? qui talem se frequenter nominat in Lege & Prophetis: Ego Dominus, (*Levit.* 18.) Ego Domini, hoc est nomen meum. (*Isai.* 42.) Dominꝰ nomen illi, asserit Psaltes. (*Ps.* 67.) Et quis servus, nisi homo, non ad aliud à Deo creatus, quàm ad serviendum ei? Mandatum ipsius Dei est: (*Deut.* 6.) Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies. Ipse Rex Israëlis hôc servi titulo sæpiùs in Psalmis gloriatur. In uno sic Deum alloquitur: O Domine quia ego servus Tuus, (*Ps.* 115.) nec semel talem se nominâsse contentꝰ, mox replicat: Ego servus Tuus; (*Ibid.*) ac si diceret, & animâ & corpore tibi devinctus. Quin pro maiori servitutis suæ declaratione superaddit: & filius ancillæ tuæ, (*Ibid.*) illius Ecclesiæ servilis Synagogæ, in Agar ancilla figuratæ; ut tàm ex se quàm ex genealogia sua, servum se Domini Dei profiteretur. Quid nos? Nonne servi? Qui non tantùm ex vi creationis, quâ Creatori servire obligamur, & ex ratione redemptionis, per quam empti sumꝰ pretio magno (*1 Cor.* 6) sanguinis ipsius de servitute diaboli: sed etiam singulari devotione Religiosæ professionis servi Domini Dei nominamur & sumus. (*1 Joan.* 3.) Hic est finis noster, ut in hoc statu Religionis quam professi sumus, Deo nostro sinè timore serviamus in sanctitate & justitia omnibꝰ diebus nostris. (*Luc.* 1.) Incipit igitur hodie Adventus Dñi, cujꝰ memoria nunc semel annuè recurrit; sed à creatione mundi cæpit, continuat impræsentiarũ, & durabit usq; ad sæculi consummationem. Semper dixit, dicit & dicet Dominus Deus: Ecce venio; (*Ps.* 39.) quod in Prophetis & Apocalypsi frequenter gratiosè edicit. Adventus Domini ad servos suos est continuꝰ, ita prout ejus præsentia nunquam est desinens, nusquam absens: in ipso enim vivimus movemur & sumus. (*Act.* 17.) Sed quomodo advenit ille, qui semper ubique præsens est? Ita equidem. Quemadmodùm novis semper temporum momentis vitæ nostræ tractus procurrit; taliter præsentia Dei novis semper nobis assistens auxilijs suum ad nos repetit adventum: Quid enim? Nonne ipse affirmat: sinè me nihil potestis facere? (*Joan.* 15.) Nonne idem asserit Apostolus, quòd omnis sufficientia nostra ex Deo sit? (*2 Cor.* 3.) Verè nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. (*Psalm.* 126.) Ac proinde nunquam cessat Dominus ad nos servos venire maximam sui circa nos sollicitudinem manifestans. Et quid aliud requirit à nobis hic assiduus Domini ad nos Adventus? nisi ut nos servi ejus semper parati simus ad ipsum condignè recipiendum: ut sollicitè ambulemus cum Deo nostro; (*Mich.* 6.) ut semper cum Sponsa dicere possimus: Dilectus meus mihi & ego illi. (*Cant.* 2.) Et ad hoc requiritur vigilantia

Professio hominis & maximè Religiosi est Deo servire.

Adventus Domini ad servos suos est continuus. Quomodo?

Quid requirit à nobis?

Vigilantia. gilantia. Beati sunt servi illi, quos cùm venerit Dominus invenerit vigilantes. (*Luc.* 12.) Quidnam est illud, quod nobis in Evangelio replicatis vicib⁹ inculcat Veritas æterna? Nonne vigilantia? Apud D. Matthæũ ita: Vigilate, quia nescitis quâ hora Dominus vester venturus sit (*Matt.* 24.) Enucleatiùs ante Passionẽ suã: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. (*Matt.* 26.) Ampliùs apud D. Marcum: Videte, vigilate, & orate (*Marc.* 13.) Ac ne id solis Apostolis dictum putemus, subjungit: Quod autem vobis dico, omnibus dico vigilate. (*Ibid.*) Hæccine est prima virtus servorum à Domino requisita? Hæc omnino & prima & primaria.

Quid est stare? in timore, in fide, Audiamus Sapientem monita pro servitio Dei dantem: Fili, ait, accedens ad servitutem Dei, sta in timore. (*Eccli.* 1.) Sta, id est, vigila; proprié enim stantes vigilant & agunt excubias. Ita Doctor gentium: Vigilate, state in fide: (*1 Cor.* 16.) statione enim securiùs quàm sessione vigilatur. Notandum tamen, quòd Sapiens timorem socium assignat vigilantiæ; Apostolus autem fidem. Sed utrumque in idem recidit; Dominum enim quem credit præsentem, hunc timet offendere fidelis servus & timoratus. Bonus socius vigilantiæ timor; quem enim angit timor, hic minimè dormiet sed vigilabit. En utilitas utriusq; apud Ecclesiasticum: Qui timet Dominum excipiet doctrinam ejus, & qui vigilaverit ad illum, inveniet benedictionem. (*Eccli.* 32.) Apud D. Marcum [*Cap.* 13.] nominatur Janitor, cui præcipitur ut vigilet.

Bonus Janitor domûs, timor Dei. Bonus Janitor domûs nostræ timor Domini; qui utì odit malum, (*Prov.* 8.) & peccatum expellit (*Eccli.* 1.) Domino contrarium, ita authorem & instigatorem peccati satanam repellit. Cui tamen fundamento stans cum timore Domini vigilantia servorum innitetur? Nullum melius reperio quàm sobrietatem.

Fundamentum vigilantæ, est Sobrietas. Hinc caput Ecclesiæ omnes excitat: Sobrij estote & vigilate. (1. *Pet.* 5.) Idem Timotheo Vas electionis insibilat: postquàm enim dixisset; In omnibus vigila, superaddit: sobrius esto. (2 *Tim.* 4.) Et alibi ad omnes: Non dormiamus ergo sicut cæteri, sed vigilemus & sobrij simus. [1. *Thess.* 5.] Ut planè veluti ebrietas somnolentiam, ita sobrietas vigilantiam inducit. Procul à servis Dei pestis hæc, animam non tantùm inficiens sed conficiens. Attendite vobis, hortatur Divina Sapientia Incarnata, ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate. (*Luc.* 21.) Audite quoque Sapientem: Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas; [*Prov.* 20.] per hanc enim jurgia seminantur. Quid Noë pudenda discooperuit? ebrietas. Quid populum Israël ad idololatriam vituli deduxit? crapula & ebrietas. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. (*Exod.* 32.) Quid Holofernem, ejusque exercitum pessundedit? ebrietas. Servos ergo propter Domini vigilantes, oportet etiam esse sobrios.

Motiva Vigilantiæ quæ? Motivum igitur
I. primum Vigilantiæ est, Domini Adventus. Secundum quodnam? Tentatoris insidiæ, idque illius qui nunquam dormit. Quia adversarius vester
II. diabolus tanquã leo rugiens circuit quærens quem devoret. (1. *Pet.*) Idipsum monet Dn⁹, ne intretis in tentationem. (*Mar.* 14) Ita equidem juxta D. Jobũ militia est vita hominis super terrã, (*Job* 7) alius legit, tentatio: nullũ erit vitæ momẽtum, quo nõ simus expositi tentationib⁹. Hoc sigillatim advertit Sapiens, dicto enim, sta in timore; adijcit: & præpara

animam

mam tuam ad tentationem. (*Eccli.* 2.) Tertium ad vigilantiam calcar iiij
rigit nobis incertitudo horæ, quâ Dominus noster ultimariè venturus
à qua hora tota pendet æternitas. Indigitat quidem jam secundam,
tertiã vigiliã; sed apud S. Marcũ *cap.* 13. distinctiùs quaternas exprimit
ilias: serò, (& hæc prima vigilia) an media nocte? (hæc secunda) an gal-
antu? (en tertia) an mane? (en quarta) & sic in quatuor vigilias per tri-
ia tempus noctis apud veteres disterminabatur. Eodem modo totius
æ nostræ decursus quaternis distingvitur ætatibus ex mente SS. Pa-
m, ita ut prima vigilia infantiam cum pueritia, secunda juventutem
n adolescentia, tertia virilem ætatem, quarta senectutem designent.

Quatuor vigiliæ noctis.

d cur Dominus secundam duntaxat & tertiam vigiliam primâ & quar-
exclusâ innuit? Num fortasse quòd nec tam citò nec tam serò à nu-
is redeatur? An quòd prima ætas innocentiam præseferat, ultima verò
nis serotina sit ad benè agendum? Quidquid est, hoc certum est, quòd
ni tempore, omni horâ, omni momento, omni ætate vigiles & para-
; nos esse conveniat, ut cùm venerit Dominus & pulsaverit januam,
nfestim ei aperiamus (*Luc.* 12.) Sed quænam arma dabimus vigilantiæ
ntra tentatoris insidias, contra tentationum insultus? Præsentat illa no-
; Dominus dicens: Vigilate & orate. (*Matth.* 25.) Oratio est galea salu-
, est clypeus animæ, est tota hominis armatura. Oratio sobria est gla-
us spiritûs caput ebrij abscindens Holofernis, est hasta cor transverbe-
ns Absolonis, est funda lapide infernalé prosternens & interimens Go-
thum, quando fit per D. N. Iesum Christum, qui lapis est in torrente
ssionis repertus, ab ædificantibus reprobatus, (*Psal.* 117.) de monte
scissus, (*Dan.* 2.) de cælo descendens, & statuam grandem, Idolum hu-
; mundi à dæmone erectum in cinerem & favillam reducens. Oratio est
petratrix veniæ, gratiæ reconciliatrix, donorum DEI aquæductus. O-
io est adventûs Domini præparatrix, est advenientis Domini receptrix;
castellum in quod intrat Dominus JESUS, ubi Martha vigilans &
icita, Maria contemplans & quieta reperitur. Et sic justus tradet cor su-
n ad vigilandùm diluculò; (*Eccli.* 39.) qui enim manè vigilaverint ad me,
Divina Sapientia, invenient me; (*Prov.* 8) ad Dominum qui fecit il-
m & in conspectu Altissimi deprecabitur. (*Eccli.* 39.) Ita Præcursoris
ci satisfiet clamantis in deserto: Parate viam Domini, (*Esaiæ* 40) vigi-
ndo in sobrietate & timore Dei; rectas facite semitas Dei nostri, (*Ibid.*)
fide orando sine intermissione; (1. *Thess.* 5) verbo ut dicam, vigilando in
nnibus. Sive igitur veniat ad nos Dominus probando nos & examinã-
; sive veniat in nos verbum salutis cordibus nostris inspirando; quod i-
um verbum rectum venit quando Caro factum est & habitavit in no-
s plenum gratiæ (*Joan.* 1.) erga bonos, plenum veritatis erga malos: si-
demùm veniat contra nos vitæ temporalis terminum nobis indicens,
iq; vigilantia ubiq; timor Dei, ubiq; sobrietas ubiq; fides, ubiq; oratio
sit, necesse est. Vigilate mecum (*Matth.* 26.) imperat Dominus Apo-
olis. Quidni? si vigilat Dominus super nos ad nobis benefaciendum;
r nos quoq; ad benè ei serviendum non vigilemus omnibus diebus vi-
nostræ? Si prima vigilia gratiosè transivit cum Domini Adventu;

Cur secunda & tertia vigilia tantùm nominatur?

Quænam arma vigilantiæ?

Orationis proprietates.

Varius Domini adventus, ad nos, in nos, pro nobis, cõtra nos.

Cum Domino vigilandum.

Quatuor Vigiliæ morales.

 quando

quando nos per baptiſmi gratiam ſibi conjunxit, in ſecunda tamen vigi[lia]
qua nos peccantes viſitat, & benignitas ejus ad pænitentiã nos adduc[it]
(*Rom.* 2) & in tertia qua nos pænitentes & veniâ & gratiâ dignatur do[na-]
re; omnino vel maximè nobis vigilandũ eſt & orandũ, ne nobis ad p[ul-]
ſum non ſtatim aperientibus Dilectus declinet (*Cant.* 5.) & gratiæ p[ræ-]
tranſeant. Quidni in quarta noctis vigilia ad finem vitæ poſt omnes [af-]
ctationum & tentationum fluctus veniens Dn⁹ & Judex Chriſtus vigila[n-]
tes nos & orantes vult reperire; ut poſt omnes vitæ hujus vigilias nos [a]d
ſolennitatem æternæ beatitudinis deducat? Aliàs timendum eſt, ne ie
Vigil & Sanctus (*Dan.* 4) ſuper malitia noſtra & ſuper peccatis noſtris [vi-]
gilet ad nos puniendos, ne vigilet jugum iniquitatũ noſtrarũ (*Thren.* 1) [in]
manu ei⁹ ad nos mittendos in tenebras exteriores. (*Mat.* 22) Idcircò atte[n-]
Virga vigilans. dam⁹ ad virgam ej⁹ vigilantẽ, (*Hier.* 1) quando nos corripit & corrigit [a]d
emendationem. Si non vigilaveris, minatur Dn⁹ in Apocalypſi, venia[m]
ad te tanquam fur & neſcies quâ horâ veniam ad te. (*Apoc.* 3) Ibi om[nis]
Finis adventûs. conſummationis videbimus finem: (*Pſal.* 118) ibi Adventus Domini fin[i-]
tur, & ſervis prout meruerint à Domino vel prœmium vel pæna tribu[i-]
In quatuor vigilijs quatuor victoria SS. Trinitati & Chriſto correſpondentes. tur. Beati qui in prima vigilia per baptiſmum à peccato originali abl[u]ti
& dono fidei illuminati vicerint patrem mendacij & principem tenebr[a-]
rum, qui in ſecunda vigilia filium ejus, mundum hunc in maligno poſi[tum],
extollentem ſe ſupra omne quod dicitur DEUS, (2. *Theſſ.* 2.) ſuperav[e-]
rint; qui in tertia vigilia ſpiritum animalem, carnis concupiſcentiam Spi[ri-]
tui Sancto contrariam ſubjugaverint; hi merebuntur videre Chriſtum [in]
quarta noctis id eſt mortis vigilia Salvatorem ſuum imperantem ven[tis]
& mari, (*Matth.* 8) perverſis ſatanæ flatibus & mari ſeculi hujus nequ[am]
magnamq; æternæ quietis tranquillitatem inducentem. Audiamus p[o-]
ſtremò ipſummet nos exhortantem apud D. Lucam: Vigilate itaq; om[ni]
tempore orantes ut digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt [&]
ſtare ante Filium hominis: (*Luc.* 21.) qui eſt Dominus veniens à nupti[is]
Vltimus finis noſter. Sponſus Eccleſiæ Sanctæ Sponſæ ſuæ: & hic eſt ultimus finis noſter, à qu[o]
mercedem operum noſtrorũ percipiemus. Hujus Sponſi epithalamiu[m]
Intentio Authoris cur Pſalmum 44. aſſumpſerit pro ſua lucubratione. reperiens in Pſal. Davidico 44to. ac multiplicem ejus Adventum ſimu[l-]
q; principalia fidei Myſteria in eo conſiderans, cum Dei adjutorio eu[n-]
dem aſſumpſi explicandum, Feſtiſq; per annum occurrentibus applicã[n-]
dum. Ad quod veſtrarum precum ſuffragia imploro PP. RR. F[F.]
DD., ut quibus hic labor noſter ad alacriter in Dei ſervitio progre[di-]
diendum dicatus eſt; veſtrâ quoque ope pertingat in finem, quem ip[ſe]
Vltimus finis Dominus IESVS Pſal. in titulo ſuo præſefert, qui non eſt alius niſi ſalus & vita noſtra ip[ſe]
Dominus JESUS. Quapropter verbis Apoſtoli concludo rogans v[os]
per omnem orationem & obſecrationem, ut ſitis orantes omni tempo[re]
Exhortatio Authoris. in Spiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia & obſecratione pro [o-]
mnibus Sanctis, (*Epheſ.* 6.) vobiſmetipſis ſic vocatis, ſecundum propo[-]
ſitum, (*Rom.* 8.) & pro me ut detur mihi ſermo in apertione oris m[ei]
cum fiducia notum facere myſterium Evangelij (*Ibid.*) in hoc Pſalm[o]
expreſſi ad majorem ipſius gloriam: & noſtrum profectum in Chriſt[o]
JESU Domino Noſtro.

In Feſt[o]

n Festo Immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ.

Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. *Psal.* 44.

PRima Immaculatè Conceptæ Virginis Deiparæ festivitas; primam sibi in Psalmo nostro sententiam ipsi appropriatam deposcit. PP. RR. FF. DD. Cui namque propriè & prima- ò Reginæ titulum competere arbitramur? Num animæ DEO evotæ? Ecquis Mariâ Deo devotior, addictior, cõjunctior; quæ irgo prima Deo suam devovens Virginitatem, Divinæ in tem- o addicta servituti, ita Deo meruit conjungi, ut Mater Dei fecta, eum in suis castissimis conciperet visceribus, totiquè or- progeneraret? Quidni Regina, quæ Mater Regis Regum; enitrix Regis cœli & terræ? An Ecclesiæ dignitatem Reginæ nsemus convenire? Ita equidem. Sed quis in Ecclesia Mariâ blimior, excellentior, eminentior? Cujus vultum deprecantur nnes divites plebis: (*Psal.* 44.) Quam filiæ Syon videntes eatissimam prædicaverunt; (*Cant.* 6.) cùm enim multæ filiæ Ecclesia congregâssent sibi divitias, Maria supergressa est uni- ersas. (*Prov.* 31.) Sunt omnes desponsatæ uni viro, ut se Virgi- es castas exhibeant Christo; (2 *Cor.* 11.) Sed Maria ampliùs, quæ Sponsa & Mater est ipsius Christi Sponsi; Mater quoq; est si- ul omnium Sponsarum, id est animarum Christianarum, vera later cunctorum in Deo, in Christo viventium. (*Gen.* 3.) Atq; leò sublimitas, excellentia & eminentia Mariæ omnes Creatu- rum Angelicarum & humanarum superat altitudines; Uti Ar- , per Noë ejusq; progeniē totũ genus humanum continens & ncludens, omnium montium cacumina supernatabat: vera rca salutis omnium Maria. Hæc diluvium iræ Dei fatale omnia uæ super terram erant propter peccatum primigenium perimēs, vasit sola, unica utiq; erepta & evecta ex cataclysmo culpæ ge- ralis. Sed redeo ad Reginæ dignitatem; quæ ita Mariæ pro- ia est & singularis, ut jueremeritò Regina nata dicatur. Credi- s fortasse talem, quia de domo & stirpe David Regis progna- m? Nec hoc abs re. Si enim ipse filius David ex ipsa sola nat⁹ t, & sedē David Patris sui possedit, atq; regnatur⁹ in domo Ja- b dicitur, cujus regni non erit finis; (*Luc.* 1.) Rex planè natus *Matt.* 2.) Rex Israël, Rex Judæorum: (*Marc.* 15.) nunquid non ipsa filia David ejus solij particeps, pariens ipsum Regem sæ- lorum, (1 *Tim.* 1.) cum ipso regnatura sinè fine: Regina omni- nata, verorumque Israëlitarum, Deum verum confitentium dæorum Regina? Sed longè majori ratione Maria est Regina ta, utpote tanquam Filia Regis æterni Dei Patris, tanquam later Regis Dei Filij, tanquã Sponsa Regis Dei Spiritûs Sancti. n⁹ est Altissim⁹, ait Ecclesiastes, (*cap.* 1.) Creator omniũ & Rex ptens Deus, à quo omnis potestas, cujus sedium assistrix est

Anima DEO devota, est Regina.

Ecclesia Christi est Regina.

MARIA est maxima Regina.

Arca salutis MARIA.

MARIA Regina nata. I.

II.

Sapientia, (*Sap. 9.*) per quam Reges regnant, Principes impe
rant, & potentes decernunt justitiam: (*Prov.* 8.) deniq; Dom
nus est Spiritus teste Apostolo; (*2. Cor. 3.*) & juxta Sapientem
(*Sap.* 7.) in sapientia est spiritus intelligentiæ, sanctus unicus mu
tiplex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, quidni Rex
qui & ferebatur super aquas (*Gen.* 1.) in creatione, & replev
orbem terrarum (*Sap.* 1.) in recreatione, imò spiritu oris Do
mini virtus cælorum, (*Psal.* 32.) & ij qui in pulverem sunt rever
si (*Gen.* 3.) emissione spiritûs creabuntur & facies terræ renova
MARIA cum DEO Patre & Filio & Spiritu S. regni particeps. bitur. (*Ps.* 103.) Jam ergo Maria adeò Deo Patri & Filio & Sp
ritui S. per filiationem, maternitatem & desponsationem conjun
cta, nonne Regni & regiminis fruitur participatione? Sic can
Ecclesia: quòd Filius Dei Matrem faceret secum participem Pa
III. tris imperij. Regnum tuum regnum omnium sæculorum, allo
quitur Propheta Regius Deum, & dominatio tua in omni ge
neratione & generationem. (*Ps.* 144.) De se Maria loquitur i
Scriptura: Ab initio & ante sæcula creata sum, & usq; ad futu
rum sæculum non desinam, (*Eccli.* 24.) & beatam me dicent o
IV. mnes generationes. (*Luc.* 1.) Si Domini est regnum, & ipse do
minabitur gentium; (*Ps.* 21.) certè & Dominæ est regnum, *id enim*
S. Damasc. *Mariæ nomine significatur* ait B. Joannes Damascenus. *Verè ete*
nim rerum conditarum Domina facta est, cùm Creatoris Mate
V. *extitit.* Verè est Regina cœli & terræ, quæ in se cœlum terra
VI. conjunxit; Verè Regina hominum & Angelorum, quæ utrisq
VII. protulit salutem. Si Filius Rex justitiæ, Rex virtutum, Rex glo
riæ; (*Ps.* 23.) quidni Mater Regina justitiæ Regina virtutum Re
gina gloriæ, quæ assistit Filio Regi tanquam Regina à dextris e
jus? (*Ps.* 44.) Sed ubinam hæc assistentia fuit? Scitis PP. RR
Christus Rex in Cruce. FF. DD. ubi Rex noster solium principale habuit? Haud dubi
in Cruce. Ibi factus erat principatus super humerum ejus, (*Esa*
9.) ibi Dominus regnavit à ligno. Audiamus quid dicat. Tor
cular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum. (*Esai.* 63.
Maria Regina sub Cruce. Est tamen mulier fortis. [*Prov.* 31.] Stabat juxta Crucem JESU
Mater ejus (*Joann.* 19.) Maria: & si dicuntur & aliæ duæ Mariæ
cum discipulo stetisse; fecerunt id proculdubio virtute exempli &
nominis Mariani. Non enim decebat Matrem Dei solam sinè co
mitatu stare. Quodsi Joannes censendus vir ex Judæis; erat plu
quàm vir, quia Virgo Angelus in carne. Cõqueritur ultra Re
noster: fratres mei elongaverunt à me, & noti mei quasi alien
recesserunt à me. (*Job.* 19) Non elongavit nec recessit Mater, se
stabat juxta Crucem. Deniqúe asserit: Considerabam ad dexteră
quæ protunc Judæa erat, & videbam, & non erat qui cognosce
Ideo Regina quia stans juxta Crucem. ret me: (*Psal.* 141.) sed erat quæ cognosceret Mater: Astitit Re
gina à dextris tuis: [*Ps.* 44.] inde Regina quia stetit juxta Cru
cem, prima Redemptionis pretium ante omnes & super omne

participan

participans, velut Regina nata sub Cruce. Vidistis illam primam omnium principem matrem sub arbore scientiæ boni & mali? [*Gen.* 2.] quid ait serpens ad illam? incurvare, ut transeamus (*Esai.* 51.) à recto mandati Divini tramite per ejus transgressionem recede. Fecit peccatum, & serva facta est peccati; (*Joan.* 8.) ivit sub jugum dæmonis maligni cum posteritate sua. Sub arbore malo suscitavi te, (*Cant.* 8.) ait Rex Sponsus Ecclesiæ ex ejus posteritate reparatæ; ibi corrupta est Mater tua Eva, ibi violata est genitrix tua. (*Ibid.*) Per arborem crucis prodijt salus & vita nostra; ibi altera Mater nostra Maria non corrupta, non violata, non incurvata, stãs juxta crucẽ IESU, participio crucis ab omni culpæ malo præservata, Mater gratiæ incorrupta, genitrix salutis inviolata effecta: veré Regina nata assistés à dextris (*Ps.* 44.) Regis. Stetit Jesus à dextris virtutis Dei, (*Act.* 7.) ut Stephano pro se præliãti assisteret & opẽ ferret: stetit multò magis in Cruce pro Matre juxta crucẽ stante; ut eã à lapsu originali præservaret. Stetit & Maria semper à dextris, ab ortu Cõceptionis suæ purissimæ usqúe ad ortum beatitudinis æternæ, ubi nunc sedet á dextris Filij sui tanquam Regina super omnes exaltata. Ac ideo semper Regina quia semper libera, nunquam sub jugo. Vbi Spiritus Domini ibi libertas. (2. *Cor.* 3.) In Mariam supervenit Spiritus Sanctus, ut ex ea nasceretur Sanctum, (*Luc.* 1.) per quod maledictum servitutis tolleretur. Ipsa enim est vera Regina Austri; quam Deus ab Austro veniens, (*Hab.* 3.) sibi possedit: quam velut hortum perflavit Auster (*Cant.* 4.) Divinus, Spiritus Sanctus; & gratiâ suâ prævenit, & in illã tempore Conceptionis illius immaculatæ venit; ut eam ungeret velut Reginam oleô lætitiæ & exultationis præ participibus suis; (*Heb.* 1.) ut postea in eam pro Incarnatione Filij Dei superveniret. Sed dicet aliquis? ubi sunt insignia Reginæ? placet scire? respicite illud Signum magnum in cœlo apparens Joanni: Mulier amicta sole, coronata stellis duodecim, (*Apoc.* 12.) lunâ quasi calceata. Quæ est ista? Ecclesia? sit ita. Sed in Ecclesia quæ prima & omnium primiceria? Maria: hæc ipsa est, quã admirantur cœli cives orientem in Conceptione sua dicentes: Quæ est ista quæ progreditur velut aurora consurgens, absqúe noctis tenebris; pulchra ut luna absq; vicissitudine, electa ut sol absq; umbris & maculis; terribilis ut castrorum acies ordinata, (*Cant.* 6.) ad omnem caliginem peccati profligandam. Coronam ergo stellarum duodenarum perpendite, universitas est privilegiorũ & prærogativarum super omnes creaturas. Vestitus deauratus imò aureus est amictus solis, proveniens à capite quod est aurũ optimum; est omnium gratiarum & meritorum Christi summa participatio. Circumdatio varietatis, est diversarum virtutum & infinitorum meritorum ejus multiformitas. Lunæ sub pedibus

Eva serva peccati sub arbore interdicta.

corrupta & violata.

Maria stans juxta Crucem Mater gratiæ & salutis effecta.

Maria semper Regina, semper libera.

Spiritus S. in Conceptione sua venit in illam, ungens ut Reginam.

In Conceptione Filij DEI supervenit.

Signum in cælo apparens est signũ Reginæ.

Aurora, luna, sol.

Corona stellarum 12.

Vestitus deauratus.

Luna sub pedibus.

ſubjectio eſt omnis humanæ mutabilitatis & inconſtantiæ pro culcatio; ut Maria eſſet ſemper ſtans, ad Deum erecta per fid directa per ſpem, evecta per charitatem; circumſpecta per pru dentiam, regulata per juſtitiam, compoſita per temperantiam firma per fortitudinem; & talis ſemper ſtetit & aſtitit Regin noſtra à dextris (*Pſal.* 44.) Regis æterni, Regis ſæculorum (1. *Tim.* 1.) ab eo electa & præelecta ante omnem creaturan

Quare aſtitit à dextris Sponſi? (*Eccli.* 24.) Quid tamen putamus, quare aſtitit à dextris Spon ſi Regis? An ut honorem faciat Regi per aſſiſtentiam ſuam, &

I. augeat ipſius gloriam? Proculdubio. Num ut ad famulatum e

II. jus, ad templum Regis attrahantur & adducantur Virgines fili Regis, ex quibus delectetur in honore ſuo? (*Pſal.* 44.) Utiqu

III. An ut opem ferat ſe invocātib⁹? Multum per omnem modum Ipſa enim eſt quæ velut Regina Eſther à Rege ad thronum &

S. Aug. coronam gloriæ aſſumpta, apud ipſum *orat pro populo, inter venit pro clero, intercedit pro fæmineo ſexu:* & impetrat qu petit, non jam dimidium Regni, (*Eſth.* 5.) ſed totum Regnum cælorum. Hæc illa eſt Regina, cui in Conceptione ſua dicit Re Cæleſtis: non pro Te hæc lex conſtituta eſt, ſed pro omnibus (*Eſth.* 15.) Adamo & Eva eorumq; prole, ut morte moriar

Sceptrum Regium in manu MARIÆ. tur. (*Gen.* 2.) Non morieris. (*Eſt.* 15.) Sceptrum enim Re gium in manu tua eſt, virga aurea eſt, ego ipſemet Filius tuus virga virtutis quam emiſit Dominus ex Syon, (*Pſal.* 109.) Deo Patre in ſignum gratiæ per Te hominibus porrecta; cu jus ſummitatem Jacob adoravit, Tu oſculaberis. Quomo do non in manu imò ſub manu Mariæ virga directioni virga regni; [*Pſal.* 44.] quandoquidem ipſe Rex erat ſubdi tus illi? (*Luc.* 2.) Maria ergo eſt Regina ipſius Regis Regum eſt & Regina Reginarum animarum ſanctarum, quæ concupi ſcentijs carnis & paſſionibus animi dominantur tanquam Virgi nes Regi Sponſo per ipſam & poſt ipſam adductæ. Quid reſta

Imitari MARIAM, & orare Mariam oportet. niſi ut nos quoqué æmulemur chariſmata meliora; (1. *Cor.* 12. animas noſtras per imitationem puritatis cæterarumqué virtut Mariæ, conſortio harum Reginarum jungamus: & ad hoc pa trocinium Reginæ noſtræ imploremus. Potentiſſima eſt Regina eſt & miſericordiſſima. Quidquid poteſt, miſericorditer diſpen ſat; & cujus miſeretur, opitulatur eidem potenter. Regina mundi eſt canēte Eccleſiâ, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in ter ra. [*Mat.* 28.] Sim⁹ fideles ſubditi huj⁹ Reginæ Dominæ noſtræ quādiu ſumus in hoc mūdo, ut ej⁹ Regni, quod ipſū eſt & Fi lij ejus Regis Domini noſtri hìc in terris participiô, & in cœlis conſortiô perfruamur. Salutemus eam frequentiſſimè tam pro vivis quàm pro defunctis canentes: Salve Regina. Benigniſſi ma & humaniſſima eſt Regina: quæ ſalutantes ſe reſalutat, & ſalute beat ſempiternâ.

In fi

Dominica IV. Adventûs

In finem: *Sic incipit Titulus Psalmi 44.*

ANtequam aggrediamur opus explanationis Psalmi 44, Ti-
tulum qui illi à Propheta præfixus est, libet prius enucle-
are. Neq; enim in Scriptura Sacra jota unum aut unus a-
ex (*Matt.* 5.) reperitur, qui non contineat in se sensum Spiritûs
ancti singularem. Titulus quoqúe ut plurimùm indigitat qua-
ntenùs ea quæ in Psalmo continentur. Psalmus igitur noster
itium Tituli habet, *In finem*, quem interpretantur Sancti Pa-
es esse Christum, de quo hic Psalmus primariò tractat. Omnia
uæcunq; à Deo creata sunt, finem suum habent particularem,
opter quem sunt producta, à quo non possunt deviare. Quod
aliquid extra orbitam finis sui in natura advertitur excidere, ha-
etur loco prodigij, monstri, aut portenti. Prima causa efficiens
abet sibi semper annexam finalem causam: quæ licet ultima sit
executione, prima tamen est in intentione. Quidquid finè fi-
s prædeterminatione agit, vel caret intellectu, vel est intellectûs
bfuscati nubilo inconsiderationis aut irreflexionis. Cuncta igi-
ir habentia finem suum, nunquam non ad eum tendunt & col-
mant. Et quidem inanimata & insensitiva in fine consequendo
uctum naturæ sequuntur. Videmus levia sursùm tendere, gra-
a deorsùm: finis eorum est centrum levitatis vel gravitatis. In-
t unicuique rei appetitus ad centrum finis sui consequendum.
labent corpora suum fatalem nascendi & pereundi gyrum si-
ul ac periodum, per quam terminantur & determinantur: ità
t unius generatio sit alterius corruptio, & è converso unius cor-
uptio sit alterius generatio. In rebus quoqúe animatis & sensi-
vis unumquodqúe fine suo gaudet ad quem est destinatum; a-
imantia tamen in actionibus suis videntur clariùs ad certum col
mare finem, qui nihil aliud est præterquam instinctus, vel du-
tus naturæ ipsis à Deo implantatus. Sed quid homo? Super
mnia hæc creata excellentior, fine potitur longè sublimiori; ad
naginem enim Dei creatus à Deo, (*Gen.* 1.) ipsum prototypon
Deum uti pro principio, ità pro fine respicit possidendum. Et
uantumvis quidem universum hoc macrocosmi à Deo sit pro-
uctum, non alio fine quàm propter ipsummet Deum; ac sigil-
tim ad manifestandam omnipotentiæ, sapientiæ, & bonitatis
Divinæ abyssum; primariò tamen & principaliter super omnia à
Deo conditus est homo propter Deum, & ut in ipso admirabilis
mnipotentia, sapientia & bonitas Dei potissimùm eluceret. O
uanta dignitas hominis! quanta excellentia! quanta sublimitas
undem cum ipso Deo finem habere! Deus namqúe ipse sibi fi-
s est, & homini non alium præfixit finem nisi se ipsum. Insuper
ominem constituit super opera manuum suarum, & omnia sub-
cit sub pedibus ejus, (*Ps.* 8.) quæcunqúe terræ, maris, & aë-
s ambitu continentur. Quin ipsos cælorum orbes cum planetis

Finis Christus est.

Omnia habent finem suum.

Finis hominis quis?

Homo propter Deum creatus.

Beneficia homini à Deo concessa.

& firmamento in gratiam hominis extendit, ut illi pro luminaribus diei & noctis inservirent. Deniq; minuit eum paulò minus ab Angelis; gloriâ illuminati intellectûs & honore liberæ voluntatis eum coronavit. (*Ps.* 8.) Omnia hæc Deus ipsi contulit propter semetipsum, ut ijs uteretur ad gloriã Dei propagandam, quam alteri Deus non dat, (*Is.* 42.) & ad salutem animæ suæ æviternæ assequendam. In hunc finem velut terminum velut scopum omnes actiones, cogitationes, locutiones, motus passionum animi & membrorum corporis homo dirigere est obstrictus, sed vel maximè intellectu & voluntate ad ea debet contẽdere & accelerare. Hisce enim rectis ductoribus reliqua rectum tenent tramitem, rectis vijs & semitis gradiuntur. Jam finis intellectûs est veritas, finis voluntatis est bonitas. Intellectus veri tenax, & voluntas boni sequax totum regunt hominem, faciuntq; illum & veritatem & bonitatem essentialem adipisci. Ast quænam hæc est? Procul dubio haud alia præter Deum; Deus est æterna Veritas: Deus est suprema bonitas. Sed homo per peccatum mendacio & malitiâ irretitus in errorem ignorantiæ & perversitatis obliquitatem delapsus à fine ad quem creatus erat exorbitavit & pessum ivit; nec poterat redire ad finem suum nisi per ipsum Deum. Necessariò erat homo Deus, qui hominem ad Deum reduceret & restabiliret. Ipse est via, veritas, & vita, (*Joan.* 14.) via per quam itur ad Deum; veritas per quam intellectus cognoscit Deum verum; vita per quam voluntas verum bonum apprehendit. Est planè via per quam reditur ad finem, est veritas quâ convincitur intellectus de rectitudine finis, & quâ docetur de modo perveniendi ad finem; est vita per quam animatur voluntas ad finem desiderandum & quærendum: est vita, per quam ipse finis possidetur. Est via, quia confert media ad finẽ apprehendenda; quæ non sunt alia, quàm fides & custodia mandatorum Dei. De fide docet Apostolus: quòd sinè fide impossibile sit placere Deo, ad quem accedentẽ primo oportet credere. (*Hebr.* 11.) Imò docet æterna Veritas: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solũ Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. (*Joan.* 17.) Cognitio autem non habetur nisi ex fide. Per fidem ergo datur consecutio finis, qui est vita æterna. Reportantes finẽ fidei vestræ, dicit Princeps Apostolorũ, salutem animarum; (1. *Pet.* 1.) & hæc ipsa salus nihil aliud est, nisi vita æterna in Deo fine hominis ultimato. De observantia mandatorum Dei indicat eadem Veritas infallibilis: si vis ad vitam ingredi, serva mandata. (*Matt.* 19.) Jam interroganti quodnam sit mandatum magnum in lege, respondit esse dilectionem Dei & proximi. (*Marc.* 12.) In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ: (*Matt.* 22.) plenitudo enim legis est dilectio, (*Rom.* 13.) imò finis præcepti est charitas juxta Apostolum, (1. *Tim.* 1.) ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta

Finis intellectûs humani veritas; voluntatis bonitas.

Deus Homo Via Veritas, & Vita.

Via ad finem fides & custodia mandatorum Dei.

Finis præcepti Charitas.

ficta. (*Ibid.*) Bona fundamenta habet charitas; cordis puritatem, conscientiæ bonitatem, fidei veritatem; quæ omnia producit legis adimpletio: & exinde fluit beatitudo. Beati immaculati in via, canit vates Regius, qui ambulant in lege Domini. [*Psal.* 118.] En via pro medio. Beati qui scrutantur testimonia ejus. (*Ibid.*) En veritas pro intellectu: in toto corde exquirunt eum, [*Ibid.*] en vita pro voluntate, quæ sedes est charitatis. Quod enim diligitur toto corde, id & totâ volũtate exquiritur. Sic ergo omnis lex, omnia mandata Dei referuntur ad charitatem quæ Deus est, & finis est. Videte mirabilem rerum combinationem; finis præcepti est charitas, (1. *Tim.* 1.) finis legis est Christus. *Rom.* 10.) Deus charitas est, (1. *Joan.* 4.) Christus est Deus, idq; sigillatim Deus noster, quia simul & homo; adeoque quoties Deus tuus in Scripturis nominatur, Christus denotatur. Ergo Christus est charitas. Ecquis dubitat? Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis, (*Joan.* 15.) & hoc fecit Christus charitas. Cùm dilexisset suos, inquit dilectus à Jesu discipulus, usque in finem dilexit eos. (*Joann.* 13.) In quem finem? An consummationis? Utiq; quando dixit in Cruce: Consumatum est, & inclinato capite tradidit spiritũ. (*Joã.* 19.) In quem finem? An in morte crucis? ubi consummavit opus quod dedit illi Pater ut faceret. (*Joan.* 17.) In quem finem? An consumptionis? Et hoc quoque diversimodè, consumendo vitã per mortem; ponendo animam, id est consumendo sangvinem, anima enim omnis carnis in sangvine est: (*Levit.* 17.) ita planè ex toto corpore pretium mundi cruorem suum profundendo, ut etiam post mortem per vulnus lateris ex ipso corde reliquias ejus simul cum aqua exstillaret. Quidni, seipsum in cibum dando, dedit se in consumptionem? Alimentum enim commune transit in substantiam aliti; hic verò in Sanctissimo Sacramento corporis & sangvinis Dominici species panis & vini accidentales à nobis consumuntur: ipsa autem substantia alimenti alitum in se convertit & quasi consumit. Sic Divus Augustinus Christum inducit loquentem: *Non ego in te, sed tu mutaberis in me.* Et hoc est in finem quod Psalmus præloquitur. Omnis consũmationis vidi finem, (*Ps.* 118.) inquit alibi Regius Propheta: Quis autem finis ille sit, explicatur consequenter: Latum mandatum tuum nimis. (*Ibid.*) Et hoc quod est? Haud dubiè charitas Dei summi, & proximi infimi, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, (*Rom.* 5.) quem misit Pater in nomine Christi Filij, quem & ipse Fili⁹ misit à Patre. Placet scire quàm latè pateat Spiritus Dñi? Docet Sapientia: Replevit orbem terrarum. (*Sap.* 1.) Ipsius autem à summo cælo egressio est, nec est qui se abscondat à calore ejus, (*Ps.* 18.) in cælo & in terra; charitas enim nunquam excidit. (1. *Cor.* 13.)

quæ maximè in Christo;

qui suos in finem dilexit.

I. II. III. IV. V.

S. August.

Latum mãdatum DEI est charitas.

 Jam

Jam qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo, (*1. Joan.* 4.) habet finem suum, tenet beatitudinem, vitam æternã comprehendit. *Ibi*, inquit Augustinus, *Deus ipse erit finis desideriorum nostrorum, qui sinè fine videbitur*, (addo per intellectum) *sinè fastidio amabitur*, [per voluntatem adjungo] *sinè fatigatione laudabitur.* Et infra: *vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus & laudabimus.* Ecce quid erit in fine sinè fine. Et quis ergo noster est finis, nisi esse ibi, ubi null⁹ est finis? Quem finem nobis concedat qui sinè fine vivit & regnat, qui in finem venit salvare nos, JESUS Christ⁹ Dominus noster.

S. August.

In Nativitate Christi Domini.

In finem, *initium est Tituli Psalmi* 44.

Deus omnium principium & finis,

DEus in se ipso & ex se ipso sinè principio & sinè fine existit, PP. RR. FF. DD. cùm sit essentialiter æternus & infinitus: est autem rerum omniũ primum principium & finis ultimatus. Quidquid est, ab ipso est, & propter ipsum est, totum hoc, quod principium inceptionis habet & finem desitionis. Omne quod fecit Deus, per seipsum fecit & propter semetipsum; ante omnia tamen rationalis creatura ad imaginem & similitudinem ejus creata est: [*Gen.* 1.] ea de causa, ut Deum suum principium & suum finẽ agnosceret ac veneraretur. Quid accidit? Vtraque creatura rationalis; merè spiritualis Angelus, spiritualis & corporea homo, cùm in honore esset non intellexit, (*Ps.* 48.) imò noluit intelligere ut bene ageret, (*Ps.* 35.) elõgavit se à Deo principio suo, & à Deo fine suo abscedens ivit in exterminium. Sed quomodo? Non aliter nisi seipsum sibi pro principio & fine statuendo. Dubitamus? Angelus loquitur apud Esaiam: similis ero Altissimo. (*Esai.* 14.) Quid hoc est? Ero Deus me pro principio & fine habens. Et homo quid? Tentatus ab Angelo, qui jam à Deo principio & fine suo extorris erat, credidit malè consulenti & dicenti: Eritis sicut Dij: (*Gen.* 3.) dereliquit Deum factorem suum, (*Deut.* 32.) tanquam principium, & recessit à Deo salutari suo (*Ibid.*) tanquã fine. Et sic pereunte utrâque rationali creaturâ, Deus intentionis suæ fine quasi frustratus fuit & privatus. Quid igitur remedij? Vtraque ad principium & finem suum revocanda erat, ipsa enim ex se non adjiciebat ut resurgeret, nec erat illi auxiliator, (*Ps.* 40.) præter ipsummet Deum. Sed sublimiori creaturæ rationali, videlicet Angelicæ nullum poterat dari remedium tanquam ex malitia propria primæ rebellionis atq; nefandi à Deo recessũs authori. Inferior proinde creatura rationalis nimirum homo, non tam propriâ malignitate quàm pravô perversi Angeli consiliô à Deo principio & fine suo aberrans, obtinuit hoc ab infinita misericordia & bonitate Dei, ut per ipsummet Deum ad

potissimùm creaturæ rationalis.

Quomodo Angelus à Deo deviavit?

Quomodo homo?

Angelus non poterat reduci,

sed homo

per ipsũ Deũ.

ad cognitionem principij & finis sui reduceretur. Deus ipse venit & salvavit hominem, qui de se loquitur apud Isaiam: Ego sum Dominus, & non est absque me Salvator. (*Esai.* 43.) Et paulò infra: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. [*Ibid.*] Et iterùm: Hæc dicit Dominus faciens & formans te, ab utero auxiliator tuus. Et rursus, Hæc dicit Dominus Rex Israël, & Redemptor ejus Dominus exercituum: Ego primus & ego novissimus, & absque me non est Deus. (*Esai.* 44.) Deniqúe ait: Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Revertere ad me, quoniam redemi te. (*Ibid.*) Ecce quomodo Deus ipse suam & hic & alibi apud Prophetas misericordiā erga hominem prævaricatorem manifestat: quomodo ipsemet Deus hominem, qui erravit sicut ovis quæ perijt, [*Ps.* 118.] ad se velut principium & finem revocat, requirit & reducit. Indicabat hoc Deus Adamum mox post exorbitantiam primæ culpæ inquirens: Adam ubi es? (*Gen.* 3.) quòd nemo præter ipsummet Deum hominem deperditum esset investigaturus & salvaturus. Sed ô quàm admirabili & à seculis abscondito Sacramento! Quàm stupendô sapientiæ suæ consiliô! quàm incomprehensâ misericordiæ suæ adinventione! Duo extrema remotissima & à se invicem infinitè distantia & discrepantia, Divinam sanctissimam & humanam peccatricem, [quia in similitudinem carnis peccati sed absque omni peccato quoad se & Matrem suam] naturam in una Verbi sui persona copulavit. Sic Sapientia Dei attigit à fine usq; ad finem fortiter; (*Sap.* 8.) omniū enim potentior est Sapientia, nec ipsa malitia vicit sapientiam; (*Sap.* 7) & disposuit omnia svaviter, (*Sap.* 8) svavi spiritu intelligentiæ suæ ordinavit, ut ille idem qui à seculo & usque in seculum est Deus, (*Ps.* 89.) Verbum genitum antè omnia secula fieret in fine seculorum Homo Verbum: ille qui ab æterno & usq; in æternum est Filius Dei Patris, fieret, ubi venit plenitudo temporis, (*Gal.* 4.) quando venit tempus miserendi, (*Ps.* 101.) Filius hominis, Virginis Matris; adeoqué esset sum̃us & infimus, primus & novissimus, (*Apoc.* 1.) Deus homo, maximus minimus; deniq; uti de se asserit in Apoc. Alpha & Omega, principium & finis. (*Apoc.* 1.) Ego principium ait de se apud Joannem, [*cap.* 8.] illud planè in quo creavit Deus cœlum & terram; (*Gen.* 1.) illud de quo idem Evangelista: omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil quod factum est. (*Joan.* 1.) Finis, qui & loquor vobis, (*Joan.* 8.) addit Homo factus, in quo novissimè locutus est nobis Deus, quem constituit hæredē universorum, per quem fecit & secula, (*Hebr.* 1.) & universa restauravit. Vnigenitus qui est in sinu Patris, (*Joan.* 1.) in forma Dei, (*Philipp.* 2.) cujus à summo cœlo egressio. (*Psal.* 18.) En principi-

Testimonia S. Scripturæ de hoc.

Quomodo?

Duo extrema copulando Divinam & humanā naturā.

Sapientia Dei.

Filius Dei Patris, Filius Virginis Matris.

Deus Homo, Alpha & Omega, Principium & Finis.

Vnigenitus in sinu Patris.

Primogenitus ex utero Virginis.

principium. Post hæc parvulus natus est nobis, (*Esai.* 9.) primogenitꝰ ex utero Virginis, (*Luc.* 2) in terris visus est, cum hominibꝰ conversatus; (*Baruch.* 3.) imò habitavit in nobis, (*Joan.* 1.) formam servi accipiens, humilians semetipsum & exinaniens. (*Philip.* 2.) En finis. Nonne hìc jam meritò Deus dicere potest: Ecce unus ex nobis non Adam quasi, sed re ipsâ Adam factus est, tunicâ pelliceâ carnis humanæ vestitus? (*Gen.* 3.) Nonne hìc verè Deus hominem traxit in funiculis Adam, (*Osee.* 11) pannis involutus, (*Luc.* 2.) in vinculis charitatis (*Osee.* 11.) suam Divinitatem uniens & vinciens ex immenso amore Adæ humanitati?

Finis legis est Christus.

Finis legis est Christus ad justitiam omni credenti, inquit Apostolus (*Rom.* 10.) Lex per Moysen data est in principio; gratia & veritas per Jesum Christum facta est [*Joan.* 1.] in fine: qui non venit solvere legem sed adimplere. (*Matth.* 5.)

Lex quomodo finita. I. II. III. IV.

Per Deum namq; Incarnatũ lex cessavit & terminata fuit ac completa partim dùm ea quæ in figura contingebant, illius finem habuerunt in veritate umbris in lucem veram commutatis; partim dùm ea quæ prædixerat, effectum sunt sortita: partim dùm ea quæ erant imperfecta, adepta sunt perfectionẽ; partim dùm ea quæ erant inefficacia & incompleta, suam consecuta sunt efficaciam & cõsummationem, hominem faciendo justum, quod lex facere non poterat: & hoc est ad justitiam omni credenti, (*Rom.* 10.) justus enim ex fide vivit, (*Rom.* 1.) & credere oportet accedentem ad Deum. (*Hebr.* 11.)

Finis legis Christus.

Porrò finaliter finis legis est Christus [*Rom.* 10.] quia est terminus & scopus omnium eorum, quæ in toto veteri testamento tradita erant & conscripta, novi testamenti institutione consummata. Hæc sunt verba, (ipsemet de se testatur apud S. Lucam, et hoc ipsum initium eorum quæ scripta sunt de ipso) quod locutus sum ad vos, dùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me. (*Luc.* 24.)

Mors Crucis finis Christi.

Sigillatim tamen antecedenter indigitat mortem crucis, suum finem apud eundem Evangelistam: dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me; (*Luc.* 22.) & cum iniquis deputatus est; (*Ibid.*) etenim ea quæ sunt de me finem habent. (Id autem ubi accidit nisi in cruce, dùm medius inter latrones suspenderetur) tandẽ compendiũ omnium annectit & explicat: quoniam sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionẽ peccatorum in omnes gentes. (*Luc.* 24.)

Duo fines passio & resurrectio. Item pænitentia & remissio peccatorum.

Duos hìc considero fines: primum passio in vita mortali, & resurrectio ad vitam æternam: per illam ad istam. Secundum pænitentia & remissio peccatorum: per illam ad hanc. Ita omnino priùs pænitendũm, ut finem pænitentiæ per indulgentiam peccatorũ consequamur. Priùs patiendum & commoriendum Christo in cruce, ut in fine resur-

resurrectionis ejus participes efficiamur: & sic priùs legitimè certandum, si volumus in finem coronari. (2. *Timoth.* 2.) Indè non immeritò alij locò, In finem, legunt: Victori Viventi, vel effectori victoriæ, vel ad vincendum. Hic enim finis est cursûs vitæ nostræ & certaminis, ut vincamus, coronemur, bravium apprehendamus. Pulchrè S. Gregorius Nissenus. *Cùm omnis certaminis victoria sit finis, ad quem qui certamen ingrediuntur omnia sua referunt, eâq; freti pugnare incipiunt*; mihi, inquit idem Sanctus, *planè persvadeo finis nomine velut brevi quadam commotione excitari omnes illos, qui in hujus vitæ stadio per virtutis exercitationem decertant, ut finem respicientes spe coronæ obtinendæ certaminum laborem levent & minuant.* Sic ipse Redemptor proposito sibi gaudio sustinuit crucé: (*Heb.* 12.) sic nos redempti præmonstratâ nobis vitæ æternæ coronâ hoc momentaneum & leve tribulationis nostræ feramus, ut æternum gloriæ pondus in nobis operetur. (2. *Cor* 4.) Hæc est via, qua ad nos venit Deus homo primus & novissimus, principium & finis; (*Apoc.* 1.) per hanc nos novissimi, respectu Angelicæ creaturæ longè inferiores, novissimè creati, facti primi per ipsius Dei acquisitionem & redemptionem, qui non Angelos sed semen Abrahæ apprehendit; (*Hebr.* 2.) per hanc inquam viam necesse est ut regrediamur ad Deum principium & finem nostrum, & perseverando usque in finem (*Matt.* 24.) vitæ nostræ per passionem & crucem terminandæ, finem vitæ æternæ apud Deum adipiscendæ & sinè fine duraturæ, progrediamur virtute illius, qui pro nobis hodie natus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, (*Philip.* 2.) & qui dat nobis per seipsum victoriam, (1. *Cor.* 15.) & vincentibus coronam vitæ (*Apoc.* 2.) in beata æternitate impertitur.

Locò in finem titulus habet, Victori Viventi.

Finis vitæ & certaminis est victoria.

Via ad cælum.

In Circumcisione Domini.

In finem pro ijs, qui commutabuntur:
Continuatio Tituli Psalmi 44.

NOvi Anni initium, ut novitati temporis novitate vitæ initiemur, invitat nos PP. RR. FF. DD. Quidni hanc meritò acceptemus? Nova etenim sunt veteribus gratiora. Nova vestis, nova domus, novi fructus, & his similia magis arrident quàm vetusta. Sed quomodo novitas vitæ instituenda? Non aliter equidem mihi videtur quàm per maturā & semper renovandā finis præmeditationem. Quid est propriè renovatio? Est veterum sublatio, & novorum assumptio. Sic Apostolus prius imperat: Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis; postea subjungit: & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem ad imaginem ejus, qui creavit eum. (*Coloss.* 3.) Veterem hominem novimus Adam peccatorem. Vetustas igitur

Nova magis grata quàm vetusta.

Quomodo novitas vitæ instituenda?

Abijciẽda vetera peccata.

peccatorũm præliminariter abijciẽda integrâ reſolutionẽ, ut nur quam revertatur. Ad hoc autem quid medij? Suppeditat Sap ens; Memorare noviſſima tua & in æternum non peccabis. (*Ec cli.* 7.) Nonne noviſſima noſtra finem deſitionis noſtræ manif

per memoriã noviſſimorum.

ſtant? Horum recordatio tollit vetuſtatem peccatorum, & vit ac virtutum inducit novitatem. Videtur idipſum Evangelij hod erni textus innuere, quando in principio hujus anni loquitur c

Circumciſio eſt vitæ renovatio.

conſummatione dierum. Sed notandum, quòd in illa fiat circun ciſio, & hoc ipſum eſt vera vitæ renovatio. Finis univerſæ ca nis venit coram me, (*Gen.* 6.) dicit Dominus Deus; quia omn vita carnalis finiri debet per circumciſionem, ut vita ſpirituali inchoetur. Nonne vetus homo carnalis fuit? Nunquid non nc vus homo ſpiritualis eſt? Ille exſpoliandus, hic induendus. I

Pro ijs qui commutabuntur quid?

hoc eſt, quod noſter Pſalmus aſſerit in titulo: In finem pro ij qui commutabuntur. Fuit equidem & eſt in Eccleſia Dei con mutatio Judæorum & Paganorum in Chriſtianos per regenera tionem & renovationem baptiſmi utì & noſtra, ſed hæc ipſa prc pter defectus quotidianos eſt continuanda. Neceſſaria ſanè vit aliquando in peccatum defluentis, (quandoquidem proni ſur ſenſus hominis in malum, (*Gen.* 8.) & non eſt homo qui no peccet) correctio & conſummatio; ac in contrarium vitæ ad bo num tendentis aſſumptio, & exinde renovatio ſui per reflexion ad finem noviſſimorum. Duo ſtatus ſunt in orbe, malorum &

Finis impiorũ.

bonorum, uterque habet finem ſuum. Ecquis finis impiorum Gehenna ignis ſempiterni. Audiamus Eccleſiaſticum: Via pecc tium complanata lapidibus, (*Eccli.* 21.) per impænitentiam e nim obdurantur corda eorum & fiunt lapidea; & in fine illor inferi & tenebræ & pænæ. [*Ibid.*] Et quid dicit Sapientiſſimu Regum de radice impietatis concupiſcentiâ? Favus diſtillans la bia meretricis, (*Prov.* 5.) Cujus? Non alterius niſi voluptati carnalis & mundanæ. Hæc oſculatur dulciter & blandè ſe inſi

Finis concupiſcẽtiæ amarus.

nuat, in fine autem mordet ut coluber, (*Prov.* 23.) & noviſſim illius amara velut abſynthium, (*Prov.* 5.) quandoquidem cc acerbâ replẽt amaritudine, & acuta velut gladiꝰ biceps: (*Prov* 5.) ſiquidem corpus & animam occidunt, ac præcipitant in in fernum. O quàm horrendus finis hic! quàm metuendus! quàn

Qui ſunt qui terrena ſapiũt?

præcavendus! Quorum finis interitus, ait Apoſtolus, & glori in confuſione eorum. (*Philip.* 3.) Quorum? Eorum qui terre na ſapiunt. (*Ibid.*) Benè in plurali dixit terrena, quia & volu ptates carnis, & poſſeſſio divitiarum, & vanitates mundi, omni hæc terrena ſunt, terræ adhærent pavimento. Horum finis in

Quis eorum finis?

teritus, quia & morte peſſundantur, & igne æterno inconſumpti bilis pænæ abſumuntur. Quoniam cùm homo interierit pe mortem, non ſumet omnia, imò nihil; neque deſcendet cum il lo gloria ejus: (*Pſ.* 48.) quin potiùs ſequetur eum ignomini

perenni

perennis in inferno. En funestissima commutatio! En consummatio infelicissima! En omnium terribilium terribilissimus finis, & hic iniquorum. Sed quisnam finis Justorum? Cœlum vitæ & gloriæ sempiternæ. O quàm optatissimus finis! Quàm felicissima dierum vitæ consummatio! Ibi post circumcisionem hujus vitæ vocatur nomen JESVS, quia advenit salus æterna. Hæc igitur est Justorum & impiorum alternatio ac commutatio, de qua Pater Abraham loquitur ad divitem: fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. (*Luc.* 16.) Ideò juremeritò admonet Ecclesiasticus: (*cap.* 11.) In die bonorum [nimirùm vitæ præsentis] ne immemor sis malorum, [videlicet futurorum] & in die malorum (quæ hìc tolerantur) ne immemor sis bonorum [quæ in futuro percipientur] Omninò momentaneum & leve voluptatis præsentis & per momēta transeuntis æternū pænarum pondus inducit: quemadmodùm momentaneū & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus in nobis operatur. (2. *Cor.* 4.) Ergo mutemur in meliꝰ, ne mutemur in pejus, & cū hoc novo anno nostrì renovationē faciamꝰ. Benè inchoabimus annū, si novissimorum nostrorū recordabimur, si finem vitæ æternæ respexerimus. De Jerusalem desolata & conspurcata lamentatur Jeremias: sordes ejus in pedibꝰ ejus. (*Thr.* 1.) Pedes sunt extrema corporis. O quàm malè agitur, si in extremo vitæ sordes peccatorū reperientur! Addit causam Propheta: non est recordata finis sui. (*Ib.*) Solemus dicere: si finis bonus est, erit & laudabile totum. *Deus* inquit Isidorus, *non respicit quales antea fuimus, vel vixerimus, sed quales in fine erimus.* Idem asserit D. Ambrosius: *Non quæritur qualis quis fuerit, sed quid sit*; nimirùm quid sit potissimū in fine vitæ. O quàm cautè agendum, ne cùm spiritu cæperimus carne consummemur: (*Gal.* 3.) neque enim qui benè cæperit, sed qui perseveraverit in bono usque ad finem, hic salvus erit. (*Matt.* 10.) Eapropter qui stat, videat ne cadat. (1. *Cor.* 10.) Agamus opera non pereuntia sed permanentia in vitam æternam. Omne opus corruptibile, inquit Ecclesiasticus, (*cap.* 14.) in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo. Corruptibilia opera sunt, quæ fiunt in obsequium carnis vel mundi, & ideò cum corruptibili corpore ac mundo, qui transit cum sua concupiscentia, (1. *Joan.* 2.) pessum eunt. Opera stabilia sunt, quæ pro gloria Dei & salute animarum exercentur; de his Ecclesiasticus prosequitur: Omne opus electum justificabitur, & qui operatur illud, honorabitur in illo. (*Eccli.* 14.) Si proinde aliquando operi corruptibili insudavimus; si supervacaneè laboravimus, vel in perditionem nobismetipsis, jam exnunc manum nostram mittamus ad fortia: (*Prov.* 31.) quidcunque boni potest manus nostra operari, instanter & constanter operemur, (*Eccles.* 9) opus stabile

Finis Justorū.

Alternatio bonorum & malorum.

Dies bonorum.

Dies malorum

Necesse est mutari in melius.

Recordatio finis sui.

Opera non pereuntia sed permanentia agenda.

le ac permanens, bonũ ad omnes. (*Gal.6.*) Æternitati laborem agam⁹ opera quæ ſequentur nos (*Apoc.14.*) poſt requiẽ à laboribus, & tunc optima erit commutatio. Si dùm eſſemus parvuli loquebamur ut parvuli, cogitabamus ut parvuli, agebamus ut parvuli; nunc facti viri, evacuemus ea quæ ſunt parvulorum, [1 *Cor.13.*] & ſic quoque utiliter commutabimur. Quin cum Apoſtolo eorum quæ retrò ſunt obliti, ad anteriora nos extendentes perſequamur bravium ſupernæ vocationis Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu: (*Philip.3.*) ita profectò de die in diem proficientes, euntes de virtute in virtutem (*Pſal.81.*) aſcenſiones faciemus in finem cum ijs qui commutabuntur; ſeminantes in corruptione, metentes incorruptionem; ſeminantes in infirmitate, metentes in virtute; ſeminantes corpus animale, metentes corpus ſpirituale (1. *Cor.15.*) Eam ob cauſam ſemper in novitate vitæ ambulemus (*Rom.6.*) hominem qui intùs eſt renovantes de die in diem. (2 *Cor.4.*) Novum annum etiam in ejus decurſu continuò inchoemus dicentes cum Pſalmiſta: Nunc cæpim⁹, hæc mutatio est dexteræ excelſi (*Pſ.76.*) in nobis, qui ſum⁹ creaturæ mutabilitati ſubjectæ, (*Rom.8.*) nunquam in eodem ſtatu permanẽtes. (*Job 14.*) Sed firmabit nos in hoc ſancto continuæ renovationis & cõmutationis propoſito memoria finis noſtri, ſalutis & vitæ æternæ in cælo deſiderium: præ omnibus autem gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ad beatam nos ſolidabit perennitatem. Gratiam hanc inſtantiſſimis precibus apud eundem imploremus, quatenùs Statui tam Eccleſiaſtico quàm Politico, Sacro Ordini noſtro, animabus noviſſimo agone vel igne expiatorio preſſis, cum hoc novo anno non in malum ſed in bonum commutationem impertiatur. Nobis ſigillatim qui generalem ad invicem deprecationem ideò facimus, ut ſi quid offenſæ, rancoris, vel quod avertat Deus, odij vel invidiæ vetus fermentum inveniretur, novâ conſperſione (azymi videlicet) novi mandati Dominici, quod eſt charitas, commutetur.

Optima commutatio.

Utilis.

In novitate vitæ ambulãdum.

Pro quibus orandum.

Oratio R. P. Prioris in die S. Stephani pro Colenda

NUnquam feliciùs, nunquam gratiùs, nunquam optabiliùs in hoc Orbe ordinaria annorum orbita ſuos peragit progreſſus P^ris^ ac R^me^ D^ne^, quàm cùm ſingularibus ijsque privilegiatis temporum regreſſibus & periodis terminatur. Habet aſſiduus dierum curſus hebdomadis circulum, quo tranſacto iteratus ſeptem dierum fit recurſus. Sunt & annis ſuæ hebdomadæ, quas lex Divina ſpeciali ſolennitate conſecravit, quinimò ſepties ſeptem hebdomadibus exoptatum addixit Jubileum. Nunquã fortunatior, nunquã glorioſior, nunquã beatior eſſe potuit Oliva, quàm dùm ſub tuo Præſul Reverẽdiſſime, auſpicatiſſimo regimine die hodiernâ optatiſſimam recolit annorum hebdomaden

Dierum hebdomades.

Annorum;

& Jubilei.

dem. O quantis hæc relucet bonorum operum decorib⁹? quàm memorandis refulget benefactis! quàm per colenda gratiarum hostiméta æternis meretur inscribi fastis! Una hebdomas tua Mæcenas Optime, plurimas aliorũ in præclarè gestis & gloriosè actis superat hebdomades. Quin nec indictam septimi temporis quietem tibi vendicare voluisti, qui continuatis feliciter operationibus integrum hebdomadis annualis ambitum implevisti; secutus in hoc haud dubiè ipsius Divinitatis exemplum, quæ de se manifestat dicens: Pater me⁹ usque modò operatur, & ego operor. (*Joan.* 5.) Neque tua manus cessat constanter & præstanter operari. Ecce enim post Ecclesiam introitu patentiori & habiliori, Capellis & Altaribus, Organis & fenestris decoratam; post Sacrarium aureis dotatum thesauris; post Bibliothecam excellentioribus libris adauctam; post Typographiam multis typi characteribus provisam; post Abbatiam proventibus cumulatam; post notabilem subditorum in gravaminibus suis sublevationem; post tot, quod summum est, fructuosas Verbi Divini ore planè mellifluo in Capitulis prædicationes: sub præsens alterius hebdomadis initium neque Refectorio deesse voluisti, specialem corporibus nostris indulgens & dispensans refectionem per æviternam vini fundationẽ. Neq; hic Tua satis explicatur liberalitas; quin magis se explicet sylvarũ procurando conservationẽ, per notabilem oneris adeò diuturni & damnosi quoad lignationem aliorum largo sumptu profuso sublationem. Verè hebdomas hæc memorabilis simul & venerabilis esse debet Olivæ; & jure meritò in his diebus primitivorũ in hoc novi anni auspicio expletâ annorũ hebdomade novas fruges Tibi Dignissime Antistes tenemur offerre. Faciemus igitur juxta mandatum DEI, [*Exodi* 34.] solennitatem hebdomadarum in primitijs messis triticeæ, quando frumentum electorum, Panem Angelorum, escam cælestem libabimus & immolabimus. Nunc nihil superest, nisi ut faustissimum tot hebdomadarum annuarum voveamus Tibi P. R. D. recursum; quatenùs regimen Tuũ desideratissimũ gloriosò septies septẽ hebdomadũm annuarũ coronetur Iubileô, fiat fiat.

Benefacta Abbatis.

Missa in perpetuum quotidiana.

Responsum R. D. Abbatis Olivensis.

HEbdomas Græcè, Latinè septimana à septenario numero qui maximis in Scriptura Sacra claret mysterijs, suam trahit derivationem: PP. RR. FF. DD. Et quidem prima dierum hebdomas, in prima rerum creatione per ipsam Divinæ Majestatis ordinationẽ firmum habuit stabilimentum. Hebdomas autem hebdomadum Hebraica à primo Agno Paschali instituto & sumpto, simul ab exitu ex Ægypto usque ad tempus acceptæ legis in monte Synai suam cæpit originem, festo Pentecostes terminata; fuitq; figura alterius similis hebdomadis Chri-

Quid sit hebdomas?

Quæ prima?

Hebdomas hebdomadum.

Pentecoste.

ſtianæ ab inſtituto ſanctiſſimo Sacramento, ipſiusque veri Agn qui tollit peccata mundi, (*Joan.* 1.) ſacrificio in cruce, imo Paſchate noſtro immolato Chriſto, fluentis usque ad adventum Spiritûs Sancti, novæque legis gratiæ in monte Syon manife-

Annorum hebdomada. ſtatæ. Jam verò annorum ſeptimana ſabbatum erat terræ, requietionis Domini ſymbolum, eratque ſimul annus requietionis terræ. Deniqúe ſeptem annorum hebdomadæ, id eſt ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem, ſanctificabatur annus 50. vocatus remiſſio cunctis habitatoribus terra

Jubileus. (*Levit.* 25.) & hic ipſe eſt Jubileus. In ſimili apud Danielem

Hebdomadæ 62. Danielis. (*cap.* 9.) ſexaginta duæ annorum hebdomadæ nominantur, qua faciunt 434 annos, poſt quas occidendus erat Chriſtus. I his omnibus primaria ſeptenarij numeri ratio habebatur, pe quem rerum univerſitas deſignabatur. Nolo hìc ſeptem plane-

Varia ſeptenario in ſacra Scriptura. tarum in cœlo, ſeptem mineralium in terra, aut ſeptem climat in Macrocoſmo, ſeptem principalium membrorum in Microco ſmo obſervationem retexere, quandoquidem ſacer codex ſa ſuperque plurimas nobis ſuppeditat Heptarithmi reflexiones: ipſam reſpiciamus Divinitatem ſeptem oculi Domini diſcurrentes per univerſam terram apud Zachariam, (*cap.* 4.) ſignifica tes ſeptem Angelos Divinæ providentiæ miniſtros: in candelabro aureo apud eundem ſeptem lucernæ cum ſeptem infuſori Divinæ gubernationis & miſericordiæ indices. (*Ibid.*) Septem cornua Agni, ſigna poteſtatis ejus: Septem oculi ejus qui ſun ſeptem Spiritus arcanorum conſcij. (*Apoc.* 5.) Septem ſtellæ i dextera, hi ſunt Angeli ſivè Epiſcopi, & ſeptem candelabra aurea, quæ ſunt ſeptem Eccleſiæ illorum, in Apocalypſi (*cap.* 1 Septem Angeli ante thronum Dei ſtantes, quorum unus Raphaël apud Tobiam. (*cap.* 12.) Septem gradus templi apud Ezechielem. (*cap.* 40.) Septem Angeli & ſeptem tubæ, (*Apoc.* 8. & ſeptem tonitrua loquentia, (*Apoc.* 10.) ſeptem Angeli cum ſeptem plagis; (*Apoc.* 15.) deniq; ſeptem phialæ iræ Dei: (*Apoc* 16.) hæc omnia diverſo reſpectu apud Deum reperiuntur. S conſideremus ſtatum juſtorum in terra: in arca Noë ſeptena & ſeptena animalia, (*Gen.* 7.) ſeptem Duces Perſarum, qui videbant faciem Regiam in libro Eſther. [*cap.* 1.] Septem Diaconi in Actibus Apoſtolorum. [*cap.* 1.] Septem Paſtores apud Micheam. (*cap.* 5.) Septem filij Job. (*cap.* 1.) Septem millia qui non curvaverunt genua coram Baalim in lib. 3. Regũ; (*cap* 19.) in ſomnio Joſeph ſeptem boves & ſeptem ſpicæ in culmo uno. (*Gen.* 41.) Aſſveri convivium ſeptem dierum. (*Eſt.* 1. Septem panes apud Matthæum; (*cap.* 15.) non tantùm ſeptie ſed ſeptuageſies ſepties proximo dimittendum; (*Matt.* 18.) pe ſeptem vias fugiunt inimici à facie eorum. (*Deut.* 28.) Septem opera miſericordiæ tam ſpiritualia quàm corporalia variè in Evangelic

vangelio; (*Matth.* 25.) hæc omnia ad justos pertinere dignoscuntur. Si impiorum conditionem investigemus: Caput eorũ draco, septem capita & septem diademata possidet; (*Apoc.* 12.) & septem spiritus nequiores, [*Matth.* 12.] septem dæmonia in peccatrice Magdalena, (*Marc.* 16.) septem nequitiæ in corde inimici apud Sapientem; (*Prov.* 26.) quæ omnia denotant septem peccata capitalia. Septem viri de stirpe Saul à David suspensi, (2. *Reg.* 21.) septem funes quib⁹ Samson ligatur, (*Judic.* 16.) occidens Cain septuplùm punitur, (*Gen.* 4.) ista & alia hujusmodi concernunt peccatores. Si tamen resipiscunt, septies cum Naaman lavantur in Jordane, (4. *Reg.* 5.) fiunt argentum igne examinatum purgatum septuplùm, [*Psal.* 11.] horâ septimâ relinquit eos febris; (*Joan.* 4.) in sex tribulationibus visitantur, & in septima non tanget illos malum. (*Job.* 5.) Quod si non convertuntur, multiplicantur plagæ super illos in septuplum, [*Levit.* 26.] fornax per Nabuchodonosorem succenditur septuplùm, (*Dan.* 3.) redditur ijs septuplum improperium ipsorum quod exprobrant Domino. (*Psal* 78.) Vndè monet Eccles: Non semines mala in sulcis injustitiæ, & non metes ea in septuplum. (*Eccli.* 7.) Hinc patet, quomodo per septenarium numerum in hisce omnibus tam Divinarum quàm humanarum rerum universitas repræsentatur: atque hebdomades tam dierum & septimanarum, quàm ipsorum annorum quandam universitatem in se complectantur. Sed quem fructum ex hac recensitione Heptarhythmi capiemus? Mihi equidẽ hebdomas creationis arridet, in qua clarum omnimodæ perfectionis cernitur compendiũ. In principio creavit Deus cœlũ & terrã, (*Gen.* 1.) quæ symbolicè animam & corpus humanum designant. Sed ah! abyssus peccati originalis omnia inundavit, & tenebræ mortis erant super faciem abyssi. (*Gen.* 1.) Quid fit? Per misericordiam Dei infinitam primâ die infunditur lux fidei in animam ac sigillatim intellectum. Secundâ die in voluntate firmamentum gratiæ Dei stabilitur. Tertiâ luce terra arida, corpus humanum mortificatione & pœnitentiâ arefactum, germinat virorem lilia & rosas; floret ut palma, ut cedrus libani multiplicatur. (*Psal.* 91) Quarta dies luminaria in firmamento patefacit, varias nimirum & fulgentes in voluntate virtutum stellas, veluti timoris Dei, doloris & tristitiæ de offensa Dei, spei super misericordia ejus, fugæ peccati, desiderij cœlestis, iræ contra se, & odij suiipsius, super omnia autem sol & luna, amor Dei & proximi radiosè relucẽt. Indè sequitur quinta dies producens reptile in agris, id est rectâ doctrinâ & bonô exemplo in concupiscentia carnis reptantes convertens: necnon volatile in aëre superbiâ vitæ elatos, & ambitionis ventô agitatos reducens; postremò sexta die animantia terram respicientia, corda hominum concupiscentiâ oculorum

Septenaria in malum.

Septenaria in bonum

Septenaria aggravantia

Per Septenarium universitas intelligitur.

Moralisatio super sex dies Creationis.

abstracta, pavimẽto terræ & sollicitudini divitiarum adhærenti ad Deum elevans deprehenditur. Finaliter homo ex humo cõsurgit ad supremum culmen perfectionis, erectus in se & alijs ad imaginem & similitudinem Dei recreatus & reformatus: qu ad sabbatum quietis per mortem Sanctorum pretiosam (*Psal* 115.) pervenit, cùm dicitur ipsi à Spiritu Dei, ut à laboribus suis requiescat. [*Apoc.* 14.] Hæc est fortunata hebdomas nobi serviens, quæ semper colenda & recolenda à nobis est, imò pra cticanda. Nostram quod attinet regiminis hebdomadam, si utinam soli Deo per ipsam gloria, mihi autem rubor & confusio; qui cùm fecero omnia, servum me inutilem agnosco, (*Luc* 17.) & confiteor omnium peripsema. [1. *Cor.* 4.] Pro cuju conclusione & sylvarum conservationem & vini præsentationem assumpsi, ut & exteriùs & interiùs calorem fraterni amoris ad augerem. Succrescant utinam arbores & antiquæ solitudini speciẽ exhibeant; ut & nos tanquã ligna plantata juxta aquas fructũ demus in tempore; ad humorem gratiæ Divinæ mittamus radices, nec timeamus æstum (*Hier.* 17.) ullius tentationis. Vineam electam in nobis ipsis plantemus, (*Jerem.* 2.) ut & pœnitentes potemur vino compunctionis, (*Psal.* 59.) & justis nobi sit vinum lætificans corda; (*Psal.* 103.) vinum germinans virgines: (*Zach.* 9.) & fiamus grata Domino vindemia. Bibamus vinum cum lacte nostro, [*Can.* 5.] lacte innocentiæ infantilis, nec inebriemur unquam vino, [1. *Tim.* 3.] in quo est illud quod nec nominetur in vobis: (*Ephes.* 5.) sed potiùs dispona mur ad illud supernum genimen vitis bibendum in Regno Dei (*Mar.* 14.) Pro messe triticea panis cœlestis quid retribuam vobis PP. RR. FF. DD. nihil aliud quàm ut sit vobis participatio in idipsum, (*Psal.* 121.) communicatio panis & calicis, quem salutaris sic accipiamus; ut omnes tanquam frumentum in cœlestia horrea congregemur: ubi non minùs torrente voluptati (*Psal.* 35.) à vite nostra quæ Christus est, cujus palmites sumus (*Joan.* 15.) potabimur in totam æternitatem. Fiat fiat.

Sabbatum quietis.

Hebdomadam regiminis sui extenuat Abbas.

Sylvarum cõservationẽ & vini portionẽ offert, quod moraliter exponit.

De vinea & vino discursus.

Gratiarum actio pro sacrificio Missæ quotidiano.

In Festo Epiphaniæ Domini.

In finem pro ijs qui commutabuntur: *alia versio legit*: pro lilijs floribus & rosis.

ADventus SS. Trium Regum ad Regem cæli in terris nati regios nobis animos debet excitare PP. RR. FF. DD. Psalmus quoqúe noster regium continet epithalamium, solennes Regis & Reginæ nuptias recenset, ac ideò Psalmus hic quoq in fine Tituli appellatur Canticum pro dilecto, sive Canticum amantium. Sed quid est, quòd in titulo, locò pro ijs qui comutabuntur, alia versio legat, pro lilijs, floribus & rosis? An, quòd hi flores & alij evidentem signent commutationem, ex eo quòd non

Discutitur super Titulo in finem, & pro lilijs, floribus & rosis.

non sint longæ durationis, & facilè flaccescant & marcescant?
Hinc Regius Vates herbæ florenti vitam hominis comparat dicens: manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat, vespere decidat, induret & arescat. (*Psal.* 89.) Idem asserit Rex terræ Hus de homine, quòd quasi flos egrediatur & conteratur. (*Iob.* 14.) An quòd nuptialibus serviant penetralibus, ut gratum in ijs diffundant odorem? An quia Lilium Rex, & Rosa Regina est florum, jure meritò Regijs aptantur solennitatibus? An, quòd castitatis insignia præseferãt, & decore suo casto, etiam ministrent amori? Omnibus hisce videntur lilia, flores & rosæ convenire. Quidni conveniant? Sponsus de se ait: Ego lilium convallium. (*Cant.* 2.) Sponsam quoq; lilio assimilat dicens: sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. (*Ibid.*) Hoc quoque Canticum est dilecti, qui pascitur inter lilia; (*Cant.* 6.) imo nascitur inter lilia Virginem Matrem & Virginem Sponsum; & moritur inter lilia Mariam Virginem Matrem, & Joannem Virginem Apostolum. Hic habet Sponsam, cujus duo ubera sunt sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in lilijs, (*Cant.* 4.) purissimam Dei & proximi dilectionem denotantia. Labia autem dilecti sunt lilia distillantia myrrham primam. (*Cant.* 5.) Nihil hìc nisi puritatem virginitatis & castimoniæ spirans, adinstar liliorum myrrhâ mortificationis conservatum. Adsunt & rosæ lilijs, ubi Dilectus candidus est & rubicundus, (*Cant.* 5.) candorem virginitatis tanquam candor lucis æternæ, (*Sap.* 7.) quæ Deus est, jungens coleæ purpuræ humanitatis, ubi est quasi plantatio rosæ in Jericho, (*Eccli.* 24.) quod lunam significat; videlicet in lunari hujus mundi mutabilitate, ac vitæ mortalis inconstantia. Venit enim in hunc mundum circumdatus infirmitate, (*Heb.* 5.) similis nobis passibilis, (*Jac.* 5.) ad mortem crucis, & profusionem pretiosissimi sanguinis destinatus. Sed & Sponsam vult habere rosam sinè spinis peccatorũ, qualis est & Mater ipsius. Scimus terram Adæ maledictam, nihil nisi spinas & tribulos germinantem. (*Gen.* 3) Sed ecce jam verificatur illud Isaiæ (*cap.* 35.) ad adventum Sponsi: lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium; germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Et illud Osee, quando rorârunt cœli desuper, & nubes pluerunt Justum, (*Is.* 45) verificatum est: Ero quasi ros, Israël germinabit sicut lilium. (*Osee* 14) Quàm benè dictum est pro ijs qui commutabuntur, utpotè ex spinis & tribulis in lilia, flores & rosas. Talem assistentiam & talem comitatum requirunt Sponsus & Sponsa, qui sit quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ; (*Eccli* 50) illius nimirùm aquæ vivæ, quæ est Spiritus Sanctus, quibus ex Ecclesiastico dici possit: Obaudite me Divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate, quasi libanus qui

Marginal notes (right margin, in order): II. — III. — IV. — *Lilia.* — *Rosa.* — *Bonæ commutatio.*

qui etiam candorem significat, odorem suavitatis habete. Flo-
rete flores quasi lilium & date odorem & frondete in gratiam &
collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis
(*Eccli.* 39.) Libet hisce lilijs immorari, quæ magnis qualitatibu
alios flores antecellunt, suntq; symbola justitiæ; & amicis Spons
qui sunt justi, vel maximè adaptantur. Sponsus namq; ipseme
non est alius, nisi ille de quo Isaias: Propter Syon non tacebo &
propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut Splendo
Justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur. (*Esai.* 62) D
quo alibi: Quis suscitabit ab oriente Justum? (*Esai.* 41) Et ite
rum: A finibus terræ laudes audivimus & gloriam Justi. (*Esa.* 2
Ac rursùs: prope est Justus meus, egressus est Salvator meu
(*Esai.* 51) Ille ipse est de quo idē Regij sangvinis Propheta loqu-
tur ad Jerusalem: & videbunt gentes Justum tuum, cuncti Re-
ges inclytum tuum; (*Esai.* 62.) quod hodie est adimpletum. D
hoc Justo Ecclesia primariò canit, quod alijs quoque justis justi-
ficatis gratiâ ipsius (*Tit.* 3.) applicat: Justus germinabit sicut lili-
um, & florebit in æternum ante Dominum. Per hunc Dominu
Deus germinavit justitiam & laudem coram universis gentibu
(*Esai.* 61.) in cujus diebus debebat oriri justitia & abundantia pa-
cis; (*Psal.* 71.) imò justitia ante eum ambulare & ponere in vi
gressus suos. (*Psal.* 84.) Lilium ergo specimen & forma justiti
est, illius planè originalis, in qua Adam primus creatus fuit, qu
annexam sibi habuit innocentiam & puritatem animi. Hâc p
peccatum privatus fuit, & planè ex lilio in spinas & tribulos co
mutatus: nec nisi per hujus Justi novi Adam justitiam ad form
lilij virtute gratiæ ipsius commutantis reductus est. Ipse enim fa-
ctus est nobis à Deo justitia & sanctificatio & redēptio, (1. *Cor.* 1
qui nos ex spinis in lilia commutavit; de quo ipse Deus Pat
loquitur apud Esaiam: (*Cap.* 53.) justificabit ipse Justus meus m
tos. Ac proinde quisque justitiam sectans, justitiæ amator, q
verè vult fieri justus, lilium sit necesse est. Nullus ex floribus
terra ortis à terra altiùs cælum versùs præter lilium elevatur, i
justus terrenam corporis habens originem, non quærens neq
sapiens quæ sunt super terram, (*Coloss.* 3.) sursùm tendit ad su
blimia cœli, ad illum ipsum cujus cœlum sedes est, (*Esai.* 66
ascensiones ponit in corde suo ex terrena lacrymarum valle, co
cupiscit & deficit in atria Domini, quin etiam non tantùm an
ma, sed & cor ejus & caro exultaverunt in Deum vivum, (*P*
83.) cor inquam cujus figuram bulbus lilij in se quoq; albus u
lilium gerit, ut omnes actiones justi è corde puro procedan
ex motivo charitatis, cor enim sedes est amoris, undè suas jus
proferat operationes. Neque enim aliud Deus à justo requir
præterquam cor, dicens: Præbe fili cor tuum mihi. (*Prov.* 23
Neque cor justi aliò dirigitur nisi ad Deum dicente Ecclesiastic

Just.

De qualitatibus liliorum.

Christus Dominus justus demonstratur ex Scripturis.

Lilium forma justitiæ originalis.

Justus debet esse sicut lilium

Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculò, ad Dominum qui fecit illum. (*Eccli. 39.*) En ex ipsa radice lilij forma justi. Quid de pulchritudine candoris ejus dicemus? Non est flos qui sit liliô candidior, non est virtus justitiâ splendidior. Lilium planè trahit oculos ad sui contemplationem. Oculi Domini super justos, (*Psal. 35.*) qui non tantùm corporis castitate, sed vel maximè animi puritate excellunt: eundem candoris florem æternum conservaturi. Ambulabunt enim mecum, inquit Sponsus, in albis, quoniam digni sunt. (*Apoc. 3.*) Ad gloriæ enim fulgorem nihil candore viciniùs: hinc ipsius Sponsi gloriam suam manifestantis in transfiguratione, vestimenta facta sunt alba sicut nix. (*Matt. 17.*) Nonnè & post Resurrectionem ejus, Angelorum vestimenta niveo candore corusca apparuerunt? Nonnè juvenem coopertum stolâ candidâ [*Marc. 16.*] mulieres viderunt? Omninò, sicut ater tenebrarum color servit inferis, ita niveus lucis candor superis appropriatur. Quid adhuc reperimus in lilio? Longè latèqúe diffusam svavissimi odoris extensionem. Et quid justi? Vngventum effusum nomen Sponsi: hinc odoris svaveolentiâ, nominis salutiferi gratiâ trahuntur & currunt in odorem ungventorum ejus: (*Cant. 1.*) à quo uncto oleô lætitiæ præ participibus, (*Ps. 44.*) & ipsi unctionem gratiæ recipiunt, & exinde sunt Christi bonus odor (*2. Cor. 2.*) in omni loco. Memoria eorum instar Josiæ in compositione odoris facta opus pigmentarij, (*Eccli. 49.*) quia ipsa vita virtutum aromatibus referta, gratissimum boni exempli ubiq; spirat odorem. Quid adhuc lilio inesse arbitramur? Sunt in eo sex emissiones, senis correspondentes folijs in flavum desinentes, & quasi sex cornibus aureis pulverem similem à se spargentib⁹ redimitæ, septimam in medio habentes emissionem, altiorem alijs trigoni figurâ insignitam. Et hoc quomodo credimus justo convenire, non aliter; quàm quòd sex dierum operationibus, id est totius vitæ suæ mortalis laboribus intenti, & folijs verborum & emissionibus cogitationum & operum charitativorum coronulis, soli uni trino Deo quærunt placere, quem in medio sui sibi per fidē gerunt implantatum. Habet deniqúe lilium singularem fæcunditatis qualitatem, quâ & in radice bulbi sui augmentatur, & in multitudine florum propagatur. Dicite justo quoniam benè, quoniam fructum adinventionum suarum comedet, (*Isai. 3.*) fructiferâ fruetur fæcunditate tam in corde succrescente amoris vigore, quàm in opere indeficiente virtutū flore germinans germinat usqúe ad finem. Quid jam ampliùs requirimus? Nonnè pulcherrima hæc spinarum in lilia transmutatio? tribulorum & zizaniorum in flores & rosas metamorphosis? Verbô dicam: foliorum in lilia, impiorum in pios, injustorum in justos conversio! Cujus virtute? Nullius alterius quàm primitivi & primigenij

Lilij candor.

Lilij odor.

In lilio sex emissiones.

Lilij fæcunditas.

genij Lilij nostri in terris è Lilio Virginali exorti, liligeri Spons nostri inter lilia pascentis, (*Cant.* 2.) & lilia agri vestientis. (*Luc.* 12 potentiâ & efficaciâ; qui uti lilium florum, ita Rex est Regum ac Dominus Dominantium. (*Apoc.* 19.) Quis lilio regiam de-

Lilium instar coronæ.

negabit coronam? Quot in seipso folijs suis velut diademat cernitur coronatum, imò Regijs coronis formam porrexit lilio sam. Lilium Rex est, & Justus Rex est, qui virtute sua coro natur, & cui demum à Deo super caput ponitur corona de lapi de pretioso. [*Ps.* 20.) Vt igitur in eo finiatur in quo cæpit ora tio mea, Regium hodie habentes consortium, data à Deo justi tia Filio Regis(*Psal.* 71) simul & Regi Sponso, præsente Matr Reginâ justitiæ, advenientib⁹ ex Oriente Regibus, Justis & mu nera justitiæ offerentibus, Regios nos quoque justitiæ animos in duamus. Erimus lilia, erimus Reges si coronam justitiæ fueri mus consecuti: nec malè commutabimur, si viam Herodis Jerosolyma turbata antecedenter calcantes per aliam justiti viam revertamur in regionem nostram, (*Matth.* 2.) quæ pa radisus est, ubi flores rosæ & lilia perennant.

Sermo in Susceptione F. Petri Theodosij Przebendowski.

VErè mirificavit misericordias suas Deus (*Psal.* 30.) supe te Frater Petre Theodosi, quando prævenit te in miseri cordia & miserationibus suis, educens te de limo profun

Misericordia ad fidem.

di & de luto fæcis Heterodoxæ nimirum pravitatis sentina, & deducens te ad portum fidei Orthodoxæ, & constituens te i templo sancto gloriæ suæ videlicet Ecclesiæ sanctæ hìc in terri militantis communione. Sed etiamnum misericordia Dei sub secuta est te, extrahens te ex fluctibus hujus seculi velut mari magni & spatiosi manibus, (*Ps.* 103.) imò tanquam Petrum flu

Ad Religionē

ctuantem extensa manu apprehendens te, & eripiens de procel lis huj⁹ mundi, vocans te ad pacatissimum sacræ Religionis asy lum. Nonnè hìc juremerito exultare & lætari potes super mu tiplici misericordia Dei; imò misericordias Domini teneris i æternũ cantare. (*Ps.* 88.) Sed nondũ est finis: eges adhuc ulterio gratia Dei & misericordia. Ad quid? Ad hoc, ut confirmet ho

Ad conservationem.

Deus quod operatus est in te, (*Psal.* 67.) tam fidei sanctæ quàn Religionis sacræ propositum; ut sis re & nomine Petrus Theo

Petrus in mortificatione.

dosius. Eris Petrus, quando petrâ acutissimâ Religiosæ mort ficationis circumcides in te pravas inclinationes, habitus ad ma lum pronos, passiones animi prædominantes. Eris Petrus, quã

In compunctione.

do ex te velut petra fluet aqua compunctionis pro tuis & alio rum delictis, in hoc loco pænitentiæ destinato, Divi Tutelar tui secutus exemplum, qui post abnegationem Christi à se fact flevit amarè, (*Matth.* 26.) & amavit flere, quia flere cæpit de ducer

ıcentibus oculis ejus lacrymam, nec tacentibus (*Jerem.* 14.) ṣque ad mortem. Eris Petrus, si stans erectus supra petram cclesiæ immobilis in fide, ut petra jam positus per Novitiatum foramine petræ, (*Cant.* 2.) nunc per Professionem ingrediens ſam petram Ordinis sacri, & in ea cum Moyse & Elia abscon-ḷtus lateas, ames nesciri, contemni, humiliari, vilis reputari, ni-il petens, nisi ut ostendatur tibi facies Domini: & cum Regio ate continuò ad Deum tendens aspires: Tibi dixit cor meum, xquisivit Te facies mea, faciem tuã Domine requirã; (*Ps.* 26.) Quid enim nos arbitraris esse in hoc abscondito claustrorum re-ularium subsistentes? Sumus veri habitatores petræ, laudantes Deum, clamantes in choro, ponentes gloriam Domino & lau-em ejus in hisce Religiosæ insulis securitatis, (*Esai.* 42.) quæ ndis maris procellosi mundi istius circumvallatæ sunt nuncian-es. Sumus columbæ in foraminibus petræ, in caverna mace-iæ (*Cant.* 2.) habitantes, vulnera Christi meditantes & imitan-es tunc, quando stigmata Domini JESU in corpore nostro ircumferimus. (*Gal.* 6.) Sis & tu talis habitator petræ, sic quoq; Petrus eris. Jam verò Theodosium præferes, quando donum Dei tibi tam in lumine fidei, quàm in gratia Religionis sacræ à Deo concessum agnoscens, illud in te bonorum operum exerci-ijs studueris conservare & adaugere. Fiet, si illud tanquam ta-lentum à Deo tibi traditum & concreditum, non in terram id est affectûs terreni vel mundani profundum foderis, vel in suda-rio carnalis concupiscentiæ & desidiæ absconderis, (*Luc.* 19.) sed dederis ad usuram, nimirum illo usus fueris ad augmentum ho-noris & gloriæ Divinæ, ad salutis tuæ incrementum, ad aliorum Fratrum & proximorum tuorum emolumentum. Hoc est ne-gotiari talentis Dei, hoc est alia superlucrari talenta, habenti enim datur & superabundabit; (*Ibid.*) ut majus lucrũ possideat, hoc est esse & agere Theodosium. Jam ergo misericordiâ Dei te præveniente & subsequente armatus & animatus progredere feliciter Frater Petre Theodosi: viriliter age & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. (*Psal.* 26.) Scis ad quid veneris? Ad Obedientiam, Castitatem, Paupertatem, & Stabilitatem in hoc loco Deo vovendam, & in humilitate ac patientia custodi-endam. Magnæ sunt hæ virtutes & arduæ, ad quas accingeris practicandas. Neque hìc cessare debes misericordiam Dei im-plorare; ut qui dedit tibi velle, det etiam perficere, (*Philip.* 2.) pro bona voluntate sua. Neque enim idonei sumus cogitare aliquid à nobis tanquam à nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, (2. *Cor.* 3.) qui de se dicit: Sinè me nihil potestis facere. (*Joan.* 15.) Et iterùm. Nemo venit ad Patrem nisi per me. (*Joan.* 14.) Ac rursùs. Nemo potest venire ad me, nisi Pa-ter qui misit me traxerit illum. (*Joan.* 6.) Multominùs sequetur

In petra.

Claustrales sunt habitatores petræ.

Columbæ.

Theodosius donum Dei.

Ad quid venisti?

Christum per fidem & obedientiã. Non enim est volentis nec currentis hominis, sed miserentis est Dei. (*Rom.* 9.) Fides pro inde & obedientia est donum Dei à misericordia Dei requiren dum. Quidni & castitas? Nemo enim potest esse continen teste Sapiente, nisi hoc Deus det. (*Sap.* 8.) De reliquis virtuti bus paupertate, humilitate, patientia idem dicendum, quod sin dona Dei. Sic namque Deus ipse docet in Deuter. (*cap.* 8. Ne dicas in corde tuo: Fortitudo mea & potentia manus mea fecit mihi virtutẽ magnã hanc, sed memoraberis Domini Dei tu quia ipse tibi dat fortitudinẽ facere virtutẽ. Quando igitur Fra ter Petre Theodosi Deo te per Professionem consecrare inten dis, hasce virtutes ambire debes primariò, ut veram obedienti am Deo & Superioribus præstes, Regulam Sancti Benedicti a literam servando, nec unum ejus apicem prætergrediendo; u castitatem tam cordis quàm corporis magnâ & diligenti custodi serves, quatenus in conspectu Dei sit cor tuum & corpus tuum semper immaculatum, ut nunquam confundaris. (*Ps.* 118.) U paupertatem colas, non tantùm mundum & ea quæ mundi sun relinquendo, & pompis ejus ac vanitatibus abrenunciando, & mundum cum flore ejus despiciendo ac contemnendo, sed etiam voluntatem habendi deserendo. Humilitatem verò & patien tiam exercebis, si veniens post Christum abnegaveris temetips & crucem tuam tuleris. (*Matth.* 16.) Denique stabilitatem tene bis, si non tantùm in hoc loco, verùm etiam in hac virtutum exercitatione perseveraveris usque ad mortem. In signum ho rum omnium datur tibi vestis alba cum cingulo pro memori castitatis, scapulare nigrum pro paupertatis laboriosæ recordati one, capucium nigrum pro jugo obedientiæ, cuculla alba cum suo capucio in signum perseverantiæ in puritate cordis & ampli tudine devotionis erga Deum, tum & mandatum Dei latum nimis, (*Psal.* 118.) quod est charitas Dei & proximi, quæ est vinculum perfectionis ac legis plenitudo, (*Coloss.* 3.) cum hu militate & patientia, quæ capucium repræsentat constanter tan quam Petrus, gratanter tanquam Theodosius, perenniter ut Ci stercienfis complectaris. Impetrent hæc tibi Patroni tui Sanctus Petrus Princeps Apostolorum & caput Ecclesiæ, quæ ejus Ca thedram Romanam hodie recolit, quia & ipse est tuus Tutela ris ex prima baptismi regeneratione, & D. Theodosius Cœno biarcha die 11. Januarij cultus, qui multa pro fide perpessus san cto fine quievit, quem tibi in præsenti secundâ per Profession regeneratione Patronum assigno; ut & tu post omnia hæc & pium vitæ Regularis decursum æternæ salutis tuæ finem in misericordia Dei consequaris.

Castitas & Virtutes sunt donum Dei.

Quid significet Vestis alba, Cingulum, Scapulare, Capucium, Cuculla.

ermo in Festo Purificationis B. MARIÆ Virginis.

Pro Lilijs, *Pars tituli Psal.* 44.

QVadraginta diebus à puerperio suo transactis, in solitudine purgationis suæ absolutis progreditur MARIA Virgo cum Filio suo in Jerusalem ad montem Syon, & ingredi-ur templum Domini, ibique Sanctum quod ex ea natum est, *Luc.* 1.) per oblationem sanctum Domino voluit vocari, pariq; urturum vel duobus pullis columbarum redimi; (*Luc.* 2.) ut x ipsa licet purissima, simul ab immunditia legali mundaretur.) quàm rigorosa legis Mosaicæ observatio! quàm exacta mãlati Divini custodia! quàm perfecta rituum à Deo constitutorũ dimpletio! Siccinè Mater Dei mundissima in atrio immundo-um compares, tanquam una ex filiabus Syon immundis? Tu uæ lilium es immaculatum, inter spinas (*Cant.* 2.) maculis re-ertas te præsentas? Itanè gratiâ plena, benedicta in mulieribus, eata dicta ab omnibus generationibus, (*Luc.* 1.) ritum peragis urgationis, quantumvis sis libera ab omni culpæ immunditia? rgonè sistis Jesum Filium Dei & Tuum tanquam unum ex fi-ijs Israël, redemptione turturum sive columbarum indigentem? Qui purgationem peccatorum faciens missus est à Patre in redē-tionem populo suo: (*Heb.* 1.) illum, qui est lilium convallium *Cant.*2.) odoriferum, cum fætidis gentis prævaricatricis urti-is conjungis? Ita est PP. RR. FF. DD. respondet Maria. Sic nim decet nos implere omnem justitiam, (*Matth.* 3.) non ve-iendo solvere legem sed adimplere. (*Matth.* 5.) Justus in prin-ipio, ait Sapiens, accusator est sui. (*Prov.* 18.) *Bonarum menti-m est*, inquit Bernardus, *ibi agnoscere culpam, ubi non est culpa.* ætetur mons Syon, & exultent filiæ Judæ propter judicia tua Domine. (*Psal.* 47.) Judiciô hominum nonnè Maria quasi pec-atrix, & Jesus quasi peccator censeri potuisset, secundùm con-vetudinem legis in atrio immundorum se sistētes? Haud dubiè. ed judicia Dei abyssus multa. (*Psal.* 35.) Et quis potuisset scru-ari profunda Dei? (1. *Cor.* 2.) Adam & Eva inobedientes & ebelles præcepto Dei ad quod tenebantur: Jesus & Maria obe-ientes & subjecti legi Dei, ad quam non erant obligati. Neq; nim Jesus erat adaperiens vulvam, qui è clauso Virginis Matris tero processit; neq; Maria suscepto semine peperit Filium, quæ e Spiritu Sancto virtute Altissimi obumbrante eundem conce-it. (*Luc.* 1) Adam & Eva superbiâ se extollentes; Jesus & Ma-ia humilitate se demittentes. Adam & Eva Deo infideles & njusti: Jesus & Maria Deo fideles & justi. Sic obedientia pro nobedientia commutatur; ita superbia humilitate eliminatur: aliter fides & justitia pro perfidia & injustitia compensatur. Nonnè hoc est Sacramentum à seculis absconditum, quod judi-

Jesus Sanctũ natum, Sanctũ oblatum in templo.

Maria cum Jesu in atrio immundorum, lilium inter spinas.

Jesus lilium convallium.

Judiciô hominum Maria quasi peccatrix, Iesus quasi peccator.

Adam & Eva Iesu & Mariæ opposita.

cium Dei respiciens primos Parentes prævaricatores ferre debuerint Deus Homo & Virgo Mater. Omnino impenetrabilia imperscrutabilia sunt judicia Dei, & investigabiles viæ ejꝰ, (Rom. 11.) etiam dum suscipitur misericordia Dei in medio templi

Misericordia Dei cum justitia.

justitiâ plena est dextera ejus. (Psal. 47.) Utiqúe peccatores egent misericordiâ Dei, justis autem non est lex posita. (1. Tim. 1.) Hic tamen misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt; veritas de terra orta est: (Psal. 84.) Verbum caro factum plenum gratiæ & veritatis, (Joan. 1.) & Maria plena gratiâ. (Luc. 1.) In utroque, & Matre & prole erat justitia originalis & radicalis: & tamen in apparentia & Jesus & Maria hic formam servi accipiens, (Philip. 2.) hæc ancillam Domini se æstimans, [Luc. 1.] in similitudinem carnis peccati (Rom. 8. se præsentant.

Alia judicia Dei, alia hominum.

Alia planè sunt judicia Dei, alia hominum; homo videt in facie, Deus autem in corde. Ita per fidem & obedientiam & humilitatem impletur omnis justitia. Respicite Fratres Mariam purificantem se in medio filiarum Judæ. Quid creditis? An putatis communis generis esse communi legi obedientem? Non equidem.

Maria electa & prælecta.

Electa est inter omnes, & prælecta ante omnes, quæ est benedicta inter omnes mulieres. (Luc. 1.) Nonnè vepres & spinæ juxta Prophetam sunt in universa terra (Isai. 7.)

Terra spinas & tribulos germinans.

quæ per maledictionem Dei nonnisi spinas & tribulos debebat homini germinare? [Gen. 3.] Equidem, juxta Apostolum, terra proferens spinas & tribulos reproba est & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem (Hebr. 6.)

Adamica,

Ex tali terra Adamica orti sunt filij & filiæ hominis tanquam spinæ peccatorum aculeis obsitæ, tribulis tribulationis circumdatæ.

Quid spinæ?

Quid enim in ijs dominatur? 1. nisi solicitudo hujus sæculi & fallacium divitiarum consectatio, quæ Divina Sapientia spinis comparat, verbum Dei suffocantibus. 2. Nonne in illis acedia & pigritia ad opus Dei regnat? Et quidem de his Sapiens: per agrum hominis, inquit, pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt superficiem ejꝰ spinæ. (Prov. 24.) Ita planè iter pigrorum quasi sepes spinarū (Pr. 15) horâ surgēdi ad opus Dei se tricant, (Eccli. 32) continuisq; offendiculorum tricis intricantur. Deniq; omnia opera filiorū & filiarum Adami & Evæ quid sunt? 3. 4. nisi vepres superbiæ, spinæ avaritiæ, 5. 6. 7. urticæ luxuriæ, tribuli iræ, sentes invidiæ, 8. & sicut spinæ se invicem cōplectuntur, sic in gula conviviū eorū pariter potātium (Nahum. 1.) & comessantium. Sed ecce Maria lilium inter spinas, (Cant. 2.) Jesus lilium convallium. (Ibid.) Nihil in illis de spinis peccatorum. Maria sigillatim hodie talis cernitur, quia sicut lilium inter spinas, sic amica Dei relucet inter filias Syon. [Ibid.]

Lilium habens quatuor qualitates.

Lilium quatuor excellit qualitatibus, argenteum est extrinsecùs in candore, aureum est intrinsecùs in flavedine, fragrās

in odore, eminens in statura. Quid hæc omnia nisi adumbratio præclarissimarum virtutum Mariæ? *Ipsa est lilium inter spinas* juxta S. Petrum Damianum *quia de spinosa propagine Judæorum nata candescebat munditiâ Virgineæ castitatis in corpore, flammescebat autem ardore geminæ charitatis in mente, fragrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis.* En quaternæ liliosæ virtutes in Maria. Puritas mentis & cordis, charitas Dei & proximi, elevatio cordis ad Deum devota, exemplaritas bonorum operum ad proximũ. Cum his virtutibus præsentat se hodie Lilium Maria in templo Immaculata Virgo & Mater, argentum castitatis, & aurum charitatis munus pretiosissimum tam in se quàm in filio suo Deo Patri repræsentans. Offert Jesum Lilium convallium humilitatis symbolum tanquam lumen argenteâ luce puritatis splendescens, & aureo amoris ardore fervescens, lumen ad revelationem gentium per exemplum virtutum, & ad gloriam plebis suæ Israël per integram sui devotionem ac oblationem in holocaustũ pro plebis suæ redemptione. (*Luc.* 2.) Quæ enim major gloria plebis Israël, quàm redẽptio totiꝰ generis humani ex gente Judæorũ? quia salꝰ ex Judæis est, (*Joan.* 4.) sed ex gẽte spinosa salvifica lilia prodierunt Jesus & Maria. Candore horũ purissimorũ liliorum illecti & odore suavissimo attracti sistamus nos in Jerusalem in Ecclesia Dei, curramus ad montem Syon & ad exẽplum Christi & Mariæ humiliemus nos confitentes peccata nostra, tales nos agnoscentes quales verè sumus peccatores, non ut tales maneamus, sed ut in justos commutemur, ut è spinis in flores rosas & lilia transformemur; lilia vel maximè albedine puritatis, flavedine charitatis, boni exempli erga proximum suaveolentiâ, & devotionis elevatione erga Deum præcellentia: adeoq; ita nos Deo offeramus, quatenus susceptâ in templo Dei misericordiâ ejus per remissionem peccatorum possimus fieri lumina ad conversionem aliorum & Divinæ gloriæ incrementum.

Album
Flavum
Odoriferum
Altum
Quid mysticè significent?

sequela Mariæ & Jesu,

ut è spinis in lilia commutemur

Dominica I. Quadragesimæ Sermo

Pro ijs qui cõmutabũtur *filijs Core*. Pars tit. *Ps.* 44

IMmutemur habitu in cinere & cilicio præcipit cunctis fidelibus Ecclesia sancta ad initium hujus temporis Quadragesimalis PP. RR. FF. DD, per quod agnoscitur nobis innuere, ut simus inter illos qui cõmutabuntur, si ad nuptias Agni volumus pervenire, quæ in hoc Psalmo repræsentantur. Nuptiæ Agni sunt, resurrectio Domini, sunt ejus in cælum ascensio, ubi uxor Agni præparavit se, & est parata tanquam Sponsa ornata viro suo. (*Ap.* 21.) Beati qui ad cænam nuptiarũ Agni vocati sunt. (*Ap.* 19) Sed nemo illuc pertingit, nisi qui commutatur. Nonne & ipse innocentissimus Agnus debuit commutari? Et vidi, ait Prophe-

Quid sunt nuptiæ Agni

Ad has nemo venit, nisi qui commutatur.

Ipse Agnus debuit commutari.

ta novi testamenti Joannes, & ecce in medio throni Agnum stā-tem tanquā occisū. (*Apoc.* 5.) Hic est Jesꝰ Nazarænꝰ Rex Judæorum (*Joan.* 19.) crucifixꝰ. O quàm ingens & stupenda cōmutatio! tanquam occisus dicitur, quia ecce vivit; ecce vicit Leo de tribu Juda: dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem & sapientiam & fortitudinē & honorem & gloriam & benedictionem. (*Apoc.* 5.) O quàm admirabilis & desiderabilis hæc quoque commutatio! Qui sic cum eo commutari cupit, debet antecedentem ejus commutationem priùs imitari.

Cur ij qui cōmutabuntur, filij Core vocantur?

Quid tamen est quòd hi qui commutabuntur, filij Core appellā-tur? Scitis Core cum Dathan & Abiron & asseclis propter rebellionem, superbiam & ambitionem à terra absorptum & igni absumptum perijsse. Et factum est grande miraculum, inquit Scriptura, ut Core pereunte filij illius non perirent. (*Num.* 26.) Creditur filios ejus minimè participes hujus sceleris fuisse, ac ideo Patre malè commutato ipsos in bonam partem se commutâsse suamqúe posteritatem ad tempora Davidica propagâsse. Et hi Levitici generis cantores erant, psalmos & cantica in templo Dei modulantes. Sed quid cum istis habet commutatio? An quòd varietas melodiæ vocum faceret mutationes? An quòd alternatim laudes Deo psallerent, & aliquam in cantu mutationem facerent? An quòd filij Core aliquando in novo testamento in filios chori commutandi essent, qui verum Christi canerent Epithalamium ore Prophetico prænuntiatum? Tales nos esse nemo ambigit, qui quotidie laudamꝰ Dominū in choro. (*Ps.* 150.)

Filij Core sunt filij calvitij. Quid calvitiū significat?

Filios tamen Core ex etymologia sua intelligimꝰ filios esse calvitij. Jam quid significet calvitium, in Scripturis inquiramus. In Ezechiele (*cap.* 7.) legimus: Et accingent se cilicijs, & operiet eos formido, & in omni facie confusio, & in universis capitibus eorum calvitium. Idem spirat Jeremias (*cap.* 48.) dicens: Omne caput calvitium, & omnis barba rasa erit, in cunctis manibus colligatio & super omne dorsum cilicium, super omnia tecta Moab in plateis ejus omnis planctus, quia contrivit Moab sicut vas inutile ait Dominus. Id ipsum repetit alibi Ezechiel (*cap.* 27) super Tyro contrita dicens: Et radent super te calvitium, & accingentur cilicijs, & plorabunt te in amaritudine ploratu amarissimo, & assument super te carmen lugubre, & plangent te.

Filij Core, filij calvitij sunt filij pænitentiæ.

Calvitium igitur in sacro textu pænitentia intelligitur vel pæna, ità ut filij Core filij calvitij denotent filios pænitentiæ. Isaias sigillatim recenset de calvitio & alijs perversam commutationem: Et vocabit Dominus Deus exercituum, inquit, in die illa ad fletum & ad planctum & ad calvitium & ad cingulum sacci. (*Isaiæ* 22.) Hæc planè est vocatio Quadragesimalis. Sed quid agunt filij hominum? In mali cōmutantur. Et ecce gaudiū & lætitia (*Ibid.*) occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum. Comedamus

&

bibamus, cras enim moriemur. (*Ibidem.*) Quanta hæc perversitas! super hoc justa sequitur commutationis retributio. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum. (*Ibid.*) Juremeritò idem Propheta nomine Dei prædicit pænalem commutationem inquiens: Et erit pro suavi odore fætor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium. (*Isaiæ 3.*) Ita planè filij Core, filij pœnitentiæ debent commutari, ita immutari habitu in cinere & cilicio. Placet causam scire? Quia occisus est Agnus. Quare? propter peccata nostra. Hoc prophetizavit Zacharias: & effundam super domum David & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum. (*Zach. 12.*) O magna Dei gratia! quæ hominem ducit ad pænitentiam & ad preces, scilicet ad deprecandum Deum pro peccatis. Et aspicient ad me, prosequitur Propheta, quem confixerunt; utique Jesum Crucifixum; & plangent eum planctu quasi super Unigenitum, & dolebunt super eo ut doleri solet in morte primogeniti. (*Zach. 12.*) Qui? Non alij nisi filij Core, filij pænitentiæ. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem. (*Ibid.*) Idipsum prædicit Amos Propheta: Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciã terram in die luminis. (*Amos 8.*) Nonne moriente Domino sol obscuratus, & tenebræ factæ sunt super universam terram? (*Luc. 23.*) & convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum: (*Amos 8.*) Paschale nimirùm festum, quando juxta D. Matt. Centurio & qui cũ eo erant custodientes Jesum viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: verè Filius Dei erat iste. (*Matth. 27.*) Et apud Lucam: verè hic homo justus erat. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. (*Luc. 23.*) Sed & antecedenter sequebatur Jesum crucem portantem multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. [*Ibidem*] Continuat Amos Propheta. Et inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput calvitium, & ponam eam quasi luctum Unigeniti, & novissima ejus quasi diem amarum. [*Amos. 8.*] Ecce ubique in omnibus his textibus specificatur calvitium pro signo pænitentiæ. Quòdsi filij Core, filij calvitij possint intelligi filij Calvariæ, illius montis, in quo Dominus est crucifixus? Quidni ad rem? Hinc enim justa veræ pænitentiæ promanat origo. Vel illius caluariæ primi hominis, qui in hoc monte dicitur sepultus? Nec hoc abs re; hinc enim non minùs prima pænitentiæ causa omnibus hominibus inculcatur. Vtrobiqúe materia luctûs, utrobiqúe pænitentiæ motiva, & commutationis legitimæ incentiva. Finaliter ad comprobandum quòd calvitium sit signum luctûs & pænitentiæ audiamus Micheam alloquentem

Filii hominum volunt bacchari.

Pæna eorum.

Causa commutationis filiorum Core.

Jesus Crucifixus.

In luctum & planctum.

Filij calvitij à monte Calvariæ.

Vel à Calvaria primi hominis.

Decalvatio Jerusalem.

Samariam juxta lectionem LXX: Gloria filiæ Israël decalvare: detondêre super filios delicatos tuos; (*Mich.* 1.) Vulgata hab super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum sicut quila; quoniam captivi ducti sunt ex te. Hoc S. Gregorius a plicat Romæ à Longobardis obsessæ dicens: *Contigit et, quod Judæa novimus per Prophetam prædictum. Dilata calvitium tuum sicut aquila. Calvitium quippe homini in solo capite fi solet, calvitium verò aquilæ in toto corpore; quia cùm valde nuerit, plumæ ejus ac pennæ ex omnibus membris illius cadun Calvitium ergo suum sicut aquila dilatat, quia plumas perdidi quæ populum amisit. Alarum quoq; pennæ ciciderunt, cum quib ad prædam volare consueverat: quia omnes potentes extinc sunt, per quos aliena rapiebat.* Ita S. Gregorius. Dicit ergo d calvare & detondêre in signum extremi luctûs, mæroris, desol tionis, & excidij. Chaldæus hoc vertit: Evelle tibi capillos, projice super filios deliciarum tuarum: sicut aquila cujus alæ d lapsæ sunt, sic adauge calvitium in capite tuo causâ filiorum tu orum; acsi diceret: fac tibi magnum calvitium, sicut aquil dum senescit deplumatur planè ac deglabratur, ut ostendas in gentem luctum. Syrus & Arabicus legit: multiplica calvitium tu um, ut à capite per totum corpus extendatur. Ita sanè aquil pennas veteres abijciens seseque decalvans & depilans, ac mo novas assumens, symbolum est pænitentiæ & pænitentium, qu *calvitium pænitentiæ id est luctum & signa luctûs assumunt, ve teresq; pravos mores deponunt, novamque virtutis viam ineun* uti S. Hieronymus inquit. Psaltes ait: (*Ps.* 102.) renovabitu ut aquilæ juventus tua, nimirum juxta S. Chrysostomum, *vete rem hominem deponens, novum autem qui in Creatoris agnitio nem renovatur, assumens.* Hoc est verum pænitentiæ schema sed etiam specimen animæ peccatricis per peccatum decalvatæ id est, secundùm *S.* Hieronymum *omni decore & gloriâ virtuti ac gratiarum spoliatæ*: quæ se omni ornamento in pænitenti debet spoliare, deplumare, decalvare. Interea quòd si calvitii succrescat in capillitium, non minùs tunc cum Maria pænitent extergantur illô lacrymis priùs irrigati pedes Salvatoris; quando quidem pænitentia usque ad finem est tenenda & continuanda En tempus acceptabile, dies pænitentiæ, quibus tanquam ve filij Core non separemur à monte Calvariæ: jaceamus ad pede Crucifixi, luctum super nos & super illum instituamus; supe nos tanquam nocentes & malefactores, super ipsum tanquam innocentem & benefactorem; super nos ut pæniteamus & pa tiamur, super ipsum ut pænam ejus teneamus & ei compatia mur; super nos ut nostram crucem feramus, super ipsum ut e concrucifigamur; super nos ut nobis moriamur, super ipsum u illi soli vivamus, & sic felici offensæ in veniam, iræ in gratia indignationis in misericordiam cōmutatione perfrui mereamur

Margin notes:
S. Gregorius & Romæ per Longobardos.
In signū luctûs
Aquila deplumata symbolū pænitentiæ & pænitentium.
S. Hieron.
S. Chrysost.
S. Hieron.
Tempus XL. tempus pænitentiæ. Luctus super nos & super Jesum Crucifixum.

Serm

Sermo in Festo S. Benedicti.

Pro ijs qui commutabuntur, *Filijs Core, ad intellectum,* Pars tituli *Psal.* 44.

NVlla melior in orbe dari potest cōmutatio, quàm quando maledictio transit in benedictionem. Quid est quod in mundum invexit maledictionem? Nonnè peccatū? Quid est quod eundem beavit benedictione? Nonnè virtus? Mundus proinde per peccatum maledictioni deditus, planè in maledictione & maligno positus, (1. *Joan.* 5.) ille est de quo dilectus JESU discipulus inquit: Et mundus eum non cognovit, (*Joan.* 1.) id est Deum. Ille est de quo ipsemet Deus Homo factus loquitur: Ego non sum de hoc mundo. (*Joan.* 8.) Ille est, in quo juxta prædictum D. Joannem regnat concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; (1. *Joan.* 2.) primaria omnium capita vitiorum. Hujus mundi sapientia inimica est Deo, est amica diabolo hosti Divino. Quidni igitur fugere mundum, est omnem à se tollere maledictionem? Recedere ab eo, quidni est ad virtutum aspirare benedictionem? Hanc viam inter multos magnus reperit Patriarcha noster Divus Benedictus, qui testimoniô summi Pontificis Gregorij dicitur à mundo *recessisse scienter nescius, & sapienter indoctus:* verè sciens Deum, nescius mundi, sciens benedictionem quæ Dei est, nesciens maledictionem quæ mundi est. Sapiens Deum, non doctus à mundo adeoque non sapiens, sed desipiens mundum. Testatur id magnus Ecclesiæ Doctor asserens, quòd *cùm adhuc in hac terra esset, quo temporaliter liberè uti potuisset, jam quasi aridum mundum cum flore despexit,* imò quòd amplius: *ætatem moribus transiens, nulli animum dedit voluptati.* Nonnè hic magna omnino re & nomine Benedicti in mundo existentis, à mundo abhorrescentis commutatio? Procul ab ipso peccati maledictio, in quo regnabat omnis virtutis benedictio. Summa equidem virtus in mundo vivere, extra mundum, supra mundum. Quid? Num censemus postea extra mundum positum, levantem se supra se, (*Thren.* 3.) in Ordine sacro à se instituto, non habuisse mundum infra se sibi suppedaneum? Quinimò credere debemus ipsum longè superiorem mundo fuisse, qui etiam in uno solis radio totum mundum conspexit collectum. Divinâ namque præventus gratiâ magis ac magis ad superna animô suspirabat. Et hæc est via plena luminaribus, qua dilectus Domini Benedictus cælum conscendit. Quænam hæc sunt luminaria? præterquam exempla vitæ ejus & doctrina Regulæ ipsius. His in terra luminaribus effulsit, hisce luminib⁹ suffultus, ad Deum subvectus est. Sic D. Pater effugit maledictionem mundi, invenit benedictionem

Peccatū causa maledictionis. Virtus causa benedictionis. Quid mundus est?

S. Benedictus recessit à mundo.

S. Gregorius

S. Benedictus extra mundū supra mundū.

Quomodo?

Via S. Benedicti ad cælum.

nem Dei, & planè quàm optimè commutatus eſt, præbens no-
bis diſcipulis ſuis exemplum ut ſequamur veſtigia ejus. (*1. Pet.* 2
Quid eſt vivere mundo? Quid vivere Deo?
Quid eſt vivere mundo? Eſt obnoxium eſſe peccato, expoſitum
eſſe omni maledictioni. Quid eſt vivere Deo? Eſt virtuti ſtude-
re, eſt participem eſſe omnis benedictionis. Quid nos? Utiqu
viam D. Benedicti tenemus, exempla vitæ ejus ſectamur ſi tam
ſectamur, doctrinam Regulæ ipſius practicamus, ſi tamen pra-
cticamus. Interroget ſe unusquiſque, & intelliget ubi ſit; num
Peccata mundi primaria quæ?
in mundo peccaminoſo, num in ſtatu virtuoſo. Peccata mund
primaria audivimus eſſe ſuperbiam, avaritiam, luxuriam. In ſu-
perbia eſt præeminentiæ concupiſcentia, in avaritia eſt concupi-
ſcentia oculorum, in luxuria eſt concupiſcentia carnis. Hæc ſun
quæ militant, hæc quæ triumphant in mundo. Ex his fons omni-
um vitiorum, in his ſedes omnium peccatorum. Nam ſi quis a-
Ad quæ ſeptē capitalia reducuntur.
vet ſeptem capitalia reducere in compendium, nonne reperiet lu-
xuriæ miniſtram eſſe gulam, & pediſſequam acediam? Nunquid
non iiſdem, potiſſimùm tamen ſuperbiæ & avaritiæ ira & invidi
ancillantur? Unde illa tria primaria crimina poſſident in mund
dominatum, quibus connata eſt maledictio. Jam verò virtute
Quæ virtutes contrariæ peccatis?
hiſce peccatis contrariæ, quæ veram ex malo in bonum faciun
comutationem, poſſunt non minùs ad ternarium numerum re-
duci. Et hæ ſunt, quas ſtatus Religioſus à D. Legislatore inſtitu-
tus potiſſimùm expoſcit; videlicet: obedientia, paupertas & ca-
ſtitas. Obedientia ſuperbiæ adverſaria, paupertas hoſtis avaritiæ
Ad quas omnes virtutes reduci poſſunt.
caſtitas luxuriæ inimica. Ad has ternas virtutes omnes aliæ virtu-
tes capitales reduci poſſunt; obedientiæ enim & paupertati hu-
militas & patientia obſequuntur: caſtitati verò ſervit abſtinenti
& fervor ſpiritûs devotus. Et quid ſunt hæ virtutes? Sunt vota
quæ diſtinxerunt labia noſtra, (*Pſ.* 65.) quæ Deo reddere tene-
mur, (*Pſ.* 75.) quibus annexa eſt benedictio. Jam advertite, ſicu
Adam primus autor trium peccatorum. Chriſtus primus aſſertor trium virtutū
primus Parens noſter Adam fuit primus author illorum trium
vitiorum quæ in mundo regnant: ita Chriſtus Dominus ſecun-
dus homo, primùs erat aſſertor iſtarum virtutum, quæ in Eccle-
ſia Dei ſed vel maximè in ordinibus Religioſis præcellunt. Nolo
vitia Adæ exaggerare; ſufficiet nobis Chriſti exponere virtutes, ac
per conſequens perfecti imitatoris ejus D. Benedicti. In quonam
Obedientiæ,
eluxit exemplar obedientiæ, ſi non in eo qui humiliavit ſemeti-
pſum & factus eſt obediens Deo Patri uſque ad mortem crucis?
Paupertatis,
(*Philip.* 2.) Quisnam majus paupertatis ſpecimen exhibuit quàm
ille, qui non habuit ubi caput ſuum reclinaret? (*Matt.* 8.) Cui-
Caſtitatis.
nam maximè competit decus caſtimoniæ, ſi non illi, qui Agnus
puriſſimus ſinè omni macula Filius eſt Virginis & caſtiſſimus Vir-
ginum Sponſus, qui paſcitur inter lilia (*Cant.* 6.) virginitatis?
Nonne hæ ſunt virtutes quæ in mundo exulabāt: ita ut jureme-
ritò ſupremus harum virtutum Magiſter diceret: Ego non ſum

de

d hoc mundo: (*Joan.* 8.) de hoc, inquit, mundo ſuperbo, ava-
r, voluptuoſo; qui obedientiæ humilitatem, paupertatis vilita-
tm, & caſtitatis mortificationem prædicans ea omnia primariò
i ſemetipſo demonſtravit. Ita mundi vitia Chriſtus in virtutes
ommutavit; ita maledictio mundi tranſijt in Dei benedictioné.
uis jam harum virtutum maximus cultor & propagator? Non-
n D. Pater noſter Benedictus, Ordinis Religioſi in quo hæ vir-
tutes exercentur inſtitutor, haud dubiè iſtarum quoq; virtutum
ecutor? Inſpiciatur vita ejus, relegatur Regula ipſius; quæ do-
cit in Regula, fecit in vita; adeòque & exemplo ſuo & doctri-
n nobis facienda reliquit, ut ſic à mundo ejuſque vitijs abſtracti
i aſylo Sacri Ordinis ejusmodi virtutibus intenti ſanctè comu-
remur, ut pro maledictione mundi, benedictionem Dei conſe-
queremur. Hic omnino ſtatus filiorum Core, filiorum calvitij.
uid enim continuata capitis & barbæ raſura, in Sacro Ordine
ualis, aliud denotat, quàm ut calvitium in nobis ſemper reno-
vtur? Hoc autem quid deſignat niſi prædictarũ virtutum e-
rcitia? Obedientiæ mancipatum ex eo agnoſcimus, quòd ſo-
lum ſit mancipijs raſuram hanc inferri: paupertatem adumbra-
tm cernimus, quando ſuperfluitatem crinium ita amputam⁹,
ne pilum relinquamus. Sed et munditiem caſtitatis præſefert
lvitium, quando ab illo abſunt ſordes, quæ in capillitijs nidu-
ltur. Filij ergo Core, filij calvitij ſunt filij obedientiæ, pauper-
tis & caſtitatis. O præſtantiſſima vitiorum mundi in virtutes
ei commutatio! Iſti ſunt qui commutabuntur filij Core ex fi-
l ſeculi, ex filijs tenebrarum hujus mundi in filios lucis, filios
gni, quorum via eſt luminoſa, luminaribus ſtrata, qualis fuit
l Benedicti, per quam meruit accipere benedictionem à Do-
mino, (*Pſ.* 8.) ab illo qui venit Benedictus in nomine Domini,
(*Matt.* 21.) Deus Dominus & illuxit nobis (*Pſ.* 117.) ad intelle-
dum: ad cognitionem nimirùm vitiorum mundi, ut ab ijs ab-
ſheremus, & ad apprehenſionem virtutum, ut eas ſectaremur.
luxit per ſe, ex ſe nobis exemplum dando: illuxit per D. Bene-
ctum, non minùs tam exempli ex vita ejus quàm doctrinæ ex
egula ipſius lumine nos illuſtrando. Faxit ipſemet ut ſimus ve-
imitatores Chriſti Domini & D. Benedicti, quatenùs proſcri-
pà maledictione mundi per vitiorum ejus excluſionem, in Dei
benedictionem per virtutum ejus proſecutionem tranſeamus.

S. Benedictus harum virtutum Cultor.

Quid capitis & barbæ raſura denotat?

Obedientiam,

Paupertatem,

Caſtitatem.

Filij Core qui?

Via luminoſa Sancti Benedicti.

Sermo in Dominica Palmarum.

Pro ijs, qui commutabuntur: *Pars tituli* Pſal. 44.

QUidquid in hoc ſublunari terræ globo reperitur, totum
hoc, ut luna conſtanti in incõſtantia volubilitate mutatur.
PP. RR. FF. DD. Mutabilitati enim ſubjecta eſt creatura
omnis, (*Rom.* 8.) ac præſertim rationalis, per illũ ad hanc adducta

Mutabilitati Creatura ſubjecta

 quì

qui cùm in honore esset, non intellexit, similis factus jumen[tis] insipientibus; (*Ps.* 48.) seipsum & posteros suos pessimè com[mu]tavit. Mutavit gloriam datæ sibi à Deo innocentiæ & justitiæ [o]riginalis in brutalitatem carnalis concupiscentiæ, in similitudi[nem] vituli comedentis fænum; (*Ps.* 105.) tanquam vituli effusi sup[er] herbam: (*Jer.* 50.) nimirùm carni adhærentis; tum mulieri sati[us] quàm Deo obsequendo, tum propriæ carnis appetitum prosequ[en]do. Jam verò scimus, quòd omnis caro fænum sit; (*Isaiæ* 40.) manè enim homo sicut herba floret & transit, vespere decidit [&] arescit. (*Ps.* 89.) Vitulum autem novimus non sicut bovem f[e]rentem, sed potiùs excutientem omne jugum obedientiæ, ac d[i]centem: non serviam; (*Jerem.* 2.) uti fecit primus noster Pare[ns] in ipso primordio suæ productionis. Quid dicemus de infideli i[l]la Synagoga, quæ erat quasi vitula Ephraim docta diligere triti[tu]ram (*Osee* 10) carnis? Verè carnalis ille populus Judaicus, q[ui] olim visis etiam tot signis & prodigijs in Ægypto, in mari rubr[o] & in deserto à Deo patratis, tam facilè ad idololatriam vitu[li] aurei à se facti conversus, noluit intelligere ut benè ageret. (*P[s.]* 35.) Prævaricatores planè filij Israël, non fuerunt memores mu[l]titudinis misericordiæ Dei; non crediderunt verbo ejus, non ex[au]dierunt vocem Domini: sed irritaverunt eum in adinvention[i]bus suis, jam murmurando in tabernaculis suis, jam concupiscen[do] concupiscentias carnium in deserto, jam tentando Deum i[n] inaquoso; denique non disperdendo gentes quas dixit Domin[us] illis, (*Ps.* 105.) & provocando illum in eo qui non erat Deu[s.] (*Deut.* 32.) Quid potuit Deus facere populo huic & non fecit? (*Isaiæ* 5.) Nihilominùs quantâ animi mutabilitate derelinque[]bat Deum factorem suum, & recedebat à Deo salutari suo! (*Deut.* 32.) Illud ipsum mutabilitatis iniquæ specimen in popul[o] illo expertus est Filius Dei Homo factus. Post tot spectata mira[]culorum insignia, post tantas cælestis ejus doctrinæ instruction[es] perceptas, post tam magna sanctitatis documenta perspecta; de[ni]mùm post tantas acclamationes hodiernas: Benedictus qui ven[it] in nomine Domini Rex Israël; benedictum quod venit regnum Patris nostri David; (*Marc.* 11.) Pax in terra & gloria in excel[]sis; (*Luc.* 19.) Osanna in altissimis: (*Matt.* 21.) tandem ad vin[]cula, flagra, spinas, crucem & mortem in ea nefandam perver[sa] animi commutatione perducunt Dominum suum, Magistrum & Salvatorem. Et quidem si verè cognovissent, Dominum glo[]riæ non crucifixissent. (1. *Cor.* 2.) Poterant tamen ex tot signi[s] cognovisse: sed mundi malitia, quæ est invidia, corda illorum excæcavit, ipsi quoque noluerunt intelligere ut benè agerent, [i]niquitatem meditati sunt in cubili suo, (*Ps.* 35.) dùm eos verita[s] Dei rectificaret ad correctionem & instructionem: astiterunt vi[]æ non bonæ, (*Ib.*) dùm eos via Domini sancta (*Is.* 35) duceret a[d] saluti

per Adamum.

Similitudo vituli in homine

Vitula Synagoga.

Mutabilitas Synagogæ.

In Dominica Palmarum.

In die Parasceves.

Christus Veritas.

Via.

alutis conſecutionem: malitiam non oderunt, [*Ib.*] dùm eos vita cæleſtis traheret ad Summi Boni apprehenſionem. Circumdederunt me vituli multi, (*Pſ.* 21.) conqueritur Salvator; inſolé-er circa illum vitulabantur. Ecce quomodo per ſe dati ſunt in eprobum ſenſum, (*Rom.* 1.) ut perverſam facerent commuta-ionem, Hodie inclamant: Oſanna in excelſis; [*Matt.* 21.] cras vociferantur: tolle tolle, crucifige eum. (*Joan.* 19.) Hodie agno-cunt Regem Iſráëlis, & benedictum vocant regnum; cras im-erant: noli ſcribere, Rex Judæorum, non habemus Regem ni-i Cæſarem. [*Ibid.*] Hodie cum Rege ſuo triumphum agunt; ras tanquam ad latronem prodeunt, eumque tanquam malefa-ctoré & homicidâ pejoré funeſtâ perdunt tragædiâ. O generatio nala atque adultera! (*Matt.* 12.) O popule ſtulte & inſipiens! *Deut.* 32) O gens iniqua & ſicut luna mutabilis! (*Eccli* 27.) Sic xprobraverũt inimici tui Dñe, ita nõ tantùm exprobraverũt ſed xercuerunt cõmutationé Chriſti tui, (*Pſ.* 88) circumdantes eũ anquam vituli multi. [*Pſ.* 21.] Sic filii Ephrem intendentes & nittentes arcum; (*Pſal.* 77.) hodie planè arcum triumphalem Domino ſuo erigentes, converſi ſunt in arcum pravum, ſagit-antes & in occulto & in aperto immaculatum; (*Ibidem*) cru-em parantes Salvatori ſuo in die belli, (*Ibidem*) in die Pa-aſceves. Subitò obliti benefactorum ejus & mirabilium quæ oſtendit eis, non crediderunt Deo nec ſperaverunt in ſalutari e-us: (*Pſal.* 77.) dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſan-ctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum; (*Iſai.* 1.) poſtremò era-erunt eum de terra viventium. (*Ierem.* 11.) Sed majori indagine & conſideratione commutationem Chriſti noſtri ſpeculemur. Nonnè ille eſt ſpecioſus formâ præ filijs hominum? (*Pſal.* 44.) & ecce non eſt ei ſpecies neque decor, quaſi leproſus percuſſus Deo & humiliatus. (*Iſai.* 53) Nonnè diffuſa erat gratia in labi-s ejus? (*Pſal.* 44.) Et ecce quaſi agnus coram tondente ſe ob-nutuit & non aperuit os ſuum. [*Iſai.* 53.] Nonnè hic eſt cui venti & mare obediunt, (*Marc.* 4.) cui Angeli miniſtrãt: (*Marc.* 1.) quem Pater ille cœleſtis Filium ſuum nominat dilectum, in quo ſibi bene complacuit? [*Matth.* 17.] & ecce ſicut ovis ad occiſionem ducitur, (*Iſai.* 53.) à ſuis deſeritur, imò & à Patre derelinquitur, & cum ſceleratis deputatur. (*Luc.* 22.) O quanta hæc Chriſti noſtri commutatio! *Pſal.* 88.) Hìc aſinæ & pullo e-jus inſidet, ibi bajulat crucem: hìc glorioſè ingreditur Jeruſalé, ibi extra Jeruſalem educitur ignominioſè: hìc benedicitur & ex-altatur, ibi maledicitur & blaſphematur: hìc turba multa au-get numerum Diſcipulorum, ibi relicto eo Diſcipuli omnes fu-gerũt, & percuſſo Paſtore diſperſi ſunt quaſi oves gregis; (*Marc.* 14.) ipſi noti quaſi alieni ab eo receſſerunt. (*Job.* 19.) Hìc plu-rimi ſub pedibus ej⁹ ſua ſtraverunt veſtimenta; (*Matt.* 21.) ibi ve-

Vita.

Commutationes malæ Judæorum.

Commutatio Christi conſiderata.

Multiplex.

ſtibus proprijs ſpoliatur, & ſuper veſtem ejus ſors mittitur: (P 21.) hìc rami arborum cæduntur & ſternuntur in via, (Matth 21.) ibi ipſemet Rex gloriæ in arbore ſuſpenditur funeſta. O ſtu

Adami cõmutatio Chriſti commutatione reparatur.

penda commutatio Chriſti tui Domine! (*Pſal.* 88.) Sic mali gna primi hominis commutatic, hac dolendâ ſecundi homini commutatione debuit reparari.

Collatio Trãsfigurationis in monte Thabor & in monte Calvariæ.

Conferamus paululum trans figurationem Domini in monte Thabor cum transfiguratione e in monte Calvariæ. Videbimus illic quòd reſplenduerit facie ejus ſicut ſol; (*Matth.* 17.) videbimus hìc eum, & non erat aſpectus, & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus. (*Iſai.* 52 Illic veſtimenta ejus alba ſicut nix, (*Matth.* 17.) hìc rubrun eſt indumentum ejus, & veſtimenta ejus ſicut calcantium in tor culari, (*Iſai.* 63.) aſperſa planè ſangvine. Quis non agnoſcet u trinque Dilectum candidum & rubicundum? (*Cant.* 5.) Ibi Fi lius Patris dilectus, (*Matth* .17.) hìc à Patre derelictus: (*Matth* 27.) ibi in medio duorum Prophetarum Moyſis & Eliæ, (*Matth* 17.) hìc in medio duorum latronum: [*Matth.* 27.] ibi glori & honore coronatus, (*Pſal.* 8.) hìc opprobrijs & contumelij ſaturatus. O quanta differentia ſtatûs in Redemptore noſtro

Ad exemplum Chriſti debemus commutari,

Quàm varia & diverſa mutatio Chriſti noſtri! quæ non alia d cauſa facta eſt, niſi ut & nos ad exemplum illius commutemu Ergo quod expetijt in monte Thabor Petrus neſciens quid dice ret; hoc nos in monte Calvariæ expoſcamus ſcientes quid dice re debeamus: Bonum eſt nos hìc eſſe. (*Matth.* 17.) Faſciculu

ipſumque patientẽ meditari,

myrrhæ commutationis Jeſu inter ubera contemplationis & o perationis noſtræ commoretur: neminem videamus niſi ſolun Jeſum: non arbitremur nos ſcire aliquid cum Apoſtolo, nil Jeſum & hunc Crucifixum. (1. *Cor.* 2.) Regi noſtro ſimus ſub jecti, & hoc regnum crucis ipſius benedictum intimo affectu

& imitari.

complectamur; conſtanter manentes in cruce, absque commu tatione in ea perſeveremus usque in finem, (*Matth.* 24.) ut non tantùm cum ingrediente civitatem ſanctam Jeruſalem, ſed mul tò magis cum Reſurgente, & cum ijs quorum corpora ſurrexe runt, nempe qui commutati ſunt; nos quoque beata commu tatione ex terra ad regnum ejus cœleſte glorioſo triumpho transferamur.

ꙮꙮꙮꙮꙮꙮꙮꙮꙮꙮꙮꙮ

Sermo in Die Paſchatis.

Canticum pro Dilecto: *Finis tituli* Pſalmi 44.

Chriſtus reſurgens nova facit omnia

CAntemus Domino canticum novum, (*Pſ.* 95.) quia ecc per Reſurrectionem ſuã novi teſtamenti Mediator (*Hebr* 9.) & Inſtitutor nova facit omnia (*Apoc.* 21.) in ſeipſo tanquam novus homo ſecundùm Deum creatus (*Ephes.* 4.) in mundo; novum cœlum, novam terram formando: & in nobi

t simus expurgato veteri fermento nova conspersio, (*1. Cor.* 5.)
xspoliato veteri homine (*Coloss.* 3.) nova in Christo creatura. *In seipso In mundo*
Galat. 6.) Et vocabitur nobis nomen novum, quod os Domi- *In nobis.*
i nominavit, nimirùm voluntas mea in eâ, (*Isaiæ* 61.) utpote
cclesiâ Christi, in qua sumus voluntatem Dei facientes. (*Ephes.*
.) Vocabunt nos genus electum, gens sancta, populus acqui-
tionis, (*1. Pet.* 2) Redempti à Domino. (*Psal.* 106.) Ecce Sal-
ator noster venit ab inferis ad superos, & merces æternæ beati-
dinis cum eo; & opus redemptionis ejus coram illo, (*Is.* 40.)
m in captiva secum ducta captivitate, (*Ephes.* 4.) quam in
ossessa gentium & terminorum terræ hereditate. (*Psal.* 2.)
xultemus idcircò Deo adjutori nostri, (*Psal.* 32.) Redempto- *Causæ exultationis,*
nostro, qui nos redemit de manu inimicorum nostrorum; (*Ps.*
06.) videlicet principis mundi hujus, (*Joan.* 14) principis &
ctoris tenebrarum harum. (*Ephes.* 6.) Jubilemus Deo salutari *Jubilationis,*
ostro (*Ps.* 94.) qui nos eripuit de interitionibꝰ peccatorum no-
rorum. (*Psal.* 106.) Benedicamus eum qui redemit nos de ma- *Benedictionis,*
dicto, (*Gal.* 3.) & qui nos eduxit de tenebris & umbra mortis.
Psal. 106.) Laudemus & superexaltemus eum, (*Dan.* 3.) qui *Laudis,*
os à gehennæ flammis & faucibus inferni liberavit. Confitea- *Confessionis,*
ur Domino quoniam bonus (*Ps.* 117.) in seipso & erga nos,
ia fecit nobiscum misericordiam suam; (*Tobiæ* 12.) qui de re-
onibus à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari [*Ps.* 106.] in
num congregavit nos unanimes in domo (*Ps.* 67.) Dei, per fi-
m spem & charitatem. Sed nunc vel maximè cantemus Do- *Cantandum*
ino, quoniam gloriosè magnificatus est: equum scilicet mun- *Domino,*
m ac carnem & ascensorem ejus diabolum dejecit in mare (*E-* *Quare?*
d. 15.) passionis & contritionis suæ per mortem crucis. Jam
bmersi sunt in mari rubro [*Ibid.*] sangvinis ejus: abyssi judici-
um Dei, (judicia enim Dei abyssus multa *Ps.* 35.) operuerunt
s, descenderunt in profundum inferni quasi lapis, (*Exod.* 15)
em nemo potest revocare. Dominus quasi vir pugnator, *Ibid.*
ominꝰ bellator fortis, (*Jer.* 20) Dñus conterens bella, (*Jud.* 16.)
mnipotens nomen ejus. (*Exod.* 15.) Omnino Dominus fortis
potens, [*Ps.* 23.] qui fortior superveniens supra fortem Regẽ
orũ superbiæ (*Job* 41.) custodientem atrium suum, mundum
nc, vicit eum; & arma ejus, concupiscentiam carnis per mor-
ticationem passionis, concupiscentiam oculorum per nuditatem
upertatis, & superbiam vitæ per humilitatis exinanitionem
stulit; & spolia ejus, animas è limbo Patrum, ac gentes ab i-
dololatria cæterisque peccatis diripuit; (*Luc.* 11.) angelo tenebra-
m priùs per mortem crucis in inferno alligato, & regno ejꝰ in
leribꝰ diffuso per pœnitentiã destructo. Hæc est dies quã fe- *Dies quam*
Dominus; (*Ps.* 117.) qui ut splendor egressus, ut lampas accẽ- *fecit Dominus*
s, (*Is.* 61) Deus Dominus illuxit nobis, (*Ps.* 117) & ortus est sol

Dies multiplex.

justitiæ (*Mal.* 4.) per resurrectionem. Hæc est dies victori
post diem belli, dies lætitiæ post diem luctûs, dies triumphi pos

Hymnus cantandus.

diem calamitatis & tribulationis. Hymnum cantemus Domino
hymnum novum cantemus Deo nostro, (*Judith* 16.) qui in no
stra carne vicit & triumphat, Dominus Deus noster victor, tri

Gaudendum, Quare?

umphator in Israël. (1. *Reg.* 15.) Ego igitur gaudens gaudebo i
Domino, & exultabo in Deo Jesu meo, (*Habac.* 3.) qui indui
me vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me: &
ero corona gloriæ in manu ejus, (*Isaiæ* 61.) quando super excel
sa cælorum deducet me victor in psalmis & hymnis canentem
[*Habac.* 3.] Fortitudo & laus mea Dominus, & factus est mil
in salutem (*Ps.* 117.) Dominus Deus meus. Ipse Deus me⁹ qui
Homo Deus, & glorificabo eum; [*Exod.* 15.] Deus Patrum no
strorum, quorum animas à porta inferi eruit, [*Isaiæ* 38.] & ex
altabo eum. (*Exod.* 15.) Cor meum & caro mea exultaverun
in Deum vivum, (*Ps.* 83.) qui vivificavit nos post duos dies, di
tertiâ suscitavit nos, & vivemus in conspectu ejus, (*Osee* 6.) qu

Magnus Dominus.

fruemur in æternum. Adonai Domine Deus, magnus es tu, &
præclarus in virtute tua; (*Judith* 16.) magnus es tu & laudabil
nimis, & magnitudinis tuæ non est finis. [*Ps.* 144.] Magnus e
tu & faciens mirabilia, tu es cum Patre & Spiritu Sancto Deu
solus, (*Psal.* 85.) Deus magnus Dominus & Rex magnus supe
omnes Deos; (*Ps.* 94.) Deus altissimus super omnes cælos & su
per omnem terram. (*Ps.* 82.) Tu es Rex Regum & Dominu
dominantium; (1. *Tim.* 6.) tua est Domine magnificentia & po
tentia & gloria atque victoria, & tibi laus: (1. *Paral.* 29.) Tib
gratiarumactio: (*Apoc.* 7.) te decet hymnus: (*Psal.* 64.) tuum
Domine regnum, regnum est omnium sæculorum, (*Ps.* 144.)
& tu dominaberis gentium. (*Ps.* 21.) Cuncta quæ in cælo sun
& in terra, tua sunt. (1. *Paral.* 29.) Tibi data est omnis potesta
in cælo & in terra: (*Matth.* 28.) Tu es super omnes Principes

In manu dextera,

(1. *Paral.* 29) in manu tua virtus & potentia: [*Ibid.*] in manu
tua magnitudo & imperium omnium: (*Ibid.*) dextera tua ma
gnificata est in fortitudine, dextera tua percussit inimicos; [*Ex*
15.] dextra manus tua fecit virtutem hanc magnam, & hæc ips

brachio,

exaltavit te: [*Ps.* 117.] salvavit tibi brachium tuum, (*Isaiæ.* 63.
brachium crucis invictum. In manu potenti & in hoc brachi
excelso (*Ps.* 135.) redemisti nos Deo in sangvine tuo (*Apoc.* 5.

Dignus Agnus accipere virtutem,

Redemptor sanctus Israël. (*Isaiæ.* 54.) Ac proinde dignus es A
gne qui occisus es, accipere apud omnem creaturam rationalem
ex ore omnium hominum & Angelorum, virtutem tanquam

Divinitatem,

Dñus virtutũ: *Ps.* 23. divinitatem, ut verus Deus Filius Dei vivi al
omnibus agnoscaris, omnes possidens divitias, dives in omne

Sapientiam,

qui invocant te: (*Rom.* 10) sapientiam, velut æterna Patris Sapi

Fortitudinem,

entia; fortitudinem, ut Dominus fortis & potens in prælio: (*P*

ß. honorem per cultum latriæ: gloriam, utpote Rex gloriæ, (Pſ. 23.) & benedictionem, (*Ap.* 5.) cùm ſis Deus benedictus in ſcula, (2. *Cor.* 11) Cantate ergo domino hoc canticum novum, *honorem, gloriam, benedictionem.*
ntate domino & benedicite nomini ſancto ejus, annuntiate in- *Novum canticum cantandum,*
t gentes gloriam reſurrectionis ejus, in omnibus populis mira-
llia ejus: (*Pſ.* 95.) Jubilate in conſpectu Regis domini, (*Pſ.* 97) *jubilandum,*
ia dominus regnavit decorem induit, induit fortitudinem &
æcinxit ſe virtute; (*Pſ.* 92.) ſalvavit ſibi & nobis dextera ejus,
brachium ſanctum ejus. (*Pſ.* 97.) Videant omnes fines terræ
utare Dei noſtri, (*Ib.*) Dei hominis. Cantate exultate & pſal
le (*Ib.*) Regi ſeculorum immortali, (1. *Tim.* 1.) hæredi univer- *Regi ſeculorũ,*
rum, per quem facta ſunt ſæcula; [*Hebr.* 1.] qui eſt Deus vi-
ns & regnans in ſecula ſeculorum. (*Apoc.* 15) Huj⁹ fide aptata
telliguntur eſſe ſecula, *Heb.* 11. qui eſt principiũ, finis, author &
nſummator omnium ſeculorum. Percurramus aliquantùm ſin- *Secula percurrenda circa figuras Chriſti reſurgentis.*
la à conſtitutione mundi, & requiram⁹ in eis ſymbola & figu-
s Victoris ac Triũphatoris Dñi Dei noſtri. Nonne ſicut primus
tus Adam fuit pater primi ſeculi nequam (*Galat.* 1.) in ma-
no poſiti, (1 *Joan.* 5.) ſic iſte ſecundus novus Adam Pater eſt *Chriſtus novus Adam.*
turi ſæculi (*Iſaiæ* 9.) in Deo fundati & in æternum benedicti?
odie poſitus per reſurrectionem in paradiſo voluptatis, (*Gen.*
) melioremque primo quem ille perdidit; quia pro terreſtri
leſtem nobis reſtituit paradiſum. Nonnè hic eſt alter Nòé *Alter Noë.*
câ corporis ſui in fluctibus paſſionis ſubmerſi ſalvans populum
lelem à diluvio iræ Dei, & in arca Eccleſiæ ſuæ myſtici cor-
ris ſui eum conſervans? Nonnè hic verus Melchiſedech Rex *Melchiſedech,*
ſtitiæ, Rex Salem, (*Gen.* 14.) Princeps pacis (*Iſ.* 9.) & tem-
ralis & æternæ; quia pacis ejus non erit finis: (*Ibid.*) ſiné
tre quoad homo eſt, ſinè Matre quoad Deus eſt, ſinè genea-
gia culpæ originalis ab Adamo fluentis; Rex & Sacerdos ſive
ntifex ſecundùm ordinem Melchiſedech, [*Hebr.* 5.) non
ntùm offerens panem & vinum; (*Gen.* 14.) ſed carnem & ſã-
inem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini dans ſuis ad manducã-
m, idque manens ſic nobiſcum usque ad conſummationem
culi? (*Matth.* 28.) Hic quoque eſt ſummus Patriarcha no-
r Abraham, Pater non multarum duntaxat ſed cunctarum *Abraham,*
ntium, (*Gen.* 17.) in cujus ſemine, Verbo Dei, benedicuntur
nnes gentes; (*Gen* 22.) cujus generationis ſemen multiplica-
r ſicut ſtellæ cœli; (*Gen.* 32.) ſancti in Eccleſia triumphante:
ut arena maris; (*Gen.* 23.) juſti in Eccleſia militante: & ve-
t pulvis terræ, (*Gen.* 13.) animæ fideles in Eccleſia patiente:
in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium
infernorum. (*Philipp.* 2.) Et quemadmodum in carne Abra-
e fecit Deus ſtare teſtamentum vetus, ita novum in carne &
ngvine Chriſti ſtabilitum eſt teſtamentum. Sed longè major

Major Patre Abraham, Patre Abraham, qui filium proprium offerre voluit Deo in sacrificium: ipse verò seipsum re ipsa obtulit Deo Patri in holocaustum. Quid dicemus de Jacob? Hic verus est supplantator primogeniti Esau, rufi, illius serpentis callidi primò creati; & benedictionem Dei Patris sibi & nobis impetravit primogenitus vivorum & mortuorum: [*Apoc.* 1.] & non in 12. tribubus sed in omnibus populis per 12. Apostolos suam reliquit orbi posteritatem. Maximus in Cruce luctator & prævalens Deo verus Israël, in quo Deus Pater gloriatur. Quid de Josepho proferemus? Hic veriùs venditus in Ægyptum, in angustias & tribulationes traditus gentibus ad illudendum & crucifigendum, (*Matth.* 20.) è carcere sepulchri eductus ut dominaretur in universa terra, (*Gen.* 45.) & Salvator mundi (*Gen.* 41.) non tantùm nominaretur sed esset, (1. *Joan.* 3.) pane cœlesti omnes pascens. Hic novus Moyses de aqua baptismi assumptus, Deus Pharaonis infernalis, Ægyptios ejus in mari passionis suæ submergens, & filios Israël ex Ægyptiaca servitute educens, & in terrâ cœlestis promissionis inducens. Hic nov[9] Josue ver[9] JESUS per medium Jordanis per baptismũ populum Dei deducens, solẽ gloriæ Divinæ stare faciens electis suis in æternum. Hic novus Samson portas inferni & vectes ejus confringens, captivosque inde in montana cœlorum transferens; morte sua omnes Philistæos gehennales trucidans. Jam Davidem Patrem filius David quidni superavit, & Goliathum gigantem omnium gigantũ enormissimum, satanam prosternendo, & Regnum Dei per seipsum fortis firmando in æternum. (1. *Paral.* 28.) In ipso Domino & Rege nostro cernimus Salomonem templum Dei exstruentem, Ecclesiam post Resurrectionem fundantem. Videmus Ezechiam solem gratiæ Divinæ per decem lineas exactæ Decalogi observationis pro æterna salute redire facientẽ; conspicim[9] Jonam è ventre ceti è corde terræ post trium dierũ & noctiũ salubriter & gloriosè prodeuntẽ; advertimus Danielem è lacu leonum salvum; Zorobabelẽ & Jesum sacerdotem magnum ex captivitate Babylonica, filios Juda ad cœlestem Jerusalem & templum ejus reædificandum, post ruinas Angelicas reducentes observamus. Ipse ergo Dominus Rex noster, Legifer noster, (*Isaiæ* 33.) uti fuit initium & negotium, ita est compendium omnium sæculorum, Jesus Christus heri & hodie, ipse & in secula. (*Hebr.* 13.) Sed cùm sit Canticum pro Dilecto nominatum, necesse est pro coronide ad minus monstrare qualis sit noster Dilectus, cui canticum canere tenemur. Talis est Dilectus noster (*Cant.* 5.) Deus ac Dominus, ut non habeat sibi parem. Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. (*Joann.* 15.) Pro bono forsitan quis audeat mori, (*Rom.* 5.) Christus pro impijs mortuus est; [*Ibid.*] justus

Margin notes: *Major Patre Abraham, Jacob, Joseph, Moyses, Josue, Samson, David, Salomon, Ezechias, Jonas, Daniel, Zorobabel, Jesus sacerdos, Compendium omnium seculorum Jesus Christus. Qualis Dilectus.*

ius pro injustis: (1. *Pet.* 3.) ac ideo longè meliorem habuit charitatem. Commendat planè charitatem suam in nobis, quonin cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus it, cùm inimici essemus reconciliati sumus per morté ejus. (*Rom.* .) Et sic ipse prior dilexit nos: (1. *Joan.* 4.) amore nostri hoo factus, similis nobis passibilis, (*Jacob.* 5.) nostras infirmitas in se suscepit; deinde pro nobis horrenda passus, morte turissimâ condemnatus, in crucem actus, factus pro nobis maledictum, (*Gal.* 3.) ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem; [*Tit.* 2.] denique lavit nos à eccatis nostris in sangvine suo: (*Apoc.* 1.) propter nos resurret, propter nos in cœlum ascendit, propter nos Spiritum Sanctum amorem Divinitatis essentialem misit. Quid ampliùs facere potuit & non fecit? (*Isai.* 5.) Omnia amore suo circa nos dimplevit & consummavit, quia cùm dilexisset suos, usque in nem non tantùm vitæ sed seculorum, absque fine dilexit eos, *Joan.* 13.) novoque semper quia perpetuo amore illos prosequitur. Cantemus eapropter Domino canticum novum. (*Ps.* .) Canticum amantium est. Dilectus dedit nobis mandatum ovum, (*Joan.* 13.) quod est mutua dilectio. Canticum novū on sit aliud nisi Dilecti dilectio. Cantabo mirabilia de lege ua; ait Propheta, (*Psal.* 118.) de lege amoris. Diligamus eum orde, ore, & opere; & optimè novum canemus canticum. Dictus meus mihi (*Cant.* 2.) amando me; ego illi redamando ilm. Non vox sed votum, non tinnula chordula sed cor, non amor sed amor cantat in aure Dei. Hic amor sit canticum nostrum pro Dilecto in æternum. *Canticū novū quale?*

ermo in Festo Annuntiationis B. V. MARIÆ.

Ad Intellectum. Pars tituli *Psal.* 44.

VErè Sapientia Dei attigit à fine damnationis humanæ, usque ad finem salvationis ejus fortiter, & disposuit omnia svaviter, (*Sap.* 8.) quando tam inter primum & secunum Adamum, quàm inter primam & secundam Evam singulrem similitudinis & dissimilitudinis instituit relationem: omni ad intellectum hominis salvandi. *Congruum enim erat*, ait Pater noster, *ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum rruptioni neuter defuisset. Et quidem vehementer nobis vir nus & mulier una nocuêre, sed gratias Deo per unum nihilonus virum & mulierem unam omnia restaurantur.* Et sicut dam & Eva in initio seculi hujus nequam, (*Galat.* 1.) nos ad ortem progenerârunt, ita Jesus & Maria in fine seculorum nos d vitam æternam regenerârunt. Nonnè Pater illius primi maledicti seculi Adam cum Eva? Nonnè Pater futuri seculi (*Is.* 9.) enedicti Jesus cum Maria? Vti Adam sinè Eva ex se producta *Similitudo & dissimilitudo inter primum & secundum Adam, primā & secundam Evam.* S. Bernar.

nos haud genuisset ad mortem infelicem, ita neque Jesus sine
Maria, de qua natus est, (*Matth.* 1.) nos generare potuisset ad
beatam æternitatem. Requirebatur, ut & primo Adæ adjutor si-
milis ejus, (*Gen.* 2.) pro humana generatione adjungeretur, &
secundo Adæ Virgo Alma Mater pro regeneratione hominum
constitueretur. Creaturus primum hominem Deus ait in plu-
rali: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã
(*Gen.* 1.) ut totius Sanctissimæ Trinitatis consilio formari agno-
sceretur. Quidni idipsum dixit Deus, naturam humanã in per-
sona Filij Divinæ naturæ conjuncturus, ac novum hominem ve-
teris innovatorem creaturus: faciamus hominem qui idem si
nobiscum, qui cùm sit speculum & imago bonitatis nostræ, ad
imaginem & similitudinem nostram hominem primum cum
posteris suis deformatum reducat & conformet. Vnde sicu
totius Sanctissimæ Trinitatis consiliô & operatione primus A
dam formatus est; ita multò magis secundus & Patris Altissim
obumbratione, & Spiritûs Sancti superventione, [*Luc.* 1.] &
suæ ipsius personæ communicatione, adeòque operâ totius San
ctissimæ Triadis est productus. Ille ex terra virgine maledicta
hic ex Matre Virgine inter mulieres benedicta. (*Luc.* 1.) Ille e
limo terræ formatus; [*Gen.* 2.] hic ex purissimo sangvine coa
gulatus. Illi inspiravit Deus in faciem spiraculum vitæ, & fa
ctus est in animam viventem: (*Ibid.*) hic Spiritus ante facien
nostram Christûs Dominus, in quo vita erat, imò qui ipse
met erat & est vita & resurrectio nostra. (*Joan.* 11.) Ille posit⁹ pol
creationem in paradiso voluptatis; (*Gen.* 2.) hic ipsemet ant
creationem mundi, imò ab æterno & usque in æternum (*Psa.*
102.) deliciarum omnium existit paradisus. Ille affectando Di
vinitatis similitudinem temporalem in terris perdidit paradisum
hic communicando Deitatis suæ naturam, in cœlis restituit pa
radisum. Ille ligno scientiæ boni & mali sibi interdicto mal
usus omne bonum amisit; iste ligno Crucis à Patre sibi tradit
optimè usus omne malum sustulit, & omne bonum reinduxit
Ille fructum à muliere sibi porrectum gustans, mortis maledicti
mundo intulit universô; iste benedictus fructus ventris Mulier
inter mulieres benedictæ (*Luc.* 1.) factus, seipsum orbi cibum
vitæ & salutis obtulit æviternæ. Quàm magna hic inter utrumq
Adam veterem & novum similitudinis & dissimilitudinis pro
portio! Ecce Adam (*Gen.* 3.) dicit Deus; Ecce homo (*Joan.*
19.) dicit Pilatus: quasi unus ex nobis factus subinfert Deus d
Adamo tunicâ pelliceâ induto; (*Gen.* 3.) de Adamo carne no
stra vestito idem dici posset à nobis: Homo Deus quasi unu
ex nobis, similis nobis passibilis factus, (*Jac.* 5.) exutus vestibu
suis, & portans purpureum proprij sangvinis indumentũ. (*Joan.*
19.) Vocem tuam audivi & abscondi me (*Gen.* 3.) loquitur ve
tu

Inter veterem & novum Adam parallela.

ıs Adam; idipſum effatur novus Adam, ſed meliori modo: 'ocem tuam audivi ô Pater, quia aures perfeciſti mihi, alius tex-ıs legit: corpus adaptâſti mihi; tunc dixi: ecce venio. (*Pſ.* 39.) .d quid? Vt abſcondam me primùm in utero Virginis Matris; einde factus obediens usque ad mortem crucis, (*Phil.* 2.) ut bſcondar in corde terræ, [*Matt.* 12.] in utero ſepulchri. O no-e Adã ubi es? Verè tu Deus abſconditus (*Iſ.* 45.) & Salvator. Sed cce vetus Adam præcluſo per Cherubim flammeum gladium :que verſatilem (*Gen.* 3) paradiſo, exul factus in hac lacryma-ım valle: (*Pſal.* 83.) iſte ex horto concluſo, (*Cant.* 4.) utero 'irginis Matris clauſo ultrò egrediens tanquam Sponſus de tha-ımo ſuo; [*Pſal.* 18.] è clauſo quoque tumulo gradiens in mul-tudine fortitudinis ſuæ formoſus in ſtola ſua (*Iſai.* 63.) exulem eterem hominem ad Patriam ſecum reducit cœleſtem. Nonnè ic difformis & conformis utriusq; æquiparatio? Sed videamus *Inter veterem & novã Evam* uoq; quænam ſit inter utramq; Evam relatio. De prima creãda ixit De⁹: Faciam⁹ ei, id eſt Adamo, adjutoriũ ſimile ſibi, (*Gen.* 2) t ex ipſa totius Trinitatis Divinæ reſolutione formata eſſe cer-eretur. De ſecunda quidni idem dicendum, quòd data ſit non antùm in adjutorium novo Adæ, verùm etiam in principium, x qua prodiret Filius hominis ſimilis ipſi qui erat Filius Dei, idq; on minùs operâ Trini Vnius Dei fabricaretur, quæ futura eſſet emplum Sanctiſſimæ Trinitatis. Eduxit Deus ex latere dor-nientis Adæ coſtam quam ædificavit in mulierem: (*Gen.* 2.) Quidni educta quoque eſt Maria immaculata per mortem ob-lormientis JESU? ut exſtrueretur primogenita ante omnem reaturam (*Eccli.* 24.) puriſſima Deipara ſemper Virgo ab o-nni labe præſervata, utpote aquâ & ſangvine lateris emundata; Primogenita non minùs Eccleſiæ ſanctæ, quæ ex eodem latere rodijt Chriſto deſponſata? Videte quàm facilè Adam à Deo *Adam facilè creatus, Eva cum ſtudio & labore.* ormatur; quanto labore & ſtudio Eva ædificatur. Adam Dei limo terræ formatio, Eva Dei è coſta Adæ ædificatio. (1 *Cor.* 3) 'ormare aliquid videtur facilius, laborioſius ædificare. Plus o-eris & ſtudij impendit Deus in muliere exſtruenda, quàm in vi-o efformando. Quid cauſæ? Non alia equidem videtur mihi, uàm quòd in formatione Adami beneficium creationis intelli-atur; in ædificatione verò Evæ myſterium Incarnationis Divi-æ & Redemptionis humanæ indigitetur. Jam quis ibit inficias, *ob myſterium Incarnationis Divinæ.* ongè pluris conſtitiſſe Deo hominis recreationem quàm crea-ionem? De hac non eſt dubium; illam explico. Ædificatio mu-ieris ut ſit coniunx Adæ, eſt denotatio Deum naturam humanã ibi in utero Virginis deſponſaturũ: eſt Sacramentum magnum. Ego autem dico, ait Apoſtolus in Chriſto & Eccleſia, (*Eccles.* 5.) ujus Primiceria imò & Mater Maria. Sed ad hoc nonne opor-uit Chriſtum pati? *Luc.* 24. Nonne per horrendam crucis mortẽ

Quàm graviter Eccleſia ædificata?

debuit ſoporari noſter Adam; ut ſic ex latere Crucifixi prodire Eccleſia; Dei ſtructura, Dei ædificatio? (1. *Cor.* 3.) Quanta fun damenta per doctrinam Evangelij erant jacienda? Quantæ com pages ſalutarium præceptorum ad fidem ſpem & charitatem co pulandã erigendæ? Quantæ ſtrues miraculorum ad veritaté do ctrinæ roborandam erant patrandæ? Hic labor hoc opus erat ædificare mulierem, exſtruere Eccleſiam tanquam ſponſam orna tam viro ſuo, (*Apoc.* 21.) præparare ſibi Matrem Sanctuariun ſuum, ſanctificare ſibi Tabernaculum [*Pſ.* 45.] per præſervati oné à peccato primævo virtute paſſionis & mortis ſuæ, ut poſ ſet Maria dicere: Et qui creavit me, requievit in tabernacul meo. (*Eccli* 21.) Quidni Maria redemptionis humanæ officina Quidni productrix & miniſtra illius pretioſiſſimi lytri, quo fil novus Adam Eccleſiam acquiſivit? Utique Matris Eccleſiæ for mam gerebat & ille Prædicator veritatis dicens: Filioli quos ite rum parturio donec formetur Chriſtus in vobis. (*Gal.* 4.) Hæ regeneratio erat neceſſaria ad tollendos primæ generationis de fectus. Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea, (*Ge* 2.) eloquitur Adam expergefactus à ſomno ſuo de Eva conſort ſua: quantò magis Chriſtus de Eccleſia aſſerere poteſt, cujus ip eſt Caput, & quæ eſt corpus illius? Et erunt duo in carne una (*Gen.* 2.) concludit epithalamium ſuum Adam: Erunt duo De us & Homo in una carne Chriſti: erunt duo, homo & Deus ſ mul juncti per merita Chriſti in carne paſſi: erunt duo in carn homini in cibũ data, ita ut per unionem Sacramenti admirab lis, homo Chriſtiformis, Deiformis efficiatur. Hæc omnia fluun ex Maria Templo Dei & Sanctuario, hodie per Incarnationé F lij Dei ædificato. Dicatur ſanè Eva, id eſt viva ſive vivens, qu verè fuit mortua per peccatum & prolem ſuam morti traden Maria eſt verè viva, eſt vera mater vitæ mundum vivificantis u niverſum. Nominetur Eva mater cunctorum viventium (*Gen.* 3 ad mortem, Maria eſt Mater viventium ad vitam æternam. Ip eſt Paradiſus Eden, in quo hodie poſitus eſt ſecundus Adam. pſa eſt delitioſiſſimus voluptatis Paradiſus, (*Gen.* 2.) in quo no vus Adam hodie eſt collocatus. Ipſa lignum vitæ in medio para diſi, (*Gen.* 2.) id eſt Eccleſiæ, vitalem orbis fructum producé Ipſa Sanctum Sanctorum, [*Hebr.* 9.] quod hodie Summus Sa cerdos & Pontifex ingreſſus eſt pro facienda humani generis re demptione per ſui oblationem & holocauſtum. (*Ibid.*) Hujus ſacratis pedibus provolvamur ut nobis impetret intellectum, qu ſit bonus nobis facientibus ipſum; (*Pſ.* 110.) ut perſpectâ cau ſâ maledictionis ſupra veterem Adamum & veterem Evam pro latæ, quod fuit peccatum, caveamus illud; & agnitâ virtute be nedictionis per JESUM & Mariam nobis allatâ & collatâ, ean dem per gratiam Dei, per merita JESU & Mariæ conſequi valeamus.

Maria redemptionis humanæ officina.

Erunt duo, quomodo diverſimodè?

Maria Templũ Dei & Sanctuarium.

Viva & vera Mater vitæ.

& Mater cũctorum viventium.

Maria paradiſus voluptatis.

Lignum vitæ.

Sanctum Sanctorum.

Serm

Sermo in Ascensione Domini.

Canticum pro Dilecto: *Finis tituli* Psalmi 44.

CAntemus Domino canticum novum, (*Ps.* 95.) quia ille qui fuit novum à Deo creatum super terram, Vir à fæmina Virgine Matre circumdatus, (*Jerem.* 31.) Homo Deus; odie factus est novum super omnes cælos, ascendens super il-os, & sedens ad dexteram Dei (*Hebr.* 10) Patris omnipotentis. Nov⁹ ascensus novum meretur canticum. Quis ascendet in mõ-em Domini, aut quis stabit in loco sancto ej⁹? interrogat Pro-heta. (*Ps.* 23) Respondet Apostolus: nemo ascendit in cælum, isi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo. (*Joann.*) Ita planè qui descendit in terram & usque ad inferos novus omo; ipse est & qui ascendit super omnes cælos, ut adimpleret mnia, (*Ephes.* 4) & omnia se ipso repleret. A summo cælo e-ressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, nec est ui se abscondat à calore ejus. (*Ps.* 18.) Ignem enim venit mitte-e, (*Luc.* 12.) utique amoris, quo & legem Dei adimplevit, & ælum, terram atque inferos perfudit abundanter, ut omnes cæ-stes, terrestres & inferi ex amore nomẽ Jesu, qui fact⁹ est om-ibus omnia, (1. *Cor.* 9.) genuflexi adorent, & omnis lingua onfiteatur, quia Domin⁹ Jesus Christus in gloria est Dei Patris. *Philip.* 2.) Sed quomodo descendit & ascendit? Regius Vates trumque nobis explicat. Inclinavit cælos & descendit, & cali-o sub pedibus ejus: ascendit super Cherubim & volavit, vola-it super pennas ventorum. (*Ps.* 17.) Descensus factus per incli-ationem cælorum, quia terra non poterat ascendere, necesse uit cælos demitti; ut terræ, quæ fuit homo, jungerentur: ut sum-na imis, Divina humanis, cælestia terrenis sociarentur. Descen-ens filius Dei omnes cælos & habitatores eorum (*Is.* 42.) se-um traxit in terras; unde Angeli familiariter agunt cum pasto-bus, & de nocte lumen cæleste illis impertiuntur, & melodiam oncinunt supernam. Pastores credere potuissent se in cœlum ommigrâsse, in illa gaudij magni de nato Salvatore annuntiati-ne. Nec equidem post Incarnationem Filij Dei, pro qua dictũ; dorent eum omnes Angeli ejus: [*Ps.* 97.] sic inclinati ad respe-tum humanæ naturæ Divinitati copulatæ, à Joanne cultu duliæ ve servitutis permiserunt se adorari: unus ex ijs dicens: vide ne eceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorũ habentium testi-nonium Jesu. (*Apoc.* 19.) *Pertimescit Angelus adorari ab homi-e* ait S. Ambrosi⁹, *qui supra se adorabat hominem Deum.* Josue idens pronus in terram adorat Angelum dicens: Quid Domin⁹ eus loquitur ad servum suum? (*Josve* 5.) Patitur Angelus se ocari Dominum, & Josue servum suum in veteri testamento; in ovo minimè vult incurvatione corporis honorari; neq; vult di- Dominus, sed se nominat hominis conservum. O quantum

Novum creatũ super terram.

factum novum super omnes cælos.

Quis ascendit?

Quomodo descẽdit & ascẽdit?

Angeli hominibus familiariores post incarnationem

nolunt adorari in novo Testamento,

S. Ambros.

quod in veteri admiserunt;

N inclinati

inclinati sunt cælorum incolæ Angeli per descensum filij Dei ad homines! Sed & cæli utiliter inclinati sunt, ut velut vas, totum effunderent quidquid haberent. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit, testatur Vas electionis, (*Rom.* 8.) nimirùm Deus Pater cum Filio? Utiq; melliflui facti sunt cæli, melle Divi-

Quæ claritas data à Jesu Christo?

nitatis desuper rorârunt. (*Is.* 45.) Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, (*Joan.* 17.) asserit ipsum Verbum caro factum. (*Joan* 1.) Quæ hæc claritas? Est charitas gratiæ Dei bajula, est gloria filiationis Divinæ, est Eucharistia, est ipsa Divinitas incarnata. Quanta in his omnibus claritas Dei Patris? Oleum effusum nomen tuum, (*Cant.* 1.) ait Sponsa; totū se effudit instar olei Christus à Deo Patre unctus præ participibus suis, (*Hebr.* 1.) quando inclinando cælos & descendendo, (*Ps.* 17.) semetipsum exi-

Quomodo descendit? tacitè

nanivit factus homo. (*Philip.* 3) Descendit autem sicut pluvia in vellus, (*Ps.* 71.) tacitè, occultè, secretè, sinè strepitu, ut ejus descensus àëreis potestatibus celaretur; ac ideò cælos inclinavit

S. Chrysol.

[*Ps.* 17] *Cælestis imber, illa pluvia justi Virgineum in vellus placido se fudit illapsu*, inquit D. Chrysologus. Interea caligo sub pedibus ejus; (*Ps.* 17) hæc est obscuritas & incomprehensibilitas Sacramenti à seculis absconditi, (*Eph.* 3.) ac ideò mundus eum non cognovit. (*Joan.* 1.) Deus in carne, sol in nube; in umbra ejus vivemus inter gentes. (*Thr.* 4.) Et talis fuit Christi de-

Quomodo ascēdit Christus? patienter,

scensus. Jam verò ascensus ejus dicitur esse super Cherubim. (*Psal.* 17.) qui sunt scientiæ multitudo; jam apertè, patenter, in plenitudine cognitionis cernitur ascendere: nihilominùs omnem mundi scientiā supergreditur idque celerrimè, quia volando; citiùs quàm ipsi venti, qui facit Angelos suos spiritus, [*Psal.* 103.] qui ambulat super pennas ventorum. (*Ibid.*) Videtur ascensus facilior quàm descensus, quia ad hunc inclinandi erant cæli, in

& velociter.

illo autem velocitas per volatum exprimitur. Ità sanè, ubi enim per inclinationem jam aperti erant cæli, transitus non erat impeditus; licèt de utroq; dicat Propheta: exultavit ut gigas ad currendam viam. [*Ps.* 18.] Gigantæi erant cursus à sumo ad imum, ab imo ad summum: ad utrumque amor addidit alas. Sic ascédens constitutus est ad dexteram Patris in cælestibus super omnem principatum, virtuté & dominationem; verbo super omnes Angelicas hierarchias: & residet supra Seraphim, qui sunt ardentes vel igniti, nimirùm amore; Deus enim ignis consumés est. (*Hebr.* 12.) & De⁹ charitas est. (1. *Joan.* 4.) *Ascendit igitur super Che-*

S. Augst.

rubim inquit D. Augustin⁹ *& volavit; id est, exaltatus est super plenitudinem scientiæ, ut nemo ad eum perveniret, nisi per charitatem: plenitudo enim legis est charitas.* (*Rom.* 13.) Sed quid est,

Quomodo posuit tenebras latibulū suum?

quòd posuerit tenebras latibulum suum? (*Ps.* 17) Dixit Dominus ut habitaret in nebula, [3. *Reg.* 8.] utique fidei, quia videmus

I.

nunc per speculum & in ænigmate. (1. *Cor.* 13.) An etiam quòd

II.

humili-

umilia respiciat, *Psal.* 137. & in parvulis habitet se illis revelans? *Luc.* 10) Ad quem respiciam, loquitur apud Isaiam, nisi ad pauerculum sive humilem & contritum spiritu, & trementem serones meos? (*Isai.* 66.) Qui suscipit unum ex his minimis, qui n me credunt, me suscipit: (*Luc.* 18.) ibi latet in humilibus & auperibus spiritu, qui in mundo censentur esse tenerosi. An fortasse Sacras Scripturas posuit velut tenebras labulum suum? (*Psal.* 17.) Ita Caput Ecclesiæ Petrus: habem⁹ rmiorem Propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes uasi lucernæ ardenti in caliginoso loco. (2. *Pet.* 1.) Lucerna de octe in tenebris accenditur. Lucerna pedibus meis, inquit Reius Vates, verbum tuum. (*Psal.* 118.) An Sacramenta Ecclesiæ unt tenebræ, ubi posuit latibulũ gratiæ suæ, per quam se nobis comunicat? Super omnia tamen in Eucharistia, ubi tot⁹ Chrius latet, & nos omnes intuetur. En ipse stat post parietem nortrum, nostræ videlicet humanitatis post parietem specierum pais, prospiciens per fenestras fidei nostræ, & per cancellos spei ostræ: (*Cant.* 2.) stat in Sanctissimo Altaris Sacramento. Sed erè posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* 17.) in cælo. Oculs enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenit, quæ præparavit Deus ijs qui diligunt eum, (1. *Cor.* 2.) in cælo empyreo. Jam libet modum ascendentis Domini & Dei nori trutinare. Explicat illum Psalmista: Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ. (*Psal.* 46.) Jubilus erat exuberantis audij & inexplicabilis lætitiæ in Angelis, in comitatu Sanctorũ, & in Apostolis admirabilem Domini ascensionem spectantibus. Vox tubæ Dominũ comitabatur ad victoriæ & triumphi manifestationem: & meritò illius Domini, qui ventur⁹ ad judicium mittet Angelos suos cum tuba, [*Matt.* 24.] & ipsemet descenet in tuba Dei; ita namque dicunt Angeli ad Apostolos: Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. (*Act.* 1.) Lætabundus deo & exultabundus Regius Propheta animat & incitat omnes d cantandum canticũ pro Dilecto. Psallite Deo nostro psallite, psallite Regi nostro psallite, psallite sapienter. (*Ps.* 46.) Cantate planè Dño canticum novum, (*Ps.* 97.) qui sicut terram noviate præsentiæ suæ reddidit novam, jam novum facit cœlum uo conspectu gloriosissimo. Sed cur toties repetit: Psallite? Ut vehementiam desiderij sui exprimat, quo vult & Angelos & homines ascendenti Christo Regi suo & psalmodiam & canticum resonare. Vult psalli Deo in genere, in specie Deo Patri, tem Deo Filio Regi nostro, tandem Deo Spiritui sancto; denum vult toti Vni Trinæ Deitati sapienter cum sapore Dei & gustu nostro, ut sapiat nobis Deus, melodiam formari. Id docet D. Basilius, *Guttur escas gustu dijudicat, mens autem intelli-*

Marginalia: III. — IV. — V. — *Modus Ascensionis in jubilo in voce tubæ.* — *Psallendum Deo nostro.* — *Cur aliquoties repetitur in Psal. 46.* — S. Basilius.

 gendi

gendi verba diſcernit. *Si quis igitur ad vim verbi cujusq; ani mo etiam ita ſimul afficitur, quemadmodum guſtatu ad qualita tem cujusq; cibi; prorſus hic mandato illi ſatisfacit, quod eſt, pſal lite ſapienter.* Idem Hugo Cardinalis declarat: *Cibus in ore Pſalmus in corde: non negligat anima illum terere dentibus intel ligentiæ ſuæ*, addo ego palato voluntatis amplecti, *ne ſi fort integrum glutiat, fruſtretur palatum ſapore dulciori ſuper mel & favum* (*Pſal.* 18) Quinquies tamen replicat Pſallite, ut omnibu quinq; ſenſibus pſallatur. Hinc quinq; in hymno nominantur os, lingva, mens, ſenſus, vigor confeſſionem perſonent. Hic Re noſter eſt, Rex omnis terræ Deus, qui regnabit ſuper gente per Apoſtolos convertendas. Interim ſedet ſuper ſedem ſanct ſuam. (*Pſal.* 46.) Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, (*Pſal.* 44. firmâſti orbem terræ Evangelio tuo qui non commovebitur parata ſedes tua extunc à ſeculo & usque in ſeculum tu es Deus (*Pſal.* 92.) Inde in Pſalmo legitur: iter facite ei qui aſcendi ſuper occaſum, Domin⁹ nomen illi: (*Pſ.* 67.) ubi rurſus præ mittit exhortationem ad canendum: cantate Deo, pſalmũ dicit nomini ejus, (*Ib.*) ut nunquam canticum pro Dilecto intermit tatur, imò & Pſalmi cum Canticis miſceantur; uti alibi, Canta te ei & pſallite ei. (*Pſal.* 104.) Et iterum: Cantate & exultate & pſallite. [*Pſal.* 97.] Quod ipſum inculcat Apoſtolus Epheſij (*cap.* 5.) Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. E ad Coloſſenſes (*cap.* 2.) Commonentes voſmetipſos in Pſalmis hymnis & canticis ſpiritualibus. Hinc meritò convocat alib ad canendum, dicens: Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino. Pſallite Deo qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem; (*Pſalm.* 67.) id eſt ſupremum cœlum ex monte Olivet qui fuit orientalis Jeroſolymæ; (*Actorum* 1.) ad orientem quia novus Sol juſtitiæ in coelo oriebatur. (*Malachiæ* 4.) Ecce Vir, Oriens nomen ejus, & ipſe portabit gloriam, & ſedebit & dominabitur ſuper ſolio ſuo, ait Propheta Zacharias. (*cap.* 6.) Et noſter aſcenſus ſit ſemper ad orientem cum Chriſto, ut nunquam deflectat ad occaſum. Ita aſcenſiones in corde noſtro diſponamus, (*Pſ.* 83.) ut novo ſemper fervore accenſi in dies & horas novis in cœlum paſſibus feramur, donec Lucifer idem cœleſtis oriatur in cordibus noſtris, [2. *Pet.* 1.] imò oriatur nobis timentibus nomen Dei Sol juſtitiæ, (*Malach.* 4.) in beata æternitate. Sed quomodo ſuper occasum aſcendit? (*Pſ.* 67) & qualiter faciendum ei iter ita aſcendenti? Et quidem occaſus eſt multiplex; occaſus vitæ, mors; occaſus proſperitatis, adverſitas; occaſus peccati, virtus; & è contrario virtutis, peccatũ. *Super occaſum Dominus aſcendit*, inquit S. Gregorius; *quia unde in Paſſione occubuit, inde majorem gloriam ſuam reſurgendo manifeſtavit. Super occaſum videlicet aſcendit, qui mortem*

Hugo Cardinalis

Cur quinquies?

Cantandum & pſallendum.

Aſcendit ad Orientem

I. II. III.

Aſcendendum & nobis ad Orientem

Quomodo ſuper occaſum aſcendit Chriſtus?

S. Gregor.

quam

[ru]am pertulit, resurgendo calcavit. Sed etiam ascendit physi[c]e, & super omnes cœlos mobiles, & ab ortu semper tendentes [a]d occasum. Cælum enim Empyreum est immobile, tranquil[lu]m & quietum. Huic iter faciendum (*Ps.* 67.) est per fidem, [p]er imitationem, per amorem. Ille iter suum ad nos media cha[ri]tate constravit propter filias Jerusalem animas devotas; tale iter [p]ræparent & ipsæ Domino ascendenti. Accedat desideriū ardens [A]postoli dicentis: cupio dissolvi & esse cum Christo, (*Phil.* 1.) O [q]uàm amplum iter sic illi præparatur! ratio itineris disponendi: [D]ominus nomen illi; (*Amos.* 9.) uti apud Isaiam Deus asserit: [E]go Dominus hoc est nomen meum. (*Isai.* 45.) Ita Thomas ait [a]d Christum: Dominus meus & Deus meus. (*Joan.* 20,) Quid[n]i servorum est Domino iter præparare? Sed & iter triumphan[ti]s applausibus canticorum faciendum. Vnde Propheta invitat [o]mnes gentes dicens: plaudite manibus; (*Psal.* 46.) ut opera [v]ocibus correspondeant, jubilate Deo in voce exultationis. (*Ps.* [i]t.) Jubilus & exultatio voce exprimitur, sed ex corde procedit. [V]nde modulatio vocis sic formanda, ut cordi correspondeat. [E]t quia triplex tantùm est differentia vocis; siquidem vel manet [i]n unisono, vel sursum ascendit, vel deorsum descendit prout [n]otarum ductus volvitur: ita dùm sumus in vocis unisono, fiat [c]onjunctio cordium in unitate spiri ûs & in vinculo mutuæ fra[te]rnæ charitatis. (*Ephes.* 4.) Cùm verò deorsum tendit vox, per [n]otas fiat cordium humiliatio in conspectu Divinæ Majestatis. [C]ùm autem sursum vox attollitur, fiat cordium elevatio per a[m]orem Divinum. Sic cantabimus semper Domino canticum [n]ovum. (*Psal.* 97.) *Vetus homo vetus canticum* ait Divus Augu[sti]nus: *novus homo novum canticum.* Vetus testamentum vetus [ca]nticum; novum testamentum novum canticum. In veteri te[st]amento promissiones sunt temporales & terrenæ. Quisquis [te]rrena diligit, vetus canticum cantat. Qui vult cantare canti[cu]m novum, diligat æterna & cœlestia. Et sic paratur iter Do[m]ino, hoc est optimum canticum pro Dilecto: amare Dilectum [&] ea quæ ipse diligit. *Quid habet Canticum novum*, rursùs inter[ro]gat Sol Doctorum Augustinus, *nisi amorem novum? Cantare [a]mantis est; vox hujus Cantoris, fervor est sancti amoris.* Et [su]bjungit exhortando: *Amemus, gratis amemus*, addo: & grati [a]memus amantem nos; *Dominum enim amamus, quo nihil me[li]us invenimus. Ipsum amemus propter ipsum.* Posuit tenebras [la]tibulum suum, (*Ps.* 17.) intellectus noster ad ipsum non per[v]enit; pervenit voluntas licet cæca dummodo rectè appetens [su]mmum bonum. Qui crediderint lingvis loquentur novis: (*Marc.* 16.) novæ lingvæ sunt lingvæ Spiritûs sancti, sunt lin[g]væ amoris, istis novum & perfectissimum canticum Dilecto

Ascendit physicè.

Iter faciendum per fidem, imitationem, amorem, desiderium, cantica.

Ad triplicem differentiam vocis formandus motus cordis, in unisono, ascendendo, descendendo.

S. August.
Vetus homo, vetus canticū. Vetus testamētum.

S. August.
Novus homo novum canticum per dilectionē.

concinitur, quod quia charitas nunquam excidit, [1. Cor. 13.] concinetur in æternum.

Sermo in Festo Pentecostes.

Canticum pro Dilecto. Finis tituli *Psal.* 44.

Lingvæ novæ.

CAntate Domino canticum novum (*Psal.* 95.) omnes vos qui credidistis in Dominum nostrum Jesum Christum: lingvis enim novis loqui debetis. (*Marc.* 16.) Lingvæ novæ novum canticum secum adferunt. Novus homo Christus (*Ephes.* 2.) & novum gratiæ canticum, quæ per ipsum vobi[s] facta est, (*Joan.* 1.) & novum fidei canticum, qua in ipsum cre[di]ditis, & novum charitatis canticum, quam novo mandato stabilivit, requirit. Hæc sunt cantica pro Dilecto. Novus Rex, novæ gratiæ collator; novus grex, novæ fidei cultor; nova lex, novæ charitatis index. In Apocalypsi vidit D. Joannes victores bestiæ & imaginis ejus, stantes super mare vitreum cum cythari[s] Dei, & cantantes canticum Moysis servi Dei & canticum Agni (*Apoc.* 15.) Illud veteris in typo, hoc novi testamenti fuit i[n] veritate. Pulchrè Primasius. *Consona utriusq; Testamenti veritate novum Christus canticum dedit, quando idem in principi[o] permanens Verbum, novo ortu per Virginem genitus, novo more indutus hominē Deus, potestate propriâ occidentibus traditus, [a] morte mirabiliter suscitatus, super cœlos quando voluit elevatus misso desuper Spiritu sancto gentes acquirens, novum his omnibu[s] Ecclesiæ conquisitæ canticum dereliquit jugiter decantandum quo securè posset judicem sperare venturum, ut in novitate vitæ ambulemus, dicens:* (Matt. 16.) *Si quis vult meus esse discipulus abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Hæc ille planè concinnè. Ita omnino nova Christi doctrina, novam vitam, nova cantica poscit. Inde & Spiritus sanctus novo modo hodie descendens ad nos in lingvis igneis apparuit, ut Apostol[i] loquerentur magnalia Dei, (*Act.* 2.) utique ut novum canticu[m] concinerent. Ecce novam legem gratiæ in monte Syon per lingvas igneas publicat & confert; prout in monte Sina lex vet[us] scripta in igne fuit tradita & promulgata. (*Exod.* 19.) Sed & novus hospes in terras adveniens Deus Spiritus Sanctus novo cantico excipiendus. Novum cœleste beneficium, novum meretur canticum. Quin lex Christi nova, qua per Apostolū imperatur: renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, [*Ephes.* 4.] ad singularem cantici nos provocat novitatem. Quàm præstans spiritûs humani renovatio fieri potest ad novum Spiritûs Divini ad nos descensum! Triplicem spiritum Regius Propheta à Domino Deo postulat in Psalmo suo pœnitentiali: Spiritum rectum, Spiritum sanctum, & Spiritum principalem

novus homo Christus.

Nova cantica.

Primasius

Nova Christi doctrina, sunt nova cantica.

Spiritus S. novo modo descēdens,

excipiēdus novo cantico.

Renovatio spiritûs humani

principalem; [*Psal.* 50.] sed præmittit: cor mundum crea in me Deus. (*Ibid.*) Cùm non sit speciosa laus in ore peccatoris, (*Eccli.* 15.) pro cantico Deo grato mundum cor habendum est. Mundi sunt oculi tui, loquitur Habacuc ad Deum, ne videas malum & respicere ad iniquitatem non poteris. (*Hab.* 1.) Oculis Divinis mundities cordis absque omni peccati macula instar speculi proponenda: quia reciprocè oculi cordis humani nonnisi mundi Deum possunt videre. (*Matth.* 5.) Quæ major mundities Virgineâ? hæc Angelicam adæquat puritatem. Hinc meretur novum cantare canticum, quod nemo cantare potest præter eos qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt semper Agnum Virginem sequentes. (*Apoc.* 14.) Cor mundum ergo creat Deus in nobis (*Psal.* 50.) per gratiam suam, primùm prævenientem nos absque ullo merito nostro, ita ut quasi ex nihilo in nobis per solam Dei misericordiam creetur. Prima enim gratia non cadit sub meritum. Ipsius sumus factura, ait Apostolus ad Ephesios, id est Dei opus & figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, ut nimirum bona opera exequamur, quæ præparavit Deus ut in ijs ambulemus. (*Ephes.* 2) Quandoquidem in Christo Jesu, in ejus fide & Religione, ac in vita Christiana neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; (*Gal.* 5.) sit Judæus, sit Ethnicus, perinde est: sed nova creatura, ab illo procedens qui in Apocalypsi dicitur principium creaturæ *Dei*; (*Apoc.* 3.) & hæc est anima humana virtute baptismi per gratiam Christi à peccatis omnibus emundata, & in novam gratiæ vitam renata ac regenerata. [*Tit.* 3.] Hæc planè prima est renovatio hominis, ut sit nova in Christo creatura. Cæterum mundatio cordis infecti peccatis actualibus fit conversione ad *Deum* per pænitentiã, prout testatur Ezechiel monés convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. (*Ezech.* 18.) Et infra: facite vobis cor novum & spiritum novum (*Ib.*) Ad pœnitentiam requiruntur: viva fides erga Deum; (fide purificans corda eorum, ait S. Petrus *Act.* 15.) Contritio cordis; (cor contritum & humiliatum *Deus* non despicies *Ps.* 50.) Confessio: (effundite coram illo corda vestra, ait Psalmista *Ps.* 61.) effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum *Domini*, imperat Propheta: (*Thren.* 2.) ita nimirùm, ut sicut aquâ effusâ nihil manet occultum, ità integrâ confessione peractâ totum ex corde reveletur, ut nihil sit absconditum. Lachrymarum lavacrum: lava à malitia cor tuum Jerusalem, mandat Jeremias, (*cap.* 4.) instar Magdalenæ lachrymas profundendo. *Denique* oratio fidelis à *Deo* petens munditiem cordis: quidquid enim orantes petitis, credite quia accipietis, docet ipsa Veritas Christus; (*Luc.* 11.) & ejus electionis Vas nos incitat: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, &

per munditiē cordis.

Mundities Virginea.

Cor mundum per gratiam,

per conversionem ad Deum.

Ad Pænitentiam requiriūtur: fides, contritio, confessio,

lachrymæ,

oratio.

abluti corpus aquâ mundâ; (*Hebr.* 10.) utpote per pœnitentiam teneamus ſpei noſtræ confeſſionē indeclinabilem, fidelis enim eſt qui repromiſit. Sic igitur emundato corde per creationem gratiæ Chriſti, & operationē pœnitentiæ noſtræ, ſpiritum rectū innovari petam⁹ in viſceribus noſtris. (*Pſ.* 50) *Spiritus rectus principaliter & originaliter eſt Spiritus Sanctus, Deus de Deo Patre & de Deo Filio tertia SS. Trinitatis Perſona, firmiſſimum* teſte S. Patre noſtro *atq; indiſſolubile vinculum Trinitatis.* Ipſe eſt rectificans cor & ſpiritum hominis per infuſionem gratiæ ſuæ, & innovans internè. Emitte ſpiritum tuum, ait Regius Vates alibi ad Deum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ. (*Pſ.* 103.)

Spiritus rectus

Dicitur ſpiritus Dei non ut Angelus Dei vel homo Dei, quorum natura à Divina ſubſtantia infinitè remota eſt; ſed quòd ſit Spiritus ejuſdem Divinæ naturæ cum Patre & Filio, ijs conſubſtantialis, coæqualis & coæternus. Hunc mittit Pater & Filius ſimul, à quibus æqualiter procedit ad creationem novam, & faciei terræ in homine renovationem; quod & hodie factum eſt. Quanta terræ commutatio per ipſum, ita ut in cœlos transformaretur! Et quidem verbo Domini cœli, Apoſtoli & fideles, firmati ſunt; Filio nimirùm Dei homine facto, reſurgente & aſcendente: ſed & Spiritu oris ejus, uni⁹ Dei & Domini Patris & Filij omnis virtus eorum; (*Pſ.* 32.) tanquam coopificis & cooperatoris in hominum recreatione & renovatione. Jam igitur Propheta poſt emundationem cordis, Spiritum petit rectum in intimis ſuis renovari, ut cor novum nihil ſpiret niſi Deum Deorum; ad eum directè tendat, eique recto & erecto corde intendat, ad illi ſerviendum & illi ſoli placendum. Nulla hìc cordis ſive ſpiritûs debet eſſe curvitas, inflexio, inclinatio extra Deum; nulla obliquitas, tortuoſitas, ambages (in circuitu impij ambulant) *Pſ.* 11.] versùs creaturam. Semita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum. (*Iſaiæ* 26.) Ita illæ vaccæ portantes arcam Domini (animæ Deum in ſe præſentem habentes) ad *Bethsames*, ſcilicet domum Solis quæ eſt cœlum, progredientes, neq; ad dexteram neque ad ſiniſtram deflectebant. Ita illa quatuor animalia ante faciem ſuam gradiebantur, nec revertebantur dùm ambularent. (*Ezech.* 1.) *Quærere & ſapere quæ ſunt ſuper terram*, ait Mellifluus Pater noſter, *curvitas animæ eſt: è regione meditari ac deſiderare quæ ſursùm ſunt, eſt rectitudo.* Ethnicus Pòeta hoc agnovit, dicens:

Spiritus Dei

Quæ renovatio terræ?

cor novum

absq; curvitate.

Vaccæ Bethſamiticæ.

Quatuor animalia.

O curvæ in terras animæ & cœleſtium inanes!
Os homini ſublime dedit, cœlumq; tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Cum rectificatione optimè convenit renovatio ſpiritûs. De hac bonitas Dei apud Zachariam Prophetam elucet: revertar ad Jeruſalem

ralem in misericordijs; (ibi est gratia cor emundans) domus
ea ædificabitur in ea; (en renovatio & dedicatio templi spiri-
tulis) & perpendiculum extendetur super Jerusalem; [*Zach.* 15.
e rectificatio spiritûs. Quid Jerusalem nisi homo? ubi civitas
corpus, templum anima: utrumque per Chaldæos (spiritus ma-
lignos) peccatis & vitijs evertitur & pessundatur. Sed gratia
Christi tanquam Zorobabelis, qui est alien⁹ à confusione, & di-
spersio confusionis; & velut Nehemiæ, qui est desolatio Dei, re-
quies Dei, rectitudo Dei; & sicut Josve seu Jesu Summi Sacer-
dotis, veri Jesu salvatoris, reparatoris & restauratoris, & civitas
& templum; nimirùm & corpus & anima reædificantur ac reno-
vantur. Hoc porrò facto, corde mundificato & spiritu rectifica-
o orat Rex pœnitens: ne proijcias me à facie tua; (*Psal.* 50.) à
ua nimirùm providentia, custodia benevolentia; & cura, ne
rsùs recidam in peccata, & sic in æternum à gratia tua repellar.
Quid enim prodest lavari, dealbari, mundari & spiritu recto in-
novari, si cum reprobis à facie tua repellar in damnationem?
gnoscit hic fragilitatem suam, donumque postulat perseveran-
æ in illa cordis munditie & spiritûs rectitudine. Petit non proij-
à facie Dei; à Christo, qui est facies & imago Patris, (*Col.* 1.)
usq; meritis & gratiâ haud separari; unde & consequenter ob-
crat: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. (*Psalm.* 50)
Nam *Spiritus Sanctus* teste D. Hieronymo *est dator & donum.
Dat enim gratiam sanctificantem, & seipsum dat animæ justifi-
atæ, eiq; novo modo sed accidentali mirabiliter unitur, quo pri-
s non uniebatur.* Ac ideò petendum est, ne unquam abscedat
er relapsum in peccatum, & ab anima auferatur. Tandem cum
piritu recto & sancto exposcit spiritum principalem, dicẽs: red-
e mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me,
Ps. 50.) Lætitia verò salutaris Divini est anima libera à pecca-
o; secura enim mens quasi juge convivium. (*Prov.* 15.) Lætitia
alutaris sive Jesu, qui est Salvator & salus nostra, illa est, quæ
procedit ex unione cum ipso, qui natus fuit nostrum gaudium
magnum, (*Luc.* 2.) cujus diem videre Abraham exultavit, (*Joan.*
.) cujus dulcis memoria dat vera cordi gaudia, quidni ejus in
corde præsentia? Spiritus autem principalis est gratia Dei finalis,
qua anima confirmatur in vitam æternam. Sed cùm Spiritus sit
Deus in tribus personis unus; per spiritum rectum, sanctum, &
principalem optimè totum Sanctissimæ Trinitatis mysterium in-
telligitur. Et quidem juxta S. Patrem nostrum, *Spiritus rectus
Filio potest non inconvenienter aptari, qui nos veterem hominem
exuens, novum induit:* (*Ephes.* 4.) qui nos renovavit in spiritu
mentis nostræ, [*Ephes.* 4] tanquam in visceribus nostris; ut co-
gitemus quæ recta sunt; ut ambulemus in novitate spiritûs non
in literæ vetustate. (*Rom.* 6.) Hic primò ante Patrem ponitur per

Rectificatio & renovatio.

Orandum pro perseverantia.

Facies Dei est Christus.

Spiritus principalis,

est gratia finalis.

Spiritus rectus, sanctus, principalis notat SS. Trinitatem.

Prophetam, quia per filium novimus Patrem. Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare; quem qui videt videt & Patrem, qui manifestavit nomen Patris hominibus. (*Joan.* 17.) Deinde Spiritus Sanctus seipsum suo indicat nomine Spiritus denique principalis est Deus Pater, Principium omnium principiorum sinè principio; qui à nullo sed à se est, & à quo omnia. Hæc Spiritûs Domini in seipso unius, triplicitas in personis, hæc est quæ spiritum humanum integrè renovat & reforma in triplici ejus proprietate: memoria scilicet, intellectu & voluntate; quod conclusivè post Christi ascensionem Spiritus Sanctu hodie perficit & consummat. Divus Augustinus admirans in hoc bonitatem Dei sic exclamat: *O quanta & quàm ineffabilis pietas Redemptoris! Hominem portavit ad cœlum, & Deum misit ad terras. Quanta est Authori cura pro instauratione facturæ suæ! Ecce iterùm nova de supernis medicina mittitur: ecce iterùm infirmos suos per seipsum Majestas visitare dignatur: ecce iterùm humana Divinis miscentur, id est Vicarius Successor Redemptoris ut beneficentiam, quam Salvator inchoavit, peculiari suâ virtute consummet; & quod ille redemit, iste sanctificet; quod ille acquisivit, iste custodiat.* Nonne ad tantas Divinarum ac cœlestium gratiarum novitates novum canticum psallendum? Ita omninò.

Renovatio triplex in memoria, intellectu, & voluntate fit hodie.
S. August.

Sed quomodo? *Canticum est vita*, ait Hugo de S. Victore. *Canticum novum, vita nova; canticum vetus, vita vetus. Nova vita, justitia; vetus vita, culpa. Qui benè vivit, benè cantat: qui malè vivit, malè cantat, quia discordat.*. Idipsum S. Augustinus inquit: *Exuite vetustatem, nôstis canticum novum.* Novus homo, novum testamentum, novum canticum. Non pertinet novum canticum ad homines veteres: non illud discunt nisi homines novi, renovati per gratiam ex vetustate, & pertinentes jam ad testamentum novum, quod est regnum cælorum. Et suspirat omnis amor noster, & cantat canticum novum. Cantet canticũ novum non lingva sed vita. *Verè novum canticum*, ait V. Beda, *est nova charitas; ut non tantùm quisq; diligat amicum, sed etiã inimicum sicut seipsum.* Vetus canticum est: odio habebis inimicum, (*Luc.* 6.) qui solus diabolus est, noster & Dei hostis. Novum canticum est: diligite inimicos vestros. (*Ibid.*) Hæc autem charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* 5.) in lingvis igneis, ut ignea charitas sit ardenti fide fervida, spe animata, & lingvis decantata. Sic corda nostra, sic spiritus nostri, sic animæ nostræ cum hilaritate cantûs & lætitiæ & nunc & in æternum in ea, quæ nunquam excidit, charitate (1. *Cor.* 13.) resonabunt.

Hugo de S. Victore.
Qui bene vivit bene cantat.
S. August.
V. Beda.
Novum canticum diligere inimicos.

(o)



Sermo in Festo SSmæ Trinitatis.

Eructavit cor meum verbum bonum &c. *Initium Ps.* 44.

EXpenso hactenus aliqualiter titulo accedimus jam Deo auspice ad ipsum Psalmi contextum, ejusq́ue principium in nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti assumimus pertractandum. Et quantumvis quidem in proprio & genuino sensu verba sint Regij Prophetæ, ex abundantia cordis per revelationem Spiritûs sancti repleti, de Regio Epithalamio Dei copulãtis sibi naturam humanam, & in ea Ecclesiam sanctam, adeoq́; ex corde eructantis verbum bonum; (*Psal.* 44.) Evangelium nempe quod ex Græco est bonum nuncium, carmen planè nuptiale: Canticum Dilecti & dilectionum; nihilominus, quandoquidem, aliqui SS. Patres citant & applicant hunc textum mysterio SS. Trinitatis, ac potissimùm Divinæ Verbi generationi; liceat mihi quoq́ue pusillo hujus primi ac principalis fidei nostræ mysterij licet profundissimi abyssum speculari. Sed undenam ego qui cum Regio Vate in substantia mea nihilum sum ante te Deus meus; qui cum Propheta Jeremia fateri cogor: A A A Domine Deus ecce nescio loqui, quia puer ego sum; (*Jerem.* 1.) qui cum Isaia Propheta ad mundandam iniquitatem meam calculo ignito indigeo, quia vir pollutus labijs ego sum; (*Isai.* 6.) Undenam, inquã, ex nihilo substantiæ meæ, ex ignorantia puerilitatis meæ, ex maturitate iniquitatis meæ desumam verba ad enarrandum mirabilia tua, nisi tu ipse dederis, eaq́ue posueris in corde priùs ac postea in ore meo? Eructabunt labia mea hymnum, sed cùm docueris me justificationes tuas. Da mihi igitur intellectum, & scrutabor mirabilia de revelatione tua. (*Ps.* 118.) Reple cor meum cognitione tui, & eructabo abscondita à constitutione mundi. (*Matth.* 13.) Qui dedisti velle, da & perficere pro gloria tua. Et quid magis absconditum quàm Deus Trinus in personis, unus in essentia? O investigabilis, ô incomprehensibilis, ac ideo & ô ineffabilis Trinitas! Eructavit cor meum verbum bonum (*Psal.* 44.) dicit Deus Pater de Filio suo genito ab æterno. Ita Divus Ambrosius: *Jesus ante sæcula est generatus ex Patre; unde & Pater ait Psalmo 44. Eructavit cor meum verbum bonum: eò quòd ex illa intima & incomprehensibili Patris processit substantia, & in ipso est semper.* (*Joan.* 14.) Idem sensus est S. Gregorij Nazianzeni, dicentis: *Sicuti & Propheta ex voce Dei eructavit*, inquit, *verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Vides ergo hoc verbum bonum, Filium Dei esse; quem non aliunde quàm de Paterno pectore, & ut ita dixerim de utero cordis Dei credimus exijsse. Et proinde eum Regem appellavit, quia ipse est Rex Regum & Dominus Dominantium.* Ad idem collimat S. Isidorus Hispalensis. *Ex utero itaq́; ait, id est*

Eructatio verbi boni est Divina Verbi generatio.

Difficultas.

Quid magis absconditum quàm Deus Tri-unus?

S. Ambros.

S. Isidorus Hispalensis.

est, ex illa intima & incomprehensibili Patris substantia, sive ex illo Divino atq; immenso Paterni pectoris arcano, quo Pater genuit, de corde bonum eructat verbum, sicut & ipse aliàs ait: Eructavit cor meum verbum bonum. Idipsum spirat S. Athanasius. *Non enim ibi (nimirum in textu: ante omnes colles genuit me) dicitur fecit, sed genuit & eructavit cor meum verbum bonum.* In fundamento igitur applicationis per præfatos SS. Patres factæ, textûs istius ad Divinam verbi generationem, videamus quomodo eructatio verbi boni fiat per cor Patris. Ac primùm cor hic non sumendum est pro voluntate sed pro intellectu. Ita dicitur scrutans corda & renes Deus, (*Jer.* 17.) nimirum mentis intellectualis & voluntatis nostræ actiones. Ita oratur ad Deum: Vre renes meos & cor meum Domine, (*Psal.* 25.) nimirum affectiones animæ & cogitationes. Hoc indigitat ipsa Veritas æterna: de corde exeunt cogitationes malæ; [*Matth.* 15.] quæ utique sunt intellectûs operationes. Cor proinde quod est intimum in visceribus hominis, & primum vivens ac principium vitæ; quia ex ipso vita procedit teste Sapientiâ, *Pr.* 4. denotat interiora Divinæ naturæ, substantiæ mētis ac vitæ, ex quorū plenitudine in plenitudine Divinitatis Verbum connaturale, consubstantiale & convivens menti Paternæ simillimum eructatur: Verbum bonum à summo Bono promanans, & ipsum summè bonum adeoque Deus, quia nemo bonus nisi solus Deus. (*Matt.* 19.) In corde, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. (*Joan.* 1.) Hoc cor in homine si eructaret, utique sangvinem quo vivit, nutritur, & quem ex se producit distillatum, eructaret. Ita cor Patris ex natura sua ejusdem naturæ sibi, liceat sic dicere, quasi unisangvineum Filium eructat. Hoc cor Patris dicitur & sinus & uterus. De sinu dilectus Jesu Discipulus inquit: Deum nemo vidit unquam, Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit. (*Joan.* 1.) De utero in Psalmo ipse Pater alloquitur Filiū: in splendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te. (*Psal.* 109.) Pulchrè mellitus Ambrosius: *Sicut sinus Patris spiritualis intelligitur intimum quoddam Paternæ charitatis naturæq; secretum, in quo semper est filius; ita etiam Patris spiritualis est vulva interioris arcanum, de quo tanquam ex genitali alvo processit filius. Deniq; diversè legimus, nunc vulvam Patris, nunc cor ejus quo eructavit, nunc os ejus ex quo justitia processit, ex quo prodivit Sapientia,* sicut ipse ait (Eccli. 24.) *ex ore Altissimi prodivi.* Hæc S. Ambrosius. Crediderim Sanctum Doctorem hic per vulvam intelligere uterum; de quo verus Dei Filius est generatus naturaliter; utique filius siquidem ipse Pater ait: Filius meus es tu, ego hodie genui te; (*Psal.* 2.) & alibi: ipse invocavit & invocabit scilicet ab æterno & usque in æternum me, Pater meus es tu

S. Athanas.

Eructatio verbi boni per cor Patris.

Cor notat intellectum.

Cor in homine eructat sangvinem. Cor Patris, Filium.

Vterus Patris. S. Ambros.

. (*Psal.* 88) De hoc partu suo & generatione apud Isaiam lo-
uitur ipse Deus: nunquid ego qui alios parere facio, ipse non
ariam? si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait
ominus Deus tuus. (*Esaiæ 66.*) *Ex utero*, inquit S. Hierony- S. Hieron.
us, *de sua natura, de suis visceribus, de sua substantia, de me-
ullis Divinitatis suæ. Totum quidquid Pater est in Divinita-
, dedit Filio quem generavit; quod & ipse testatur: omnia mihi
adita sunt à Patre meo. Et ad Patrem: omnia mea tua sunt &
nnia tua mea.* Ex utero itaque Patris ante luciferum, ante o-
ne corpus lucem ferens, ab æterno genitum Verbum Unigeni-
um, quod est Lux vera, Lumen de lumine, (*Joan.* 1.) Splendor
loriæ, & figura substantiæ Patris; (*Hebr.* 1.) in splendoribus sā-
torum, (*Ps.* 109.) sive sanctitatis juxta Hebræum textum; sci-
cet Divina Sapientia Primogenita prodivit. (*Hebr.* 1.) Dominus
ossedit eam in initio viarum suarum, antequam quidquam fa-
eret à principio. (*Prov.* 8.) Egressus ejus juxta Micheam, seu
gressiones ab initio à diebus æternitatis. (*Mich.* 5.) Incurvan-
ur colles mundi (omnes intellectuales creaturæ) ab itineribus
ternitatis ejus; (*Habac.* 3.) vocanturque egressiones & itinera
n plurali, licet una sempiterna sit generatio & processio Filij; per
nodum generationis tamen tanquam multis durationib⁹ nostris
oexistens: & quia apud Hebræos multitudinis nomen exprimit
uthoritatis magnitudinem. Eructat igitur Pater æternus natu- *Eructat Pater*
aliter & necessariò Verbum suum ex plenitudine essentiæ suæ Di- *verbum natu-*
inæ & infinitæ; infinitè illam Verbo in seipso comunicans, uni- *raliter & ne-*
vè sibi immanenti absque omni sectione, divisione aut profe- *cessariò.*
tione, utì alia viventia generantur. *Commendant nobis Sacræ li-
eræ* ait Mellifluus Doctor, *Christum Dominum & ex Patre &* S. Bernar.
*n Patre & cum Patre. Quod dicitur ex Patre, ineffabilis est na-
ivitas: quod in Patre, consubstantialis unitas: quod cum Patre,
qualitas Majestatis. Sanè tria hæc ab æterno.* Explicat ultra S.
Pater: *Cæterùm si ex Patre nascens, quid in Patre? quid cum
Patre? Non incongruè forsitan in Patre cubans, cum Patre se-
lens dicatur.* Hìc consessus, ibi accubitus exprimitur; accubitus *Consessus,*
Regis sinus est Patris, quia semper in Patre Filius. De hoc: ego *Accubitus.*
n Patre, ait Filius, & Pater in me est. [*Joan.* 14.] Non potuit
xpressiùs substantiæ unitas commendari; utiq; Pater & ego unū
umus. (*Joan.* 10.) De illo inquit Pater: sede à dextris meis. [*Ps.*
09.) Sed libeat de unione hac Patris & Filij unà cum Spiritu S. S. Bernar.
erba S Patris nostri attexere. *Mihi videtur*, inquit ille, *ineffa-
ile quoddam atq; inexpertum omni creaturæ osculum designâsse,
ui ait: nemo novit Filium nisi Pater; & nemo novit Patrem
isi Filius, aut cui voluerit Filius revelare.* (Luc. 10.) *Pater enim
iligit Filium*, (Joan. 5.) *& singulari dilectione amplectitur: sū-
mus æqualem, æternus coæternum, unus unicum: sed etiam non*

Q *minori*

minori ipse à Filio affectione adstringitur, quippe pro cujus amore & moritur, ipso attestante cùm ait: ut sciant omnes quia diligo Patrem: surgite eamus; (Joan. 14) *haud dubium quin ad passionem.* Illa itaque mutua gignentis genitique cognitio pariter & dilectio, quid nisi osculum est suavissimum, sed secretissimum? Ego pro certo ad tantũ & tam sanctum Divini amoris arcanum ne ipsam quidem Angelicam admitti arbitror creaturam. Etenim Paulo hoc ipsum sapiente, pax illa exuperat omnem etiam Angelicum sensum. [*Phil.* 4.] Et paulò infra apposite ad nostram eructationem infert: *Pater Filium osculans, plenissimè illi arcana suæ Divinitatis eructat, & spirat suavitatem amoris: Scripturâ hoc significante, cùm ait: dies diei eructat verbum.* (Psalm. 18.) *Cui sanè sempiterno singulariterq́ beato complexui, nulli omninò uti jam dictum est, creaturæ interesse donatur; solo utriusque Spiritu Sancto teste & conscio mutuæ agnitionis & dilectionis.* Sed & de Spiritu Sancto distinctiùs Doctor melleus explicat dicens: *Si rectè Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit abs re, osculum Spiritum Sanctum intelligi: utpotè qui Patri Filijq́ imperturbabilis pax sit, gluten firmum, individuus amor indivisibilis unitas.* Hæc Mellifluus noster. Spiritus Sanctus ipse est vinculum & complementum totius Sanctissimæ Trinitatis, à Patre Filioque procedens per spirationem, & in Patre Filioque quiescens; de quo aliàs fusiùs. Et hæc Sanctissima Trinitas est unus Deus noster; quem corde credere, ore confiteri, opere prædicare obligamur: (*Rom.* 10.) cujus fide vivimus, spe pascimur & crescimus; charitate & solidamur & perficimur: cui æterna laudes, benedictiones & gratiarumactiones persolvere tenemur cui soli perpetu⁹ latriæ cultus, honor & gloria debetur ab omnibus creaturis; maximè tamen ab hominibus, quos ita dilexit Deus Pater, ut Unigenitum suum daret (*Joan.* 3.) illis ad consortium naturæ humanæ, in salutem & vitam æternam, per quam adoptionem filiorum Dei perciperemus; (*Galat.* 4.) cum quo ad participium Divinitatis admitteremur: denique qui cum Patre dedit nobis Paracletum Spiritum Sanctum, cujus gratiâ & donis sanctificaremur, & ad regnum cœlorũ cum Deo Patre & Filio ac Spiritu Sancto percipiendum habilitaremur. Quanta dignitas humanæ conditionis, ita per Sanctissimam Trinitatem exaltatæ? Quidni continuò memoriam abundantiæ suavitatis Divinæ eructemus? (*Ps.* 144.) Quidni eructet cor nostrum verbum bonum (*Ps.* 44.) gratitudinis? Omninò eructent labia nostra hymnum, (*Ps.* 118.) in perpetuum dicendo: Benedictio & claritas & sapientia & gratiarumactio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum (*Apoc.* 7.)

AMEN



Mutua gignentis & geniti cognitio est osculum.

Osculũ Spiritûs S.

Spiritus S. est vinculum SS. Trinitatis.

Sermo in Festo Sacratissimi Corporis Christi.

Eructavit cor meum verbum bonum: *Psalm.* 44.

Quemadmodum proprium imò essentiale est menti Divinæ Verbum producere; ita homini ad imaginem & similitudinem Dei creato (*Gen.* 1.) proprium est verbum in nente formare, illudque ore vel scripto proferre PP. RR. FF.)D. Brutis animantibus id non convenit, quod soli homini raionali à Deo concessum est, Sed quis verborum in homine diferentias enarrabit? Et quidem in partem malam sunt verba iniquorum, qui firmant sibi sermonem nequam; (*Psalm.* 63.) sunt ermones imperiti, quibus involvuntur sententiæ; sunt verba nendacij ad deceptionem; verba dolosa, ubi moliuntur sernones super oleum, & ipsi sunt jacula. [*Psalm.* 54.] Quin tiam verba in ventum proferuntur otiosa, (*Job.* 6.) verba otentia, & ad deprecandum composita; verba præcipitatiois quibus semetipsos præcipitant peccatores. Pessima sunt vera delictorum aliquando clamantia in cœlum. Et sic verbum st in corde, in ore, & in manibus hominis, quando cogitatioe, locutione & actione edicens homo se manifestat. Felix qui x corde eructat verbum bonum, & dicit opera sua Regi, (*Ps.* 44.) ut & mentis consilio, & oris eloquio, & operum propalaione soli Deo, summo bono, Regi Regum adhæreat; à quo omne datum bonum; (*Jac.* 1.) quidni & verbum bonum? & omne donum perfectum. (*Ibid.*) Placet scire primitias verbi boni Divini? Ecce dies veniunt, dicit Dñus per Prophetam, & suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israël, & ad domum Juda. In diebus illis & in tempore illo germinare faciam David germen justum, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. (*Jer.* 23.) O verè verbum bonum, verbum salutis, Verbum caro factum plenum gratiæ & veritatis, (*Joan.* 1.) ante cujus pedes justitia ambulavit, & posuit in via gressus suos. (*Ps.* 84.) Hic est Filius Dei, filius David, qui super solium ejus & super regnum ejus sedit, confirmans illud in judicio & justitia; [*Isai.* 9.] verus Rex justitiæ, (*Zach.* 9.) cui dicenda & dicanda sunt omnia opera nostra, ab ipso & ex ipso & in ipso habentia justificationem. Hic ipse eructavit verbum bonum (*Psal.* 44.) ex corde planè, quia cùm dilexisset suos, usque in finem dilexit eos; (*Joan.* 13.) in finem consummationis sui per mortem, in finem & consumptionis sui per Eucharistiam. Nonnè hæc ipsa est verbum bonum, quæ ex Græco intelligitur bona gratia? Diffusa omnino fuit gratia in labijs (*Psal.* 44.) Jesu, quando accipiens panem dixit: comedite, hoc est corpus meum: & accipiens calicem vini, intulit: bibite; hic calix sangvinis mei novi

Varia in homine verba: iniquorum, imperitorum, mendacij, dolosa, otiosa, potentia, præcipitationis, pessima.

Verba in corde, ore, & opere.

Primitiæ verbi boni Divini.

Verbū bonum, Verbum Caro factum.

Verbum bonum Eucharistia.

& æterni teſtamenti. [*Matt.* 26.] O bonum verbum ex corde eructatum! ô bona gratia in labijs Salvatoris diffuſa, & in animas noſtras effuſa! Sic igitur verbum Dei bonum, germen juſtitiæ, (*Jer.* 33.) lignum vitæ, (*Gen.* 2.) fructus ſalutis, paſcens & nutriens hominem venit in locum arboris interdictæ, (*Gen.* 3.) quæ fuit germen maledictionis, fructu letifero hominē verbi Divini transgreſſorem trucidans. Hoc eſt omne verbum quod procedit de ore Dei, in quo vivit homo, non in ſolo pane; (*Matt.* 4.) ut ſcirent filij tui quos dilexiſti Domine, alloquitur Sapiens Deum; quoniam non nativitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tu⁹ hos qui in te crediderint conſervat. [*Sap.* 16.] Angelorum eſcâ nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem & omnis ſaporis ſvavitatem; (*Ibidem*) ſubſtantiam enim tuam & dulcedinem tuam quam in filios habes, oſtēdebas. (*Sap.* 16.) Ita equidem Chriſtus Dominus ſubſtantiam ſuam, quia ſemetipſum Deum & hominem cum corpore & anima & ſangvine in cibum & potum tradidit populo appropinquanti ſibi. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo; (*Joan.* 6.) nec vitam tantùm, ſed omnia cum vita, & dignitatem filiorum Dei, & divitias gloriæ ſuæ; [*Ephes.* 1.] & delicias, quæ ſunt filij Dei eſſe cum filijs hominum; (*Prov.* 8.) denique qui manducat hunc panem vivet in æternum. (*Joan.* 6.) O bonum verbum ſuper datum optimum, ubi ipſe Chriſtus qui eſt vita & reſurrectio noſtra; (*Joan.* 11.) qui eſt lux hominum ſe totum dat, & ſecum omnia donat: cujûs figuram primarium manna datum Patribus in deſerto repræſentat. (*Exod.* 16.) Explicat nobis Regius Propheta, quanta fuerit Dei per manna donatio facta populo Iſráëlitico. Ac primùm indigitat locū, ex quo manna proveniebat, dicens: mandavit nubibus deſuper & januas cæli aperuit; (*Pſal.* 77.) nubes & cœlum originem mannæ manifeſtans. Deinde modum facillimum deſcenſûs mannæ per pluviam oſtendit: & pluit illis, inquit, raritatem cibi nominans manna quod ex Græco Manhu derivatur, id eſt: quid eſt hoc? Stupendum quid planè & admirandum. Ad quid? ad māducandum, ad homines eo nutriendos. Exaggerat rurſus dignitatē cibi, & liberalitatem declarat, dum infert: Panem cœli dedit eis: à quo confectum? ab Angelis, quia panem Angelorum manducavit. (*Ibid.*) Quis? homo ex humo, ad ea quæ ſunt in humo & in ipſo generantur ſumenda creatus: qui operando terram in ſudore vultûs veſci debebat pane ſuo. (*Gen.* 3.) Denique non ſolum panem ſed cibaria miſit illis, absque labore collecta facillima, absque defectu, quia in abundantia. [*Pſal.* 77.] Sed hæc omnia longè altiori methodo ac ſpecimine elucent in Euchariſtia. Primum namque manna ex nubibus & aëre profluebat

Euchariſtia eſt verbum quod procedit de ore Dei.

Figura primaria fuit Māna Ejus locus, modus.

Manhu ad quid? à quo, pro quo & cibaria.

ıt, Christus verò est Panis de cœlo descendens; (*Joan.* 6.) à ımmo cœlo, à dextera Patris egressio ejus, (*Psal.* 18.) modo ıcillimo ad verborum à sacerdote prolationem se insinuans ac ræsentans; quod quam sit rarum & admirabile Sacramentum, mni mannâ, alijsq; rebus in orbe existentibus admirabilius, quis xplicabit? Memoriam fecit mirabilium suorum, ait Rex So- mæ, misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus . (*Ps.* 110.) In principio creationis mundi mirabile fuit lignum tæ in medio paradisi; virtute fructûs sui in homine vitam onservans & mortem arcens. (*Genes.* 2.) Admirabilius est hoc acramentum ipsam vitam & vitæ Authorem possidens, omni- usq; sumentibus se vitam omnimodam subministrans. In lege aturæ fuit Melchisedech panem & vinum offerens figura Chri- i, (*Genes.* 14.) qui est verus Pontifex & Sacerdos in æternum cundùm ordinem Melchisedech; (*Psal.* 110.) se ipsum in for- a panis & vini communicans; quod magis est stupendum. Tempore legis Mosaicæ de manna diximus, & de panibus pro- positionis notum est, umbrâ panis in lege gratiæ nobis proposi- . Tempore Judicum fuit panis hordeaceus subcinericius ta- ernacula Madianitarum percutiens, subvertens & solo æquans; uod longè magis efficit panis noster Divinus, cineri nostro con inctus, totam inferni potentiam pessundans. Temporibus Re- um datus est Eliæ panis subcinericius, cujus fortitudine robo- ıtus, per quadraginta dies & noctes cucurrit ad montem DEI)reb, (3. *Reg.* 19.) unum ex verticibus Sinai, ubi Deum meru- videre. Quantò majori virtute noster Panis confirmat cor ho- inis, (*Psal.* 118.) & viam mandatorum Dei currere facit (1. or. 13.) usque ad montem Patriæ cœlestis, ubi facie ad faciem eus videtur? (*Ibid.*) Tempore captivitatis Babylonicæ per Ha acuc panis Danieli in lacum leonum mirabiliter allatus; hìc ve- perpetuò nobis præsens nutrit nos in hoc exilio, & à leoni- us inferni rugientibus nos tuetur. Et sic omnium miraculorum ompendium est Eucharistia, quæ est & Sacramentum, utpote sibile invisibilis gratiæ signum; est & Sacrificium omnium an- quarum oblationum summa & complementum: quin omnium ovæ legis mysteriorum est corona & coronis. Hìc nascitur de ovo virtute Spiritûs Sancti, intra angustias specierum panis ve- præsepi concluditur; & quod summum, etiam canibus mit- ur, (*Matth.* 7.) nimirùm similibus Judæ peccatoribus. Hìc emoria passionis, hìc resurrectionis & ascensionis in glorioso rpore repræsentatur; hìc omnium aliorum sacrorum abbrevi- o & conclusio; quandoquidem juxta S. Bernardinum Senen- n, *omnis institutio Sacrorum ad Eucharistiam ordinatur.* O rè miraculum omnium miraculorum, Verbum Dei bonum in cramento Eucharistiæ abbreviatum! Quid adhuc restat ad

Eucharistiæ Sacramentum mirabilius mannâ.

In principio Creationis,

Mirabilius ligno vitæ.

In lege naturæ

Majus Melchisedech Sacrificio,

Tempore legis & mannâ & panibus propositionis,

Tempore Judicum pane Gedeonis,

Tempore Regũ pane Eliæ;

Tempore captivitatis Babylonicæ.

Omnium miraculorũ cõpendium Eucharistia; & Sacramentum, & Sacrificiũ. Antiquarũ oblationum & mysteriorum novæ legis cõplemẽtũ; Nativitatis Christi, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis.

comparationem mannæ? An quòd fuerit panis cœli aërei, & panis ab Angelis confectus? O quantò hìc excellentior Panis cœli empyrei & Divinus, imò ipse Deus quem Angeli adorant! An quòd liberaliter profusus, quòd gratis datus non venditus, & quòd in abundantia missus? O quantò magìs hìc cernitur gratuita liberalitas & magnificentia cum copiosa redemptione & salvatione! Totam se Divinitas & humanitas omnibus totius orbis hominum agminibus profundit, simulque omnia bona veniunt pariter cum illa Divina Sapientia. (*Sap.* 7.) Adest gratia sanctificans tam ex opere operato data, quàm ex opere operanti concessa: adsunt omnia dona Spiritûs Sancti: adsunt omnes virtutes gratiam Dei concomitantes. *Eja igitur exeramus palatum fidei*, exhortante nos S. Fulberto Episcopo: *dilatemus fauces spei, viscera charitatis extendamus, & sumamus panem vitæ, hominis interioris alimentum.* Panis hic cœli est, non tantùm quòd è cœlo descendat, vel quòd ad cœlum ducat; sed homines cœlum efficit, imò ipsius Deitatis templum, sacrarium & sanctuarium. Panis est Angelorum, non duntaxat quòd eo vescantur Angeli in quem semper desiderant prospicere; (1. *Pet.* 1.) sed quòd homines faciat Angelos: nec nisi ab Angelicis hominibus Angelorum puritate & sanctitate fulgentibus sit sumendus. Accipiamus hoc verbum bonum, comedamus & cibemur volumine isto cum Ezechiele, & fiet in ore nostro sicut mel dulce. (*Ezechiel.* 3.) O quàm facilè inveniuntur hi sermones Dei! in omnibus Ecclesijs patent expositi. Cum Jeremia Propheta comedamus eos ut possimus Deo dicere cum eodem: factum est mihi verbum tuum in gaudium & lætitiam cordis mei: [*Jer.* 15.] quia in voce exultationis & confessionis sonus epulantium in mensa Domini. (*Ps.* 41.) Sapiat nobis hæc sapientia Dei sub speciebus panis abscondita. Sed necesse est, ut rectè gradiamur; sic enim Deus inquit apud Micheam: nonne verba mea bona sunt cum eo qui rectè graditur? (*Mich.* 2.) Verè quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde; (*Ps.* 72.) qui rectâ justorum semita progrediuntur, rectà ad Deum solum tendunt, & dicunt opera sua Regi. (*Psal.* 44.) Et quia nos PP. RR. FF. DD. Sacramentum hoc Eucharistiæ frequentamus, audiamus quid dicat de hoc Sanctus Basilius: *Per singulos dies communicare & participare de sacro Corpore & Sangvine Christi, & pulchrum est, & valde utile.* Et quia oramus, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, [*Matt.* 6] audiamus D. Ambrosium: *Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est; si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit.* Sic sumamus bonam Christi gratiam in Sacramento, ut eructet cor nostrum hoc verbum bonum, (*Psal.* 44.) ipsique opera nostra edicant, & ipsi sint dicata.

Comparatio Eucharistiæ cum Manna.

S. Fulbertus.

Panis cœli.

Panis Angelorũ

Exhortatio ad Cõmunionem.

Quotidie communicare bonum est.

S. Basilius.

S. Ambros.

Sermo

Sermo in Festo S. Joannis Baptistæ.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

P. RR. FF. DD. Quid dividimur in partes? quid scindimur in curas? quid distrahimur in varia? quid demum turbamur erga plurima? Vnum omnino, unum nobis est necessarium. (*Luc.* 10.) Libet scire quod illud? Hoc est: dicere opera nostra Regi. (*Ps.* 44.) Tota vita nostra; omnis tam interna mentis, quàm externa oris locutio: omnium operationũ nostrarum sollicitudo nihil loqui debet, nihil intendere, nihil respicere nisi Regem Deum, Regem Christum. Quid enim? Estne in nobis aliquid, quod à nobis est? Nihil penitus. Totũ quidquid sumus, à Deo sumus. Omnis sufficientia nostra ex Deo est. (2. *Cor.* 3.) Denique in ipso vivimus, movemur & sumus: ideoque esse & posse nostrum non nostrum est, sed Dei. Quid si quid boni in nobis est, totum id Dei est? Nemo enim bonus nisi solus Deus: (*Act.* 17.) nemo bonus, nisi à solo Deo participet bonitatem. Nec cogitare aliquid boni nec bona agere possum⁹ sinè largitore omniũ bonorũ Deo Patre luminũ, à quo omne datũ non tantùm bonũ sed multò magis optimum teste Jacobo Apostolo. (*cap.* 1.) Cur igitur hoc totum & hoc bonũ ad omnis rei & omnis boni fontem non referatur? Omnia flumina intrant in mare; (*Eccli.* 1.) omnia opera nostra dicuntur Regi Deo, pelago & origini omnium fluentorum. Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant: [*Ibid.*] ad Deum unde exivit homo à Deo creatus, regredi debet, ut subsistere queat. Sola nobis libera voluntas relicta est; felix si fuerit bona dicens opera sua Regi, Divinæ Regiæ & omnium rectrici conformis voluntati. Videte Joannem hodiernum, quo nemo surrexit major, (*Matt.* 11.) quid est? Totus à Deo, totus Dei est, totus dicit opera sua Regi. Concipitur à sterili Matre ex sene Patre, à Deo datus. Joannes est nomen ejus, (*Luc.* 1.) id est ex Hebraico, Domini gratia, Domini donum, Domini misericordia. Joannes est realitas ejus, Joannes est tota vita ejus, quia seipso & actibus suis fuit continuus gratiæ & misericordiæ Dei prædicator: vix concipitur & ecce dicit opera sua Regi; (*Ps.* 44) exultatione in utero matris, Regis sui præsentiam manifestat; saltûs signo gratiam sanctificationis, ut esset sanctus ex utero, utq; ex utero formaretur Dei serv⁹; (*Is.* 49.) sibi per Christum deprædicat impertitã. Jam tripudio loquitur Deũ in se operantẽ: sicuti potest gratiã & misericordiam secum factam edicit. Quid mirum? Joannes vox est clamantis in deserto. (*Luc.* 3.) Sed quomodo factus est vox? Per vocem salutationis Mariæ. Vt enim hæc facta est in auribus (*Luc.* 1.) Matris, mox facta est vox exultationis & confessionis [*Psal.* 41.] à Joanne in utero ejusdem

Vnum necessarium.

Solum Deum respicere.

Omnis sufficientia,

Omne bonum à Deo.

Joannes totus à Deo, totus Dei.

Quomodo Joannes factus Vox?

dem suæ genitricis. O dulcis vox Mariæ à Matre desiderata, à Filio exspectata! Voce svadentis & seducentis Evæ inductum est in Adamum peccatum originale: voce salutationis Mariæ gratia sanctificans & tollens idem peccatum infunditur Joanni. O magna vocis Mariæ potentia! Sed unde hæc manavit? Non aliunde, nisi à verbo Dei in utero ejus Caro facto. (*Joan.* 1.) Sic Maria mulier fortis, Mulier benedicta cum semine suo caput serpentis, [*Gen.* 3.] nimirum primigenium peccatum in Joanne calcavit, ad gratiam Dei in ipso aperiendam. Lex gratiæ cæpit in Joanne cum Joanne per Jesum & Mariam. Gratia & veritas per Jesum Christum facta est, utì testatur alter Joannes Apostolus & Evangelista: (*Joan.* 1.) Verbum enim plenum gratiæ & veritatis est Jesus Christus. (*Ibid.*) Sed & Joannem vocem suam habere voluit vocem gratiæ & veritatis. Considerate certamina vicinorum & cognatorum cum Patre & Matre super natum puerum. Hi volunt vocare illum nomine Patris sui Zachariam: Mater contra, nequaquam, ait, sed vocabitur Joannes. Pater interrogatus scribit in pugillari, Joannes est nomen ejus. (*Luc.* 1.) Non nobis non nobis hic filius attribuendus, qui est Domini donum, est Joannes id est Domini gratia, Domini misericordia; in hoc est veritas. Sic in Joanne misericordia & veritas obviaverunt sibi. (*Psal.* 84.) Per misericordiam Dei & gratiam datus Joannes, & nomine & re veritatem loquitur, quòd sit totus à Deo, totus sit Dei, dicit opera sua Regi. (*Psal.* 44.) Quin & postea interrogatus quis esset, confessus est & non negavit; & confessus est: non sum ego Christus; (*Joan.* 1.) stetit in veritate & dixit: Ego vox clamantis in deserto, (*Luc.* 3.) vox Dei hominis, vox Verbi Caro facti. Bene vox Verbi, quia erat vox prænuncia verbi; veniet fortior me post me; (*Ibid.*) enuncians sensum verbi: pœnitentiam agite; (*Matt.* 3.) annuntians verbi virtutem: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; [*Joan.* 1.] pronuntians verbi fructum: appropinquabit enim regnum cœlorum. (*Matt.* 3.) Et sic fuit vox efficax verbi, ea omnia in se prius exequendo; & alijs postea per prædicationem operando. Vox omnino non sua, non sibi nec pro se sonans; sed vox Verbi Divini, verbo dicta & pro Verbo intonans. Joannes vox fuit Verbi clamantis in deserto (*Isai.* 40.) carnis, non enim permanebat spiritus Dei in homine quia caro erat: (*Gen.* 6.) deserta fuit caro à Deo, sed nunc assumpta à Verbo Dei. Non vocaberis ultra derelicta, inquit Deus per Prophetam, & terra tua terra carnis non vocabitur ampliùs desolata; sed vocaberis voluntas mea in ea. [*Isai.* 62.] En spiritus Domini requiescit jam in homine quia caro est. Voluntas Dei est Spiritus sanctus, qui supervenit in Mariam, ut Verbum Dei fieret caro: (*Luc.* 1.) & terra tua inhabitata, quia Verbum Caro factum est & ha-

Vocis Mariæ potentia.

Christus Verbum plenum gratiæ & veritatis.

Joannes vox gratiæ & veritatis.

Joannes totus à Deo, totus Dei.

Quomodo Joannes fuit vox Verbi Caro facti?

Spiritus Dei non permanet in homine quia caro est. Jam per Verbum Caro factū non derelicta.

habitavit in nobis; (*Joan.* 1.) verbum Dei insitum est in carne stra. Fuit Joannes vox verbi clamantis in deserto (*Is.* 40) mun-; qui Deum deserens per peccatũ, à Deo quoque & Dei gra- fuit desertus. Sed ecce Joannes vox clamantis verbi; quòd Deus dilexerit mundum, ut unigenitum suum daret. (*Joan.* 3. Hic unigenit⁹ fili⁹, qui est in sinu Patris, ipse enarravit teste Evã- gelistâ Joanne. (*c.* 1.) Sic apparuit gratia Dei Salvatoris nostri, [*Tit.* 2.] apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei *Tit.* 3) secundùm misericordiam suam salvos nos facientis, per Jo- nem primùm mundo manifestata. *Sic Pater æternus*, inquit Augustinus, *verbum suum, scilicet filium latentem in carne, mundo patefecit.* Per vocem verbum innotuit orbi; per Joannẽ otum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reve- vit justitiam suam; (*Ps.* 79.) quando exibat ad Joannem Jero- lyma & omnis Judæa, & omnis regio cis Jordanem confitentes eccata sua: (*Matth.* 3.) revelavit inquam justitiam, quæ justifi- at peccatorẽ pœnitentem; & hæc ex mera gratia atq; misericor- a Dei derivata. Sed videamus distinctiùs quomodo Joannes in ta sua dixit opera Regi Christo. Joannes adeò erat perfectus sanctimonia vitæ suæ, ut Christus esse à multis putaretur. Et nè debuit esse talis, quia erat angelus Christi, videlicet nuntius ve legatus, homo missus à Deo. (*Joan.* 1.) Sed talis debet per- onam Principalis sui, à quo missus est, repræsentare: idcircò & oannes erat alter Christus. Nihilominùs dicit: non sum ego Christus; (*Joan.* 1.) dicit opera sua Regi, quæ sunt: præire ante aciem ejus, [*Luc.* 1.] præcursorem agere & præconem Regis sui, arare viam Domino, rectas facere semitas Dei nostri, (*Is.* 40.) uia caro facti. In operibus suis Joannes totus est Dei, totus est Christi. Venit Joañes baptizans, venit Jesus baptizans; ille in aqua, ste in Spiritu S. & igni: (*Matt.* 3.) sed Joannes prælusit baptis- mo suo baptismo Christi, sic dixit opera sua Regi Israëlis, qui de e ait in Psalmo 2: ego autem constitut⁹ sum Rex. Joannes vox Domini super aquas, (*Ps.* 28.) utique baptismi & pœnitentiæ. Aquæ multæ populi multi, & super has aquas fuit Joannes vox Domini: super quas etiam Apostoli ex piscatoribus electi, pisca- tores esse debebant homines capientes in hac vitæ & mundi flu- ibilitate. Denique etiam moriturus fuit vox Domini super a- quas carnalis fluiditatis & humiditatis; non licet tibi, dicens ad Herodem: [*Marc.* 6.] erat vox Domini concutientis desertum *Ps.* 28.) conscientiæ ejus: erat vox intercidentis flammam ignis, *Ibid.*) concupiscentiam carnis utriusque. In his omnibus dixit opera sua Regi, qui in regno suo ejusmodi scãdala pati haud po- est, sed ea comburit igni inextinguibili. (*Luc.* 3) Interim Joannes, qui natus erat vox restituens muto Patri vocem, moriens voce privatus est à surdo, quia non audiente vocẽ Joannis, & absurdo

quia in ea Verbum Dei habitat.

Joannes vox clamantis verbi est.

D. August.

Quomodo Joannes in vita sua dixit opera Regi Christo?

Joannes vox Domini super aquas

Rege; qui caput ejus amputari, id est guttur fecit præscindi, n amplius loqueretur. Veruntamen & mortuus Joannes vox fui non tacens sed clamans in deserto cordis Herodiani, stimulans & movens conscientiam ejus. Hic interfector Joannis, illusor Chri sti, Jacobi Apostoli homicida, Petri captivator, sedens pro Tr bunali & concionem faciens populo acclamante: Dei voces & non hominis; ob honorem non datum Deo percussus ab Ange lo, & consumptus à vermibus exspiravit: [*Act.* 4.] juremerit qui Joannem vocem Dei hominis, Deo dantem honorem, Reg suo dicentem opera sua, vocem veritatis, & ipsi Regi Herod dicentem veritatem fecit obmutescere. Quid nobis restat? ni Divum imitari Præcursorem Christi Regis præconem; & in ope ribus nostris Regi dictis, tanquam ab eo promanantibus, qui dicit: sinè me nihil potestis facere; (*Joan* 15.) ejusdem præconi celebrare. Toti simus voces, nihil loquentes præter Deum à quo omnia; & Christum per quem omnia: adeòq; in omnibus acti bus nostris tam internis quàm externis id deprædicemus: toto nos esse Dei, totos Christi, ut illuc unde fluxim⁹ redeamus; qua tenùs rursù; fluere, ac in bonis operibus abundare possimus. (2 *Cor*. 9.) Verè enim Domini gratia, Domini misericordia in no bis elucet: verè donum Dei sumus, si Deum solum spiramus Hoc est unum necessarium, ut indiviso corde ad Deum tenda mus, Deum intendamus, Deo attendamus, in Deum totos nos per bonam voluntatem nostram extendamus; & sic vocibus o perum nostrorum verbum plenum gratiæ & veritatis referamus Impetret hoc nobis S. Joannes Baptista, toti Ecclesiæ, Statui Po litico, Regi nostro Joannis nomine insignito, animabus piacu laribus & agonizantibus, ut omnes gratiam & misericordiam Dei consequamur.

Peccata Herodis & pœna.

Debemus esse voces,

Toti Dei, toti Christi.

Unum necessarium.

Sermo in Festo SS. Petri & Pauli.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

POstquam Dominus regnavit decorem induit, (*Psal.* 92.) & paravit in cœlo sedem suam, (*Psal.* 102.) PP. RR. FF. DD. sedit à dextris Dei, (*Hebr.* 1.) Dominus virtutũ Rex gloriæ; (*Psal.* 23.) & sic regnavit Dominus super gentes, Deus se det super sedem sanctam suam: (*Psal.* 40.) ubi Thronus ejus sicut sol in conspectu Dei, & sicut luna perfecta sive plena in æternum; (*Psal.* 88.) quandoquidem illa superna civitas non eget sole neque lunâ claritate Dei illuminata, & lucerna ejus est Agnus, (*Apoc.* 21.) qui est Christus Rex gloriæ. (*Psal.* 23.) Ita omnino Thronus tuus sive sedes tua Deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui: (*Psal.* 44.) Regnum tuũ omnibus dominabitur. (*Psal.* 102.) Quoniam tu Dominus excelsus, terribilis Rex magnus super omnem terram: (*Psal.* 46.) imò Rex

Christus in cælo regnans,

in sede sua sedens,

in throno;

Rex omnis terræ Deus. (*Ibid.*) Firmâsti orbem terræ qui non commovebitur. (*Psal.* 92.) Sed quibus medijs firmitas hæc subsistit, ut Domini sit terra & plenitudo ejus? (*Psal.* 23.) Non alijs equidem quàm cardinibus pluribus. Domini enim sunt cardines terræ; posuit super eos orbem, utiq; terrarum. (1. *Reg.* 2.) Ast quinam sunt hi cardines? Haud dubiè Apostoli Sancti, & inter eos primariò hodierni Principes Apostolorum, qui fidelissimè omnia opera sua Regi Christo addixerunt, & super quibus fundata quiescit ejus Ecclesia. (*Matt.* 16.) Enimvero, nonnè sumus cives Sanctorum & domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum? (*Ephes.* 2.) Fundamentũ quidem aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus, (1. *Cor.* 3.) super quem ipsi quoque fundati sunt Apostoli, ab eo electi & missi, ut nihilominus sint etiam illi in ipso & per ipsũ Sanctæ Ecclesiæ fundamenta. *Christus* ex mente Divi Augustini *quemadmodum dicitur Sanctus Sanctorum, sic figuratè dicendus fundamentum fundamentorum.* Et addit: *Si ergo Sacramentum cogites, Christus Sanctus Sanctorum. Si gregẽ subditum cogites; Christus Pastor Pastorum. Si fabricam cogites; Christus fundamentum fundamentorum, & primum est & maximum. seipso subsistens.* Apostoli sunt secundaria fundamenta à Christo sustentata & in ipso consistentia. Regius vates asserit Syoni, quæ est typus Ecclesiæ, fundamenta esse in montibus sanctis. (*Psal.* 86.) In montibus, ut firmitas & soliditas simul ac sublimitas & celsitudo Ecclesiæ agnosceretur: in montibus, sanctis, ut sanctitas ejus declararetur: domum enim Dei decet sanctitudo in longitudinem dierum æternam. (*Ps.* 92.) Et hi montes, Sancti fuêre Apostoli firmi in fide, eminentes in scientia virtutis Dei, sublimes in contemplatione cœli, & in eo conversatione; (*Philip.* 3.) solida animi constantia, auri argentique feraces, cœlestium nimirum thesaurorum; primi lucem excipientes, asylum & refugium cervorum desiderantium fontes aquarũ Divinarum: (*Psal* 41.) super omnia excelsi in virtutibus alijs, ac potissimùm in charitate. Fingunt Pöetæ Atlantem montem altissimum orbes cœlorum sustentare. Equidem procul à fabula Apostoli nostri; in veritate sunt Atlantes terræ insistentes tanquam cardines; cœlum sustinentes tanquam poli: ita ut quidquid ligaverint vel solverint in terris, in cœlis idipsum sit ligatum vel solutum. [*Matt.* 18.] Quid mirum Apostolos esse montes, cùm Rex Apostolorũ sit mons domûs Domini in vertice montium? (*Isai.* 2.) Primarium tamen Syonis fundamentum patefacit Isaias, apud quem Deus inquit: Ecce ego mittam in fundamentis Syon lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum. (*Isai.* 28.) Hic ipse est Christus Jesus lapis ab ædificantibus reprobatus factus in caput anguli, (*Psal.* 117.)

firmavit orbẽ terræ

Cardinibus terræ

Apostolis, Sanctis sigillatim SS. Petro & Paulo.

Fundamentũ primariũ Christus.

Apostoli secũdaria fundamenta.

& Montes sancti.

Atlantes.

Syonis fundamentum,

Christus lapis;

à Deo electus & honorificatus. Sed ille ipse posuit Apostolum

Petrus lapis

Petrum pro fundamento Ecclesiæ dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. (*Matt.* 16.) Quidni

Paulus lapis,

& Paulus lapis fuit fundamentalis, qui erat vas electionis (*Act.* 9.) Christi, ab ipso Apostolatum accipiens, firmus, solidus & immobilis velut petra in fide & charitate; (*Col.* 1.) quandoquidem

Fideles lapides,

omnes fideles teste Petro tanquam lapides vivi superædificantur. (1. *Pet.* 2.) Quid tamen? Vbinam lapis noster angularis & fundamentalis positus est? (*Act.* 4.) Explicat nobis D Augustinus

D. August.

quòd sit in summitate ædificij dicens: *Origo fundamenti hujus summitatem tenet. Et quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo est; sic fundamentum spiritualis fabricæ in summo est. Si ad terram ædificaremur, in imo ponendum nobis erat fundamentum: quia cælestis fabrica est, ad cælos præcessit fundamentum nostrum.* Ecce igitur in cœlo lapis fundamentalis, ubi polorum vices Apostoli nostri præseferunt: quorum conversatio in cœlis erat, licet in terra commorarentur. (*Phil.* 3.) Cæterùm duos habemus polos, super quos velut cardines cœli volvuntur, terrisque opportunas præstant illuminationes & influentias, & hi sunt Arcticus & Antarcticus. Liceat mihi hosce Sanctis Apostolis hodiernis applicare. Hi quidem æqualiter Judæis & Gentilibus Evangelium Christi prædicaverunt. (*Act.* 13.) Nihilominus Divus Paulus ad Galatas partitur hoc opus dicens: Creditũ est mihi Evangelium præputij, sicut Petro circumcisionis. (*Gal* 2.) Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes; (*Ibid.*) acsi diceret: ille polus Arcticus pro Judæis, ego polus Antarcticus pro gentilibus; unde & ad Timotheum scribens de se asserit: in quo, id est Evangelio positus sum ego Prædicator & Apostolus, & Magister gentium; veritatem dico non mentior, Doctor gentium in fide & veritate. (1. *Tim.* 2.) Sicut Antarcticus Arctico oppositus, ita gentiles contrarij erant Judæis. In utroque tamen polo nostro conformitas erat prædicationis, unanimitas charitatis, concordia fidei, consensus pro gloria Dei & lucro animarum. Sed quia Thronus Christi dicitur esse sicut sol & sicut luna; (*Ps.* 88.) nõne apposité Apostoli Sancti throni fuerunt ejus, cujus nomen portabant coram gentibus & Regibus & filijs Israël? (*Act.* 9.) Adeòque consequenter fuerunt luminaria cœli, lumina Ecclesiæ sol & luna; S. Petrus quidem sol, diem Judaismi fide veri Dei illuminati collustrans, in quo velut sole posuit tabernaculum suum (*Ps.* 18) Christus, cathedram primatûs Ecclesiæ in ipso fundans. Paulus verò luna in nocte gentilismi, tenebris infidelitatis opressi coruscans. Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in domo Ecclesiæ Apostolatûs officio stabiliti; in luce sagitarum Dei iverunt; ille lingvis accensus igneis, iste luce de cœlo circumfu-

Christus lapis fundamẽtalis in cælo, ubi Apostoli sunt poli.

Arcticus & Antarcticus.

Petrus Arcticus pro Judæis Paulus Antarcticus pro Gentilibus.

Sancti Apostoli Thrõi Christi, sicut Sol & Luna,

Sol Petrus Luna Paulus

ſi, ſagittas verbi Divini luciδiſſimas vbiq́ue jecerunt in ſplen-
dore fulgurantis haſtæ Chriſti, (*Habac.* 3.) in virtute Crucis or-
bem peragrârunt & illuminârunt. Quin inſtar columnarum nu- *Apoſtoli columnæ nubis & ignis,*
bis & ignis, (*Exod.* 13) in quibus gloria Dei reſidebat diu noctu-
que in proſperitate & in adverſitate Eccleſiæ omnibus præluxe-
runt. Quid ſunt duæ Olivæ iſtæ ad dextram Candelabri & ad
ſiniſtram ejus? interogat Angelum Zacharias Propheta. [*Cap.*
4.] Candelabrum totum aureum, typus Eccleſiæ ex aurea cha-
ritate Dei & proximi totaliter efformatæ: & rite cum in Apoca-
lypſi in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilis Filio ho-
minis à Joanne viſus IESUS Chriſtus; quæ ſeptem Candelabra
ſeptem Eccleſias Angelus exponit denotare. [*Apoc.* 1.] Duæ *Duæ Olivæ, Duo filij olei.*
Olivæ ſunt duo Apoſtoli hodierni: Iſti ſunt duo filij olei ſive
ſplendoris, qui aſſiſtunt Dominatori univerſæ terræ. (*Zach.* 4.)
Hic Dominus in Syon magnus, excelſus ſuper omnes populos;
(*Pſal.* 98.) qui accepit à Patre gentes hæreditatem ſuam, & poſ-
ſeſſionem ſuam terminos terræ, (*Pſal.* 2.) habuit duos aſſiſten-
tes Petrum & Paulum filios olei, ſive unctionis à Chriſto pri-
mo uncto Meſſia, quem unxit Pater oleo lætitiæ præ conſorti-
bus ſuis, (*Pſal.* 44.) ut eſſet Pontifex & Rex, ipſis impertitæ
velut participibus: ut & illi eſſent Regnum Sacerdotale, & *Regnum ſacerdotale, & regale ſacerdotium.*
Regale Sacerdotium, nobiſcq; genti ſanctæ, populo acquiſitionis
(1. *Petr.* 2.) idipſum communicarent. Fuerunt plane filij ſplen-
doris, illius qui eſt ſplendor Paternæ gloriæ: (*Hebr.* 1.) egreſſus *Filij ſplendoris.*
ut ſplendor juſtus noſter; (*Iſaiæ.* 62.) radioſo ipſi quoq; vitæ
& doctrinæ ſplendore cunctis prælucentes. Dùm igitur Rex *Anacephalæoſis prædictorū.*
omnis terræ Deus (*Pſal.* 46.) regnaſſet & decorem indutus fu-
iſſet ac præcinxiſſet ſe virtute, (*Pſal.* 92.) hos Apoſtolos conſti-
tuit Principes ſuper omnem terram; (*Pſ.* 44.) poſuit eos cardi-
nes orbis terræ, (*Prov.* 8.) firmavit ut polos cæli, jecit ut fun-
damenta Syon, erexit uti Montes ſanctos, (*Pſal* 86.) roboravit
ſicut petras, lumine imbuit adinſtar Solis & Lunæ, unxit velut
filios olei Sacerdotes & Reges; (*Hebr.* 5.) imo creavit illos tan- *Apoſtoli Dij fortes terræ.*
quam Deos fortes terræ, poſtquam congregati fuerant Princi-
pes populorum omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ cum Deo
Abraham [*Pſal.* 46.] Chriſto IESU aſcendente ex ſinu Abra-
hæ, illos omnes in cælum ſecum transferente: tunc inquam,
Apoſtoli noſtri Dii fortes terræ elevati ſunt: (*Pſ.* 46) Dij, quia
Judices orbis, de quib9: ego dixi, Dij eſtis & filij excelſi omnes
(*Pſal.* 81.) per adoptionem Filij Dei naturalis; qui dedit ex Deo
natis filios Dei fieri. (*Joan.* 1.) Fortes in fide & conſtantia paſſi-
onum, elevati poteſtate prædicationis, operatione miraculorum,
deniq; cæleſtis gloriæ conſecutione. Iñ hiſce omnibus opera ſua *Quomodo Chriſto Regi ſuo opera dixerũt?*
Apoſtoli SS. Chriſto Regi ſuo dixerũt & dedicaverũt. Non im-
meritò; quandoquidem officium Apoſtolicum id exigebat quod

missionem denotat, ut ei à quo missi fuerant, inservirent. Pro Patribus hisce nostris nati sumus nos filij. (*Psal.* 44.) Non simus degeneres à Patribus & Principibus nostris; sed principatus noster, qui super humerum Jesu erat, (*Is.* 9.) sit crux sancta, cardo operum nostrorum, participium meritorum Christi & Apostolorum; fundamentum, humilitas ad cœli exaltationē tendens; columna, constantia in tentationibus; firmitas polorum, perseverantia usque ad mortem; illuminatio Solis & lunæ, sit recta tam in prosperitate, quàm in adversitate ad Deum intentio; unctio Sacerdotalis & Regalis, ut nos offeramus Deo hostiam sanctam Deo placentem; (*Rom.* 12) & dominemur regio animo passionibus & concupiscentijs nostris, sic ad dignitatem Deorum & filiorum excelsi elevabimur; & ad regnum Christi qui est fundamētum nostrum in cœlis, ejusq; consortium, ad quod in virtutibus & bonis operibus, quæ Regi Christo dicere tenemur, hic ædificamur, feliciter pertingemus. Faxit hoc Deus per merita Sanctorum Apostolorum Ecclesiæ universæ, Regno nostro, sigillatim Ordini Sacro, & Monasterio nostro, tum & animabus agone ultimo & purgatorio igne pressis, ut omnes Regnum Dei & Christi ejus adipiscantur.

tanquam missi

Applicatio prædictorum ad nos.

In Festo Visitationis B. M. Virginis.

Lingva mea calamus Scribæ velociter scribentis. *Psalm.* 44.

Diligam te Domine fortitudo mea, alloquitur Rex & Propheta Deum; Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus: (*Ps.* 17.) nusquam enim adjutorium certum & stabile, nisi in Deo, sive in nomine Domini, & à Deo. Auxilium meū à Domino, dicit idem alibi, qui fecit cœlum & terram. [*Ps.* 120] Patuit hoc quando nemo erat qui hominem perditum juvaret & salvaret præter ipsum Deum. Deus ipse venit & salvavit nos. (*Isaiæ* 35.) Et hic est Deus noster, Christus Dominus, qui est Deus homo factus: refugium nostrū & virtus; adjutor in tribulationibus. (*Ps.* 45.) De hoc præfatus Regius Vates ait: Deus meus adjutor meus & sperabo in eum: (*Ps.* 17) & ut omne adjutorium exprimat, addit: Protector meus & cornu salutis meæ, & susceptot meus. (*Ibid.*) Sed sicut primo homini, dùm non inveniretur adjutor similis ejus, data est mulier, quæ esset adjutorium simile sibi; (*Gen.* 2.) quæ tamen magis fuit causa lapsûs illius: ita secundo homini meritò mulier fortis Maria data est in adjutorium simile ipsi, de qua natus est ipse secundus homo Jesus Christus: (*Matt.* 1.) quæ verè fuit *Adjutorium redemptionis humanæ*, juxta D. Albertum Magnum; *Adjutrix Dei in incarnatione*, secundùm Divum Ephrem: & est ex mente Ecclesiæ orantis in Litanijs, *Auxilium Christianorum*: imò

Deus fortitudo nostra, firmamentum, refugium, liberator.

Adjutorium in Deo & à Deo.

Sigillatim Deo nostro qui est Christus.

Ejus adjutorium simile ipsi Maria

mò docente Sancto Joanne Damasceno; *Adjutorium omnium, ui ejus implorant auxilium*: dico ego ampliùs, etiam eorum qui on implorant. Quid censetis PP. RR. FF. DD. num Joannes Baptista per sex menses in utero positus Matris, poterat Mariam n auxilium sui invocare? Minimè. Sed quid Maria? Exurgens bijt in montana cum festinatione. (*Luc.* 1.) Aspicite Virguncu-am tenerrimam annorum 14. *Deô* gravidam celeriter curren-em per montana; illam quæ sedebat per totum tempus vitæ so-taria & tacebat (*Thren.* 3.) in templo habitans, in eadem ætate ix desponsata viro, jam in publicum prodire, nec fætu *Divino* ravatam graviter progredi, sed abire festinanter. Quo prope-as Deo plena Deipara? quo curris cum festinatione? Respon-et Domina. In adjutorium maturum Joanni in vinculis, on tam uteri, quàm peccati originalis existenti. En di-ectus meus loquitur mihi: surge propera amica mea, & ve-i; (*Cant.* 2.) sum data in adjutorium Filio Dei & meo, qui ult Joannem ex funibus peccatorum liberare. Volo & ego sse adjutrix ejus sinè dilatione, in tribulatione qua premitur à atana: ideo progredior cum festinatione. Quis hìc non agno-at Mariam esse velocem adjutricem in opportunitatibus, in oc-asionibus, in necessitatibus; ultroneam nec vocatam nec roga-am, & planè priusquam invocetur, dicentem: ecce adsum. *Isai.* 52.) Vidistis Mariam cum festinatione euntem in monta-a; jam audite vix intrantem in domum Zachariæ, mox salu-antem Elisabeth, & exinde extemplò Joannem in utero exul-antem. (*Luc.* 1.) Nonnè ibi fuit diffusa gratia Joannem sancti-cans in labijs Mariæ? (*Psal.* 44.) Nonnè lingva ejus erat cala-us scribæ velociter scribentis, (*Ibid.*) illius utique scribæ Spi-tûs Sancti, qui in eam supervenerat, (*Luc.* 1.) & in carne ejus irginea velociter scripserat Verbum Caro factum. [*Joan.* 1.] elociter inquam ac velociùs quàm in cunctis alijs fiat mulieri-us, in quibus fætus per magnum temporis formatur intersti-m: in ipsa autem benedicta inter omnes mulieres (*Luc.* 1.) sub rimum Conceptionis momentum cum omni corporis organi-ti plenitudine Filius Dei fuit incarnatus. Et sanè vox Mariæ timatè Angelo respondentis, Ecce ancilla Domini fiat mihi se-undùm verbum tuum, (*Luc.* 1.) dicentis id haud dubiè ex di-amine Spiritûs Sācti, unctione cœlesti docente illam de omni-us; (*Joan.* 14.) fecit Verbum Caro fieri; fecit ut ille gigas su-ernus à summo cœlo egrediens exultaret ad currendam viam iam. [*Psal.* 18.] Vox Mariæ adeo fuit efficax, ut velociter urreret sermo Dei; (*Psal.* 147.) omnipotens ille sermo de rega-bus sedibus suis citò veniret, (*Sap.* 18.) ille cujus nomen apud aiam (*cap.* 8.) accelera, spolia detrahe, (utique spoliatori ho-inum) festina prædari, (nonnè orbis prædatorem?) Voce sua

etiam non implorata

abit ad Joannem cum festinatione

in vinculis positum.

Maria adjutrix nec vocata nec rogata.

Cujus lingva scribæ velociter scribentis.

Vox Mariæ

fecit Verbum caro fieri

Maria redemptionem humani generis acceleravit. Quidni hæc ipsa exurgens abiret cum festinatione in montana ad Joannem cognatum suum & Filij sui, à captivitate Diabolica redimendũ, postquam audierat ab Angelo: et ecce Elisabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua? [*Luc.* 1.] Ita planè in Maria *nesciebat* ex sensu Divi Ambrosij, *tarda molimina Spiritûs Sancti gratia.* Et Filij, Verbi utpote Divini interiùs monẽtis loquelâ, & Spiritûs Sancti velociter dictantis instinctu velocissima fuit adjutrix Maria ad genus humanũ, per incarnationẽ ejusdem Verbi in se, adjuvandum: & festinatissima fuit auxiliatrix ad primam in Joanne redemptionis humanæ executionem. Sciebat Virgo prudentissima Spiritûs Sancti edocta magisteriô, Jesum venisse Salvatorem, ut salvum faceret populum suum à peccatis eorum; (*Matt.* 18.) eapropter volebat quàm celerrimè cooperari illi, qui visitavit & fecit redemptionem plebis suæ ad dandam salutem ex inimicis Joanni. (*Luc.* 1.) Sed jam considerate Mariam voce sua etiam Spiritûs S. dispensatricem. Pe vocẽ salutationis Mariæ exultavit infans; fact⁹ sinè adjutorio propter peccatum primigenium, sed cum auxilio Mariæ inter mortuos liber, (*Psal.* 87.) à jugo dæmonis liberatus: & statim repleta est Spiritu sancto Elisabeth. Vox Mariæ facit hæc omnia & infantes exultando fari, & Matres Spiritu sancto repletas prophetizare. O benedicta Mariæ lingva, lingvas & infantium & fantium faciens disertas! [*Sap.* 18.] O benedictum eloquium oris ejus, magnificante anima ipsius Dominum, & exultante spiritu illius in Deo salutari suo, (*Luc.* 1.) post primam Joanni salvationem! O calamum Spiritûs Sancti in manu dextra gestatu (astitit enim Regina à dextris Dei,) *Ps.* 44.) sed à sinistra parte hædorũ, in quorũ qualitate orimur, quia in peccatis cõcipimur (*Psal.* 50.) ad dextram ovium velociter scribentem in Joanne & sanctificationis characteres exarantem! Quid dico in Joanne? Etiam in toto genere humano. Quod Maria Joanni fecit facit omnibus. Omnium velocissimum est Auxilium Christianorum. Placet prompti auxilij Mariani aliud specimen in Scriptura intueri? Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mate Jesu ibi. (*Joan.* 2) Vbi sunt nuptiæ animarum Christianarũ Christo Sponso desponsandarum, semper adest Mater Jesu, genitri Salvatoris, salutis animarum coadjutrix; cùm sit adjutorium simile ipsi. (*Gen.* 2.) Quid accidit? Deficiente vino, dicit Mate Jesu ad eum: Vinum non habent. (*Joan.* 2.) Ecce lingva Mari calamus scribæ velociter scribentis. (*Psal.* 44.) Nondum era extremus vini defectus, & ecce Maria opportunum in necessitatibus auxilium voce sua apud Filium mediatrice vini supplet defectum. Sed fortasse putabit aliquis, non opportunam fuisse Matris apud Filium intercessionem, ob responsum Christi indi rectum

& Joannem salvari.

Mariæ Vox dispensatrix Spiritûs Sãcti.

Quod Maria Joanni fecit, facit omnibus.

In nuptijs Cana Galileæ velox adjutrix

ctum? Errat qui hoc putat. Quid mihi & tibi est mulier? [Ibid.] dicit Jesus, non reprobando petitionem, sed potentiæ æ Divinæ Majestatem ad opus miraculi faciendum exaggerã- o. Nondum venit hora mea, (Ibid.) subinfert: nimirum hora enæ nuptiarum Agni, (*Apoc.* 19.) in qua vera vini in sangvinẽ us transsubstantiatio fieri debebat, cujus præludium aquæ in num transmutatio referebat. Et ut pateret opportunissimam isse Matris apud Filium instantiam, quæ erat docente S. Joanne Damasceno, *Conventus nuptialis ei institutus, qui tempora & nnos temperat horis*; ipsamet ad effectum petitionis consequen- um præstantissimam vitæ Christianæ Regulam subministrat di- cẽdo ministris: quodcunq; dixerit vobis, facite. (*Joan.* 2) Ita om- inò quicunq; vult habere vinum gratiæ Divinæ mediante Ma- a, quæcunque dicit Jesus, debet facere docente Maria. Pro om- ibus indigentibus etiam non vocata, etiam non rogata Maria tercedit apud Jesum, & exauditur pro reverentia sua: (*Hebr.* .) fideli enim adjutorio assistens Filio suo opus salutis humanæ dministrat. Quid censemus, num frustra stabat juxta Crucem Mater Jesu? [*Joan.* 19.] Equidem non in vanum; nec superva- ua fuit hæc statio plena doloris & amaritudinis. *Sicut Maria fu- t voluntaria atq; prompta mysterij Incarnationis cooperatrix* ex nente S. Bernardini Senensis; *ita erat* juxta Richardum à San- cto Laurentio *coadjutrix devota & fidelissima ad mundi redem- ptionem: ut quemadmodum non fuit dolor sicut dolor ille, quem sustinuit Filius pro mundi redemptione; sic non esset dolor sicut dolor ille, quem ipsa pertulit in corde pro eadem causa*, vera commartyr Christi. Nec ideò tantùm stabat, verùm etiam ut à Filio jam decedente in Joanne mater omnium fidelium declara- retur, quæ alteri Joanni maternorum viscerum per vocem salu- tationis impertierat pietatem. Stabat denique, ut promptitudi- nem adjutorij sui manifestaret, prout D. Stephanus vidit Jesum stantem à dextris virtutis Dei, (*Act.* 7.) propter expetitum sui auxilium. Sed & nunc continuò adstat Regina à dextris Regis, ad opem ferendam universis, gratijs suis etiam vota hominum præveniendo. Ergone tardabimus Mariæ patrocinium implora- re? Adhucne in ergastulo peccatorum jacebimus? Exurgit Ma- ria, & ad adjuvandum nos festinat. Exurgamus & nos pro adju- torio ejus postulando: quia licèt pijssima misericordiæ mater sæ- piùs nos præveniat bonitate suâ, & in benedictionibus dulcedi- nis suæ; (*Ps.* 20.) nostrum tamen est eandem invocatione fre- quenti, imò continuâ sollicitare: ut quæ secundùm sensum eru- ditum Richardi à S. Laurentio *Calamus est Spiritûs Sancti; va- cuus interius per humilitatem, plenus exterius & sinè scrupulis per honestam conversationem, acutus per subtilitatem, scissus per a- motionem omnis superflui, quia nihil locuta est in Evangelio quod* non

Explicatur textus Quid mihi & tibi?

Nondum venit hora mea.

S. Joannes Damascenus.

Regula vitæ Christianæ per Mariam detecta.

Quare steterit juxta Crucẽ?

S. Bernardinus Senen.

I.

Richardus à S. Lauren.

II.

III.

Adstat nunc Regina à dextris Regis continuò pro ope ferenda.

Richardus à S. Lauren.

B. V. Calamus Spiritûs sãcti.

non faceret ad rem; fissus per discretionem verborum, & plenus encausto gratiæ, quæ diffusa erat in labijs ipsius. Hæc lingua Mariæ, sub qua mel & lac, (*Cant.* 4.) Divinitatis nimirùm & humanitatis dulcedo, loquatur ad cor nostrum, & voce suâ sanctificet animas nostras. Hic calamus scribat in cordibus nostris

Quid scribat in cordibus nostris?

velociter characteres virtutum suarum, humilitatis interioris, & exterioris exemplaritatis, superfluorum & noxiorum abscisionis, prudentis discretionis & gratiosæ plenitudinis. In tentationibus, in tribulationibus, in angustijs, in adversitatibus, in persecutionibus, deniq́ue in omnibus necessitatibus nostris ad eam recurramus, quæ post Deum, post Christum, cum Deo tamen & cum Christo est *unicum refugium, atq; asylum omnium fidelium* juxta Sanctum Josephum Hymnographum; & secundùm Divum Ephrem *Auxiliatrix serviens in præsenti vitæ cursu, hostiles quoscunq; impetus à nobis avertens, & in via salutis nos cōstituens*; addo ego: & ad portum vitæ æternæ nos perducens. Fiat id per vocem tuam ô Lingua DEI Spiritu Sancto plena Maria, quæ non tantùm audivisti verbum Dei & custodivisti illud, [*Luc.* 11.] sed quod majus est, concepisti, genuisti & lactâsti, & elocuta es verbum plenum gratiæ; (*Joan.* 1.) imò semper illud verbum bonum è corde tuo eructâsti: Ecclesiam totam in utroq́ue statu constitutam, & in eo Ordinem tuum, Olivam tuam cum animabus agonizantibus & piacularibus voce tuâ diffundente gratiam, intercessione tuâ sanctifica & salva in æternum.

Sermo in Festo S. Stephani.

Eructavit cor meum verbum bonum. *Psal.* 44.

Tertius Abbas Cistercij S. Stephanus.

TErtius post Divos, Robertum & Albericum Cistercij Abbas, sed & tertius Sacri Ordinis Cisterciensis Patriarcha Sanctus Stephanus Hardingus, non tantùm nomine suo sed multò magis virtutibus & meritis simul ejusdem Ordinis corona, ternario hic numero censendus est perfectionem illius coronâsse; ut omne trinum perfectum etiam in Ordine nostro agnosceretur. Quod equidem haud dubiè à summo Sanctissimæ Trinitatis mysterio fluxisse videtur: sed & in tribus Patriarchis Abrahamo, Isaaco & Jacobo est manifestatum. Hi fuêre fidelium primores & primates, quorum nominibus ipse Deus se notificabat, quibus quidni liceat primos tres Cistercij Abbates assimilare? Quis Divum Robertum non dicet alterum

S. Robertus instar Abrahæ.

Abrahamum Patrem excelsum virtute, & Patrem multarum gentium, (*Gen.* 17.) in fundatione familiæ Cisterciensis fuisse?

S. Albericus instar Isaaci.

Quis Beatum Albericum non fatebitur Isaaco posse comparari, cui certè arrisit Mater Dei alba eum veste induendo? (*Gen.* 18.)

S. Stephanus instar Jacobi.

Quis Sanctum Stephanum haud asseret Jacobum repræsentare non jam duodecim filijs, (*Gen.* 35.) sed triginta prolibus fæcundum

dum, inter quas Sanctus Bernardus velut alter Judas Patriarcha emicuit, cui dictum: Juda te laudabunt fratres tui; (*Gen.* 49.) quantò magis dici potest: Bernarde te laudabunt Fratres tui? Tertio genitus quoque, ut exinde etiam cerneretur perfectionis apicem attigisse. Ita Stephanus noster abundantiâ filiorum donatus, non minùs ex rigorosâ Regulæ S. Benedicti observantia benedictionem Patriarcharum, benedictionem omnium gentiū *Eccli* 44. est adeptꝰ. Sed quâ methodo? Proculdubiò re cordiali, realiter & cordialiter Regulam observās, quod ipsum cognominis ejus patefacit etymologia. Quid enim Harding significare potest in Germanica lingva, quæ per Saxones in Angliam, ubi oriundus fuit, introducta, nisi **Hertzen-ding**, cordis res; quandoquidem rem cordis, quæ est charitas, in Ordine sacro potissimùm tractavit. Cor namque fons & sedes est amoris, quem Divus Stephanus satis in Ordine demonstravit, quando chartam conscripsit charitatis. Ast fortasse quis replicabit me nuper Hardingi nomen ab **Harte dingen** à duris rebus derivâsse; quomodo nunc aliter potest sonare? Non aliter equidem: Cor enim carné aliâ naturaliter durioré possidet, & sic cor in se & sibi durū, erga alios debet mollescere per sangvinis distillationem, quæ est professio charitatis, imò eructatio verbi boni in charitate. Sed videamus quænam sit res cordis, quàm diversæ cordis affectiones sive operationes in Scriptura sacra reperiantur. Ac primùm quidem dicuntur quidam esse quibꝰ non est cor, suntq; planè excordes. Exprobrat id Deus populo Israelitico per Jeremiā Prophetam: Audi popule stulte non habens cor. (*Jer.* 5.) Et apud Prophetam Osee de Ephraim asserit Deus: Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor. (*Oseæ.* 7.) Hi sunt quibus deest ratio, abest intellectus, quibus sensus insensatus, mens amens, volatilis & cæca voluntas. Ibi populus stultus, (*Jer.* 5.) hic columba seducta dicitur; (*Oseæ* 7.) quia ibi sapientiæ defectus, hic erroris delectus denotatur: utrobique carentia cordis. Istis sanè nulla res cordis est, qui sunt sinè corde, sinè mente, sinè intellectu, comparati jumentis insipientibus, (*Psal.* 48.) quibus non est intellectꝰ. (*Ps.* 31.) Quid dico? Mortuis similes; ubi enim nullum cor ex quo vita procedit, (*Pr.* 4) ibi nulla vita. Hi tales nonnè indigent corde? Ponit duos Sapiens cordis habentes necessitatem. Primus est: qui despicit amicum, indigens corde est. (*Prov.* 11.) Ecquis verus amicus noster, nisi Deus, qui nos ad se trahit in vinculis charitatis? Qui hunc despicit, desipit, excors est & cordis indigus. Secundus à Sapiente refertur: qui adulter est, propter inopiam cordis perdet animam suam. (*Prov.* 6.) Ecquis adulter nisi homo, qui derelicto Creatore creaturis adhæret & cum ijs adulteratur? Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. (*Psal.* 72.) O quàm magna cordis inopia, ubi

S. Bernardus instar Judæ Patriarchæ.

Vnde dictus Harding I.

II.

Diversæ cordis affectiones recensentur. Excordes.

Duo corde indigent. Qui despicit amicum,

& qui adulter est. Utrumq; moraliter quid significat?

nulla Dei summi & omnis boni copia! O quanta cordis indigentia; ubi est Dei omnium cordium centri carentia! Hinc meritò idem Sapiens alibi dicit: virga in dorso ejus qui indiget corde; (*Prov.* 10.) jure enim vapulat, ut ad cor redeat, ut cor perditum ad se reducat. Redite prævaricatores ad cor, clamat Deus per Isaiam Prophetam. (*Isai.* 46.) Res cordis agitur, agitur de vita quæ solus Deus est; (*Joan.* 11.) qui cor est universi.

S. Stephanus Divino operi toto corde intentus.

Videte Divum Stephanum nostrum, Stephanum Divino operi persolvendo intentum? Adeo res erat ipsi cordialis, ut soli Deo corde conjunctus omnes alias secluderet cogitationes. Non erat de illo populo, qui Deum labijs honorabat, cor autem eorum longè erat à Deo. (*Isai.* 29.) Et sanè non tantùm in Officio Divino res cordis agitur; sed in tota vita nostra. *Sicut nullum est momentum*, ait Mellifluus Doctor noster: *quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria; quo cor non habeat ad Deum directum, & Deo conjunctum.*

S. Bernard.

Non recticordes.

Narrat Propheta de generatione quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus ejus; (*Psal.* 77.) & alibi: cor eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus. (*Ibid.*) Verè qui non sunt recti cordis, sunt non credentes Deo, sunt perfidi, sunt infideles, à Deo planè elongati, cor obliquũ & incurvatũ ad terrestria, ad mundana, ad carnalia habentes imò corde & corde loquentes. (*Ps.* 11.) Et sicut defectus cordis, ita & elongatio hæc atque obliquitas provenit ex pravo appetitu, ex perverso affectu, ex aliena concupiscentia; imò hinc cordis adulterium oritur, quæ etiam idololatria nominatur.

Tria in mundo cor humanum pervertunt.

Tria enarrat dilectus Jesu discipulus in mundo, quæ hominum corda pervertunt, à Deo avertunt, & ad cultum idolorum convertunt Concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. [1. *Joan.* 2.] In primo videmus cor depravatum Salomonis per luxuriam & mulieres; (3. *Rge.* 11.) In secundo cor divitis ibi esse, ubi est thesaurus ejus; (*Matt.* 6.) unde Propheta monet: Divitiæ si affluant nolite cor apponere. (*Ps.* 61.) In tertio legimus de Nabuchodonosore: quòd exaltatum est regnum ejus, & elevatum est cor illius: meritò postea cum bestijs positũ (*Dan.* 4.) Hinc sequitur penitus ipsa Dei oblivio, de quo in Deuteronomio: Ne elevetur cor tuum & obliviscaris Dei tui (*Deuter.* 8.) Inde cultus idolorum; in primo Deus venter est & gloria in confusione: (*Philip.* 3.) in secundo mammona iniquitatis, cui simul & Deo servire non possumus: (*Matt.* 6.) in tertio ipse homo se Deum fingit dicens cum Lucifero: Ascendam similis ero Altissimo. (*Isaiæ* 14.) Coagulatum est sicut lac cor eorum, ait Regius Vates de superbis, quorum multiplicata est iniquitas. (*Ps.* 118.) Imò non tantùm coagulatur, sed etiam instar

ıpidis obduratur. Denique fit quod De⁹ dicit: dimisi eos secun-ùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis; (*Ps.* 'o.) ruent cæco impetu in scelerum & desperationis præcipitia. Ecce quos tenuit superbia, operti sunt iniquitate & impietate uâ; cogitaverunt & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in ex-ello locuti sunt: transierunt in affectum cordis (*Psal.* 72.) per-ersi, maligni, excæcati, obdurati. Absint à nobis ejusmodi orda à Deo elongata; (quia qui elongant se à te, Deum allo-quitur David, peribunt) *Ibid.*) corda extra Deum ad creata ncurvata, quia cum caducis cadent. O quàm bonus Israël De-is his qui recto sunt corde, (*Ibid.*) imò salvos facit solùm re-tos corde. (*Psal.* 7.) Et hæc est res cordis, rectum cor habere d Deum; directum per puram memoriæ intentionem, erectum per abstractam intellectûs contemplationem, & porrectum ac urrectum per ardentem voluntatis amorem. Deus enim hoc otum complectitur requirens: fili præbe cor tuum mihi: (*Prov.* 23.) res cordialis est esse cum Deo. *Rectum cor cum Deo est*, nquit cordatus & cor accêsum in manibus suis gestans Augusti-nus, *quando propter Deum quæritur Deus. Sicut namq; Deus rincipium nostrum est à quo sumus; ita Deus finis noster est, ad quem sumus & propter quem sumus.* Sanctus Pater & Patriar-cha noster Stephanus Hardingus, quid arbitramur? cur rigidissi-mam Regulæ D. Benedicti observantiã insecut⁹ eandem filijs suis radidit ad prosequendum? nisi quòd per hanc viam rectam & d cœlum directam Deum consequi certum haberet. Cur ad dipsum chartam composuit charitatis? nisi quòd sciret rectum ecti cordis tramitem esse Dei & proximi charitatem. Hæc e-at res cordis ipsius, nobis haud dubiè in exemplum; ut imitan-do ipsum per regulam doctrinæ, secundùm Regulam S. Benedi-cti cor rectum ad Deum geramus, & per amorem Dei ac fra-ernum Deo cor nostrum conjungamus. Hoc opus vitæ, hoc negotium salutis, hæc intima res cordis nostri sit, ut non tantùm n Divino Officio semotis curarum & creaturarum arbitris cogi-ationibus & affectionibus; sed etiam per totum vitæ tempora-is decursum soli Deo Trino & uni perfectissimè intendamus & adhæreamus; donec Divinam adepti perfectionem, cum fœcun-ditate bonorum operum ac meritorum propagatione corde no-tro realiter & cordialiter in beata æternitate tanquam veri Har-dingi Deo uniamur, & tanquam Stephani, gloriâ & honore pe-rennis amoris à Deo in Deo unà cum Sancto Patre nostro coronemur.

Perversio cordis.

extra Deum

Cor rectum, directum, porrectũ, surrectũ.

S. *August.*

Charta charitatis.

In Divino Officio semovere temporales curas.

Sermo in Festo Assumptionis B. M. V.

Eructavit cor meum verbum bonum. (*Psal.* 44.) dicit Maria de se, dicit Ecclesia de Maria.

TErram in cœlum transferri, & cœlis altiùs attolli ac constitui, facit ascensio Domini & Regis nostri; facit assumptio Dominæ & Reginæ nostræ PP. RR. FF. DD. Magna equidem felicitas carnis nostræ è terra infima orbis parte ortæ, super cœlos cœlorum elevari & collocari. Dixit Dominus Domino nostro: sede à dextris meis; (*Psal.* 109.) dixit Dominus

B. Virgo sedet à dextris Patris & Filij.

Dominæ nostræ, sede à dextris meis. Ille à dextris Patris sui: (*Coloss* 3.) hæc à dextris Patris & Filij sui consedit. Ille Rex cœli & terræ à Patre: hæc Regina cœli & terræ à Patre &

Cur non à dextra?

Filio coronata est. Sed cur à dextris in plurali? Num plures sunt dexteræ Dei? Hic in terris dextera Dei est gratia ipsius; ibi in cœlis est gloria ejus, gratiam & gloriam dedit *Dominus* (*Ps.* 83.) & Filio & Matri. Vtramque dexteram habuit & Verbum Caro factum plenum gratiæ, cujus gloria videtur quasi unigeniti à Patre; (*Joan.* 1.) & Mater Verbi Caro facti plena gratiâ,

Quomodo sedet quæ stat à dextris?

(*Luc.* 1.) ad gloriam *Dei* assumpta. (1. *Tim.* 3.) Sed quomodo sedet quæ dicitur adstare à dextris Regis? Num sessio & statio simul fieri possunt? Sedet *Domina* nostra respectu sui, æternâ visionis & amoris Dei atque gaudij in Deo perfruens quiete. Stat respectu nostro protectionis & adjutorij munere fungens tanquam Advocata Christianorum universalis, quemadmodum Filium ipsius habemus Advocatum apud Patrem. [1. *Joan.* 2.]

Advocata stat.
S. Bernar.

Advocata equidem nostra est, quæ tanquam Judicis Mater, teste Mellifluo Patre nostro, *& Mater misericordiæ simpliciter & efficaciter, negotia nostra pertractat in cœlo. Advocata nostra ad*

Richardus à S. Laurentio.

Filium, ex mente Richardi à S. Laurentio, *sicut Filius ad Patrem; imò apud Patrem & Filium procurat negotia & petitiones nostras, & generaliter impetrat omne bonum. Ipsa est Advocata*

Advocata pro nobis & contra hostes.

nostra juxta eundem, *quia in conspectu Dei bonum pro nobis loquitur, & contradicit adversarijs nostris;* quæ sunt duo officia Advocatorum: rationes pro nobis allegando & allegata hostium refutando. *Advocata omninò nostra*, loquitur idem, *allegans pro nobis fideliter coram filio suo; ventrem qui portavit, & ubera quæ lactaverunt,* (Luc. 11.) *eidem repræsentans; nobisque impetrans gratiam compunctionis, gratiam reconciliationis, gratiam ablutionis peccatorum.* Quid creditis? Hodie ante thronum Divinitatis comparens, summisque cœli delicijs immersa, num oblita suorum? minimè. Eructavit tunc cor ejus omni repletum charitate verbum bonum, verbum salutis, verbum gratiæ à Deo im-

Angelus eructat verbum Ave.

petrandæ efficacissimum. Dùm dies diei, Angelus Virgini eructaret verbum, (*Ps.* 18.) annuntians Verbi Divini Incarnationem in ea futuram, & demonstrans non esse impossibile apud Deum

Cor Mariæ eructat verbum Fiat mihi.

omne verbum; eructavit cor Mariæ, quia ex plenitudine amoris erga Deum & homines verbum bonum dicens: fiat mihi secundùm verbum tuum: (*Ibid.*) & sic ejusmodi verbi boni e-

ructati-

uctatione salutis humanæ negotium perfecit & absolvit. Eructavit non minùs cor Mariæ Verbum bonum, quando ex intimis viscerum suorum penetralibus orbi edidit Verbum Caro factum. Jam nunc in cœlis quantò magis eructat cor ejus verbũ bonum pro nobis, cùm sit Advocata fidelis & potens in procurando nostræ salutis negotio. Quid dico Advocata? Ipsa est cor Ecclesiæ, sicut Christus caput ejus est. [*Ephes.* 5.] Cor nostrum in quo juxta Hesichium, *fidelium vita Christus habitavit*, & juxta D. Albertum Magnum, *ex quo vita procedit.* Cor mediũ occupat corporis humani locum; Maria lignum vitæ in medio Paradisi. (*Gen.* 2.) Cor sedes & fons spirituum vitalium; Maria vita, dulcedo, & spes nostra, imò fons vitæ, de cujus plenitudine accipimus universi. (*Joan.* 1.) Cor nobilissimum inter omnia corporis humani membra; Maria membrum totius Ecclesiæ excellentissimum. Cor est in homine caloris origo naturalis, quo sublato emoritur corpꝰ: Maria Mater pulchræ dilectionis, (*Eccli.* 24) sinè qua censetur anima mortua, (qui enim non diligit, sit dilectus JESU *Discipulus* & Mariæ filius, manet in morte.) (1. *Joan.* 3.) Cor est principium sangvinis per totum corpus dispersi; Maria est principium illius sangvinis, qui verè est potus, & ad omnia corporis Ecclesiæ membra derivatur. Cor solùm corruptioni minimè est subjectum: Maria Virgo super omnia Ecclesiæ membra est omnis corruptionis expers, semper Virgo intemerata: Virgo ante ortum & partum ex electione & prædestinatione Divina, Virgo in ortu Immaculatæ Conceptionis suæ, & partu Verbi Dei Incarnati; Virgo post ortum & partum mente & corpore existens, & permanens Virgo ab æterno & usque in æternum. Denique *sicut cor*, verba sunt Ernesti Archiepiscopi Pragensis, *habet ad cætera membra imperium, dignitatem, providentiam, influentiam & conformitatem; ita Maria ad Ecclesiam: unde ipsa est cor nostrum.* (Isaiæ 40.) *Loquimini ad cor Jerusalem: ipsa enim habet imperium supra nos, quia Domina & Imperatrix est semper Augusta Ipsa est nobilissima creaturarum. Ipsa totius Ecclesiæ curam gerit tanquam Materfamilias. Ipsa influit nobis omnia bona, quia est aquæductus. Ipsa quoq; caro & soror nostra est, per omnia nobis conformis & similis in natura.* Hæc ille. Notabile est quod dicit Sponsus in Canticis: Ego dormio & cor meum vigilat. (*Cant.* 5.) *Hoc planè verificatum est, dum Maria pro toto corpore vigilavit in Sabbato sancto*, juxta eundem Ernestum, *quando Christus in sepulchro dormiebat: & tunc etiam cæteris membris Ecclesiæ deficientibus, in ea sola tanquam in corde vita totius corporis remansit.* O cor Ecclesiæ pretiosissimum Maria! O cor vivificũ, ô cor plenum charitate & dilectione! Quidni hoc continuò eructat verbum bonum pro omnibus membris totius Ecclesiæ militantis?

Eructat Verbũ, quod Caro factum.

Eructat in cælo verbum ut Advocata.

Hesichius.

Albertus M.

Maria cor Ecclesiæ.

Cordis & Mariæ comparatio.

Cor medium locũ occupat.

Fons vitæ.

nobile mẽbrũ,

origo caloris.

principium sangvinis,

non corrũpitur.

Ernestus Pragensis.

cor habet imperium.

cor vigilat.

Ernestus Pragensis.

Maria eructat continuò verbum pro Ecclesia.

Quidni prout Spiritus, illud quoque pro nobis poſtulat gemiti-bus inenarrabilibus? [*Rom.* 8.] Quidni cor hoc ſollicitat cor Divinum ad miſericordiam cunctis exhibendam? Cor Mariæ delicium Dei Patris, Verbi Dei reconditoriū; (ſi enim Maria conſervabat omnia verba Evangelij conferens in corde ſuo; (*Luc.* 2.) quantò magis ipſum Dei Verbum cuſtodiebat?) Spiritûs Sancti quies, totius Sanctiſſimæ Trinitatis ſanctuarium, cithara Jeſu, devotionis organum, fons pietatis, clementiæ profluvium, mare miſericordiæ, bonitatis abyſſus, clibanus amoris, lampas charitatis inextingvibilis, Angelorum lætitia, Sanctorum exultatio, totius ſupernæ civitatis triumphus, aſylum peccatorum, peregrinantium refugium, militantis Eccleſiæ armamentarium, omnium protectio, quid niſi bonum verbum eructans univerſis? Ipſamet Domina univerſorum, cœli & terræ Regina, tota quâta, cor eſt Eccleſiæ, ex qua vita ipſius proceſſit Chriſtus. Sinè corde nulla vita in homine: ſinè Maria nulla vita in Eccleſia. Quomodo enim Deus Homo fieret ſinè Matre? Maria eſt Mater Dei viventis Incarnati; Mater eſt cunctorum per eundem viventium, (*Gen.* 3.) adeoque quæ hodie aſſumpta eſt cum corpore & anima ad vitam æternam in cœlis nunquam moritura, ſed ſemper victura: *vita eſt totius mundi* juxta Bonaventuram, & ſecundùm Anſelmum, *vita eſt amabilis, deſiderabilis, delectabilis: eſt vita carnales vitas ad nihilum reducens; contraria mundi vitæ, quam qui habere vult*, teſte D. Anſelmo Lucenſi Epiſcopo, *ſe affligat, delicias reſpuat, delicata quæq; contemnat: & qui ampliùs mortificaverit ſe, eandem ampliùs poſſidebit. Maria eſt vita, Divinâ fortificans poteſtate, impetratione Divinam exhalans ſapientiam, & Divinâ vegetans bonitate. Eſt vita non ſeneſcens, ſed potiùs ſenes ad juventutem reducens. Eſt vita mortem non timens, mortem expellens, mortales conſtituens immortales. Vita mirabilis mortuos vivificans, per quam datur regreſſus à privatione ad habitum. Verè vita quæ vitam noſtram naturalem à multis periculis liberat, ſe ipſam ut vitam morti opponens, cùm viderit expedire. Vita eſt, quæ mortem ſuperbiæ humilitate vicit, quæ nobis vitam gratiæ impetravit, quæ vitam gloriæ generavit.* Omnia hæc S. Anſelmus Lucenſis piiſſimè de Maria. Omnia hæc cor Mariæ fons vitæ operatur. Ergo jure meritò faciendum nobis eſt hoc, quod imperat Sapiens: omni cuſtodiâ ſerva cor tuum. (*Prov.* 4) Maria eſt cor & vita cordium noſtrorum. Itaq; *ſicut nihil eſt in mundo quod nobis poſſit eſſe intimius corde noſtro, ita nihil eſt in mundo poſt Deum*, inquit Erneſtus Pragenſis Archiepiſcopus, *quòd ita diligamus intimè, dulciter, verè & fortiter, & totis viſceribus ut Mariam. Sicut igitur cor reddit ſubjectum ſuum ſimpliciter tale, quale ipſum eſt; nam cujus cor bonum, ipſe ſimpliciter bonus; cujus cor ſapiens, ipſe*

Cor Mariæ ſollicitat cor Divinum.

Sinè corde nulla vita.

Maria vita totius mundi. S. Bonaven. S. Anſelmus.

Maria cor & vita cordium noſtrorum.

Erneſtus Pragenſis.

se simpliciter sapiens; & similia: ita si Maria fuerit à Deo visceribus nostris inserta, ut eam diligamus verè sicut cor nostrum; ut sit nobiscum ipsa cor nostrum & anima nostra; & ipsa nos enutriet in timore casto, beatitudine & lætitia. Vide si volumus vitam diligere & videre dies bonos, (Psal. 33.) *ipsam nobis invisceremus, ejus gratiam omni custodiâ sicut cor nostrum custodiamus; curam nostram atq; custodiam, imperium quoq; ac magisterium totaliter ipsi committamus.* Ita devotissimus hic Mariæ cultor Ernestus. Concludo ego: sicut cor Mariæ unum est cũ corde Divino & cum cordibus omnium Deo viventium; ita cor nostrum sit unum cum corde Mariæ, sic per illud Deo & omnibus Deo conjunctis unietur. Eructet cor nostrum verbum bonum (*Psal.* 44.) laudis & benedictionis erga Mariam. Eructent labia nostra hymnũ (*Ps.* 118.) gloriæ & honoris, memoriã abundantiæ suavitatis Marianæ omnia opera nostra per imitationẽ virtutum ejus eructent; [*Ps.* 144.] & tunc certò eructabit quoque cor Mariæ verbum bonum intercessionis pro nobis apud Deum, ut & nos ad dexteram Patris, ad dexteram Filij in regno cœlesti constituamur. Fiat fiat id toti Ecclesiæ S. in utroq; statu Spirituali & Politico subsistenti; fiat Regi & Regno nostro, fiat Ordini Sacro & Olivæ nostræ, fiat animab⁹ cum morte luctantibus, & igne expiatorio constrictis, ut per Mariam, cum Maria cordibus nostris Deo uniamur in æternum.

Diligenda ut cor nostrum.

Quid cor nostrum eructare debet erga Mariam?

Sermo in Festo S. Bernardi.

Eructavit cor meum verbum bonum. *Psal.* 44.

SAcer Ordo Cisterciensis singulari Beatissimæ Virginis Deiparæ suffultus patrocinio, per Sanctum Patrem Robertum in utero adhuc matris ab eadem Matre Dei annulo subarrhatum, quoad locum à cisternis sic dictum fundatus, in B. Alberico candido habitu à Purissima Virgine vestitus, in Divo Stephano per eandem Dominam nostram cingulo præcinctus, & ad rigidam vitæ normam secundùm Regulam Sancti Benedicti fuit adstrictus. PP. RR. FF. DD. Ita Sanctus Robertus Ordinem hunc videtur observantiæ regularis austeritate plantâsse: Beatus Albericus & Sanctus Stephanus censendi sunt eundem humore doctrinæ ad vigorem institutionis factæ conservandum rigâsse. Sed quis cum Dei adjutorio dedit incrementum? Nemo alius præter Sanctum Patrem nostrum Bernardum, Augustum Ordinis Sacri per totum orbem Propagatorem & Amplificatorem. Hic est qui Cistercij plantationes in universa Europæ regna & provincias deduxit, & ad ipsas barbaras protunc Hibernorum, Danorum & Svecorum extendit nationes. Huic Mater Dei, ipsius, & nostra, tanquam filio suo, quia Virgineo lacte à se pasto, videtur dixisse: postula à me & dabo tibi gentes hæredita-

S. Ordo Cisterciensis sub patrocinio B. M. V.

à quo plãtatus?

à quo rigatus?

à quo cæpit incrementum?

S. Bernardus S. Ordinis amplificator.

 tem

tem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: (*Ps.* 2.) quandoquidem à solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari (*Ps.* 106.) populi in unum Ordinis Cisterciensis consortium fuêre congregati. Sed quib⁹ id medijs S. Patrem nostrum credimus effecisse, ut novella protunc Religionis hujus plantatio, adeo ubíque dilataretur & diffunderetur? Non alijs equidem quàm calore & incentivo ardentis cordialis charitatis? Ipsum nomen Sancti Patris id nobis manifestat. Quid enim **Bernhard** ex vetusto Germanico idiomate, quo Burgundi, qualis fuit Divus noster, olim usi putantur, designat; nisi **Brennendes Hertz**, ardens cor? sicut **Bernstein** dicitur **Brennender stein**, ardens lapis qui est succinum sive electrum. Et quô ardens cor, erat Bernardus noster? Vtique charitate Dei & proximi, amore Jesu Crucifixi & Mariæ. O quàm verè eructavit ardens cor Bernardi verbum bonum, ignitum charitatis eloquium erga Deum & proximum, erga Jesum & Mariam! Deus nullius rei creatæ similitudinem sibi assumpsit præterquam ignis; quoniam ipsemet nominatur esse ignis per Moysen dicentem Israelitis: Dominus Deus tuus ignis consumens est. [*Deut.* 4.] Dicitur quoque Deus esse lux, (1. *Joan.* 1.) sed & hæc ab igne procedit. Ac ideo & Moysi apparuit in flamma ignis de medio rubi, (*Exod.* 3.) & coram Israële descendebat super montem Synai in igne, (*Exod.* 19.) & ducebat populum in deserto per columnam ignis quæ de die formâ nubis referebat. (*Exod.* 13.) Nec unquam facta est hujuscemodi res, aut unquam cognitum est, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, ait Moyses ad populum Hebræorum, sicut tu audisti & vidisti. [*Deut.* 4.] Sed & præcepta Dei ac verba omnia erant ignem spirantia teste Moyse dicente: in dextera ejus ignea lex; (*Deut.* 33.) juxta Davidem: eloquium Dei ignitum vehementer; (*Ps* 118.) secundùm Salomonem: omnis sermo Dei ignitus. (*Prov.* 30.) Hoc ipsum, quod vetus refert Testamentum, in novo patuit, ubi filius Dei à Deo Patre missus, homo factus de se asserit: ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? (*Luc.* 12.) Post resurrectionem quoque suam cum duobus discipulis colloquens, utique ignem fundebat corda eorum accendentem, fatentibus ipsis: nonne cor nostrum ardens erat in nobis dùm loqueretur in via? [*Luc.* 24] Quin & ipse Spiritus Sanctus in primitiva Ecclesia adveniens visus est in igne: apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis. (*Act.* 2.) Qualis est ipse Deus, tales vult habere & ministros teste Regio Vate: qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem; (*Ps.* 103.) vel D. Paulo interprete, flammam ignis. (*Hebr.* 1.) Tempore legis surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat; eapropter jure curru igneo raptus in cœlum. Tempore gratiæ Joannes veniens in spiritu

Quibus medijs?

Derivatio nominis S. Bernardi.

Ardens cor S. Bernardus. Quô?

Deus Ignis, Deus Lux.

Omnia à Deo in igne veniebant, in veteri Testamento,

Ignea erant.

In novo Testamento ignem venit mittere Christus,

& Spiritus Sanctus in igne.

Angeli ignis urens,

Elias quasi ignis.

piritu & virtute Eliæ, (*Lucæ* 1.) erat lucerna ardens & lucens. *Joan.* 5.) Quin & servos suos igne probat tribulationis, utì te- atur unus de se: igne me examinâsti, & non est inventa in me niquitas. (*Ps.* 16.) Sanctus Pater noster Bernardus, in utero ad- uc existens, visus à Matre tanquam catulus, fidelis Domini pe- issequus & custos, totus candidus; nonne lucens? in dorso sub- ufus; nonne ardens? igneus planè velut ille cœlestis Sirius calo- e exæstuans, ac latrans: haud dubiè verbum Dei prædicans pro omo Dei contra hostes, in domo Dei pro civibus & domesti- is Dei; ardenti corde, sermone ignito, operibus zelo accensis. cimus cor principium esse caloris in homine; caloris fontem es- e ignem vel formaliter vel virtualiter. Et sic in corde hominis gnis est virtualis. Inflammatum est cor meum, inquit Prophe a Regius de se. (*Psal.* 72.) Inflammatio cordis fit igne Spiritûs ancti; ut tantùm spiritualia petamus spiritu viventes, spiritu fer- entes: ut solum *Deum*, qui est Spiritus, desideremus: ut flam- ıã sapientiæ cœlestis requiram⁹: ut zelo Divini honoris, & lucri nimarum accendamur & vel maximè charitate Dei & proximi rdeamus. Concaluit cor meum intra me, ait idem alibi. (*Ps.* 38) Cor quod in se semper est calidum, concalescit magis per orati- nem, quæ ex cordis meditullio procedere debet. *Quid namq; rodest strepitus labiorum*, ait S. Isidorus, *ubi cor est mutum? sicut num vox sinè modulatione est vox porcorum, sic oratio sinè devo- ione cordis est quasi mugitus boum.* Imò ex toto corde veniat est ecesse cum Psalmista dicente: deprecatus sum faciem tuam in oto corde meo. (*Ps.* 118.) Sit autem oratio fervens devotione, t cor concalescat amore; imò ut in meditatione exardescat gnis (*Ps.* 38.) amoris. Sit secreta; intra me nimirùm concaluit: ihilominùs erumpat etiam in ejaculatoria verba, quia sequitur: ocutus sum in lingua mea. (*Ibid.*) Tu cùm oraveris, præcipit terna Sapientia, intra in cubiculum tuum, (utiqùe cordis) & lauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus (ille Deus qui intuetur cor (1 *Reg.* 17) qui videt in abscondito, reddet ibi; (*Matt.* 6.) & sic oratio tua in sinum tuum convertetur, (*Ps.* 4.) referetq; tibi fructum eorum, quæ volueris impetrare. *Ipse t sinus animæ*, inquit S. Ambrosius, *secretum orationis ejus, pe- etralia voluntatis, & quædam recurrentium votorum receptacu- : verbo cubiculum cordis est, Sanctum Sanctorum, altare thymi- matis, in quo ignis charitatis semper ardere debet.* Tale cor in- ammatum, tale cor incalescens & igne exardescens erat D. Pa- er Bernardus, qui totus spiritu vivebat, spiritu agebatur, medi- ationi & orationi continuæ intentissimus, ac in amore intensissi- nus atq; ferventissimus. Loquitur vita ipsius, loquuntur opera, oquitur doctrina illius non tantùm melliflua in scriptis manife- a sed & igniflua, qualem & quantum ignem hoc cor ardens

Joannes lucerna ardens & lucens.

S. Bernardus catulus visus candidus: ergo lucens; subrufus, ergo ardēs. Igneus instar Sirij.

In corde hominis ignis virtualis.

Concalescit cor per orationem.

S. Isidorus.

S. Ambrosius.

Cor ardens fuit S. Bernardus

multimodè; in operib9, in vita, in doctrina; in scriptis.

Bernardus eructabat. Notandum cor non tantùm debere concalescere, sed & meditatio & oratio debet esse ignea. Placet scire operationes ignis in meditatione? Quinque sunt. Ac quidem primùm ardet intus in se, deinde lucet, illuminat: postea urit & accendit alios: simul sursùm ascendit, & denique circa se stridorem sive strepitum emittit. Hæ sunt operationes ignis ordinariæ; eædem quoq; in meditationis vel orationis igne reperiuntur. In primo interior spiritûs fervor excitatur, & amor radicalis accenditur, ubi dilectus cubat in meridie, (*Cant.* 1.) apparetque velut Abrahæ in ipso fervore diei, (*Gen.* 18.) in maximo ardore & æstu charitatis. In secundo datur illuminatio intellectûs ad ampliorem Dei cognitionem & contemplationem. Tertius effect[9] est combustio & consumptio omnium adversariorum amoris divini, dæmonum nimirùm & peccatorum propriorum, tùm & affectionum pravarum incineratio. Per quartum sursùm cor elevatur, à terrenis abstrahitur, ad cœlestia anhelat, totumque rapitur in Deum qui in cœlis est. Quintò tandem & ultimariò ignis hic exerit se & resonat per vocalem orationem atque inflammatam prædicationem. Sic cor ardens meditationis igne diversimodas demonstrat operationes; quibus quantum effulserit charitate vulnerat[9] Bernardus noster, sat superque notum esse arbitror: idq; amplissimè patefaciunt ructus cordis illius, verbi boni in tot operibus eructationes: tot hominum variorum conversiones per incensiones, illuminatiões, adustiones, elevationes ac prædicatiões ipsi[9]. Quanto erga Deum amore arserit, zel[9] gloriæ Divinæ propagandæ declarat. Quantâ erga proximos charitate accensus fuerit, tot lucra animarum ponunt in aperto. Quantus porro erga Jesum patientem & Crucifixum fuerit in amore, vel ipse amplexus ostendit Bernardum fuisse corculum JESU. Quantus erga Deiparam amoris ardor illum usserit, vel ipsa lactatio loquitur Bernardum fuisse corculum MARIÆ. Sed sciendum est, Sanctum Patrem ad hos Divinos & cœlestes amores non pervenisse, nisi per extirpationem profanarum mundi, carnis, & diaboli concupiscentiarum. Neque enim compatibiles secum sunt hi amores. Nemo potest duobus Dominis sibi contrarijs simul servire Deo & hosti ejus diabolo. Aut enim unum odio habebit, id est dæmonem cum suis asseclis mundo & carne, & alterum diliget Deum: aut unum sustinebit Satanam, & alterum contemnet (*Matt.* 6.) Dominum Creatorem suum. Absit omnis profanus ignis ab altari cordis nostri, ne offerentes coram Dño ignem alienum cum Nadab & Abiu, igne egresso à Domino, igne ultionis ejus devoremur & moriamur. [*Levit.* 10.] Hi meritò igne puniti fuêre, quia igne peccaverunt; ut per quæ quis peccat per eadem puniatur. (*Sap.* 11.) Porro ignis alienus luxuria carnis est, est iracundia mentis, est mundi avaritia, est

Quinq; sunt quæ ignis operatur.

Eadem in igne meditationis & orationis reperiuntur.

In S. Bernardo effectus ignis amoris.

Erga Deum, Erga proximũ,

Erga Jesum Crucifixum, Corculũ Jesu, Erga Mariam, Corculum Mariæ.

Profanus ignis absit à corde.

t vindictæ cupiditas, est ardor invidiæ, & his similia. Ignis sa-
er amor Dei est & proximi. Quàm alienus fuerit Divus Pater
ofter ab his ignibus profanis, ab his mundi carnis & diaboli ar-
oribus, demonstrant castitas ejus, patientia, humilitas, pauper-
s, super omnia autem major harum charitas. (*1. Cor. 13.*) Si-
llatim tamen cor ipsius immaculatum quantùm ab omni car-
is libidine abhorrebat, tot actus vitæ illius heroici & exempla-
s manifestant. Equidem abominatio est Deo, homo volupta-
bus carnalibus deditus; sed vel maximè peccatum mollitiei &
domiæ Deus detestatur & punit in instanti; uti patuit in Her
Onan filijs Judæ repentinâ morte percussis à Domino & occi-
s, quòd rem detestabilem fecissent, ait Scriptura: (*Gen* 38.)
m in igne quem Dominus à Domino de cœlo pluit cum sul-
hure super Sodomam & Gomorrham. (*Gen.* 19.) Censentur à
anctis Patribus, qui peccatum mollitiei frequentant esse incu-
biles & desperatæ salutis. Videant qui in hoc peccatum la-
untur, ut velocissimè ex eo resurgant per constantem pœniten-
am, ne ex consuetudine peccandi ob naturam vitiatam ad hoc
elꝰ propensissimum habitum contrahant, quem postea exuere
equeant; adeoque funes libidinis inextricabiles sibi nectant &
lectant, qui ipsos in abyssum pertrahant perditionis, ac demùm
ni gehennæ indissolubiliter alligent & adstringant. Eia PP.RR
F. DD. accendamus potiùs corda nostra sacris & castis amori-
us, quibus arsit S. Pater noster Bernardus exclusis omnibus sor-
idissimis mundi & carnis æstibꝰ ac cócupiscentijs. Sint corda no-
ra ardentia igne Divini & humani in Deo ac propter Deũ amo-
s æstuantia intimo Jesu & Mariæ affectu, ut nũquã ignis hic in
obis extinguatur: quinimò continuum in nobis sumat incremé-
um; & qui nunquam dicit, sufficit, (*Pr.* 30) insatiabiliter cor-
a nostra occupet: quia æterna occupatio nostra erit in cœlis De-
m, Jesum, & Mariam indesinenter amare cum S. Patre nostro,
osque invicem amore in Deo complecti, stringere ac tenere.

S. Bernardus alienꝰ ab ignibus profanis.

Homo voluptuarius est abominabilis.

Mollities detestabilis est,

& incurabilis,

velocissimâ eget pœnitẽtiâ,

Sermo in Festo Dedicationis Ecclesiæ.

Eructavit cor meum verbum bonum *Psal.* 44.

PRima domus in terris, quam sibi Deus à constitutione mun-
di fecit exstrui, & quam elegit in habitationem sibi (*Ps.* 131)
inter homines, fuit templum à Sapientissimo Regum Salo-
hone ædificatum; de quo, postquam perfectum esset, Deus hæc
dixit Salomoni: sanctificavi domum hanc quam ædificâsti, ut po-
erem nomen meum ibi in sempiternum; & erunt oculi mei &
or meum ibi cunctis diebus. [*3. Reg. 9.*] O magna Dei boni-
as! nomine Divinitatis suæ fabricam terrestrem insignire; cui
tiq; debetur sanctificatio, ut sicut in sede cœli Deus ter Sanctus
anitur, (*Isaiæ 6.*) ita unius & Trinæ Deitatis nomen in templo
ancto suo semper sanctificetur. Sed ô major Dei benignitas! o-

In Templo Salomonis DEI bonitas,

benignitas,

culos suos in domo hac permanenter stabilire, ut omnes in eo constitutos gratioso intuitu suo dignetur; quidni reciprocè ab omnibus cum omni reverentia & devotione respiciendus? Jam

Charitas.

verò ô maxima Dei charitas! cor suum in templo collocare, ut intima misericordiæ suæ viscera in eo explicet & pandat, nonne etiam ut invicem corda nostra ad se rapiat, amore sui stringat, & consecrata sibi assumat in sacrificium & holocaustum? Ad hæc omnia gratiæ Divinæ signa demonstranda, visibiliter Majestas

Majestas DEI implevit totam domum,

Domini implevit domum, & omnes filij Israël videbant descendentem ignem, & gloriam Domini super domum: (2. *Paral.* 7. ut quidquid esset in templo, totũ Dei esset, Deo sacratum, Deo dicatum: ut & ij qui sunt in templo, totos se Deo offerendo hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, (*Roman.* 12.) se ipsos immolarent; ut ex ea plenitudine Dei templum implentis, ho-

ut totos se offerret Deo, qui sunt in templo.

mines quoque verbum bonum, videlicet sacrificium spiritûs cõtribulati, (*Ps.* 50.) sacrificium laudis, [*Ps.* 49.] sacrificium justitiæ, (*Ps.* 50.) ex plenitudine cordis Deo eructarent. Ita planè; templum enim non in alium finem ordinatum est, nisi ut in eo

per sacrificium 1. cordis cõtriti

Deo sacrificia offerantur. Primum igitur sacrificium cordis contriti & humiliati consistit, ut per contritionem cor infectum sordibus peccatorum salutari aquâ lachrymarum abluatur & emundetur, quæ est instar alterius baptismi; & quâ tam Petrus quàm Magdalena solenniter usi veniam meruerunt. Deinde cor, quod

cor occidendũ.

imolatur ut victima per cõtritionẽ occidendũ, quatenùs expulsâ vitâ terrestri, mundanâ & carnali, cœlestis, spiritualis & Divina introducatur. Scindite corda vestra & nõ vestimẽta vestra, (*Joel.* 2 imperat Deus; sit cor non tantùm scissum sed occisum, ut fiat vera victima holocausti; (*Gen.* 22.) quæ dolendo de peccatis ex motivo Dei summi boni offensi, igne divini amoris concreman-

S. Chrysost.

da. *Sola est cordis compunctio,* ait Aureum os Chrysostom⁹, *quæ sicut ignis omne animæ vitium perurit & adimit; & quantacunq; in ea reperit mala, abstergit universa & penitùs delet.* Huic

Thus boni propositi.

additur thus per contritionem, quando homo propositis bonis & firmis, Deo se devovet thymiamatis adinstar, & in odorem suavitatis offert, [*Ephes.* 5.] per quod omnia alia maligna ex corde

S. Albert. M.

expelluntur. *Sicut lignum cedrinum.* inquit D. Albertus Magn⁹ *cùm incensum fuerit, odore suo serpentes fugat; sic etiam, ubi cor ardet igne contritionis accensum, omnia fugantur dæmonia.* Hujus holocausti flammam contritio in cœlum deducit. *Quantum valent tres syllabæ?* inquirit D. Ambrosius; *Tres enim syllabæ*

Tres syllabæ: peccavi.

sunt: Peccavi; *sed in istis tribus syllabis flamma sacrificij cordis ejus ad cælum ascendit. O lachrymarum potentia!* exclamat S. Ephrem, *quomodo in ictu oculi quasi præpetibus sublata pennis in cœlum revehis atq; ascendis, & postulata à Deo sancto obtines; occurritq; tibi hilariter indulgentiam ac remissionem peccatorum*

deferens

ferens. Et hic est ultimus contritionis effectus, Deum placa- & flectere ad misericordiam; ita ut etiam Angelis fiat gaudiũ cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. (*Luc.* 15.) O æstantissimum, & nobis peccatoribus necessariissimum atque ilissimum cordis contriti sacrificium! De secundo laudis sacri- *2. per sacrificium laudis;* io monet Regius Vates: immola Deo sacrificium laudis; (*Ps.*).) & hoc est canere cum eodem: benedic anima mea Domi- o, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. (*Psal.* 102.) uare? Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat o- nes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam; (*Ib.*) propter alia beneficia, quæ consequenter enarrat. Effect⁹ ho- m est: cordis renovatio post peractã pœnitentiã & veniam per- *in cordis renovatione,* eptam; renovabitur ut aquilæ juvent⁹ tua: (*Ps.* 21) spiritus rect⁹ novatur in visceribus cordis, (*Ps.*50) post cor mundum contri- one cordis expurgatum. Hinc vox laudis & gratiarum actio *gratiarum actione.* *Isai.* 51.) Deo persolvenda post confessionem peccatorum, di- endo: confitebor tibi Domine in toto corde meo. (*Psalm.* 137) *onfessio* juxta S. Hieronymum *trina est: Peccatorum*, de qua *Confessio Peccatorũ, Martyrum, Confessorum.* xim⁹: *Martyrum*, quæ est confessio fidei: *& Confessorum*, quæ t laudis: & hæc in toto corde est peragenda, faciendo id totum uantum possumus, totâ intensione cordis, totâ extensione affe- ûs; omnia propter Deum quàm perfectissimè & ardentissimè bsque omni aliarum cogitationum distractione, absque omni ordis divisione inter *Deum* & creaturas; benedicendo Domi- um in omni tempore (*Ps.*33) tam prosperitatis quàm adversita- s; Divinæ dispositioni in nullo contradicendo, sed omnia ad di- inæ providentiæ regimen referendo. Ad sacrificium laudis sub- *Vota reddenda Deo:* ngit Propheta Regius: & redde Altissimo vota tua. (*Ps.* 49.) *communia;* *ommunia vota, quæ Deo in baptismo promisimus* ait S. Pater oster, *sunt: ut non peccemus, & ut diabolo & operibus ejus ab- enuntiemus.* Particularia vota sunt, quæ facimus, uti Jonas ait: *particularia;* go autem in voce laudis immolabo tibi quæcunque vovi, red- am pro salute Domino: (*Jonæ* 2.) singularia planè vota, quæ in onfessione Deo proposuimus. Sed vel maximè specialissima vo- *specialissima:* Religionis, quæ distinxerunt labia nostra: [*Ps.* 65.] obedien- æ, quæ melior est quàm victima: (1. *Reg.* 15.) paupertatis, quæ t caminus, in quo Deus probat & eligit suos: (*Isai.* 48.) casti- atis, quæ est oblatio Deo mundissima. Hæc omnia Deo sunt ntegrè reddenda & persolvenda, nisi votifragi esse velimus, ter- ibili Deo, qui aufert spiritum Principum. [*Ps.* 75.] Est tamen naximum sacrificium laudis Sacrosancta Eucharistia, instituta in nemoriam Passionis; & pro gratiarum actione ob sacrificium in ruce absolutum; & propter redemptionem totius orbis consum- *Sacrificium laudis est Eucharistia:* natam. Quid est Eucharistia nisi bona gratia? Huic bonum ver- um gratiarum actionis, laudis, & benedictionis eructandum &

 sacrifi-

sacrificandum. Per ipsum videlicet Jesum in SS. Sacramento cōstitutum offeramus hostiam laudis semper Deo; id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus: (*Hebr.* 13.) quin ipsam sacram sumamus hostiam ad vitam & salutem consequendam. Sacrificium laudis tale honorificabit me, ait Deus apud Prophetam, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. (*Ps.* 49.) Ex hoc Sacrificio & Sacramento honor Dei resultat, homo recipit viaticū ad videndum salutare Dei in vita æterna. Restat sacrificium justitiæ offerendum, quod in actionibus virtuosis vitæ nostræ adimpletur. Prima radicalis virtus occurrit fides, quæ altare erigit, & ipsamet juxta D. Ambrosium *bona hostia est*: cujus figuram Enos gerere potest, qui primus cœpit invocare nomen Domini, (*Gen.* 4.) cætum hominum in unum congregando. Sequitur spes in Noëmo figurata velut tabula naufragij & anchora portus componens ligna ad sacrificium. Progreditur charitas, quam Salomō pacificus & itidem amabilis denotat; qui cùm complêsset fundens preces, ignis descendit de cœlo, & devoravit holocausta & victimas. (2 *Par.* 7.) Hoc opus est charitatis in sacrificio, ut velut ignis hostias consumat. Hanc virtutum reginam reliquæ comitantur, ita tamen ut singulas Religio, cui incumbit debitum honorem Deo reddere, ducat ad altare. Et quidem prima justitia quidni sacrificium justitiæ peragit? Trium priorum præceptorum observantiam litat Religioni, *quæ est potissima pars justitiæ* teste *D.* Thoma: quarto præcepto parentum & Superiorum sacrificat pietati: cæteris sex mandatis æqualiter omnibus ministrat; adeoq; facit opus suum, quod est, reddere unicuiq; quod suum est. Cum justitia graditur misericordia, quam Deus mavult quàm sacrificium. (*Osee* 6.) Beneficentiæ & communionis, nimirùm bonorum cōmunicationis, nolite oblivisci, inquit Vas electionis, talibus enim hostijs promeretur, sive reconciliatur Deus. (*Hebr.* 13.) Micheas Propheta manifestat, quid à nobis velit Deus: indicabo tibi ô homo, inquit, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; utique facere judicium (per quod justitia quoque intelligitur) & diligere misericordiam. (*Mich.* 6.) Hæ ipsæ virtutes sunt viæ Dei, sunt Dei operationes; unde Psalmista: misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. (*Ps.* 100.) Sic ergo justitiæ & misericordiæ operib⁹ erga alios abundans, erga se ipsum mortificationis actus exerceat, corpus continentiā & abstinentiā stringendo, sensus & passiones in obsequiū Deo mactando. *Unusquisq; corporis sui sacerdos est creatus*, ait S. Isidorus Pelusiota, *non ut citra ordinationem & institutionem subditorum imperium arripiat, sed ut vitiis imperans corpus suum castitatis delubrum aut templum efficiat.* Pulchrè Origenes applicat veteres hostias vitijs dicens: *Si superbiam corporis tui vincas & reseces, immolas Deo vitulum; si iracundiam, arietem; si libidinem*

3. per sacrificium justitiæ, per fidem in Enos, per spem in Noe, per charitatem in Salomone.

Religionis decem præceptorum.

Cum justitia graditur misericordia erga alios.

Actus justitiæ est mortificatio

S. Isidor. Pelusiota.

Origenes. *Quid sit immolare vitulum, arietem,*

um, hircum; si vagos & lubricos cogitationum volatus, columbam & turturem. Deniq́ue generatim ait: *Sacrificium justitiæ rationabilis animæ ab affectibus solutio.* Cùm igitur templum Dei sanctum sim⁹ nos, & spiritus Dei habitet in nobis; (1 *Cor.* 3) sim⁹ domus spiritualis Dei juxta S. Petrum: quin etiã sim⁹ sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum: (1. *Pet.* 2.) simus regale sacerdotium (*Ib.*) & regnum sacerdotale, ac cor nostrum pro altari habeamus; nihil requiritur, nisi ut enumerata tria sacrificiorum genera pro differentia status nostri offeramus. Et quidem in statu peccati constituti, sacrificium cordis contriti & humiliati, ac spiritûs contribulati (*Ps* 50) immolare non differamus, donec impetremus veniam, & in gratiam cum Deo redeamus; quia Deus sanat contritos corde. (*Ps.* 146.) In statu porrò gratiæ existentes, licèt non sciamus num amore num odio digni simus, (*Eccli.* 9.) sacrificium laudis & justitiæ frequentemus; semperq́; nos ipsos cum votorum & propositorum nostrorum executione, cum continua virtutum exercitatione, cum assidua meditationis & orationis oblatione, Deo in perenne holocaustum sacrificemus; ut in nobis ubique positum sit nomen Dei velut in templo majestatis suæ; sintq́ue oculi Dei & cor ejus in nobis & hic & in æternum.

hircum, Columbas.

Nos ipsi sumus Templum;

Ut offeramus Deo triplicia Sacrificia in nobis

in statu peccati,

in statu gratiæ,

Cum virtutibus.

Sermo in Nativitate B. V. Mariæ.

Eructavit cor meum verbum bonum. *Psal.* 44.

HActenùs infelices fuerunt ructus humani cordis, maligni serpentis instinctu perversi, ad pravam concupiscentiam conversi, & à Deo ejusq́ue præcepto per peccatum aversi, quod detestanda fructûs vetiti comestio fatali mortis repleverat satietate. PP. RR. FF. DD. Quidni ex hujus malè sumpti fructûs plenitudine eructaret cor hominis verbum malum? quando per invidiam diaboli excœcatum, plenum factum dolo & fallaciâ illius; necnon mulieris malesanæ consilio depravatũ, nebulâ ambitionis & tumore superbiæ inflatum, pravi appetitûs fermento coagulatum, in malitia abundavit. (*Ps.* 49) Sed & verbum malum fuit homini terribile Dei decretum: morte morieris; (*Gen.* 2) eidem qui servus peccati fuerat factus ac dæmonis mancipium in anima & corpore implantatum, ita ut & anima ejus culpæ mortiferæ fieret funus, & corpus morti cederet in prædam simul & escam. O graveolens ob sumptum maledictum fructum, & malè sapidus ructus pessimi verbi quia lethalis, ex corde humano protrusi; in quo concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ, (1. *Joan.* 2.) primigenij delicti effectus tenent dominatum! Nonne meritò huic triplici iniquitati triplex malæ auditionis verbum ab Angelo inclamatur: væ væ væ habitantibus in terra! [*Apoc.* 8.] utiq́; filijs Evæ maledictæ.

Eructatio verbi mali;

Morte morieris

Unde concupiscentia carnis oculorum & superbia vitæ.

Triplex væ.

Sed ecce Deo gratias, hodie feliciſſimus prodit ructus ex cor[de] naturæ humanæ, ex ſe quidem vitiatæ ſed per præſervation[em] DEI hic & nunc ſingularem, absque omni vitio exiſten[s], benedictus Sanctæ Annæ, id eſt gratiæ, utique Divinæ fruct[us], Virgo immaculata, nullius peccati conſcia, ab omni malo li[be]ra: & nomen Virginis MARIA. (*Luc.* 1.) O verbum bonu[m] nomen Mariæ poſt nomen Jeſus ſuper omne nomen; (*Philip*[.2.]) quia illius, quæ verbum bonum, verbum Dei, verbum ſalutis [in] ſe caro factum, ex ſe orbi edidit univerſo. Hæc cùm eſſet p[ar]vula, non tam ſpiritu quàm corpore, placuit Altiſſimo. (*Pr.* [.]) Hujus cùm eſſet filia audiens, videns, & inclinans aurem ſu[am] verbo Dei, & per caſtimoniam oblita populi ſui; concupivit R[ex] decorem, quoniam ipſe eſt Dominus Deus ejus: (*Pſ.* 44.) e[jus] planè ſingularis, eligens & præeligens eam, & ordinans in M[a]trem ſibi ab æterno: [*Pr.* 8.] Maria eſt nomen ejus. O bened[i]ctum nomen verbi boni, nomen benedictæ inter omnes mu[lie]res; nomen illius, cujus ventris fructus eſt eſſentialiter benedi[ctus]? (*Luc.* 1.) cujus cor conſervabat omnia verba Dei, & confere[bat] (*Luc.* 2.) ad fructum optimum & centuplum proferendum; [ac] ideò immune erat ab omni prava humani cordis concupiſcen[tia]. Quomodo enim ibi poterat reperiri concupiſcentia carnis, [ubi] regnabat caſtitas & pudicitia Virginitatis? Quomodo nam e[ſſet] concupiſcentia oculorum, ubi erat excluſio omnium creaturar[um] ex corde ejus dicente: dilectus meus mihi & ego illi, (*Cant.* [2.]) ſolus ſoli, ſola ſoli. Quid ibi faceret ſuperbia vitæ, ubi erat om[nis] humilitatis abyſſus in illa ancilla Domini, illa parvula filia & o[be]diente? In ſe proinde excluſit omne verbum malum culpæ, q[uæ] ſalutatur per *Ave*: ex ſe protulit & eructavit omne verbum [bo]num, verbum gratiæ velut gratiâ plena: per ſe ſublato omn[i væ] peccati, omne væ mortalitatis tanquam Mater vitæ elimina[vit]; quia *Dominus* cum ipſa, qui eſt vita & lux vera illuminans o[m]nem hominem venientem in hunc mundum. (*Joan.* 1.) E[t] ipſa venit hodie, & vocatur Maria. Nonne Illuminatrix? Ita [pla]nè juxta S. Hieronymum dicentem: *Maria idem eſt quod Il[lu]minatrix mea, vel illuminans eos; aut Smyrna, id eſt ex græ[co] myrrha maris vel ſtella maris.* Dominus tecum, ait Angelu[s] [ad] eam: (*Luc.* 1.) quæ eſt *Domina* interprete S. Iſidoro; *ſerm[one]* *enim Syro Maria Domina nuncupatur, pulchrè, quia Domi[num]* *genuit.* Idem antecedenter inquit: *Maria interpretatur Illu[mi]natrix aut ſtella maris, genuit enim lumen mundi.* In veteri [Te]ſtamento una tantùm Maria reperitur, eaque illuſtriſſima; [nam] ſoror Moyſis ſupremi Ducis Iſraëlitarum, & Aaron ſupremi [Pon]tificis ac ſummi Sacerdotis eorundem, & ipſa Virgo: non e[nim] conſtat ex Scriptura eam alicui nupſiſſe aut prolificâſſe. Hæc [Do]minùs ductrix erat cunctarum fœminarū Hebræarum, uti Mo[y]ſes

Eructatio felix ex corde humanæ naturæ. Nativitas B. V.

Maria

absq; cõcupiſcentia carnis,

absq; concupiſcentia oculor.

absq; ſuperbia vitæ.

Ave excludit malum culpæ.

Maria Illuminatrix.

Smyrna, myrrha.

Maria Domina.

Maria ſoror Moyſis.

; ductor erat virorum. Et quemadmodum ipſe traduxit popu-m per mare rubrum, canens carmen Domino; ſic & ipſa Ma-ı, dicta tunc Prophetiſſa, ſumens tympanum in manu ſua præ-entrix fuit omnium mulierum poſt eam cum tympanis & cho-; egreſſarum: [*Exod.* 15.] umbra & figura Mariæ noſtræ *Do-inæ* & ductricis noſtræ; ſecundùm D. Auguſtinum, *Tympani-riæ noſtræ.* Poſt hanc ô quantæ adductæ ſunt virgines, quantæ iæ Regum proximæ ejus allatæ ſunt in lætitia & exultatione in mplum Regis! [*Pſ.* 44.] Vocem vetuſtæ Mariæ nôſtis: can-mus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt. (*Ex.* 15.) *Quo-odo verò Tympaniſtria noſtra cantaverit*, dicente S. Auguſtino, *atis: Magnificat anima mea Dominum.* [*Luc.* 1.] Ibi Dominus er ſe magnificatus canitur, hìc anima Mariæ magnificans Do-inum accinitur: quæ magnum Deum, magnum Dominum & udabilem nimis [*Pſ.* 47.] parvum factum ſuis incluſit viſceri-us. Sed quando ipſum enixa eſt, Gloria in altiſſimis *Deo* cani-ur ab Angelis; (*Luc.* 2) unde ex parvulo nato haud dubiè ma-nificatus eſt Dominus in excelſo. (*Iſai.* 33.) Hæc igitur Maria ixta aliquos ex Hebraico Mor & Jam, myrrha maris dicitur; uia dùm amara tyrannis Pharaonis, mergi præcipientis infantes lebræorum cœpit, nata fuit, & venit quaſi in myrrheam occi-onis eorum amaritudinem. Quidni noſtra non minùs in hoc o-ginalis peccati cataclyſmo in hanc communis amariſſimæ mor-; abyſſum educta prodijt; ſed progreſſa eſt velut virgula fumi ; aromatibus myrrhæ & thuris, (*Cant.* 4.) facta eſt myrrha aris (generis humani) ubi aquæ multæ populi multi; tollens orruptionem, auferens infectionem, inferens conſervationem: uris offerens thymiama, ſe ipſam per veram *Deo* conſecrans evotionem. Sed meliùs Maria derivatur ex Mara, quod eſt Do-ina, doctrix atque magiſtra, & Jam, id eſt maris; unde in He-raico dicitur Marjam, quod Græci & Latini in ſuum idiotiſmũ anſtulerunt, omiſſo M. Maria nominantes. Quæ quidem expli-tio magis noſtræ Dominæ ſervit teſte Divo Ambroſio: *Maria cta eſt Domina maris hujus ſeculi, ut per illud nos ducat ad ter-m promiſſam, id eſt cœlum. Domina omnino* inquit S. Petrus hryſologus: *quam naſci & vocari Dominam ipſa ſui germinis cit & imperavit authoritas. Hæc eſt Domina*, ex mente S. Jo-is Damaſceni, *Domina Auguſta, benignisſima; cui licèt ſolo no-ine Mariæ vocetur, multa ſunt nominum millia.* Domina bona ſolius boni Dei (*Matth.* 19.) Mater; Domina bona, bonique erbi Parens, nonne eructans ex corde & viſceribus ſuis bonum rbum? Domina decies millenis bonorum vocabulis digna, ena viſceribus miſericordiæ, & juxta S. Joſephum Hymnogra-um *Domina omni bonitate prædita, quæ Deum omni bonitate aditum in carne peperit:* & ſecundùm Joannem Geometram,

Figura Mariæ B.V.

Canticum vetuſtæ Mariæ.

Canticũ Tympãiſtriæ noſtræ

Maria Myrrha maris.

Maria ex Mara *i. e. Domina, &* Jam *maris.*

S. Ambroſ.

S. Joan. Damaſcenus.

Domina bonorum omnium utriusq; mundi, quæ omnibus omnia, quibus, quanta, & qualia vult largitur: demùm ex sensu Idiotæ *Domina omnium creaturarum, Creatoris omnium Mater existens* Hæc omnia, quòd sit Domina in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis (*Psal.* 134.) tam miseriæ humanæ quàm misericordiæ Divinæ, & quòd sit Domina nostra, prout in diversis lingvis, sigillatim Hispanicè *Nuestra Sennora*, Gallicè *Nostre Dame*, Germanicè **Unsre liebe Frau**, denominatur; nomē Mariæ in se complectitur.

Domina in alijs linguis.

Quid quòd etiam stella maris ex nominis derivatione nuncupatur. Et juremeritò. Illuxit enim super hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus: (*Ps* 103) in hoc, inquam, mundo instar maris fluctuante & procelloso, illuxit hodie vel maximè nata velut beneficum Sydus super has tenebras abyssi; & ita facta est lux (*Gen.* 1.) hominibus habitantibus in regione umbræ mortis. (*Is.* 9.)

Maria Stella maris.

S. Bernard.

Tolle Mariam hanc maris stellam, asserit Mariophilus Doctor noster, *quid nisi caligo involvens, aut umbra mortis ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* Nec unius stellæ formam gerens, sed omnium luminarium cœli præseferens splendorem. Quæ est ista, interrogant cœlestes, quæ progreditur quasi aurora consurgens, primitias diei per diluculum gratiæ adferens; pulchra ut luna, noctis caliginem dissipans; electa ut sol, plenum Divinitatis diem diffundens; terribilis ut castrorum acies ordinata, (*Cant.* 6.) benignas omnium astrorum cœli influentias dispensans. Hæc omnia in uno Mariæ nomine continentur.

splendorem gerens omnium luminarium.

O nomen magnificum Dominæ nostræ! O nomen salvificum Myrrhæ nostræ concupiscentiam carnis mortificans! O nomen clarificum Illuminatricis & stellæ nostræ, concupiscentiam oculorum disperdens! O gloriosissimum Mariæ nomen, triplex illud væ peccati à delicto Evæ ortum ducens, virtute potentiæ suæ eliminans! A solis ortu usque ad occasum sit laudabile nomen Mariæ, (*Ps.* 112.) hodie adinstar solis orientis & effulgentis in templo Dei. (*Eccli.* 50.)

Nomen magnificum Dominæ

Eructet cor nostrum in vim gratitudinis verbum bonum laudis & benedictionis: salutemus hodie Mariam, & cunis ejus supplicem libellum appendamus dicentes: Salve ô benedicta S. Annæ id est gratiæ, filia simul & Mater Divinæ gratiæ gratiâ plena, insuper inveniens gratiam apud Deum, (*Luc.* 1.) pro nobis utique peccatoribus; hanc nobis obtentâ peccatorum veniâ à Deo impetra: invocetur nomen tuum super nos; (*Isa.* 4.) libera nos prece tuâ à servitute peccati propter nomen tuum, ut Deo Domino nostro & tibi Dominæ nostræ simus obedientes, sim⁹ myrrha sacri nominis tui: concupiscentias nostras mortifica, & ab omni prorsùs corruptione præserva; ut omnes tam in statu Ecclesiastico quàm Politico, in Sacro Ordine & Oliva, in agone & purgatorio constituti, per te Stellam maris, Illuminatricem nostram perducamur ad portum salutis & vitæ æternæ.

Eructandum à nobis verbum bonum pro gratitudine.

Sermo in Festo Omnium Sanctorum.

Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.

Quid arbitramur PP. RR. FF. DD. quibus medijs homines hic in terra degentes meruerunt fieri sancti in cœlo? Quib⁹ modis ad hunc supremum sanctitatis apicem pertigerunt? Quâ ratione gloriam & honorem Sanctorum adepti sunt? Proculdubio nō aliter nisi Deo Regi suo essentialiter Sancto & omnis Sanctitatis Fonti corde adhærendo, linguâ verbum ejus bonum eructando, & manibus opera sua illi addicendo. Hæc tria membra: cor, lingua, manus, Deo sacrata, ipsos Sanctos effecerunt. Eructavit cor illorum verbum bonum, dixerunt opera manuū suarum Regi, & lingua eorum fuit calamus scribæ cœlestis. (*Ps.* 44) Percurram⁹ singula. Primum membrum, cor Deo sacrum, necesse est ut sit immaculatum, sit clausum, sit rectum. Immaculatum erit, si sit à sordib⁹ peccatorum expurgarū. Hoc monet Jeremias: lava à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias. (*Jer.* 4.) Idem hortatur D. Jacobus Apostolus: purificate corda duplices animo, (*Iac.* 4.) qui divisum cor habetis, qui corde et corde loquimini, (*Ps.* 11.) qui duobus Dominis servitis. Væ duplici corde, cominatur Ecclesiasticus, & homini ingredienti terrā duab⁹ vijs. (*Eccli.* 2.) Purificet se cor ab hac duplicitate ut soli Deo unicè adhæreat. Cor ita purificatum & mundum videt Deum; (*Matth.* 5.) & teste Sapiente: qui diligit cordis munditiam, habebit Regē amicum; (*Pr.* 22) illum videlicet cui opera sua dicit. Ad munditiem cordis servandam requiritur ut sit clausum, ut non pateat hostibus, ut nulla admittat peccatorum inquinamenta. Sapiens cor & intelligibile abstinebit se à peccatis, docet idem Ecclesiasticus. (*Eccli.* 3.) Sapiens erit memorando novissima, (*Eccli.* 7.) & recogitando annos suos in amaritudine animæ. (*Isa.* 38.) Ac ideo necesse est ut moretur continuò in contritione & compunctione suiq; humiliatione. Hinc dicitur: cor sapientis, ubi tristitia; (*Eccle.* 7.) illa sanè quæ habetur pro peccatis commissis. Inde sequitur hoc quod Sapiens docet in Proverbijs: cor quod novit amaritudinē animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus; (*Prov.* 14) nec mundus, nec caro, nec diabolus, qui non tantùm sunt extranei sed & inimici. En amaritudo cum gaudio, ecce ex tristitia lætitia: secura enim mens quasi iuge convivium. (*Prov.* 15.) Secura tunc quando cor est instar castri omni custodia servatum, instar claustri muris continentiæ cinctum, instar Sancti Sanctorum (*Num.* 4.) ab omni profanatione præservatum. Sequitur inde ut sit cor soli Deo intentum & apertum per fidem, cor rectum, ad solum Deum per spem tendens, & illum solum requirens, cor solo Deo repletum, eumq; solum stringens per amorem. Cor tribus literis exprimitur & tribus figuratur signis. Prima litera lunæ

Quibus mediis homines fiant sancti:

adhærendo cor: de Deo, eructando linguâ verbum bonū, Deo addicendo manibus opera sua.

1. Cor; quod debet esse mūdum,

clausum,

rectum.

Cor exprimitur tribus literis.

Prima C lunæ crescentis, 2. O *Solis,* 3. *rotæ fractæ.* crescentis gerit: secunda Solis rotunditatem refert: tertia rotæ confractæ specimen repræsentat. Quid hæc nisi triplicis amoris symbola indigitant? Primus amor est proximi, quem videmus & vicinum habemus prout luna terræ est omnium planetarum propinquissima. *Amor proximi, Dei,* Secundus amor Dei quem non videmus, (*1. Petr.* 1.) qui est in excelsis, (*Luc.* 19.) & ignis consumens, (*Deut.* 4.) & lucem habitat inaccessibilem. (*1. Tim.* 6.) Tertius amor nostri, *nostri,* quem sentimus & possidemus, qui in nobis & circa nos rotatur. Ille est lunæ crescentis, ut charitas nostra semper erga proximum crescat & augeatur: sed propter Dei amorem iste litera C est consonans vocali O. Et quemadmodum luna à Sole lumen participat, ita amor proximi a Dei amore debet sumere motiva & incrementa. Alter amor Dei instar Solis in medio cuncta illustrans, solus vocalis in corde, seipso circulum formans & æternitatem designans, medium cordis nostri occupare debet: solus primariò & perpetim in eo tenetur resonare ac dominari. Tertius rotæ confractæ modo factus, literam R, quæ est irritatoria, repræsentans; est amor nostri. Hic in contritione & mortificatione fundatus (qui enim amat animam suam perdet eam *Ioan.* 12) hoc poposcit, ut si nos verè amamus, odio nos prosequamur & mortipunitione persequamur: semperq; per austeritatem & rigorem vitæ contendamus ad amorem Dei in nobis accendendum & intendendum; ut sicut litera O. totius verbi facit resonantiam, ita amor Dei totum cor debet implere & possidere. Hoc certum est, quòd quantò magis in amore nostri deficimus, tantò magis in Dei amore proficimus. Tale igitur cor nonne ex hac plenitudine eructabit verbum bonum? Et huic servit secundum membrum, Lingua, de qua ait *D.* Thomas: *Lingva est immediatum organum ad interiorem conceptum cordis explicandum.*

3. Lingua eructat verbum bonum. Unde quàm citò verbum est in corde, est in lingva, ideò debet diligenter custodiri. Dixi, ait Propheta & interpretatur S. Ambrosius, hoc est *proposui, confirmavi, imperavi mihi, locutus sum cordi meo:* custodiam vias meas, *vias cordis, vias oris, vias affectionum, vias eloquiorum,* ut non delinquam in lingva mea. (*Psal.* 38.) Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, ait *D.* Iacobus. (*c.* 3.) Multa sanè sunt delicta lingvæ: ô quantus labor ut ab illis caveatur! Eapropter Propheta orat Deum: pone Domine custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labijs meis.

Tres custodes labiorum: (*Ps.* 140.) Quænam hæc custodia oris? Tres custodes specificat Vates Regius: obmutui, inquit. En primus custos, silentium. O *validum scutum circumspectæ munitionis silentium,* exclamat D. *silentium,* Ambrosius! *O fidissimum stabilitatis fundamentum, in quo si quis potuerit stare, lubricum verbi timere non possit!* Et humiliatus sum prosequitur David; en secundus custos, humilitas. *humilitas,* Custodiens parvulos Dominus, id est humiles: humiliatus sum & liberavi

avit me. (*Ps.* 114.) Ipse Deus custos est humilium & liberator à
nalis. Et silui à bonis (*Ps.* 30.) concludit Propheta. *Cæpi non di-*
cere bona, ait D. Augustinus *cùm timeo ne dicam aliqua mala.*
En tertius custos patientia: silui à bonis, quasi dicat: nolui me de- *patientia.*
endere & bonitatem causæ meæ obtendere. His tribus custodi-
bus castrum vel claustrum oris bene custoditur. Nihilominus quã-
loquidem ex abundantia cordis os loquitur, (*Matt.* 12.) ubi in
orde est plenitudo boni; inde non potest esse nisi boni verbi eru-
tatio. Sed quodnam hoc est verbum bonum? Non aliud nisi
erbum Dei, (*Luc.* 11.) verbum ædificans. Ante omnia opera ver- *Verbum bonũ est verbũ Dei.*
um verax præcedat te, monet Ecclesiasticus, (*Eccli.* 37.) ut ve-
itas de corde sincero promatur. Sermo tuus veritas est: (*Ioan.* 17.)
it ipsa Veritas Christ⁹ ad Patrem. Non enim sum⁹ sicut plurimi
dulterantes verbum Dei, inquit Apostolus, sed ex sinceritate, sed
cut ex Deo, coram Deo in Christo, sive pro Christo loquimur.
2. *Cor.* 2) De plenitudine eius nos omnes accepimus, *Ioan.* 1.)
: ideo de eadem eructamus. Cum servaveris sapientiam in ven-
e tuo, ait Sapiens, nimirum in corde tuo, redundabit in labijs
is: (*Prov.* 22.) sed tunc eructabit cor verbum bonum per lin-
uam, quando hæc est calamus scribæ (*Ps.* 44.) cœlestis illius *quandò linguâ est calamus Scribæ, Spiritûs Sancti.*
piritûs Sancti, per quem alij datur sermo sapientiæ, alij sermo
ientiæ; (*Corinth.* 12.) quando non nos sumus qui loquimur sed
piritus Patris nostri qui loquitur in nobis; (*Matth.* 10.) quando
rbum Dei nobis insitum (*Iac.* 1.) abundat in cordibus nostris.
unc nobis accidit hoc quod illi apud Iobum qui de se fatetur:
enus sum sermonibus & coarctat me spiritus uteri mei. En vẽ-
r meus, [cordis utiq;] quasi mustum absq; spiraculo, quod la-
nculas novas disrumpit, (*Iob.* 32.) ita ut necesse sit, verbum bo-
m eructare. Quodsi contingat nos facere quod fecit Jeremias:
n recordabor eius, neq; loquar ultra in nomine illius, inquit,
ia iam olim loquor vociferans iniquitatem & vastitatem clami-
, & factus est mihi sermo Domini in opprobrium & in derisũ
a die; ideo tacere voluit. Sed ecce factus est in corde meo quasi
nis exæstuans claususq; in ossibus meis, & defeci ferre non su-
pens: (*Ierem* 20.) eam ob rem necessariò eructavit cor meum
bum bonum, (*Ps.* 44.) quod ipsum multiplex est. Prædica
bum, præcipit Apostolus Timotheo: insta opportunè, impor-
iè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. (2.-
n. 4.) Sed amplius Deus Ieremiæ imperat. Ecce dedi verba
a in ore tuo, ut evellas & destruas & disperdas & dissipes & æ-
ces & plantes. (*Ierm.* 1.) Multæ sunt operationes verbi Divi-
quæ Superioribus & prædicatoribus eius conveniunt. Omnib⁹
em competit facere quod monet S. Petr⁹ Apostolus: si quis lo-
tur quasi sermones Dei. (*1 Pet.* 4) Sit sermo noster juxta S. Ja-
ũ: *c.* 5. est, est, non, non; & juxta S. Paulum: sermo noster

ſemper in gratia ſit ſale conditus, (utique ſale ſapientiæ, ſale diſcretionis) ut ſciamus, quomodo unicuique nos oporteat reſpondere. (*Coloſſ.* 4.) Verbo repeto: qui in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir; (*Jac.* 3.) & ſi quis putat ſe Religioſum eſſe non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt Religio. (*Jac.* 1.)

3. Manus dicit opera ſua Regi.

Sequitur tertium membrum: Manus dicés opera ſua Regi; à quo ſi regitur, optimè dirigitur. Quodcumq; poteſt facere manus tua, inſtanter operare, admonet Sapiens; (*Eccli.* 9.) manus enim ad operandum ſunt creatæ; ſicut cor ad intelligendum & volendum, & lingua ad loquendum intellecta & volita. Unde & man⁹ pro ſervãda horũ membrorũ cõformitate intellecta & volita debet effectui mãcipare.

Utraq; manu debemus operari, ſicut Aod Salvator Iſraël,

Nec una ſola ſed utraq; ſit in opere; quin adinſtar Aod inclyti Salvatoris Iſraël, qui utraque manu pro dextra utebatur; (*Judicum* 3.) & adinſtar habitatorum Gabba de Beniamin, qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi ita ſiniſtrâ ut dextrâ prœliantes, & utraque manu fundis ſaxa jacientes & dirigentes ſagittas: (*Jud.* 20.)

in proſperis & adverſis.

& in proſperis & in adverſis æqualiter bona ſemper ſunt peragenda, & per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris (2. *Cor.* 6.) contra hoſtes eſt pugnandum, docente Deo manus noſtras ad prælium & digitos noſtros ad bellum. (*Pſ.* 143.)

In actibus eleemoſynæ neſciet ſiniſtra &c.

Nonniſi in actibus eleemoſynæ, quando manus aperitur inopi, & palmæ extenduntur ad pauperem; (*Pr.* 31.) neſciat ſiniſtra quod facit dextra (*Matth.* 6.) pro ſecreto virtutis abſcondendo.

Manus levandæ per orationem, non pollutæ,

Primùm igitur in nomine Domini levandæ ſunt manus ad Deum per orationem, ſed puræ ſinè ira & diſceptatione, (1. *Tim.* 2.) ne ſint pollutæ ſangvine (*Iſ.* 59.) tam cædis quàm libidinis, tales enim viri ſangvinum [*Pſ.* 54] nominantur; ne injuſtitias manus noſtræ concinnant, (*Pſal.* 57.) ne in manibus noſtris iniquitates ſint, (*Pſal.* 25.) vel aliquando expandantur ad Deum alienum; (*Pſ.* 43.) quòd ſi manus ſunt pollutæ vel infectæ operum pravorum ſordibus, cum Pſalmiſta

lavandæ pænitentiâ,

laventur manus noſtræ inter innocentes, (*Pſal.* 25.) ut ſimus innocentes manibus & mundo corde; (*Pſal.* 23.) laventur lavacro pœnitentiæ, dicendo ad Deum: ampliùs lava me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me; (*Pſal.* 50.)

mortificatione,

laventur mortificationis & voluntarij martyrij lavacro cum his qui laverunt ſtolas ſuas in ſangvine Agni, (*Apoc.* 7.) laventur

eleemoſynâ

largitionibus eleemoſynarum: ſic enim aſſerit veritas Divina: date eleemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis. (*Luc.* 11.) Et ſic nunquam illotis manibus accedamus ad manducandum panem cœleſtem, quia hunc terrenum ſic manducare non coinquinat hominem. (*Matt.* 15.) *Ablutio manuum* inquit S. Cyrillus Ieroſol. *nobis Sacerdotibus innuit, ut puri conſcientiâ & cogitatione, quæ ſunt manus animarum noſtrarum, cum timore, manſuetudine & clementia omni accedamus ad ſanctam menſam.* Lavatio

ſacri-

Sacroſancta erat, ait S. Dionyſius Areop., *in legis hierarchia, nunc autem & à Pontifice & à Sacerdotibus adhibita manuum expiatio eam ſignificat. Illi enim qui ad ſanctisſimum ſacrificium veniunt, eſſe debent expiati etiam ab externis animi viſionibus, excluſis nimirùm creaturis ſoli Creatori intenti, ubi omnium orationum eſſentia reperitur.* Elevatio manuum mearum, inquit Propheta Regius, (*Pſal.* 140.) ſacrificium veſpertinum. Sacrificium hoc fuit veſperi in Cæna Domini inſtitutum à Chriſto, (*Matt.* 26.) & per eundem horâ veſpertinâ in Cruce conſummatum. (*Joan.* 19.) *Illud eſt ſacrificium veſpertinum*, ait S. Auguſtinus, *paſſio Chriſti, crux Chriſti, oblatio victimæ ſalutaris, holocauſtum acceptum Deo.* Cum hoc ſacrificio per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum crucifixum fiat elevatio manuum, quando dirigitur oratio noſtra ſicut incenſum in conſpectu Dei, (*Pſal.* 140.) inſtar thymiamatis cum ſtacte ſivè myrrha electa mortificationis, cum onyche nardino caſtitatis, cum galbano charitatis, cum thure integræ ac perfectæ devotionis. Fit autem elevatio manuum ad conteſtationem fidei, quòd Deus ſit in cœlo, quem oramus; ad declarandum, quòd petatur à Deo auxiliũ in neceſſitatibus; ad offerenda omnia opera noſtra Deo, ſicut arbor expanſis ramis fructus in munus exhibet; ad indigitandam cordis ac mentis elevationem, & quaſi à terra abſtractionem, ac tendentiam ad ſublimia cœlorum; ad manifeſtandam manuum puritatem, de qua Rex Solymæ: propter puritatem manuum mearum retribuet mihi; (*Pſ.* 17.) deniq; ad oſtendendam promptitudinem tam ad laborem, ut manus noſtræ in cophino ſerviant, [*Pſal.* 80.] & ut labores manuum noſtrarum manducemus: (*Pſal.* 127.) quàm ad prœlium, (*Pſal.* 143.) ut manus noſtras mittamus ad fortia: (*Prov.* 31.) *& ſic in oratione manus extendamus*, dicente S. Ephrem, *ac veluti ſagittas in hoſtes dirigamus.* Jam verò elevatæ manus vel junguntur, ut ardor voluntatis mõſtretur ad obediendum Divinæ voluntati, & ad non parcendum labori; non ſicut ille ſtultus apud Sapientem, qui complicat manus ſuas & comedit carnes ſuas dicens: melior eſt pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore & afflictione animi; [*Eccles.* 4.] homo enim natus eſt ad laborem. (*Job.* 5.) *Nulla ſinè labore virtus eſt*, ait S. Ambroſius, *quia labor eſt proceſſus virtutis. Junguntur manus*, ait Nicolaus Papa ſcribens ad Bulgaros, *ut nos Chriſti ſervos eſſe & captivos declaremus; manusq; offerre, ut ejus ſacris vinculis ligentur, nè unquam opera prava faciant: vel expanduntur manus, ad patefaciendum alas deſideriorum noſtrorum in cœlum evolare, & quòd Chriſto in Cruce extenſo & brachijs diductis patienti velimus aſſimilari, parati cum ipſo crucem ferre*: de quo Tertullianus: *paratus eſt ad omne ſupplicium ipſe habitus orantis Chriſtiani.* Qua-

S. Dionyſi9 Areopag.

Sacrificium veſpertinum quod?

S. Auguſt.

Elevatio manuum in oratione ad quid?

I.
II.
III.
IV.
V.
VI.

Manus elevatæ quare junguntur?

S. Ambroſi9

Nicolaus Papa.

VII.

Quare expanduntur?

Tertullianus.

Quadruplex oratio. druplex autem oratio notatur ab Apostolo: Obsecro igitur, te, primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. (1. *Tim.* 2.) Super quo S. Hilarius. *Humilitatis cura est deprecari*, (nimirùm pro venia obtinenda) *magnificentiæ Dei orare*, (quod est Deum laudare, extollere manus in sancta & benedicere Dominum, (*Psal.* 133.) *fidei est postulare*, (utpotè gratias à Deo) *confessionis & laudis est gratulari*, scilicet gratias agere pro beneficijs acceptis; taliter manus serviunt orationi, serviunt & operationi. Ora & labora, dicitur vulgò. Ita Sancti nunc in cœlo regnantes hì in terra fuerunt militantes, corda sua, lingvas suas, manus suas Deo consecrantes. Sic & nos cordibus nostris, lingvis nostris, manibus nostris serviamus Deo, ut etiam cum Sanctis in gloria numerari mereamur. Sic eructet cor nostrum Deo plenum verbum bonum, (*Psal.* 44.) sic dicantur per manus opera nostra Regi, [*Ibid.*] ut nos cum omnibus Sanctis Regni sui faciat participes & cohæredes in semetipso. Denique omnium Sanctorum orationes exoremus, pro omnium indigentium tam terrestrium quàm infernorum necessitatibus; ut cœlestium consortio conjungi mereamur per Sanctum Sanctorum, (*Dan.* 9.) qui vivit in secula seculorum. (*Apoc.* 4.)

S. Hilarius.

Orandum & laborandum.

Sermo in Festo S. Catharinæ V. & M. pro Professione trium Fratrum Casparis, Melchioris, & Balthasaris.

Misericordia Dei erga hominem

VOcatio Dei quâ vocati estis [*Eph.* 4.] ad Religionem sacram Filij charissimi, est magna Dei super vos misericordia, (*Psal.* 85.) quæ ut in vobis per Professionem compleatur, ulteriorem Dei & Ordinis misericordiam imploratis. Equidem teste Davide, misericordiæ Domini multæ sunt: (*Psal.* 118.) & idem Rex Propheta orat: secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. (*Psal.* 50.) Jeremias eam inquirit: quia si abjecit, & miserebitur secundùm multitudinem misericordiarum suarum. (*Thren.* 3.) Utrumque jungit præfatus Regius Vates, precaturque Deum: reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quæ à seculo sunt. (*Psal.* 24.) Prima Dei misericordia circa vos fuit in baptismo, quando lavacro aquæ à primigenio peccato abluti, ad veram regenerati vitam, Christo per fidem implantati, ad gremium Matris Ecclesiæ vocati, ad communionem Sanctorum accessistis. Continuatio fuit misericordiæ Dei, quandò in eadem fide enutriti, in consortio fidelium educati, doctrinæ & pietatis Christianæ specimina percepistis. Nolo creationis, redemptionis, conservationis, & Sacramentorum Divinorum beneficia recensere, quæ nihil aliud nisi summam Dei utì supra omnes fides,

in baptismo,

in fide,

eles, ita super vos spirant misericordiam. Accessit nunc non
ninor misericordia Dei in eo, quòd eduxerit vos de lacu mise- *in fuga seculi,*
æ & de luto fæcis, (*Ps.* 39.) ex cæno mundi obscæno, maligni-
ate pleno, & ad suum servitium in hoc Ordine sacro, in hac do-
no, quæ dicitur Oliva, sibi dedicata, velut ad asylū misericordiæ
uæ vos pertraxerit. Hæc sanè misericordia *Dei* est super vitas.
Psal. 62.) Dixerimnè vitas, vegetativam uti arborum, florum,
c plantarum; sensitivam uti animalium, piscium, & volucrium;
ationalem uti hominum & Angelorum? An vitas Patriarcharū
ongævas, veluti Adami, Mathusalemi, vel Noë ad mille annos
xcurrentes? Omnes hæ vitæ sinè misericordia Dei nihil sunt.
Dicam veriùs: super vitas sæculares & mundanas, quarum aliæ
ulam, aliæ militiam sequuntur: illæ rem familiarem, hæ mer-
aturam vel vana studia exercent; istæ libero statu gloriantur, il-
æ matrimoniali vinculo obligantur. Hasce omnes vitas superat
nisericordia Dei vos ad vitam spiritualem vocans & deducens. *& vocatione ad statum spiritualem.*
citisnè ad quid? Ad nuptias cum cœlesti Sponso celebran-
las. Confirmat id magnus Gentium Apostolus: despondi
os uni viro virginem castam exhibere Christo. (2. *Cor.* 11.) Estis
nimæ fideles per fidem & fidelitatem servitij, Deo & Christo
dhærentes; habetis Sponsum animarum vestrarum Christum
Dominum: quid debetis esse? Utique Virgines castæ, Cathari-
æ, id est, puræ Virgines & Martyres. Simile est Regnum cœ-
orum, inquit æterna Sapientia, decem Virginibus. [*Matt.* 25.]
Nonnè servire Deo regnare est? Nonnè cella cœlorum habet
ommunionem? Status ergò Religiosus, in quo Deo servitur &
ella custoditur, est Regnum cœlorum, ubi prudentes Virgi-
es esse necesse est. Professio Religiosa sunt sponsalia anima- *Professio Religiosa sunt nuptiæ spirituales.*
um, sunt nuptiæ spirituales. Hìc quævis anima fidelis sit Virgo
asta corpore, pura mente; prudens in intellectu, Virgo in
ffectu: Virgo puritate mentis, prudens operatione virtutis. Sed
rudentia ab increata Sapientia in hoc maximè laudatur, quòd
rudentes Virgines acceperint oleum in vasis suis cum lampadi-
us. (*Ib.*) Quid sunt vasa nisi corpus & anima? Quid sunt lam-
ades, nisi amor Dei & proximi? Quid oleum, nisi pietas &
evotio? Has quid suppeditat nisi lectio, meditatio, & operatio?
Hæc autem omnia ubi maximè practicantur nisi in statu Religi-
so? Sed qui istis non incumbit & invigilat, vel ijs perfunctoriè
bsque vera animi applicatione utitur, oleum non vult habere in
asis suis cum lampadibus: inter fatuas Virgines est censendus. *Oportet esse Virgines castas per votum castitatis & paupertatis; prudentes per votum obedientiæ & stabilitatis,*
os igitur estote Virgines castæ per votum castitatis & pauper-
tis, thesaurum hunc continentiæ in vasis vestris fictilibus por-
ntes, [2. *Cor.* 4.] & monile abstinentiæ à rebus temporalibus
animabus vestris gestantes. Sitis Virgines prudentes per votū
bedientiæ & stabilitatis, in voluntatem Dei & Superiorum resi-

gnati, & perseverantes usque in finem; (*Matt.* 10.) & ita vos despondete uni viro Christo, (2. *Cor.* 11.) soli Deo adhærentes, (*Psal.* 72.) & Christi per conformitatem vitæ imitatores. Nec desit vobis oleum veræ pietatis ac devotionis; ita parati intrabitis cum eo ad nuptias (*Matt.* 25.) per præsentem Professionem, & clausa erit janua, (*Ibid.*) neque jam licebit claustrum egredi Religionis. Hic Divæ Catharinæ sapientiam assequi poteritis per lectionem spiritualem, frequentem meditationem, & assiduam sine intermissione orationem. (1. *Thess.* 5.) Virginitatis & puritatis æmulatores eritis tanquam charismatis melioris, (1. *Cor.* 12.) cor mundum, corpus immaculatum, conscientiam incoinquinatam continuò servantes. Martyrij palmam assequemini mortificantes membra vestra quæ sunt super terram, (*Colos.* 3.) post concupiscentias vestras non eundo, & à voluntatibus vestris vos avertendo, (*Eccli.* 18.) mundum vobis crucifixum tenentes, & vos mundo crucifigentes; (*Gal.* 6.) denique ipsi Christo confixi cruci, ut jam non vos vivatis sed Christus in vobis vivat crucifixus. (*Gal.* 2.) Sic Catharinæ Virginis & Martyris non tantùm in hac Professione vestra, sed & in tota vita festum celebrabitis, & participium virtutum habebitis ac meritorum. Porrò in hac spirituali regeneratione vestra & desponsatione, nomina nova accipite, ut sint vobis memorialia æterna in desiderio animæ: (*Isai.* 26.) nomina Regum & Magorum, ac demùm Episcoporum Apostolicorum, ut in his omnibus excellatis; nimirùm ut vos Reges bene vos regentes in hoc Regno cœlorum per Regulæ sanctæ observantiam exhibeatis; utque Divorum Magorum sapientiam in requisitione solius Regis cœlestis, cui eructare verbum bonum, & dicere opera vestra (*Psal.* 44.) tenemini, consequamini: ut demùm vitâ Apostolicæ vitæ & doctrinæ conformi Episcopatum super vos ipsos exerceatis, ac bonorum operum exemplo alijs prælucendo, prædicationem Apostolicam omnib⁹ exhibeatis. Sic eritis tres Reges, Magi, Episcopi. Ac tu quidem Fr. Thoma S. Gasparis Regis nomen gestabis. Tu verò Fr. Joannes S. Melchioris Regis nomine gaudebis. Tu postremò Fr. Petre S. Balthasaris nomen hæreditabis. Sic agite Filij charissimi, ut horum magnorum Orientis Principum virtutes taliter imitemini, quatenus etiam munerum eorum quæ nascenti Regi cœlorum obtulerunt, participium habeatis. Ac quidem aurum sit vobis in paupertate. Quid in metallis pretiosius auro? Quid in virtutibus magìs æstimabile, quàm hoc quod primò in terras veniens Rex Regum (*Apoc.* 19.) sibi elegit? & hæc est paupertas, quam qui habet, possidet omnia. Quid quòd prima inter beatitudines recensetur à Divina veritate? Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. (*Matt.* 5.) Nonnè Deo derelict⁹ est pauper; cujus oculi in pauperem respiciunt, (*Ps.* 9.)

Ac oleum pietatis habere in lampadibus.

Exhortatio ad perfectionem vitæ Monasticæ sectandam, in puritate castitatis, in martyrio mortificationis.

Impositio nominum:

Gasparis, Melchioris, Balthasaris.

Paupertas possidet omnia, & prima est inter beatitudines.

ino

Deus ipse factus est refugium pauperi? (*Psal.* 9.) Jam qui
um habet, cum Deo est, & habet omnia. Verè aurea pauper-
toto non penditur auro. Thus serviat devotioni obedientia-
ivè obedientiæ Deo ac Superioribus devotæ; quæ melior est
m victimæ, (1. *Reg.* 15.) estque verus Dei latriæ cultus, obe-
mandatis ejus. Myrrha conservans corpora à putredine o-
nè castitati correspondet, quæ incorruptionem corporis & a-
ii indigitat, amaritudinemque præferens, mortificationis ca-
ti summè necessariæ studium repræsentat. Et hæc sunt mu-
a quæ hodie offertis Domino per nuditatem paupertatis, ani-
vestras castificantes in obedientiâ charitatis. [1. *Pet.* 1.] Hæc
vota quæ distingvent labia vestra; (*Ps.* 65.) quæ si Deo red-
itis fideliter illa observando, & cum prudentibus Virginibus
igilatim sapientissima Catharina Virgine & Martyre parati
ibitis ad nuptias Sponsi, (*Matt.* 25.) & cum tribus Regibus
gis, & Episcopis stellâ duce, quæ vobis sit Regula S , inveni-
Regem Judæorum, [*Mat.* 2.] id est confitentium; ut &
sub ipso sitis in continua laudis Divinæ confessione, redden-
vitulos labiorum vestrorum, (*Osee* 14.) offerentes vos hosti-
viventem, sanctam, Deo placentem, (*Rom.* 12.) hostiam lau-
semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini
ejus, (*Hebr.* 13.) & misericordias Domini cantabitis
in æternum. (*Psal.* 88.)

SYNOPSIS
Sermonum ex Tomi Tertij Primo Tractatu.



TRACTATUS
SECUNDUS è TRIBUS



Nonus in ordine Annorum

SERMONUM
CAPITULARIUM
Ab Adventu Anni 1691. *in Annum* 1692.
habitorum.

Ubi super Psalmi 44. primum & secundum versum
discurritur atqúe tractatur.

Sermo Dominicâ I. Adventûs.

Eructavit cor meum verbum bonum. *Psal.* 44.

ADvenienti in mundum Deo Incarnato, quidni omnis omnium qui sunt in mundo debetur præparatio? PP. RR. FF. DD. Sed ab homine vel maxima, propter quem ad-nit salvandum. Hinc Præcursor potissimùm hominibus inmat: parate viam Domini; [*Luc.* 3.] acsi diceret: ad vos, ô mines Deus venit, per vos sit viæ præparatio ad Dominum dignè excipiendum. Clariùs id Samuel Propheta indigitat hortans Israelitas: Præparate corda vestra Domino, & servite soli. (1. *Reg.* 7.) In præparationibus ad Dominorum adventũ adhibentur: sordium abjectio per emundationem, decorum ectio per exornationem, cunctorum expectatio per desideri- & attentionem. De primo præmisit Samuel imperans: Aue Deos alienos de medio vestri. [1. *Reg.* 7.] Primum & sedum explicat Divus Gregorius dicens: *Cor Domino præpa-, qui mentem non solùm ab immunda cogitatione separat*; (hæc idola auferenda, hæc sunt peccata à spiritu immundo pro-

Tria in præparatione ad Dominorum adventum.

I. Abjectio sordium.

S. Gregor.

manantia expurganda:) *sed etiam cogitationum sanctarum &* *virtutum fulgoribus illustrat*: (hæc est ornamentorum condecoratio,) *ut velut abjectis & comminutis idolis se templum Dei efficiat: dùm illic Divinæ gratiæ sedem erigit, ubi reprobos spiritus manere per prava desideria non permisit.* Tertium docet ipsa Veritas dicens: & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum. [*Luc.* 12.] Præparatio igitur cordis fit primò per expurgationem inquinamentorum nimirum peccatorum, & ejectione superfluorum ac non necessariorum; quæ sunt negotia terrena, curæ carnis & mundi sollicitudines, cogitationes vanæ, inutiles, otiosæ, & his similia; sic via munda, habitatio pura, sedes nitida in corde Domino præparatur. Justitia & judicium præparatio sedis tuæ, ait Regius Propheta. [*Psal.* 88.] Per justitiæ administrationem & rigorem judicij pellendæ & proscribendæ sunt peccatorum abominationes, tollenda carnis & mundi idola de medio nostri, ex cordis meditullio; ne quid in eo maneat coinquinatū, vel faciens iniquitatem, vel aliò respiciens præterquam ad ipsum Dominum Deum suum venientem. Effundite coram illo corda vestra, jubet idem Propheta: (*Psal.* 61.) ut nihil intus maneat sordium. Et quomodo? per confessionem utiq;. Rectè Basilius. *Impossibile est*, ait, *ut capaces Divinæ gratiæ reddamur, nisi perturbationes & vitia animas nostras possidentia prius eijciamus.* In quo pulchrâ Medicorum utitur similitudine. *Vidi*, inquit, *ego jam Medicos non priùs salutaria pharmaca dare, quàm vomitu* (optimus vomitus confessio,) *materiam illam, morbi causam evacuassent, quam ex malo diætæ genere homines intemperantes sibiipsis creaverant.* Subnectit & alteram. *Id & vas*, ait, *quod humore quopiam odoris tetri & graveolentis præoccupatum fuerit atq; imbutum, nisi id elueris diligenter, odorati cujuspiam ungventi influxum neutiquam poterit recipere.* Denique concludit. *Opus itaq; est ea quæ priùs insunt effundere, ut eorum fiat capax, quod immittere constituisti.* Effunditur quoq; cor per uberem lachrymarum imbrem, simul ac emundatur. Effunde sicut aquam cor tuum monet Jeremias: (*Thren.* 2.) *Non sicut lac*, infert Hugo Cardinalis, *cujus color remanet; non sicut vinum cujus odor remanet; non sicut mel cujus sapor remanet: sed sicut aqua de qua cum effusa fuerit nihil remanet.* Ita effundendum est peccatum de corde, ut nec color remaneat in signis exterioribus, nec odor in verbis, nec sapor in affectu, utì de Babylone Deus apud Isaiam (*cap.* 14.) loquitur: perdam Babylonis nomen & reliquias & germen & progeniem; ut omnis malitia peccati radicitùs evellatur: sed nec ullus alius locus spes in domicilio cordis retineatur. Quid templo Dei cum idolis (2. *Cor.* 6.) carnis vel mundi? *Magnus hospes*, ait S. Petrus Damianus, *in diversorij tui quærit angusta descendere, atq; d-*

Negotia terrena abijcienda,

& mūdi idola, peccata

per confessionē

S. Basilius.

Cor effunditur per imbrem lachrymarum.
Hugo Card.

S. Petrus Damianus.

cico

ircò *solus vult & sinè consortibus habitare. Quem enim cœli erraq; non valet vastitas capere, quo pacto in exiguo tui domatis ngulo niteris illi peregrinos ad inhabitandum socios adhibere?* Quin nec tu ipse in te debes manere, debes à te ipso abire. Præstantissimè Augustinus. *Nolite corda vestra retinere intra orda vestra; effundite coram illo corda vestra.* (Psal. 61.) *Non erit, quod effunditis; ille enim susceptor meus.* (Psal. 3.) *Si suscipit, quid times effundere?* Effunditur non minùs cor vel anima per orationem, utì fecit Anna Mater Samuelis dicens ad He- Sacerdotem: effudi animam meam in conspectu Domini. 1. *Reg.* 1.] Similiter Rex David inquit: effundo in conspectu eus orationem meam. [*Psal.* 141.] Ita proinde præparatur cor d Domini adventum, sive effundat culpas suas per confessioem & pœnitentiam, totamque purificet conscientiam; sive toum cor effundat per sui resignationem; sive animam effundat er orationem. Fieri debet secundò præparatio per adornatioem piarum intentionum, & per insignem operum bonorum arijs virtutibus resplendentium apparatum. Et quidem via sternatur necesse est ramis olivarum, pacem habendo ad Deum & omines, misericordiæ actibus velut oleo stillantium: in misericordia enim præparabitur solium Christo Regi teste Isaia. (*cap.* 6.) Sternatur, quod ampliùs, ramis palmarum, victoriam reporando super passionibus & concupiscentijs; triumphando de hote antiquo. Vestimenta demum ponantur in via, [*Matt.* 21.] t omni affectu proprij amoris & creaturarum denudati, corde vacuato Dominum accipiamus. O quàm pulchra præparatio! Quàm pretiosa sunt hæc ornamenta in via Domino paranda! psum tamen palatium cordis, ubi Dominus expectatur, intùs peciosis virtutum aulæis est exornandum. Emineat obscuro fies colore omnes alias adumbrans virtutes: spes viriditate poleat: humilitas & paupertas cinereo glorietur: justitia, quæ de ælo prospicit, (*Ps.* 84.) & quam cœli annuntiaverunt, (*Ps.* 96. œlesti cæruleoque nitore refulgeat: flavo heliotropij colore oedientia excellat: pudicitia rubeum verecundiæ demonstret: urpureo patientia gaudeat: castitas candidum præseferat puriatis argentum: aureum postremò charitas Dei & proximi ubiq; ntertexat. Quis pretium tam pulchræ exornationis in corde xplicabit? Nonne hìc cum Rege Solymæ quisque poterit dicee? paratum cor meum Deus, paratum cor meum: sive [juxta Hebraicum textum] præparatum, dispositum, ordinatum est cor neum: dupliciter, tam per omnium sordidorum & impertientium ejectionem, evacuationem, & effusionem, quàm er omnium virtuosorum decorum introductionem. Optinè Ecclesiasticus: (*Cap.* 2.) qui timent Dominum, præparaunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas

Pœnitens debet à se abire. S. August.

Per o. effunditur cor.

II. Adornatio piarum intentionum.

Via sternendá ramis olivarū;

ramis palmarū

Quomodo vestimenta ponātur in via?

Palatium cordis aulæis virtutū ornandū.

Varij colores virtutum.

suas, facientes hoc quod Angelus in Apocalypsi (*cap.* 22.) d… cet: qui justus est justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur a… huc. Faciant id respectu Dei præcipientis: sanctificamini & … stote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. (*Lev.* 20.) … iterum: eritis mihi sancti, quia sanctus ego sum Dominus; … separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei: (*Ibid.*) ut qualita… loci hospitis correspondeat qualitati. Dominus enim in temp… sancto suo; (*Psal.* 10.) & domum Dei decet sanctitudo. (*Ps*… 92.) Equidem fratres mei quid est Christianismꝰ, ne dicam, R… ligiosorum status? nisi studium virtutis, professio sanctitatis, v… tæ Christi imitatio, de quo Evangelista: Jesus proficiebat sapie… tiâ, ætate, & gratiâ apud Deum & homines, (*Luc.* 2.) ut etia… Jesum sequens idem exequatur. Qui non proficit, certè defic… Ita sanè præparantur corda per continuum virtutis profectu… ad sanctitatem, expectando Dominum suum cum desiderio … attentione vigilanti. Et hæc est tertia præparationis pars, a… quam hortatur Psalmista: expecta Dominum, viriliter age, c… fortetur cor tuum & sustine Dominum. (*Psal.* 26.) Expectati… vigil Domini advenientis est apprimè necessaria, ut quisque n… strûm dicat cum Michea: Ego autem ad Dominum aspiciam … expectabo Deum Salvatorem meum; (*Mich.* 7.) si moram f… cerit, monet Abacuc, expecta eum, quia veniens veniet, … non tardabit. (*Abacuc.* 2.) Dic cum Propheta: (*Ps.* 39.… expectans expectavi Dominum; quamdiu? in vita mea quam… diu sum, (*Psal.* 103.) & intendet mihi in morte. Quomod… expectavi? patienter & confidenter. Ita omnino uti dicit Va… electionis, Christum Salvatorem expectamus Dominum nostr… I. C. (*Phil.* 3.) quamdiu vivimus usque ad mortem. Expecte… mus ergo donec veniat; interea viriliter agamus, (*Ps.* 26.) ho… stes nos ab hac expectatione distrahentes propulsemus; vel tæ… dium nobis inferentes abigamus, vel somnolentiam obducente… exterminemus: vel remissionem animi à fervore devotionis pe… acediam proponentes eliminemus: ad hæc omnia robur viril… requiritur, ut fortiter dimicemus. Confortetur eapropter co… nostrum. (*Ibid.*) Quo? Spe & fiduciâ in Deum, quoniam ad… jutor & protector noster est. (*Ps.* 32.) Sustine Dominum, (*Psa*… 26.) ultimò ait Propheta; quod est longanimiter Dñum præsto… lare. Patientes estote Fratres, admonet D. Jacobus (*cap.* 5.… usque ad adventum Domini, nimirum in morte quando venie… nos judicare. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ… patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum (sub… intelligitur) imbrem. Temporaneus est autumnalis, qui facit se… men putrescere; serotinus est vernalis, qui virorem dat semini &… maturitatem: uterque denotat gratiæ Divinæ profluvium, tan… ad pœnitentiam agendam in mortificatione, quàm ad augmen… tun…

Christianismꝰ est studium virtutis.

III. Præparatio Domini requirit vigilantiam.

Viriliter agendum.

Confortandum est cor spe.

Imber temporaneus & serotinus.

im virtutum acquirendum in profectu. Sustinentes Dominum psi hæreditabunt terram (*Psal.* 36.) promissionis; ipsis augebit Dominus incrementa frugum justitiæ, (2. *Cor.* 9.) ipsi messem n centuplo accipient cum vita æterna. Huic expectationi jun- atur desiderium præsentiæ Domini, dicendo cum Davide: quē- admodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat nima mea ad te Deus. [*Psal.* 41.] Desiderium pauperum (qui hil possident creaturarum, solo Creatore repleti & contenti;) xaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris ei. (*Psal.* 9.) Prope est Dominus omnibus invocantibus se in eritate, (*Psal.* 144.) utique desiderantibus: qui enim desiderat, vocat. Desiderium attrahit Deum; & est primus motus appe- tûs humani in amabile, estque amoris inchoatio. Juxta D. ugustinum: *Desiderium sinus cordis est.* Capiemus, si desideri- m quantùm possum⁹, extendamus. Placet scire constitutionem onam animæ nostræ, sive cordis? docet D. Basilius: *Hæc est non alia; vehemens desiderium placendi Deo, idq; insatiabile stabile & constans.* Reverà qui Deum non desiderat est in tu damnationis. *Viri justi*, secundùm Chrysostomum, *de- nt esse alligati Dei desiderio, ut nihil aliud cernant præter ipsū um, & eum semper cogitent.* Quid enim est Deus incarnatus? onsæ est totus desiderabilis, (*Cant.* 5.) imò totus est deside- um: planè desiderium collium æternorum, (*Gen.* 49.) juxta cobum Patriarcham, tam Angelorum quàm hominum virtu- eminentium ut colles; ubi subdit: salutare tuum expectabo omine. [*Gen.* 49.] Et secundùm Aggæum: veniet desidera- cunctis gentibus, (*cap.* 2.) in quem desiderant etiam Ange- rospicere, (1. *Pet.* 1.) qui est principium & finis [*Apoc.* 1.] nium desideriorum. Sic igitur in semita judiciorum tuorum inuimus te, ait Propheta: ut nomen tuum & memoriale m esset in desiderio animæ. (*Isai.* 26.) Expectatio accendit iderium, desiderium animat expectationem. Anima mea, in- t, desideravit te in nocte. (*Ibid.*) Vita præsens nox est: De- ux est. (1. *Joan.* 1.) Sed & spiritu meo in præcordijs meis; (*ii.* 26.) totâ animâ, toto spiritu, totis cordis visceribus anhe- at, suamque vigilantem monstrabat expectationem: de ma- vigilabo ad te. [*Ibid.*] Ibi erit mane cùm fecerit judicia sua erra, cùm diluculum æternitatis in morte illucescet. Hæc o sit præparatio cordium nostrorum ad Domini adventum: modi verbum bonum eructet cor nostrum, ut semper cor- ab omnibus sordibus peccatorum emundato, & diversis vir- m decoribus exornato dicamus hoc quod Spiritus & Spon- icunt in Apocal.: (*cap.* 22.) veni, veni, scilicet dilecte mi, (*Cant.* 7.) uti Sponsa desiderat in epithalamio: & qui audit di- veni. (*Apoc.* 22) Veni ad liberandum nos, jam noli tardare.

Sustinendus Dominus.

Exspectationi jungendum desiderium præsentiæ Domini.

S. Augustin.

S. Basilius.

S. Chrysost.

Deus totus desiderabilis.

Desideratus cunctis gentibus.

Deus sitiendus

Et qui sitit veniat, & qui vult bibat aquam vitæ gratis. (*Ibid.* Sitivit anima mea ad Deum fontem & fortem vivum, ait Pro pheta Regius: (*Psal.* 41.) per sitim intensissimum exprimens de siderium. Tales ad Deum vocantur: omnes sitientes venite a aquas. (*Isai.* 55.) Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: (*Mat* 5.) effundam aquas, promittit Deus, super sitientem; (*Isai.* 44. quia desideriosis gratiæ Dei conceduntur. Simus viri desideric rum cum Daniele, [*cap.* 10.] eructantes cum Davide hoc ve bum bonum, frequenter illud ingeminando: Quid mihi est i cœlo, & à te quid volui super terram. Defecit caro mea & co meum ab omnibus rebus creatis, Deus cordis mei & pars me Deus in æternum. (*Psal.* 72.)

Sermo in Festo Conceptionis B. V. MARIÆ.

Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

Dei opera & perfecta & valde bona.

DEI perfecta esse opera: (*Deut.* 32.) & opera Domini u niversa bona valde, (*Eccli.* 39.) ipsa Sacra edicit Scriptu ra. PP. RR. FF. DD. Neque enim Deus, qui est perfe ctissimum Ens, & omnia potens, potest aliquid facere imperfe cti: nec author omnis boni, qui in se est summum bonum, po test ex se, nisi bonum derivare. Ac licet de se affirmet apud Isa iam: (*cap.* 2.) ego faciens pacem & creans malum; dicit d malo non ex se, sed ex alieno accidenti orto, idque creans mal pœnæ propter malum culpæ. Vnde interprete S. Gregorio ma gno: *creare se mala Dominus indicat, cùm res bene conditas & per naturam bonas nobis malè agentibus in flagellum format Dicitur proinde faciens pacem & creans mala*; (Ibid.) *quia tun nobis pax cum Deo redditur, cùm hæc quæ benè sunt condita sed malè concupita, in ea quæ nobis mala sunt, flagella vertun tur.* Quin creare dicitur malum illa immensa bonitas, quòd po tentiam suam ex nihilo productivam quasi cogatur extendere ad malum pænæ proferendum; & ad hoc quod bonum est ex pri ma creatione, in malum commutandum. Ex his ipsis tamẽ ma lis pænæ quæ creat, quin & malis culpæ quæ permittit, Deus e licit bonum. *Melius enim judicavit*, teste D. Augustino, *de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.* Hujus creati mal pænæ causa non est alia, nisi malum peccati à creatura rationali commissi contra verbum Dei, per quod creata sunt omnia; pe quod vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. (*Gen.* 1.) Cùm ergo Deus Pater, juxta mentem aliquorũ Sanctorum Patrum, in se ab æterno eructâsset ex corde suo (id est, ex inti mis mentis visceribus) verbũ bonum sibi connaturale & con substantiale: quod ipsum etiam eructavit ex corde, quia ex im menso amore, quando verbum suum misit in uterum Matris Vir ginis

Quomodo Deus creãs malum?

S. Augustin.

Malum pænæ propter malũ culpæ.

is ut caro fieret, ad tollendum omne malum à genere huma-
; & hoc verbum caro factum eidem Matri quoque est conna-
urale & consubstantiale; ita ut juxta S. Albertum Magnum, S. Albert.M.
ago Patris facta sit ad imaginem Matris: nonne ad opꝰ tan-
dignitatis opus erat Deum perfectissimum & optimum Opus *Maria opus Dei perfectissimum & optimum.*
mare, ipsam sui Genitricem ab omni malo liberam & alienã?
e esset *opus digitorum Dei*, juxta S. Bonaventuram, *grande*
nis & decorum: opus videlicet omnipotentiæ, omnisapientiæ S. Bonavent.
otius bonitatis Divinæ. Hisce enim tribus digitis etiam ap-
ndit molem terræ: (*Isai.* 40.) multò magis illis Matrem sibi
mavit. *Illa namq;* juxta S. Petrũ Chrysologum, *est Opus Opi-* S. Chrysol.
sui; secundùm Idiotam, *Opus Dei speciale, Opus primarium* Idiota.
i dignitate & præfiguratione: & ex mente S. Petri *Damiani*, S. Pet. Dam.
us, quod solus Opifex supergreditur: necesse omninò erat, ut in
: opere quoad perfectionem & bonitatem nihil desideraretur,
: quidquam mali in eo inveniretur; unde omne bonum debe-
promanare, ex qua imago bonitatis Divinæ ortum duceret
mirandum. Hæc est, quæ à S. Gregorio Nazianzeno *Bonum* *Maria Bonum humãi generis.*
nani generis nominatur; & à S. Anselmo, *Bonum Virginale*; S. Gr. Naziã.
b Idiota, *Bonum omne:* planè bonum, quod est super omne S. Anselmus. Idiota.
num totius naturæ; quæ communicatio posset esse alicujꝰ ma-
m tanto bono? *Maria est Opus verè mirabile* authore San- S. Bonavent.
Bonaventura, *quia nusquam invenitur simile: unde de eo di-*
r: non est factum tale opus in universis Regnis; (3. *Reg.* 10.)
nirùm Templum Salomonis: quantò magis Templum DEI,
(*Cor.* 3.) Tabernaculum Altissimi, (*Ps.* 45.) Vas admirabile,
us Excelsi, (*Eccli.* 43.) *Virgo Deipara Maria*, dicente San-
Andrea Cretensi, *est Opus magnificum admirandæ dispen-* S. Andreas
onis, in quod desiderant Angeli prospicere? (1. *Pet.* 1.) Haud Cretensis.
iè tanquam longè præstantius ipsis, qui absque omni malo
ati sunt; ergo multò magis ipsa, quæ omnem Angelicam su-
greditur dignitatem; quia hi ministri sunt Dei, hæc autẽ Ma-
Dei. *Est Opus ejus*, inquit idem S. Andreas, *qui in ea factus est* Idem.
poraliter, & non excessit à sua æternitate. *Maria* ex sensu
tæ, *est opus speciale inter omnia opera æterni Artificis post ope-* Idiota.
onem illam, qua naturæ nostræ unitus est Filius Dei: quia Deus
oc fecit Beatissimam Virginem, ut quod de primo opificio
at deformatum, per eam reformaretur; quomodo hæc esset
uo malo deformata? *Ipsa est*, authoribus S. Hieronymo & *Maria Forma Dei.*
gustino, *Forma Dei*; quomodo non esset forma omnis mun-
e & puritatis nullo modo inquinata? Forma Dei, cujꝰ mun-
nt oculi, qui non potest respicere ad iniquitatem; (*Hab.* 1.)
m nonnisi mundi corde videre possunt. (*Mat.* 5.) O quàm
ndum fuit Mariæ cor ab omni inquinamento malitiæ; quæ
m non tantùm vidit, sed & generavit! Quid in ea faceret

Maria fermentum novæ creationis Adæ. S. German. S. Andreas Cretensis.

fermentum malitiæ & nequitiæ, (1. *Cor.* 5.) *quæ erat* docenti S. Germano *fermentum novæ creationis Adæ*; & juxta S. Andream Cretensem, *fermentum sanctum ac Deo gratum, ex quo totius generis humani massa fermentatur, & in unius Corporis Christi anem evadit, & admirabili ratione coagmentatur?* *Maria* est

Maria principium vitæ indesinentis. S. Joan. Damascenus. Idiota. S. Albert. M.

principium vitæ indesinentis, juxta S. Joannem Damascenum. & secundùm Idiotam, *principium ortûs nostri ad vitam.* Ergone in ejus Conceptionis principio mors potuit habere principatum? Minimè. Ubi enim est initium vitæ, ibi est exclusio mortis. *Maria est principium omnis gratiæ in nobis post Deum*, teste D. Alberto Magno. Ergone peccatum aliquod regnare potuit in ea, quod est incompatibile cum gratia? Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam; dicit Sapientia æterna, (*Eccli.* 24) eructata ex corde Patris velut verbum bonum: quidni & ipsa Sapientiæ hujus Mater queat idipsum dicere? Si Filius ejus est Sapientia genita & incarnata, cur non possit dici quoq; ipsa illum gignens & incarnans Sapientia? Qualis Filius, talis Mater, quæ etiam est præstantissimum æternæ Sapientiæ membrum. Nonne ipsa est prima & nobilissima inter & super omnes creaturas Creatura, Mater ejus, qui est Creator & factus est ex ipsa Creatura;

Maria primogenita ante omnē creaturā.

ac ideò primogenita ante omnem creaturam, (*Eccli.* 24.) prædestinata à Deo, & prælecta ante omnes, ut sit omnium prædestinatorum Primi Genitrix sanctissima? *Est equidem Maria*, uti inquit Sanctus Vincentius Ferrariensis, *primogenita ante omnem creaturam, non in tempore, sed in sanctitate & dignitate*; quæ juxta Origenem, *est sanctitas plenissima.* *Est primogenita*, uti ait S. Joannes Damascenus, *quæ rerum omnium conditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, peperit.* *Est primogenita Filij sui*, uti asserit D. Bernardinus Senensis, *pro qua redimenda plùs venit in mundum, quàm pro omni alia creatura.* Quinimo ex sensu S. Hildefonsi, *est opus redemptionis nostræ:* quod enim Deus in nostra redemptione operatus est, in ejus personæ veritate formavit. *Est opus Excelsi*, juxta Idiotam, *excogitatum antè sæcula, consummatum in fine sæculorum, in quo benè fabricando studuit Excelsus Dominus.* *Est opus speciale & principale Dei*, secundùm Richardum à S. Laurentio. *Nam cùm universa opera Domini dicantur bona valde:* (*Gen.* 1.) *opus quod est Maria, vel opus quod factum est in Maria, scilicet Incarnatio Filii Dei, debet dici bonum, melius, optimum valde.* Cùm etiam *Maria*, dicente S. Hildefonso, *sit opus solum Incarnationis Dei nostri.* Sol illuminans per omnia respexit, ait Ecclesiasticus; (*cap.* 42.) non tam hic materialis, quàm ille spiritualis Sol justitiæ (*Malach.* 4.) ante omnia respexit humilitatem ancillæ suæ, (*Luc.* 1.) & gloriâ Domini plenum est opus ejus. *Ita est*, uti inquit S. Bonaventura, *Maria opus est plenum*

S. Vincenti9 Ferrariensis. Origenes. S. Joan. Damascenus. S. Bernardinus Senen. S. Hildefons. *Maria opus redemptionis nostræ.* Idiota. S. Hildefons. S. Bonavent.

um Dominicæ gloriæ; *nam præter assumptam à Verbo naturã, ullum est opus, nulla est creatura, in qua tanta Divinæ gloriæ ateria eluceat, sicut in Maria.* *Non enim tantùm est gloria i nostri*, uti inquit S. Hesychius, *quæ Evam pudore & Adam mminatione liberavit, audaciam draconis abscidit; quam conpiscentiæ fumus non attigit, nec vermis voluptatis læsit*: *verùm iam est* ex mente S. Bernardini Senensis, *gloria summi Dei*; *gloria Domini*, utì S. Bonaventura inquit, *benedicta de loco ncto suo*; de loco, id est, quo Filius ejus apud ipsam requievit utero; & de loco, quo ipsa apud Filium requievit in cœ. *Imò ipsamet est locus bene capax Dei*, dicente Sancto Anea Cretensi, *qui nusquam capi potest.* Est locus de quo in Gesi: (*cap.* 28.) quàm terribilis est locus iste; utiq; terribilis dæonibus, qui ad eum accedere nunquam in primo Conceptios ejus momento potuerunt; non est hic aliud nisi domus Dei porta cœli. [*Ibid.*] Locus hic est incomprehensibilitatis Divi. *Locus ingens possessionis* (Baruch. 3.) *Dei*, juxta S. Methoum, *magnus & non habens finem, sublimis atq; immensus.* ocus in quo habitavit tota plenitudo Divinitatis. [*Coloss.* 2.] *ocus sanctificationis Dei*, docente Richardo à S. Laurentio, *non um quia locum istum sanctificavit Dominus; unde in Psalmo . dicitur: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*; (prævendo nimirùm & præoccupando ne inficeretur, & actuali sãtate beando, dico ego:) *sed etiam quia ipse Dominus voluit sanctificari. Unde dixit:* (*Joan.* 17.) *Ego pro eis sanctifico ipsum.* *Ipse enim*, ut dicit S. Augustinus: *sanctificavit se minem in se Verbo, quando factus est Sanctus sanctitate crea, qui ab æterno Sanctus fuerat sanctitate increatâ.* Ipse est ild, quod natum est ex Maria Sanctum, (*Luc.* 1.) utique ex onimodè sancta Maria est. *Locus voluptatis*, secundùm D. Peim Damianum, *de quo fons ille debebat ascendere, qui univern terræ superficiem irrigaret*; (*Gen.* 2.) quidni fons iste priùs igavit locum suum gratiæ diluvio, ita ut fluminis impetus læcaret civitatem *Dei?* (*Psal.* 45.) Denique sicut ait Ernestus agensis; *Locus beatitudinis omnium bonorum congregatione fectus*: Opus Dei planè perfectissimũ & optimum Maria est. *cus* asserente S. Joanne Damasceno, *in quo propriè ac verè adranda illa Dei cum hominibus conjunctio facta est, ac cœlestia restribus juncta sunt, Deo quæ hominis sunt, & homini quæ i sunt, vicissim communicata.* Maria locus à quo omnia bona iæ, gratiæ & gloriæ nobis affluxerunt & affluunt incessanter, quem reverti debent per jugem recordationem, per debitam nerationem, & per gratiarũ actionẽ, ut iterum fluant. (*Eccli.* Sic igitur eructavit cor Dei Patris verbum bonum erga Mam Filij sui in Conceptione ejus, ut quæ fieret destructrix pec-

S. Hesychius.

Maria gloria summi Dei.

S. Bernardinus Senen.

S. Bonaven.

S. Andreas Cretensis.

Maria locus Dei.

S. Method.

Maria Locus sanctificationis Dei.

Richardus à S. Laurent.

S. August.

Maria locus voluptatis.

S. Pet. Dam.

Ernestus Pragensis.

S. Joannes Damascen.

Eructavit cor Dei Patris verbum bonũ erga Mariam.

cati & inferni, unica destructrix tyrannidis dæmonum, serpentini capitis, quod est peccatum originale, conculcatrix, & *dissipatrix maledictionis nostræ primigeniæ*, juxta S. Joanne Damascenum, *ipsamet immunis à maledicto*, ab auditione mala non timeret, (*Psal.* 111.) nec intraret in tentationem (*Matt.* 26.) Adami & Evæ, essetque libera ab omni malo & culpæ & pœnis; utpote electa ante constitutionem mundi, ut esset Sancta & Immaculata in conspectu Dei. Concludo cum S. Petro Chrysologo dicente: *Meritò Virgini salva sunt omnia, quæ omnium genuit Salvatorem.* Ergo inter omnia & Conceptio ipsius salva ab omni malo, & cum omni bono salutifera. Utinam & nos virtute precis suæ ab omni liberet malo, & omni adimpleat bono, ut simus locus habitationis Dei sanctus, (3. *Reg.* 8.) & inter opera Dei perfecta & bona annumerari mereamur. Impetret hoc Sanctissima Mater semper Virgo Ecclesiæ sanctæ in duplici statu spirituali & seculari constitutæ, Ordini nostro tutelæ suæ addicto, ac Monasterio nostro, alis protectionis ejus subjecto, animabus hinc migrantibus & ibi detentis, ut omnes hic dicant opera sua Regi Dño, & ipsi Reginæ Dominæ nostræ, atq; in cœlis eructent verbum laudis & benedictionis eorum in æternum.

S. Petrus Chrysol.

Sermo in Dominica II. Adventûs.

Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

VErbum cordis est verbum mentis; quod homo in se ipso suo eloquitur intellectu, PP. RR. FF. DD. Quot cogitationes cordis, tot sunt locutiones mentis: & quotquot objecta rerum dari possunt, tot subjecta verborum mentis reperiuntur. Cogitare proinde est aliquid in corde tractare, vel mente agitare. Cor eructat verbum mentis, quia ex corde exeunt cogitationes, uti asserit suprema Veritas: (*Matth.* 15.) quæ sunt internæ mentis operationes. Ipsa etiam Mens mentium de se dicit apud Jeremiã: (*c.* 29.) ego scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus; cogitationes pacis & non afflictionis, ut dem vobis finem & patientiam. Et apud Isaiam: (*cap.* 55.) sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Dominus enim scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. (*Ps.* 93.) Cogitationes verò Dei, sunt sententiæ ejus irrefragabiles, ac decreta stabilia & immutabilia circa regimen mundi; ac potissimùm circa bonorum ac malorum ordinationes, quas re ipsâ exequitur & complet, uti loquitur apud Isaiam: (*c.* 4.) si non ut putavi, ita erit, & quomodo mente tractavi, sic eveniet. Et infra: (*Ibid.*) hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram; & hæc est manus extenta super omnes gentes. Dominus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta, & quis avertet eam? Unde ne-

Verbum cordis quod?

Cogitationes hominum.

Cogitationes Dei.

è Regius Propheta: multa fecisti tu Domine De⁹ mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. (*Ps.* 39.) In Deo cogitatum, dictum, factum, unum sunt; neque unquam possunt immutari. Consilium Domini in æternum manet, & cogitationes cordis ejus à generatione in generationem: (*Ps.* 32.) nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ Domine, Propheta fatetur Deum alloquens. (*Ps.* 91.) In nobis hæc omnia sunt mutabilia, quia homo nunquam in eodem statu permanet. (*Job* 14) Quod tamen verbum cordis, quæ mentis locutio, quæ cogitatio intellectûs primariò in homine esse debet? Non alia, nisi *Deus*. Hoc docet Regum Sapientissimus: [*Pr.* 3.] in omnibus viis tuis cogita illum, id est, Deum. Quæ utilitas exinde? & ipse diriget gressus tuos. Idem monet Ecclesiasticus: (*c.* 9.) in sensu sit tibi cogitatus Dei. Cogitatio quæ non est de Deo, est vana, inanis, supervacua, imò & vitiosa. Regulam insignem cogitationibus nostris præscribit Ecclesiasticus: altiora te ne quæsiêris, (qui nimis altè scandunt, in præceps ruunt) & fortiora te ne scrutat⁹ fueris. (*Eccli.* 3.) [Scrutator Majestatis opprimetur à gloria. *Pr.* 25] Quid ergo? Sed quæ præcepit tibi De⁹, illa cogita semper. *Eccli* 3. En objectum & subjectum cogitationum nostrarum, præcepta Dei. En verbum cordis lex Dei: lex *D*ei ejus in corde justi. (*Ps.* 36.) Ita mandat Deus apud Sapientem: Fili mi ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat. (*Prov.* 3.) Optima cordis custodia, cogitatio præceptorum Dei. Bonum verbum eructat cor, quando omnis enarratio ejus in præceptis est Altissimi. [*Eccli.* 9.] Ad id hortatur alibi Ecclesiasticus: cogitatum tuum habe in præceptis *D*ei, & in mandatis illius maximè assiduus esto. Quis fructus? Et ipse dabit tibi cor. Ad quid? Et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. (*Eccli.* 6.) Concupiscet anima tua desiderare justificationes Dei in omni tempore. (*Psal.* 118.) Sapiet tibi lex *D*ei immaculata convertens animas, (*Psal.*) gustum habebis in ejusmodi cogitationibus *D*ivinæ voluntatis: sed & intellectus lumen *S*apientiæ Divinæ acquiret, quia præceptum *D*ñi est lucidum, illuminans oculos (*Ps.* 18.) intellectûs. Quis tamen finis harum cogitationum in lege Domini? Monstrat hunc Regius vates: postquam enim dixisset, eructavit cor meum verbum bonum, subinfert: dico ego opera mea Regi. [*Psal.* 44.] Finis igitur cogitationum istarum esse debet, custodire legem *D*ei, & opera sua illi dedicare. Misericordia Domini est super eos, qui memores sunt mandatorum illius: ad quid? ad faciendum ea. (*Psal.* 102.) Jam hic requiritur cogitatio illa Prophetæ; cogitavi vias meas. (*Psal.* 118.) Quid sunt viæ nostræ, nisi status & conditiones vitæ nostræ? De his cogitandum seriò. Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris, imperat Deus apud Jeremiam. [*cap.* 2.] Præteritorum memo-

Quod verbum cordis primariò debet esse in homine?

Verbum cordis lex Dei.

Cogitatio præceptorum Dei.

Quis finis harum cogitationum in lege Dei?

Custodire legem Dei, & opera sua illi dedicare.

Cogitandi dies antiqui, si mali,

in amaritudine animæ,

memoria habenda. Cogitavi dies antiquos, inquit Propheta; (*Psal. 76.*) Quid in illis actum? Fortaſſe plùs mali quàm boni reperiemus. Dicamus autem cum Ezechia Rege ad Deum: recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ. (*Iſ. 38.*) Scio & video quoniam malum & amarum eſt dereliquiſſe te, te Dominum Deum meum. [*Jerem. 2.*] O dulcis amaritudo

in vera pænitentia,

animæ vera pœnitentia! quæ in optatam vertitur conſolationē. Teſtatur id Rex Solymæ: ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, (ô quàm impensè, intensè, & multipliciter dolendum de peccatis anteactis,) conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. (*Pſal. 93.*) Sed tamen Rex pœnitens ſemper peccata ſua confitetur Deo, & pro ijs vult ſatisfacere; quoniam ego, inquit, in flagella paratus ſum; (paratum

in continuo dolore,

cor meum omnia pati pro peccatis meis) & dolor meꝰ in conſpectu meo ſemper, quoniam iniquitatem meā annuntiabo, id eſt: confitebor adverſùm me injuſtitiā meam Domino, (*Pſ. 31*) & cogitabo pro peccato meo. (*Pſal. 37.*) Quid? facere fructus dignos

cum fructibus dignis pænitentiæ.

pœnitentiæ: (*Matt. 3.*) continuare pœnitentiam usq́ue ad mortem. Et ſi viverem annos Mathuſalemi; cogitabo pro peccato meo usq́ue ad finem mundi: quia cùm offenſa Dei ſit infinita,

Cogitanda futura.

ſinè fine facienda pœnitentia. Ideo ſubnectit Propheta: & annos æternos in mente habui; (*Pſ. 76.*) quia vivens cogitat quid futurum ſit. (*Eccli. 7.*) Et quid illud? Immenſa, infinita, nunquam terminabilis, ſemper durabilis æternitas. Reverà Fratres

Noviſſima vitæ Mors & Judicium, noviſſima æternitatis beatæ & damnatæ.

mei, qui memoratur noviſſima hujus vitæ, quæ ſunt Mors & Judicium Dei, ac poſt illa noviſſima æternitatis beatorum & damnatorum, in æternum non peccabit. (*Eccli. 7.*) Sic dicit Judas Machabæus, juſtè & religiosè de reſurrectione cogitans; (*2. Mach. 12.*) talis enim cogitatio de reſurrectione ſupponēs mentem, juſtitiam & religioſitatem in homine operatur. Hic igitur

Fructus cogitationis pro peccato, ne iterū peccetur.

ſit fructus cogitationis pro peccato, ne iterum peccemus: fructꝰ cogitationis viarum noſtrarum, ut convertantur pedes noſtri in teſtimonia Dei. [*Pſal. 118.*] Si pes tuus ſcandalizaverit te, abſcinde eum & proijce abs te, (*Matt. 18.*) jubet Divina Sapientia.

Quid pes ſcandalizans?

Pes ſcandalizans eſt mala affectio, concupiſcentia prava, inclinatio voluntatis perverſæ ex fomite peccati orta, de quibus Deus in Geneſi: (*cap. 8.*) ſenſus & cogitatio humani cordis in malum

Quomodo abſcindendus?

prona ſunt ab adoleſcentia ſua; pes talis abſcindendus, circumcidenda caro, præputium amputandum per heroicam reſiſtentiam, per propoſita firma, per ſublationem occaſionum vel conſortiorum, per continuam ſui reprehenſionem & correctionem.

Pes inquinatus quomodo lavandus?

Si verò duntaxat inquinantur pedes, hi laventur per confeſſionem ac pœnitentiam; ſi pulvis aliquis terrenæ, carnalis vel mundanæ contagionis pedibus adhæret, excutiendus eſt juxta mandatū Chriſti (*Marc. 6.*) per abnegationem ſui: ſi denique den-

dā

lati sunt pedes, calceentur pellib⁹ mortuorum; muniantur meditatione mortis: & si exorbitant, si extra legis Divinæ orbitã graliuntur, convertantur pedes in testimonia Dei, (*Ps.* 118.) ut pes uus, pes voluntatis stet semper in directo (*Psal* 25.) conversus d Dei voluntatem. In his omnibus jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. (*Psal.* 54.) Quomodo? Non dabit in æternum fluctuationem justo, quoniam à dextris est tibi e commovearis. (*Psal.* 15.) Si dicebam, motus est pes meus, ait Propheta, misericordia tua adjuvabat me; (*Psal.* 93.) hoc est, in omnibus vijs tuis cogita *Deum*, & ipse diriget gressus tuos. *Prov.* 3.) Hoc est, quod Christus *S.* Catharinæ Senensi imperait: Filia cogita de me, & ego cogitabo de te. Reciproca sunt æc, nos Deo, Deus nobis. Ego dilecto meo, & ad me converio ejus. (*Cant.* 7.) Dilectus meus mihi & ego illi. (*Cant.* 2.) Cogitat Deus cogitationes pacis, ut det nobis finem tentationũ c tribulationum, (*Jerem.* 29.) & patientiam sustinendi omnia, tque in patientia possessionem animarum (*Luc.* 2.) nostrarum. nterea semper necesse est, ut cogitatio hominis confiteatur Deo, *Psal.* 75.) non nuda & simplex, sed armata affectione, pietate, everentiâ, amore, cæterisque virtutibus referta. Confessio auem peccatorum per cogitationem prima est, de qua innui, sed uam fusiùs hic enucleo. Hæc per cogitationem hominis pecatoris cognoscentis seipsum debet esse benè præmeditata: ut enera & species peccatorum distingvantur, eorumque circumantiæ aggravantes considerentur: pravitas delictorum, malitia, ericula, & damna perpendantur. Adam ubi es? primum pecatorem inquirit Deus. (*Gen.* 3.) Sicut fluit cera à facie ignis, c perijt peccator à facie Dei. (*Psal.* 67.) Vidi impium, transi-i, & ecce non erat. (*Psal.* 36.) Si enim perversæ cogitationes parant hominem à DEO; (*Sapientiæ* 1.) quantò magis ope-perversa? Si *Deus* aufert se à cogitationibus quæ sunt sinè tellectu, multò magis abscedit ab ijs quæ sunt contra ratioem? En detrimentum *Dei* & perditio sui ipsius. *Deinde* est mes valida in regione illa, in quam prodigus filius exerrat; uia juxta *D.* Hieronymum, *voluptas habita famem non satietem parit.* Fornicati sunt & non cessaverunt, lamentatur Osee, *cap.* 4.) quia qui sordidus est, sordescit adhuc: (*Apoc.* 22.) & pius cùm in profundum venerit contemnit. (*Prov.* 18.) En bduratio cordis in malo. Exinde jugum diaboli intolerabile ensandum, cui se peccator subdit. Trutinanda non minùs derimenta animæ, ubi omni gratiâ Dei privatur, bona ipsius ope- mortificantur, bona naturalia amittuntur, à communione Sãorum fit segregatio, & cœlestis beatitudinis exhæreditatio. Sed comparatio vitæ pessimè actæ facienda cum vitis Sanctorum: oh quanta diversitas! quanta difformitas! Respiciet ad homi-

Pes denudatus quomodo calceandus?
Pes ut stet in directo.
In omnibus vijs Deus cogitandus.
Ut cogitatio hominis confiteatur Deo.
Cogitatio hominis peccatoris super se qualis? per confessionem peccatorum.
Quomodo perit peccator?
S. Hieron.
Quomodo in malo obduratur?
Jugũ diaboli.
Detrimenta animæ.
Cõparatio vitæ malæ cum vitis Sanctorũ

nes, dicit Eliu apud Job; homines nimirùm more hominum e ratione viventes, & dicet: peccavi, & verè deliqui, |& ut eran dignus non recepi; (*Job.* 33.) acsi diceret: nec ego feci fructu dignos pœnitentiæ, (*Matt.* 3.) nec Deus justas pœnas, qua merui mihi irrogavit. Super omnia libranda est injuria Deo illa ta, dicendo: tibi soli peccavi & malum coram te feci. (*Psal.* 50 Peccavi in cœlum & coram te. (*Luc.* 15.) In conspectu Dei Deum offendere execrandum est; illum Deum à quo omne bo num recipitur; illum Deum, in cuj⁹ manus incidere horrendun est; [*Hebr.* 10.] illum Deum, cujus judicia districta sunt; terri bilem, qui aufert spiritum principum, (*Psal.* 75.) qui potest & corpus & animam omni momento mittere in gehennam. (*Mat.* 10.) Denique ad misericordiam Dei confugiendum, quæ est u nicum refugium peccatoris pœnitentis. Sic cogitatio homini optimè confitebitur Deo, (*Psal.* 75.) si tamen sit, uti LXX. ve terunt, fervida & ardens cogitatio ab igne amoris emissa; u Deo, qui ignis consumens est, (*Deut.* 4.) jungatur. Thronu Dei in igne; (*Dan.* 7.) Christus in medio candelabrorum aure orum: (*Apoc.* 1.) cogitatio de Deo, de Christo sit ignea, sit au rea per aureas virtutes, fidem, spem & charitatem. Talis intern cordis accensi amore Dei per cogitationem confessio, Deo gra tissima; quia cogitatio est fætus mentis primogenitus: est actu præstantissimus, utpote ex intellectu promanans; per quem ho mo habet in se imaginem, & similitudinem Dei; [*Gen.* 1.] e hominis ut hominis rationalis; est actus excellentissimus, qui propter solum Deum factus, qui solus hominis intuetur cor; e stabilissimus; cùm fructus ejus minimè possit eripi ab hoste an marum nostrarum, est nobis proprijssimus; hoc enim quod i mente est, est propriè nostrum. Hinc reliquiæ cogitationis ist us quâ Deo homo confitetur, diem festum agunt Deo. (*Ps* 75.) Quænam hæ sunt reliquiæ? Cordis compunctio & contr tio, oris confessio, operis satisfactio, ut plenè eructet cor ta verbum bonum, & dicantur opera Regi. (*Psal.* 44.) Reliqui cogitationis planè sunt verba & opera, quandoquidem ex abi dantia cordis os loquitur, (*Matt.* 12.) & quod cor desider manus operatur. Nonne dies festus, gaudium in cœlo Angelo rum Dei super peccatore pœnitentiam agente? (*Luc.* 15.) No ne dies festus, quando cor, lingva, manus, ab omni opere serv li, quod est peccatum, cessant & soli Deo vacant? Denique m ximum festum teste S. Chrysostomo, *bona conscientia*, secu mens quasi juge conviviũ. (*Pr.* 15.) Prima cogitatio Deo ma confitens peccata sua, facit totum diem absque peccato & cu majori transigi devotione. Adjungenda quoque confessio la dis pro beneficijs à Deo perceptis; sigillatim ille Psalmus cu Davide canendus: benedic anima mea Domino, & omnia qu

in

Injuria Dei pensenda.

Recursus ad misericordiam Dei.

Cogitatio de Deo sit ignea.

Quænam sunt reliquiæ cogitationis?

Quæ diem festum agunt.

S. Chrysost.

Confessio laudis.

itra me sunt, nomini sancto ejus, (*Psal.* 102.) pro omnibꝰ gra-
js quas consequenter recenset Propheta. Procul igitur sit à cor-
ibus (quantumvis dicente Deo, (*Gen.* 6.) cuncta cogitatio cor-
is humani intenta sit ad malum omni tempore propter primi-
enij peccati radicem, per *Dei* tamen gratiam & meritũ Chri-
i præservamur à malo;) procul inquam sit cogitatio impia, de
ua *Deus* apud Isaiam: (*cap.* 29.) perversa est hæc vestra cogi-
tio, quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori
o: non fecisti me; & figmentum dicat fictori suo, non intelli-
is. Væ! dicit antecedenter, qui profundi estis corde, ut à Do-
ino abscondatis consilium; quorum sunt in tenebris opera, &
icunt: quis videt nos, & quis novit nos? quasi Deus non scru-
tur profunda cordium. Tales evanuerunt in cogitationibus
is, & obscuratum est insipiens cor eorum. (*Rom.* 1.) Neq; co-
itationes nostras ponamus in cordibus nostris, ut dimittamur
ecundùm desideria cordis nostri in immunditiam; (*Psal.* 80.)
t contumelijs afficiamus corpora nostra in nobismetipsis; (*Rom.*
) quia talibus procella tenebrarum & gehenna ignis servata est
 æternum. (*Jud.* 13.) Non verificetur de nobis illud Osee:
cap. 5.] non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad *Do-*
ninum: quinimo omnis cogitatio nostra sit apud Altissimum,
t instar flammæ ignis. Cogitemus vias nostras, & converta-
nus pedes nostros in testimonia Dei; ut ambulemus in lege Do-
nini immaculati, ut dirigantur viæ nostræ ad custodiendas justi-
cationes Dei. (*Psal.* 118.) Cogitemus pro peccatis nostris, de
ræteritis dolendo, & futura cavendo. Annos æternos in mente
abeamus. (*Psal.* 76.) Sic cum Joanne Angelo præparabimus
iam *Domini* ante ipsum, (*Matt.* 11.) erimus Angeli ministri
acientes voluntatem Dei, [*Psal.* 102.] & corde & verbo & o-
peribus addicti Regi sæculorum immortali soli *Deo*
in æternum. (1. *Tim.* 1.)

Cogitatio impia.

Cogitatio bona

Sermo in Dominica III. Adventûs.

Eructavit cor meum verbum bonum. *Psal.* 44.

A Cogitatione ad meditationem facimus progressum, PP. RR. FF. DD. quæ etiam est verbum cordis, sive interna mentis locutio; estque propriè repetita circa aliquid, eaq; ttenta & profunda cogitatio. Unde meditari significat aliquod bjectum medio corde versare, vel mediante mente pensare. elix qui dicere potest Deo cum Propheta: meditatio cordis mei n conspectu tuo semper. (*Psal.* 18.) Si enim est in conspectu Dei, utique non poterit esse nisi de Deo vel de rebus Deũ con- ernentibus. Interea meditantur boni in lege Domini, (*Ps.* 1.) n justitia *Dei*, (*Psal.* 34.) in justificationibus & mandatis ejus; *Psal.* 118.) vel in omnibus operibus illius, & in factis manuum

Meditatio verbũ cordis est.

In quo meditantur boni?

ipſius meditantur. [*Pſal.* 142.] Meditantur mali dolos, (*P...*
Quid mali meditantur?
37.) rapinas meditatur mens eorum. (*Prov.* 24.) Eſt qui ex ...
meditatur diſcordias, diligit rixas; (*Prov.* 17.) iniquitatem m...
ditatur in cubili ſuo, (*Pſal.* 35.) haud dubiè in cordis cubili: c...
niq́ue populi meditantur inania. (*Pſal.* 2.) Et hæ ſunt medita...
ones pravorum atq́ue exercitationes, quorum merces erit v...
mis non moriens, (*Iſai.* 66.) ſed cor eorum rodens æternùm ...
inferno. Nobis, quorum cor eructare debet verbum bonu...
incumbit meditatio de bono, quod ſummum & unicum *D*...s
eſt. Rex piiſſimus, qui de ſe dicit Deo vicibus repetitis: lex ...
meditatio mea eſt, (*Pſal.* 118.) bina ſpecificat tempora medi...
Meditatio de nocte,
tionis ſuæ: noctem; (meditatus ſum nocte cum corde meo; ...
76.) opportunè, quia tunc medium ſilentium tenent omn...
(*Sap.* 18) nihil obſtrepit quod poſſit meditationem interturba...
& mane,
& mane: (in matutinis meditabor in te ait, (*Pſ.* 62.) ſive de ...
ut per hunc totum diem bene ordinaret ad *D*ei gloriam a...
gendam & voluntatem ejus exequendam; quia fuiſti adjut...
meus [*Ibid.*] ſubnectit: Dei adjutorio innixus non propriæ vi...
tuti. Continuam tamen legis *D*.vinæ meditationem beatifi...
die ac nocte.
dicens: beatus vir qui in lege *D*omini meditabitur die ac noct...
(*Pſal.* 1.) id eſt, omni tempore, quod per diem & noctem ...
ſterminatur; id eſt, ſemper tam in die proſperitatis, quàm ...
Quænam meditatio noctis?
nocte adverſitatis. Videamus tamen quidnam illud eſt, quo...
de nocte meditatur? Meditatus ſum inquit, nocte cum cor...
meo. (*Pſal.* 76.) Intellectui igitur ſuo quo meditabatur, ſociu...
cor adſcivit. Quale cor? Cor videlicet ſibi conſcium: adeoq́...
cum conſcientia?
cum conſcientia ſua meditationem ſive examen abſolvebat: c...
frequentatis cogitationum ictibus ſuper eo in quo ſtimulu...
conſcientiæ ſentiebat, percutiebat, verſabat & diſcutiebat. Opt...
mè actioni huic videtur alludere Evangelium hodiernũ, ubi Ju...
dæi, confitentes nimirum vel confeſſionem colentes, miſeru...
Sacerdotes & Levitas, quibus incumbit cognitio & diſcuſſio i...
ſpiritualibus, quibus convenit diſcernere inter lepram & lepram...
ad Joannem, nimirum gratioſum: (verè examinator conſcienti...
ſuæ meditans cum corde ſuo dicendus gratioſus; ſive quia De...
gratus, ſive quia Dei gratiam quærens & merens;) ut interro...
garent eum: tu quis es? (*Joan.* 1.) Præſtantiſſima interrogati...
tendens ad cognitionem ſui, quam haud dubiè cor ſive conſc...
entia manifeſtat. Actum eſt de illo homine, qui non habet ſtu...
Sufficit liber conſcientiæ ad ſalutem.
dium conſcientiæ. Quid multis incumbimus ſtudijs Fratres m...
& plurimos verſam[9] libros? ſufficit nobis liber conſcientiæ noſtr...
ad ſalutem. Inſanus ille qui non ſtudet aſſiduè in hoc libro. Iſt...
eſt liber unus imò & primarius ex illis, qui in extremo Dei judi...
cio aperientur. Ergo tu quis es? meditatur cum corde ſuo, &...
rite ſibi reſpondet: homo. Viviſne ut homo? agiſne ut hom...

præ...

...ditus usu rationis? Ad quid creatus es? Ut Deo Creatori servias & obedias. Servisne? obedisne? ut fidelis servus & ...dens [Matt. 24.] inveniaris. Es Religiosus? Esne etiam re ... an nomine tantùm? Ad quid venisti? Ut Deo cui te per vo... obligâsti perfectiùs servires & obedires. Ecce Joannes confes...est & non negavit: (Joan. 1.) fatebitur tibi quoque consci...ia tua, ut non neges sæpiùs te deliquisse; imò si justus fieri ...es, in principio tui eris accusator. (Prov. 18.) Non arrogabis ... prærogativas Christi, Eliæ aut Prophetæ, sed dices te esse ...cem clamantis in deserto. (Joan. 1.) Non putabis te aliquid ... cùm nihil sis; vocem te nominabis prætereaque nihil: vo...n clamantis per suspiria & desideria in deserto virtutū & me...rum; dirigite viam Domini. [Ibid.] Ad hoc examinatur ...scientia, ad hoc fit meditatio cum corde, ut directè ad Deū ...ur, ut rectas faciamus semitas Dei nostri. [Isai. 40.] Semita ...m justi recta est, rectus est callis justi ad ambulandum. (Isai. ...) Justus non debet deflectere ad dexteram voluptatis carna... vel prosperitatis mundanæ, nec ad sinistram [Prov. 4.] per...sæ tentationis diabolicæ. Confitebor tibi in directione cor..., (Psal. 118.) ut ad te solum Creatorem meum rectà tendat ... ac feratur ad nullas deflectendo creaturas. Recti diligunt te, ...ant. 1.) rectos decet collaudatio. (Psal. 32.) Quàm bonus I...ël Deus his qui recto sunt corde! (Psal. 72.) In quo autem ...gat cor suum, specificat subdens: in eo quod didici judicia ...itiæ tuæ. (Psalm. 118.) Cùm enim Deus & justitias nostras sit ...icaturus, (Ps. 74) & hæ sunt examinandæ ac dirigendæ, cùm ...js possit semper aliquid reperiri imperfecti. Sed ad hæc omnia ...uiritur labor exercitationis. Et exercitabar & scopebam spi...um meum. (Psal. 76.) Ut quis habitum alicujus rei contra..., vel menti aliquid solidè imprimat, opus est exercitio freque...ita hìc quoque repetita resolutionum & propositorum incul...io practicanda ad munditiem conscientiæ habendam, & cor ... rectitudine ad Deum conservandum. Scopebam inquit, spi...um meum; scrutabar, rimabar, investigabam, scopis verrebā ...agitabam, & purgabam. Beda legit: scobebam quasi scobem ...adebam. Bruno Episcopus Herbipolitanus vertit; scrobebam, ...iebam quasi agrum, ut ibi mitterem semen verbi Dei: ventila...m, ait Cassiodorus, ut ventorum flatu à paleis segregaretur: ...eo variam admittit iste actus meditationis interpretationem & ...ersas exprimit actiones examinantis conscientiam suam, ad ...m in rectitudine stabiliendam: probando spiritum suum num ... Deo sit, an verò aliquid aliud spiret præter Deum. Ibi cum ...ge Prophetico interficiendi sunt omnes peccatores terræ in ...tutinis; (Psal. 100.) instinctus diabolici statim in initio repel...di facto diluculo. Pharao cum suo exercitu cæsus ab An-

Quæ examinanda,

juxta exemplū S. Joannis.

Dirigenda via Domini,

in directione cordis,

etiam justitias examinando.

Ubi labor exercitationis;

Scopatio Spiritûs.

Beda.

Bruno.

Cassiodor9.

Mane interficiendi peccatores terræ.

gelo exterminatore in vigilia matutina; (*Exod.* 14.) pravi habitus per bona proposita mactandi: ut disperderem de civitate Domini, de corde quod est civitas Dei, omnes operantes iniquitatem, ait David. (*Psal.* 100.) In hac nocturna meditatione monet Jeremias: in principio vigiliarum tuarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini; (*Thren.* 2.) & alibi: statue tibi speculam, speculare, examina, pervestiga, pone tibi amaritudines de præterito, dirige cor tuum in viam rectam, in qua bene ambulasti, (*Jer.* 31.) ut sic ambules in futurum. Eapropter examen conscientiæ per meditationem nocturnam peragendum sollicitum sit, diligens, exactum, profundum, secretissima quæque penetrans, serium, severum, exercens semetipsum ac renovans cum Propheta consequenter dicente: nunc cæpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi. (*Ps.* 76.) Verè dextera Domini fecit virtutem, [*Psal.* 117.] quando per ejusmodi meditationis scrutinia corrigimur & emendamur. Et quàm benè de nocte hæc fit meditatio. Quid enim vita nostra, super quam examen instituimus, nisi nox peccatorum tenebris & ignorantiæ caligine obsita & obsepta? Quin ipsa delicta quis intelligit? (*Psal.* 18.) Jam matutina meditatio, ubi diluculum gratiæ Divinæ oritur in corde, ubi lux cognitionis Dei illucescit in intellectu, convertenda ad Deum tanquam primum principium & ultimum finem. Deus Deus meus; quasi dicat: Unitrine Deus Creator meus, & homo Deus qui es Deus meus, meâ vestit⁹ carne, redemptor meus, ad te de luce vigilo. (*Psal.* 62.) Mane astabo tibi & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; mane exaudies vocem meam. (*Psal.* 5.) Deus in medio civitatis suæ, animæ sanctæ non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo. (*Ps.* 45.) Mulieres valde mane unà Sabbatorum, id est, primâ die post Sabbatum quæ est Dominica, veniunt ad monumentum orto jam sole justitiæ, (*Marc.* 16.) quia resurrexerat; & meruerunt eum videre & adorare resurgentem. Esto brachium nostrum in mane, orat Isaias, (*c.* 33.) adjuvans & protegens: hoc est, in matutinis fuisti adjutor meus; (*Psal.* 62.) imò repleti sumus mane misericordiâ tuâ, & exultavimus & delectati sumus omnibus diebus nostris: (*Psal.* 89.) ac ideo bonum est confiteri Domino ad annuntiandum mane misericordiam Dei. (*Psal.* 91.) Exaltabo mane misericordiam tuam, dicit Propheta, quia factus es susceptor meus & refugium meum. (*Psal.* 58.) Quantus fructus matutinæ meditationis! Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, continuò ingeminat Regius vates. (*Psal.* 142.) Et quid misericordia Dei, nisi gratia ejus? & hæc mane confertur. Mane videbitis gloriam Domini, ait Moyses: (*Exod.* 16.) quæ fuit gratia mannæ. Qui mane vigilant ad me, invenient me, asserit Sapientia. (*Prov.* 8.) Ipsamet gratia Dei est mane, per quam somnus

Examen conscientiæ mane peragendum, quale?

Utilitas matutinæ meditationis per varios textus Scripturæ sacræ mõstratur

mnus & torpor excutitur peccati: hora est jam nos de somno rgere; (*Rom.* 13.) pelluntur tenebræ ignorantiæ: post tenebras ero lucem; (*Job.* 17.) fugantur dæmones: (omnis erronũ sive tronum chorus viam nocendi deserit) abscondunt se pravæ co- tationes & affectiones; (veluti feræ ad ortum solis in cubilib[9] is collocantur, (*Ps.* 103.) nimirùm speluncis) tentationes miti- antur; (quemadmodùm mane infirmitates alleviantur. Si di- culò consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris depre- atus, ait Job, si mundus & rectus incesseris, (quod faciet no- turna meditatio) statim evigilabit, (ad te utique per gratiam am) & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ. (*Job.* 8.) uid quòd mane cantus avium resonat? Ubi eras, cùm me lau- arent simul astra matutina, & jubilarent filij Dei? interrogat eus Job. (*cap.* 38.) Anima repleta gratiâ Dei laudat Deum ut trum; jubilat ut filia Dei. Denique Sponsa invitat dilectum: ane surgamus ad vineas; [*Cant.* 7.] & Paterfamilias primo ane conducit operarios in vineam suam. (*Matth.* 20) Mane cingit se homo labori ad bona opera facienda. Quin & man- mane datum colligebatur quantum sufficere poterat ad ves- ndum, quod incalescente Sole liquefiebat; (*Exod.* 16.) mane gilantibus dantur à Deo beneficia, quæ negligentibus & som- plentis subtrahuntur. In matutinis igitur meditamur de Deo, operibus ejus; illiusque gratiam & misericordiam imploram[9], sit adjutor & protector noster. (*Ps.* 27.) Memor fui operum omini, (post nocturnam meditationem) ait Propheta, quia emor ero ab initio mirabilium tuorum: & meditabor in omni- us operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor. (*Ps.* 76 d & de his meditationibus aliàs fusiùs. Nunc finiens, breviter nuo de continua tam diurna quàm nocturna meditatione, quæ t in lege Dei ad observandum eam. *Meditatio enim legis* juxta Hieronymum, *non solùm in legendis Scripturis est, sed in his æ scripta sunt, faciendis.* Audiamus pro conclusione Moysen *eut.* 6. & legem in compendium reducentem, & legis obser- ntiam imperantem. Audi, inquit, Isràël: Dominus Deus no- r Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto cor- tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua; quasi ceret: corde, ore & opere. En compendium legis, finis & ple- udo. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in rde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in do- o tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens; ac diceret: continuò, semper, nocte ac die. Audiamus ipsum De- n Josve *cap.* 1. præcipientem. Non recedat volumen legis huj[9] ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custo- as & facias omnia, quæ scripta sunt in eo. Tunc diriges viam m & intelliges eam. Ita omninò meditatio non tamen frigi-

Conclusio de continua meditatione in lege Dei ad faciendum eam.
S. Hieron.

Compendium legis Divinæ.

aut tepida, ſed calida, in qua exardeſcit ignis (*Pſ.* 38.) amori;
& fervor devotionis facit & intelligentiam legis & directione
cordis ac viæ rectitudinem: adfert cognitionem ſui & *Dei*: ſi
ad exercitationem & correctionem, Dei ad gratiæ & miſerico-
diæ ejus conſecutionem, quam nobis concedat miſericors *D*-
minus per exactæ meditationis ex corde velut verbi
boni eructationem.

Sermo in Dominica IV. Adventûs.

Eructavit cor meum verbum bonum. *Pſal.* 44.

Verbũ bonum orationis, QVodnam melius verbum dari poteſt verbo bono orati-
nis ad Deum? PP. RR. FF. DD. Quidquid enim cog-
tatio aſſumit & proponit, meditatio maſticat & rumin;
hoc oratio concludit & digerit, à Deo requirit & impetrat, at;
in fructum animæ convertit. Cor debet eructare verbum or-
ex corde eructandum, tionis; quia ſi ore duntaxat proferatur non ex corde, dicetur
Deo: populus hic labijs me honorat, cor autem eorum lon
eſt à me. (*Matt.* 15.) Tales erant illi de quibus Propheta: & d-
lexerunt eum in ore ſuo, & lingvâ ſuâ mentiti ſunt ei, cor au
eorum non erat rectum cum eo. [*Pſal.* 77.] Nec ex corde, ſi
pliciter tantùm orandus eſt Deus, ſed ex toto corde. Confiteb
imò ex toto corde fiat confeſſio fidei; tibi *Domine* in toto corde meo, alloquitur Deum Rex Vatu
(*Pſal.* 137.) Triplex reperitur confeſſio: ubique totum cor d
bet concurrere. Prima eſt confeſſio fidei, de qua Apoſtolu
corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſaluter
(*Rom.* 10.) De hac ipſe Redemptor: qui me confeſſus fuerit c
ram hominib⁹, confitebor & ego eum coram Patre meo. (*Ma*
laudis Divinæ; 10.) Altera confeſſio eſt laudis Divinæ; quam ſæpiùs Pſalmiſ
repetit admonens: confitemini *Domino* quoniam bonus: (*P*
135.) confeſſio & magnificentia opus ejus. (*Pſal.* 110.) Et ad D
um: confiteantur tibi *Domine* omnia opera tua. (*Pſal.* 144.
& peccatorũ. Tertia eſt confeſſio peccatorum. De iſta Sapiens in Proverbij
qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fu
erit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. (*Prov.* 28.) F
fidei; des quæ per dilectionem operatur, ex toto corde exequitur m
datum *Dei*, quod eſt: diliges Dominum Deum tuum ex to
laudis Divinæ; corde tuo. (*Matt.* 22.) Laus Dei quidni toto corde proferend
cum Regio Pſalte dicendo: confitebor tibi Domine in toto co
de meo; [*Pſal.* 110.] ne ſit diſtractio in mente, diviſio in aff-
ctu, ceſſatio in tempore, remiſſio in intenſione, contractio i
extenſione, reſervatio in reſignatione. Benedicam *Dominu*
in omni tempore, dicit idem vates, ſemper laus ejus in ore me
(*Pſal.* 33.) non ſicut ille, qui confitebitur tibi Deus cùm benef-
ceris illi; (*Pſal.* 48.) in tempore autem tentationis vel adverſ
& pœnitẽtiæ. tatis recedit (*Luc.* 8.) à confeſſione. *Denique* pœnitentia toti
cord

ordis confessionem postulat & deprecationem. Deprecatus sum ciem tuam in toto corde meo; miserere mei, inquit idem pœ- tens: (*Psalm.* 118.) clamavi in toto corde meo, exaudi me omine. (*Ibidem*) Et hæ sunt confessiones ternæ, quas velut erbum orationis cor eructat. Notabile tamen est, quod præ- vet Ecclesiasticus: ante orationem præpara animam tuam, & oli esse quasi homo qui tentat Deum. (*Eccli.* 18.) Certum est, uòd homines personas alicujus conditionis accedentes, antece- enter disponant se ad loquendum, & contextum orationis com- onant; quidni ad Deum alloquendum cum longè majori præ- ratione appropinquandum? Et quidem primò anima ab om- bus alijs curis & negotijs abstrahenda & exspolianda, ut nihil ogitet præter ipsum Deum, quem oratura est. Deinde ab om- bus peccatorum sordibus emundanda per actum contritionis: on enim est speciosa laus in ore peccatoris, (*Eccli.* 15.) & pec- tores Deus non exaudit. (*Joan.* 9.) Iniquitatem si aspexi in rde meo, inquit Propheta, non exaudiet Dominus. (*Psal.* 65. teriùs cum Abrahamo humiliet se, dicens: loquar ad Domi- um meum, cùm sim pulvis & cinis; (*Gen.* 18.) vel cum San- o Francisco: *Quis ego Domine? quis tu? Tu abyssus essentiæ, pientiæ, bonitatis; ego abyssus nihili, ignorantiæ, & malitiæ; ita yssus abyssum invocat?* Deniqùe præmeditanda sunt ea, quæ tentur, & variæ intentiones formandæ ex varijs virtutum mo- tis. Ac primùm ex motivo fidei & religiositatis in agnitionem premæ Majestatis Divinæ dominij ac bonitatis, à qua omnia na fluunt. Deus enim est Pater luminum, à quo omne datum num & omne donum perfectum procedit. (*Jac.* 1.) Secundò instinctu humilitatis, & in contestationem nihili sui, defectûs indigentiæ simul ac dependentiæ à Deo, & omnis sufficientiæ eo. 2 *Cor.* 3. Tertiò ex motivo spei, omnem fiduciam in Dei atia ponẽdo, & omnem sollicitudinẽ nostrã in eum projiciẽdo, [*Pet.* 5.] quoniam ipsi est cura de nobis. [1. *Cor.* 9.] Quartò incentivo charitatis; quem enim amamus, cum hoc libenter nversamur, colloquimur, & tempus absque omni tædio con- imus. Ecquid amabilius Deo nostro? qui charitas est, (1. *Jn.* 4.) qui summum bonum est. Gustate & videte, monet ropheta; (& quomodo, si non per meditationem & oratio- nem?) quàm dulcis est Dominus. (*Psal.* 33.) O quàm magna ltitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te (*Ps.* 30.) (addam ego non incongruè) orantibus te, aman- tibus te. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, (1. *Cor.* 2.) posi- tiò in extasi, & contemplatione. Quintò ex affectu gratitudinis ut in omnibus Deo gratias agamus. [1. *Thess.* 5.] Sextò ex mo- tivo pœnitentiæ, ut ueniam & satisfactionem pro peccatis impe-

Ante orationẽ anima præparanda,

per aliorum curarum abjectionem,

per emundationem à peccatis actu Contritionis,

per humiliationem sui,

S. Francisc9.

per præmeditationẽ petendorum, & per varias intentiones.

I. ex motivo fidei.

II. ex instinctu humilitatis.

III. ex motivo spei.

IV. ex incentivo charitatis.

V. ex affectu gratitudinis.

VI. ex motivo pœnitentiæ.

tremus. Septimò ex pressura necessitatis, ut adjutorium grat
VII. ex pressura necessitatis. Dei, dona virtutum & necessaria ad salutem consequamur; &
tandem adipisci mereamur gratiæ & gloriæ augmentum. Octa-
VIII. ex compassione proximi. vò ex compassione proximi, ut peccatoribus conversionem, ju-
stis gratiæ incrementum, agonizantibus auxilium, purgantibus
IX. ad cultum Deo, liberationem exposcamus. Nonò, ut in his omnibus Deo &
X. B. Virgini, & Sanctis exhibendum. Christo Domino latriæ, Beatissimæ Virgini hyperduliæ, Sanctis
& Angelis duliæ cultum exhibeamus; imitando Jesum Christ,
Matrem ejus, omnesq; cœli cives ex Angelis & hominib⁹ con-
sistentes, quorum continua in cœlo operatio est oratio, unien
indignas preces nostras precibus eorum & meritis, sicque unit
per corda eorundem Deo offerendo. Quàm excellens est hæ
animæ & cordis ante orationem præparatio continens in se ipsis
omnimodæ orationis actus & affectus! Qui absque hac præp-
aratione accedit, imò si in peccato existat Dei inimicus; hic no
tantùm Deum tentat, sed irritat & ad iracundiam per temerit-
tem suam, audaciam, irreverentiam & impudentiam mag
provocat; neque enim habitabit juxta te malignus, alloquitu
Deum devotus Rex, (*Ps.* 5.) neq; permanebunt injusti ante oc-
los tuos; odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omn
qui loquuntur mendaciū; & hi sunt, qui faciunt se amicos tu
orando te cùm sint inimici; adeoq; mentitur iniquitas sibi. (*Ib.*
Sed interrogabit aliquis, cùm sapiens Salomon jubeat: (*Eccli.* 5
ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferen
dum sermonem coram *Deo. Deus* enim in cœlo, & tu sup
terram: ideo sint pauci sermones tui. Imò ipse Christus Dom
nus monet: orantes nolite multum loqui. (*Matt.* 6.) Qualisnam
Qualis oratio optima? oratio est optima nobisque ac Deo conveniens? Respondeo nu
lam meliorem esse illâ, quam ipsa Divina composuit Sapientia
Oratio Dominica. quæ oratio Dominica appellatur. Hanc *D.* Cyprianus nomina
Evangelij Breviarium; sicut officium Ecclesiasticum continen
in se totius sacræ Scripturæ compendium, Breviarium nuncupa
S. Cyprian. tur. *Quæ vera magis apud Patrem precatio*, inquit idem *D.*
Idem. Cyprianus, *quàm quæ à Filio, qui est veritas, de ore ejus prolat
est? quinimo nulla efficacior*, prout idem testatur. Nam cùm
dicat, quia quodcunque petierimus à Patre in nomine ejus, dab
nobis; (*Joan.* 15.) quantò efficaciùs impetramus quod petim
in Christi nomine, si petam⁹ per ipsi⁹ orationem? Libet brevit
eandem trutinare, ut sciamus quomodo bonum orationis verb
Expositio Orationis Dominicæ. non in multiloquio coram *Deo* cor debeat eructare. Quid
cor dicat Pater? quod Pater petit inquiens: fili præbe cor tuum
Pater mihi. (*Pr.* 23.) Quidni ex corde, amoris sede, titulus hic proc
S. Augustin. dat ad Deum? *Patris nomine*, ait S. Augustinus, *charitas exc
tatur, quid enim charius filiis quàm Pater? & supplex affect
& quædam impetrandi præsumptio. Quid enim non det filij*
q

i dedit ut filij essent? (Joan. 1.) *Quidni filiale cor habendum*
l Patrem, qui nos ad filij sui naturalis adoptionem & fraterni-
tem admisit, (Gal. 4.) *per quam & peccatorum remissionem,*
hæreditatis successionem, & Spiritûs sancti donationem rece-
mus. Notandum tamen quòd Pater Deus sit: (1. *Cor.* 8.) nam — *Si Deus Pater qui est spiritus, ergo filij spirituales esse debent.*
iritus est *Deus*: (*Joan.* 4.) ergo filios Dei ex *Deo* natos,
oan. 1.] qui Patrē orant, spirituales esse necesse est; qui adorēt
m in spiritu & veritate, (*Joan.* 4.) qui nihil carnis, prout De-
, sed totum spiritûs sapiant. Qui enim spiritu aguntur, hi sunt
j Dei; (*Rom.* 8.) sed qui, quod majus est, adhæret Deo per cō-
uum amorem, unus spiritus est cum eo. *Dicimus Pater no-* — *Noster*
r, quia sic Deus orare unum pro omnibus voluit, inquit Cypri- — S.Cyprianus
us, *quomodo in uno omnes ipse portavit. Nunc quia singuli* — S.Ambrosius.
ant pro omnibus, ait S. Ambrosius, *itidem omnes orant pro sin-*
lis. Ita magna remuneratio est, ut orationibus singulorum
quirantur singulis totius plebis suffragia. Per hoc quisq; omni-
aliorum preces sibi lucratur & ascíscit. O quàm grande fæ-
s spirituale! ô quàm magna animæ usura! Qui es in cœlis, — *Qui es in cœlis*
Matt. 6.) addimus; partim summum Dei dominium & pote-
tem è summis ad infima declarando, quod utì Pater, sit op-
nus, utì cœlestis, sit maximus: partim ut hæreditas filiationis
n terrena sed cœlestis intelligatur; partim ut mens de terrenis
cœlestia elevetur, ubi Deus Angelis & hominibus beatis glo-
m suam manifestat; partim ut non alia nisi ad cœlum condu-
ntia petamus. Et hic titulus ingressus est & exordiū nostræ ora-
nis. Succedit prima petitio *Deum* ipsum concernens. Sāctifi- — *Sanctificetur nomen tuum.*
ur nomen tuum, (*Ib.*) quod ipsum sanctum est; ut tu *Deus*
inus & unus ab omnibus creaturis agnoscaris & colaris, adoreris
glorificeris utì Sanctus radicaliter in natura tua Divina, Sanctus in
jestate, omnipotentia, sapiētia, bonitate, justitia, misericordia,
terisque attributis; & ut nos tuâ sanctitate sanctifices, *ut qui*
otidie delinquimus, dicente S. Cypriano, *delicta nostra assiduâ* — S. Cyprianus
ctificatione repurgemus. Sed & in hoc & in omnibus tibi soli
honor laus & gloria. (1. *Tim.* 1.) Talis sanctificatio Dei per
est finita; sed per Doxologiam, Gloria Patri, *& reliqua*, in sæ-
a sæculorū Amen, meritò cum adoratione & supremi cultûs
ini veneratione dicendā; & per oblationem Christi Crucifixi
Missa, adorandi illius sacrificij *Deus* infinitè sanctificatur. Se-
da petitio. Adveniat regnum tuum: (*Matt.* 6.) ita ut sit — *Adveniat regnū tuum,*
ninium tuum in omnes omninò creaturas, utì est regnū tu-
regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni ge-
ratione & generationem: (*Psal.* 144.) ita ut sigillatim regnum
m quod intra nos est, (*Luc.* 17.) sit per fidem in te vivam,
per gratiam tuam; sit justitia pax & gaudium in Spiritu san-
, (*Rom.* 14.) ac postea adveniat regnum cœleste per gloriam

ac beatificam visionem; deniq; & corpori & animæ sit beatitudo sempiterna, ubi accipiemus regnum decoris, & diadema speciei de manu tua; (*Sap.* 5.) ubi tu Deus in nobis regnabis, & nos in te regnabimus in æternum. Tertia petitio, fiat voluntas tua. (*Matt.* 6.) voluntas signi, ut ea quæ in præceptis tuis signâsti, integrè impleamus: voluntas beneplaciti, ut ea quæ nobiscum disponis, de manu tua libenter & gaudenter acceptemus; adeoque nostra voluntas jam non sit nostra sed tua, tuæ totaliter conformis & unita; sicut in cœlo per Angelos ministros, qui faciunt voluntatem Dei, (*Psal.* 102.) ita in terra per homines; sicut in cœlo animæ, ita in terra corporis; sicut in cœlo per justos, sic in terra per peccatores. Et hæ sunt tres petitiones Deum respicientes, sanctissimæ Trinitatis mysterio correspondentes, ita ut prima petitio Patri, altera Filio, tertia Spiritui sancto possit appropriari, licèt totam Triadem omnes tres respiciant indistinctè: quemadmodum Omnipotentia Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui sancto attribuitur, licèt in Deitate unum sit. Sequuntur quatuor supplicationes nobis servientes, quarum prima petit bona; reliquæ tres malorum exposcunt sublationem. Panem nostrum quotidianum, alius textus legit supersubstantialem, id est præcipuum, da nobis hodie, [*Matt.* 6] oramus: et quod victum explicitè, implicitè autem omnes tam corporis quàm animæ necessitates postulamus, sive ut ait D. Augustinus, *sufficientiam petimus nomine panis totum significantes.* Sigillatim tamen spiritualiter, in statu pœnitentium obsecramus: ciba nos pane lachrymarũ, & potum da nobis in lachrymis in mensura; (*Psal.* 79.) sive pota nos vino compunctionis, (*Psal.* 59.) quod sunt lachrymæ: hic est panis afflictionis. (*Deut.* 16.) in statu proficientium petitur verbum Dei dicente Scriptura: non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. (*Matt.* 4.) In statu perfectorum, panis qui de cœlo descendit, & dat vitam mũdo. (*Joan.* 6.) Omnes hi panes quotidie necessarij. De ultimo dicit S. Ambrosius: *si panis est quotidianus, cur post annum tantùm eum sumis? sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Jam sequitur deprecatio malorum. Et primum quidem maximum malum peccatum tolli rogamus, per dimissionem à Deo nobis faciendam debitorum nostrorum juxta regulam dimissionis nostræ, quam debitoribus nostris præstamus. Et sic remissioni Divinæ datur conditio, remissio nostra; si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, ait Veritas essentialis, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: si autem non dimiseritis, non dimittet: (*Matt.* 6.) idque alibi addit ex corde. (*Matt.* 18.) Deinde occasionem peccati auferri requirimus precantes: & ne nos inducas in tentationem, et *deserti tuo adjutorio*, S. Augustinus explicat, *vel consentiamus decep-*

Fiat voluntas tua.

Hæ tres petitiones Deum respiciunt;

reliquæ quatuor nobis serviunt

Panẽ nostrũ quotidianum da nobis hodie.

S. Augult.

Panis lachrymarum.

Panis verbi Divini.

Panis cælestis.

S. Ambros.

Dimitte nobis debita nostra &c.

Et ne nos inducas in tentationẽ.

S. Augustin.

epti, *vel cedamus afflicti. Sensus tentationis non est peccatū, consensus.* Denique ab omni malo liberari poscimus, & culpæ & pœnæ, & corporis & animæ, à præterito, præsenti & futuro. Amen. Ita certò fiat. Nonnè hæc oratio est omnium orationum synopsis & concentratio? Hanc si cum præparatione præviâ taliter absolvimus, utique omnem confessionem perficimus; si sic verbum orationis ex corde eructamus, haud dubiè, quod petimus impetramus: quod nobis Pater cœlestis quem oramus, impertiatur.

Sed libera nos à malo

Amen.

Sermo in Nativitate Domini.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

REgem fieri magnum est, majus Regem actu esse; sed maximū est Regem & actu esse & nasci: talem nimirū Regem ex natura à prima origine sua existere. PP. RR. FF. DD. Deum supremum omniū rerum Monarcham, Regem esse ab æterno & usque in æternum quis ambiget? qui in se ipso regnum omnium regnorum possidet. Ex Patre Rege Filius Rex oritur, ab utroque Spiritus sanctus Rex procedit; & hi tres Reges unus Rex sunt: in hoc triregno personarum unitas Divinæ essentiæ regnat & dominatur. Cœlum ipsi sedes est, (*Isai.* 66.) in excelsis cœlorum habitat, in altissimis moratur velut Altissimus Rex, ibique suum tenet regnum cœlorum. Sed ecce hodie Rex cœlestis, Filius Regis Patris in terris nascitur. Dubitatis Regem esse? Manifestat id nuntius & hic cœlestis: natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. (*Luc.* 2.) Quid denotat Christus? Nonnè unctum? Et quis ungitur nisi Rex? Christus Dominus est Rex unctus. Unguntur quoque Pontifices & Sacerdotes. Sic etiā & ipse unctus, qui est Sacerdos & Pontifex secundùm ordinem Melchisedech; (*Psal.* 109.) & hic erat Rex Salē, Sacerdos Dei Altissimi. [*Hebr.* 7.] Audite Regem ipsum de se loquentem: ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon montem sanctum ejus. (*Psal.* 2.) Quando? Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. (*Ibid.*) Rex nascitur, Rex est natus ex propria origine. Ita respondet Pilato interroganti: ergo Rex es tu? [*Joan.* 18.] Ego, inquit: in hoc natus Rex omnis terræ Deus, (*Psal.* 46.) cui dicitur: postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. (*Psal.* 2.) Non una gens Judaica datur illi, ut sit tantùm Rex Judæorum; sed omnes gentes quæ jubentur plaudere manibus, jubilare in voce exultationis, quia Dominus excelsus, terribilis Rex super omnem terram; (*Psal.* 46.) accipit possessionem terminos terræ: [*Psal.* 2.] ut Domini sit terra & plenitudo ejus. (*Psal.* 23.) Parvulus ergo natus est nobis, filius datus est nobis; sed cui factus est principatus super humerum ejus. (*Isai.* 9.) Regnabat in hoc orbe terrarum

Deus supremꝰ Rex & Monarcha

Pater Rex Filius Rex Spiritus Sanctus Rex & hi tres unꝰ Rex.

Christus natus Rex

non tantùm Judæorum sed omniū Gentiū.

princeps tenebrarũ, princeps mũdi huj⁹, (*Joan.* 14.) Rex super o-mnes filios superbiæ, (*Job.* 41) qui aus⁹ est Regi nostro ostẽdere o-mnia regna mũdi, & gloriã eorũ tentans illũ. (*Matt.* 4.) Sed jam tenebrionẽ pellit illũ parvulus natus infans pannis involut⁹, po-tus in præsepio, [*Luc.* 2.] qui est lux mundi, (*Joan.* 8.) qui est Rex & splendor Paternæ gloriæ, (*Hebr.* 1.) candor lucis æternæ. (*Sap.* 7.) Quid tamen? Qualemnam sedem regni capit Rex noster?

Capit sedem Regni David,

Prædixit paranymphus Angelus dicens: dabit illi Dominus sede David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob, & regni ejus non erit finis. (*Luc.* 1.) Videtur idem anteà de parvulo nato proph-tâsse Isaias inquiens: super solium David & super regnum ejus sedebit, ut corroboret illud in judicio & justitia. [*Isai.* 9.] Idem prædicit Jeremias: suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra. (*Jer.* 23.) Hinc David orare pro illo videtur: Deus judicium tuum tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis: (*Psal.* 71.) judici-um, ad tollendum malæ fidei possessorem diabolum; justitiam, ut doceat homines semitas justitiæ. Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, (*Joan.* 12.) quin & spiritus veritatis arguet mundum de judicio, quia princeps hu-jus mundi jam judicatus est. (*Joan.* 16.) Regnum Regis nostri non est de hoc mundo, (*Joan.* 18.) in quo regnat concupiscen-tia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ; [1. *Joan.* 2.] quæ sunt arma principis hujus mundi, in quibus confidit.

Judicium & justitiam exercet,

Regnum ejus non est de hoc mundo

Quæ tamen hæc sedes David? quod solium ejus? Crediderim humilitatem. Cùm enim esset parvulus & pascens oves, unctus est in Regem à Samuele Propheta. [1. *Reg.* 16.] Sic & Saul cùm esset parvulus in oculis suis, caput in tribubus factus est. (1. *Reg.* 10.) Nec immeritò hæc sedes Regis nostri est, quia rex filiorum superbiæ (*Job* 41) elegit sibi pro sede sublimitatẽ mõtis testamẽ, & hæc tolli non poterat, nisi per contrarium humilitatis in valle lachrymarum. Humiliavit calumniatorem, (*Psal.* 71.) qui græcè est diabolus. Hinc non abs re dicetis Regem cœlorum in stabu-lo nasci, utiq; nidulo humilitatis. Mihi tamen alia ratio occur-rit, cur nativitatis suæ sedem stabulum elegerit? Videlicet quia ovis nasceretur. Ecce hic Rex natus, Agnus est Dei, qui tollit peccata mundi. (*Joan.* 1.) O humilitas Agni in stabulo nasci! sed & proprietas. Ad stabulum Christi Fratres mei cum pasto-ribus festinemus, si oves sumus; si inter agnos volumus compu-tari. Sed videte, hæc ovis innocentissima, hic agnus immacula-tus est simul Pastor bonus, (*Joan.* 10.) & ideò stabulum tenet pro sede. Quosnam primos censetis ad se advocat hic Pastor? Haud dubiè Pastores. Ad hos mittuntur legati cœlestes, hos cir-cumfulget lux de cœlo, istis annuntiatur gaudium magnum, (*Luc.* 2.) hi digni habiti sunt primi videre Salvatorem, consp-ce

Quæ sedes David? Humilitas.

Sedes diaboli superbia,

Cur stabulũ sedes nativitatis?

I.

II.

Christus ovis & Pastor

Pastoribus primò se manifestat.

ie Regem natum, Pastorem pastorum intueri. Scitis quando
egit Deus David servum suum? quando pascebat gregem Pa-
t sui, de post fœtantes accepit eum, pascere Jacob servum su-
u, & Israël hæreditatem suam. [*Psal.* 77.] Reges ergo etiam
Reges sunt quoque pastores; & è converso.
stores sunt, & pastores formam Regum gerunt. Quare tamen
tamus hosce pastores præ alijs fuisse vocatos? Ego sanè arbi-
Quare hi vocati præ alijs?
r ideo, quòd fuissent vigilantes & agentes custodias super
ege suo. (*Luc.* 2.) Ita solers vigilantia & diligens custodia gre-
sui, visione supremi Pastoris præmiatur. Sed nusquam nisi
Pastor nonnisi in stabulo videtur.
stabulo. Quid quòd ille Samaritanus misericors hominis ab
usalem in Jericho descendentis, spoliati, vulnerati, & semivi-
relicti susceptor, oleo & vino curator, quonam hunc ægrum
duxit? Proculdubiò ad stabulum. Stabulario enim duos pro-
it denarios, dicens: curam illius habe. (*Luc.* 10.) Quid Sa-
Samaritanus est custos
ritanus, nisi custos? Et quis custos, nisi ille, de quo Psalmista:
i Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit
Deus custos,
m? (*Psal.* 126.) Dominus custodit te, inquit, per diem sol
n uret te, neque luna per noctem. [*Psal.* 120.] Ita planè per
m prosperitatis sol non uret te arrogantiæ, neque luna inco-
ntiæ per noctem adversitatis. Gloriatur Propheta dicens:
ominus regit me; quia Rex, quia Pastor, & nihil mihi deerit.
Deus Rex Deus Pastor.
sal. 22.) Verè illi nihil deest, quem Deus regit, qui se per-
ttit a Deo gubernari. Sed quis hic? David est, est Vir secun-
Quem regit?
m Cor Dei. Et hic quis? Qui facit omnes voluntates Dei. *Ps.*
2) Talem Deus regit, talis in loco pascuæ collocatur. (*Psal.*
.) Putatisne tantummodò locum pascuæ esse viridia agro-
m, camporum, pratorum? Minimè. Et in stabulo est locus
Etiam in stabulo locus pascuæ.
scuæ, ubi fæno grex pascitur. Quodnam stabulum nostrum
Patres Dilectissimi? stabulum nostrum Claustrum est, ubi
vimus stabilitatem. Stabiles in hoc stabulo maneamus: quia
Stabulum Religiosorum est Claustrum
hoc est Christi stabulum, hìc Christus non tantùm nobis,
l & in nobis nascitur. Hìc Rex noster nobis dominatur subdi-
t suis: hic Pastor noster pascit nos à juventute nostra. Quid in
i quo oves vel agni debent esse.
c stabulo sumus? Oves simus, agni simus, necesse est, quia
is Pastor, Agnus Pastor non pascit hædos nec hircos. Sed & o-
s morbidæ procul sint à grege Christi, contaminantes eum.
c non autumemus solos Superiores esse Pastores & Reges.
atres mei, quisque sibi Pastor, quisque Rex est. Ignoratis gre-
Quisque sibi Rex est quisq; Pastor.
m vestrum? Nescitis subditos vestros? O quanti sunt! Hìc
ecurrit sensuum externorum multitudo, hic intercurrit mem-
orum corporis & potentiarum mentis turba, ibi sequitur passi-
Grex mysticè sumptus.
um animi internarum cohors, illic cogitationum & affectio-
m caterva comitatur. Proh! quantus grex, quantus
pulus, curæ & custodiæ uniuscujusque commissus! Et
idem præcurrunt oculi, de quorum uno conqueritur in
oculi,

Threnis Jeremias, (*Cap.* 3.) quòd deprædatus sit animam ejus. Verè oculus incautus & immoriger⁹ est animæ prædo. Ideò homo simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo Job asserit, se fœdus pepigisse cum oculis suis ut ne cogitaret quidem de diverso sexu. (*Job.* 1.) Alter, qui videns alienam uxorem balneantem, concupivit eam, orat Deum: averte oculos meos, ne videant vanitatem. (*Psal.* 118.) Et tamen ah! quàm pauci inter nos, qui veram oculorum custodiam atque modestiam servant. Quantas video oculorum vestrorum ejaculationes, circumcursationes, gyrovagationes sub Divino Officio, ubi soli Deo intenti esse deberent; cùm tamen notum sit vobis mortem frequenter ingredi per has fenestras. (*Jer.* 9.) Quid dicam de auribus? Vix credo aliquas esse spinis septas, ne audiant malum murmurationum, detractionum, maledictionum. Execrandæ, quæ audiunt sanguinem, quæ apertæ sunt ad carnales imò plùs quàm bestiales discursus; cùm tamen sciant, quòd caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Imò qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum; iste in excelsis habitabit, Regem in decore suo videbunt oculi ejus. (*Isaiæ* 33.) Quid referam de alijs sensibus, gustu, odoratu & tactu? Ille fructu ad vescendum suavi (*Gen* 3.) deceptus in primis Parentibus non quiescit appetere carnes, vinum, & his similia, nauseans cum Judæis super cibo (*Num.* 21.) cœlesti, pane quotidiano. Iste non detrectat oblectamenta voluptatis, currens in odorem unguentorum. (*Cant.* 1.) Hic denique extendit se ad illicita, quæ grata sunt contrectationi & à sensu doloris se retrahit. In his omnibus nonne est, quod singularem requirit pascendi curam? Sed lingva ah! quantus grex armentorum petulcorum habetur, siquidem universitas iniquitatis à Sacra Scriptura (*Jac.* 3) nominatur. Dedit Deus duplices sepes huic pecori, dicamne an pecudi: osseas dentium, & carneas labiorum. Verùm nec sic potest contineri, quin exorbitet & extra vagetur. Quis dabit ori meo custodiam, petit Ecclesiasticus, (*cap.* 22) & supet labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me? Posui ori meo custodiam, dicit Propheta; (*Ps.* 38) sed diffidens sibi, orat denuò Deum: pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. (*Psal.* 140.) Ita omninò quia lingua est inquietum malum, plena veneno mortifero. (*Jac.* 3.) Quid dico? Ignis est, cujus minima scintilla magnum facit incendium. Tunc pessima quando in se corrupta, alios suâ inficit contagione. Quid vobis videtur? Nunquid non habet quisque nostrûm satis in his externis quod pascat, quod custodiat, quod regat? Quodsi ad interiora descendamus passionum, cogitationum, affectionum; quanta hic multitudo offertur nobis ad pascendum, regendum, custodiendum? Nolo singula recensere

Aures,

Gustus, odoratus & tactus,

Lingva super omnia,

cujus Custodia difficillima.

Quid est lingva?

Internæ passiones cogitationes, affectiões.

a nec tempus sufficeret, nec lingua, licèt esset calamus scribæ ociter scribentis, (*Ps.* 44.) cuncta posset enarrare. Satis est, videmus, jam agnoscimus, jam palpamus, quæ & quanta t regimini nostro subjecta. Quid cum his agemus? Ad sta- um Christi conducantur; in claustro Religionis concludan- ; custodiâ Regulæ sanctæ stringantur: sic erimus verè Reges, mus & Pastores. Sic dicemus opera nostra, opera curæ & cu- diæ nostræ impensa, Regi magno quia parvulo. Neq; nos ni- arvuli efficiamur, erimus magni; imò nec intrabimus in re- um cælorum. (*Matth.* 18.) Fratres mei non ambulemus in rabilibus super nos, (*Ps.* 130.) sed potiùs ponamus nos in hu- ibus & simplicibus infra nos. Egredimini igitur de ergastulis A- , de diversorijs in quibus non habet locum hospes noster, de æ- nnosis exilij tugurijs, in quæ nos primorum Parentum superbia rusit; & videte Regem in stabulo Solium Regale figentem, semetipsum exinanivit formam servi accipiens. (*Philip.* 2.) e Rex noster humilis & mansuetus intonat: [*Matth.* 11.] Di- e à me quia mitis sum & humilis corde. Videte Regem Salo- nem pacificum, Principem pacis (*Is.* 9.) per Caduceatores su- gloriam in excelsis Deo & pacem in terra hominibus bonæ untatis (*Luc.* 2.) proclamantem. Ubinam pax? in alto an in ? Equidem (*Ps.* 103.) montes tanguntur & fumigant, feri q; summos fulmina montes: in montibus spiritus procellarum ninatur. Non est ibi pax sed turbo & turbatio. (*Jerem.* 14.) imo vallium pax sedem locat, hinc (*Ps.* 64.) valles abundât mento, in vallibus profluvia exundant gratiarum: dum in mõ- is & siccitas & sterilitas reperitur. Judicium ergo Regis nostri super montes arrogantiæ; quia omnis mons & collis humilia- r (*Isaiæ.* 40.) ante conspectum ejus: incurvabit, habitan- n excelso, omnem Civitatẽ sublimem humiliabit, prædicit as (*cap.* 26.) de Salvatore. Sed in vallibus humilitatis oritur itia & abundantia pacis; (*Psal.* 71.) quandoquidem omnis is implebitur. (*Luc.* 3.) Pax hominibus bonæ voluntatis. (*uc.* 2.) Bona voluntas, quæ bonum appetit & cum bono con- it; optima quæ cum summo Bono conjungitur quod Deus Homo bonæ voluntatis humilis est, Deo subiectus est & o- iens, & talis dat gloriam Deo in excelsis, (*Luc.* 19.) & pacem t in terris, dicit opera sua Regi. Et quia honor Regis judiciũ git, (*Ps.* 98.) dijudicat semetipsum (1. *Cor.* 11) frequenter, cu- it vigilias super gregẽ suũ, (*Luc.* 2.) discernit inter lepram & am, (*Deut.* 17.) confitetur adversum se injustitiam suam Dño, (.31.) ut fiat justus & iustificetur adhuc. (*Ap.* 22.) Nonne justi- & judicium correctio sedis eius, (*Ps.* 88.) quæ est humilitas? è bonum judicium examen conscientiæ, ubi quisq; sibi dicit: est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? (*Jer.* 13.) e inter sepes disciplinæ Regularis? Subsistitne in stabulo ubi

Quid cum his omnibus agendum, ut simus Reges & Pastores?

Ut simus magni, simus parvuli

exemplo Regis nostri.

Non in alto sed in imo pax.

Judiciũ Regis nostri super superbos.

Bona voluntas quæ?

Quis homo bonæ voluntatis?

Bonum judicium examen Conscientiæ

Quis bos? quis asinus? bos & asinus cognoscunt præsepe Domini sui, (*Isa.* 1.) bos trahens jugum suave Christi, & asinus gestans onus leve eiusdem? Si forte aliquod pecus errat sicut ovis quæ perijt; (*Ps.* 118.) si fortasse excutit jugum dicens, non serviam; (*Jer.* 2.) si forsitan pondus diei & æstus (*Matt.* 20) subterfugit, nonne hic iudicium correctio sedis Christi, *Ps.* 96. reductio sui per pænitentiam ad humilitatem, ut iustitia & pax se invicem osculentur. Sed quò progredior? In longum nimis excurrit sermo noster, quando Deus Verbum fecit abbreviatum. Concludo itaq; & ut unde cæpit oratio nostra in hoc desinat, sub Rege nato natos nos quoq; Reges esse necesse est. *Sub Rege nato nos Reges nati.* Ita equidem abrenuntiantes satanæ & operibus eius in baptismo, nati sumus Reges; in Religione accedentes ad servitutem Dei (*Eccli.* 2.) regnare cæpimus: nil restat nisi ut Regia opera nostra addicamus Regi nostro. (*Ps.* 44.) Quæ Regis sunt opera, sunt & nostra; exemplum enim dedit nobis ut quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus. (*Joh.* 13.) Oves & agni simus in humilitate, patientia, & mansuetudine. *Quæ Regis opera, sunt & nostra Regi dicenda.* Pastorum opus agamus, custodum vigilantiam sectantes, ne quid de grege nostro in nobis exorbitet; judicium & iusticiam exerceamus supra nos: sic Regi nostro qui Ovis & Agnus est, Pastor & Custos est, Dominus iustus noster (*Ps.* 95.) omnia iudicans in iustitia & æquitate & reddens unicuiq; secundum opera sua, (*Matth.* 16) conformabimur, gloriam in excelsis Deo reddemus, & pacem tanquam homines bonæ voluntatis (*Luc.* 2.) consequemur.

Oratio A. R. P. Prioris in die strenæ Anno 1691.

QUàm gratus & felix præsens Natalis Dominici & Novi Anni recursus Antistes Reverendissime, quem semper optata incolumitas Tua & nova beneficiorum supra nos exuberantia coronant incrementa. Octennium est, per quod auspicatissimo Tuo fruimur regimine, non octoginta sed fere octingentorum annorum referens emolumenta. *Octennium ex quo Author est Abbas Olivæ.* Benè quadrat duplex hæc annorum quadratura, quando non quadrantibus sed millibus Olivæ decora commensuras. Non est huius loci recensere singula; quæ in octennio Poëtico devota Tibi Præsul Optatissime Oliva indigitavit; scit patentissimum cor Tuum in munificentia, ita ut prius vita te deserat, quàm tu profusæ liberalitatis Tuæ profluvia derelinquas. *Votum eidem.* Nobis nihil restat nisi octenniorum lustra apprecari, & ut Numen Tetragrammaton omnia data bona & dona sua perfecta cum omnibus gratiarum suarum influxibus, & octo beatitudinum benedictionibus abundantissimè in Te derivet; quæ Tu ut verus aquarum viventium aquæductus in nos tam in temporalibus quàm spiritualibus profundere non intermittis. Erit non tantùm apud præsentes sed & apud posteros perennans Tui memoria, Perillustris ac Reverendissime Domine; quinimo obli-

bstupescens posteritas vix fide capiet heroicas, quas hactenus de-
nonstrâsti, & adhucdum demonstras actiones. Hæc coronis vo-
orum nostrorum est & erit. Vive quàm diutissimè, vive quàm
elicissimè Pater Reverendissime, & si quid deesse posset de tua lō-
gævitate, de filiorum annis Suprema Bonitas superaddat. Fiat fiat.

Responsum Reverendissimi Domini Abbatis.

ITa equidem se res habet, octennium est PP. RR. Fratresq; Dilectissimi per quod Divina Providentia voluit me licèt minùs dignum ac immeritum vobis præesse, utinam & prodesse. Octavam proinde possessionis meæ Abbatialis Anno 1683. ex vestro voto acceptæ peragere possumus annualem. Diurnas Octavas legimus in veteri Testamento duplices: Circumcisionis & Dedicationis; in novo unam Resurrectionis Dominicæ notabilissimam. De prima lex est: infans octo dierum circumcidetur; (*Gē.* 17.) & hanc ipsam ipse Filius Dei incarnatus adimplevit, post cōsummatos octo dies circumcisus. (*Luc.* 2.) Secundam primus Regum sapientissimus Salomon in dedicatione templi à se constructi solennissimè celebravit, fecitq; die octavo collectam. (2. *Par.* 7.) Machabæi quoq; Fratres cum alijs in reædificatione templi fecerunt dedicationem altaris diebus octo: & statuerunt ut agatur dies Dedicationis Altaris in temporibus suis ab anno in annū per dies octo. (1. *Mac.* 4) Deo laus conati sumus & nos in reformatione templi nostri omnem adhibere diligentiam, quæ tālem hocce octavo anno finem optatum satis est consecuta. Circumcisionis autem octava apud nos est non tantum annua sed & continua, qui sumus circumcidentes nos semper à carnalibus desiderijs, quæ militant adversus animam (1. *Pet.* 2.) ut tandem octavam circumcisionis in beata Resurrectione, corpore ab omni labe corruptionis circumciso, ubi Resurrectionis octava completur, consequamur. Et sic hisce sex dieb⁹ vitæ nostræ mortalis laboramus, donec ad requiem diei septimæ perveniamus, ubi spiritus dicet, ut requiescam⁹ à laboribus nostris; [*Apoc.* 14.] adeoq; octavo die æternitatis, participio Resurrectionis Dominicæ gaudeamus. Sex proinde sunt ætates viventium, septima morientiū, octava resurgentium. Junctim verò tempus vitæ nostræ cum morte signatur per septenarium, quia septem dierum revolutionibus cursus vitæ & mortis absolvitur. Octonarius verò est initium vitæ futuræ perpetim duraturæ; unde in huius vitæ mortisq; septenario sic agendum & vivendum nobis est, ut in octava resurrectionis non induamur diploide confusionis; [*Ps.* 108.] sed stolā geminæ glorificationis induti, (*Eccli.* 45.) duplicia, gloriam videlicet & animæ & corporis in terra viventium (*Ps.* 26) possideamus. Est quoq; & alia significatio utriusq; huius numeri non incongrua. Quis enim negat vetus Testamentum septenario indigitari?

Octava Annua

Diurnæ Octavæ duæ in Vet. Testamento, in novo una.

Per sex dies laborum & septimam quietis ad octavā Resurrectionis pervenitur.

Vetus Testamentum.

per ſeptenariũ ſignificatur,

gitari? in quo Patres antiqui hebdomadis ſerviebant, ſeptim diem ſabbathi, (*Deut.* 5.) ſeptimum menſem, (*Num.* 28.) ſeptimum annum, (*Deut.* 15.) & ſepties ſeptimum, ubi quinquageſimus erat annus (*Lev.* 25.) Jubilæi colentes. Quin & liberation Iſraëlitarum è captivitate Babylonica ſeptuageſimus erat annu.

Novum Teſtamentum per Octonarium.

Quis jam non agnoſcat per octonarium, novum ſignificari Teſtamentum, in quo octava dies Dominica, dies quam fecit Dominus, (*Pſ.* 117.) reſurgendo celebratur: in eo octavæ feſtivitat peraguntur, & octava felicis reſurrectionis per octo beatitudinum obſervantiam ſperatur & expectatur.

Quid partes ſeptem & octo?

Benè Salomon utrũq numerum conjungit dicens. Da partes ſeptem necnon & octo (*Eccli.* 11.)

Quid 7 Paſtores & 8 primates?

Sed & Micheas Propheta (*Cap* 5.) ait. Suſcitabimu ſuper eos ſeptem Paſtores & octo primates; ut exinde utriuſq Teſtamenti concordia inferatur, quam duplex charitatis mandatum in utroq; poſitum manifeſtat.

In Arca Noë octo animæ ſalvatæ.

Ecquinam à diluvio illo generali iræ Dei liberati? Octo animæ tantùm ſalvæ factæ ſunt, teſte Divo Petro Apoſtolo, (1. *Petri.* 3.) in una Arca. In unitate fide & charitatis exiſtentes & octo Beatitudinum præcepta ſervante duntaxat ſalvantur, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum [*Matth.* 5.]

Nomen Jeſus Græcè 888 efficiens quid innuat?

Quid quòd ipſum Sacratiſſimum & ſalvificum Jeſu nomen in idiomate Græco refert triplex octonarium? Hau dubiè denotans illos tantùm, qui in fide Sanctiſſimæ Trinitati per ſequelam Jeſu in octo beatitudinibus doctrinaliter expreſſ progrediuntur, gratiâ Salvatoris & beneficio ſalutis æternæ fru poſſe, quando non ſolùm ſimplicem vel decuplum ſed etiam cẽteſimum fructum afferunt in Nomine Jeſu; quod octingentos octoginta octo numeros repræſentat.

Ægyptiorum myſteria de numero octonario.

Placet Ægyptiorum myſteria de hoc numero ſcrutari? Quemadmodum ſeptenarius ſeptẽ Entiũ Symbolum erat, ita octonarius Octogenios ſive Numina principalia ſymbolizabat, quibus ſeptuplex Mundus gubernatur. Orpheus autem per octonarium jurare conſueverat, quotieſcũq; Divinam iuſtitiam monſtrare volebat, per quam & rerum ſummæ imperare dicebat Evander ſcilicet Ignem, Aquam, Terram, Cœlum, Solem, Lunam, Mythram & noctem indigitando. Exprimebatur etiam octonarius ab Ægyptijs vel per ſtellam vel pe circulũ octo radijs inſignem. In Columna quoq; Hieroglyphica teſte Diodoro, octo nomina: Saturnꝰ, Rhea, Oſiris, Spiritꝰ, Cœlum, Luna, nox, dies ponebantur.

Origo Numeri octonarij.

Sed ſi ipſam octonarij numeri originem penſemus, illum ex duplicato quaternario conſurgere, primumq; poſt Monadem cubum efficere agnoſcemus. Monas namq; quæ eſt intellectualis numerorum abyſſus, omniſq; multitudinis principium, omnem ſibi inter regulares numeros vendicat dominatum. Monas equidem eſt primus trigonus, primus quadratus, primus pentagonus, prima pyramis, cubus deniq; primus. Et quemadmodum nullo ſe viſibili contegit amictu, ita

a quoq; eſt cubus primus ſinè angulis, ſine lateribus, cùm ipſa- net in ſe monas tota ſit angulus, tota latus, tota ſit cubus, adeò t quæ in monade partibus carente ſine ſpecie, ſine ulla varie- ate complicata exiſtunt, hæc in reliquo numerorum à monade ffluxu ſenſibiliter expreſſa videatur. Monas igitur ſibi addita dy- dem efficit; primum latus, dyas in ſe ducta primum format uadratum ſenſibile; hoc cum dyade multiplicato primus con- rgit cub⁹, qui octonario numero nuncupatur, & minoris mũ i, videlicet hominis ſymbolum exiſtit. Dyas in homine corpus t & anima, corpus ex quatuor elementorum ratione conſtitu- m; anima quoq; quatuor reb⁹ excellere videtur, per intellectũ, nemoriam, voluntatem, & verbum mentis vel lingvâ oris vel anûs ſcripto prolatum. Et hæc nonne octonario numero cõ- rehenduntur, quæ ex duorum quadratorum compoſitione emer- unt? Monas itaq; Divinæ naturæ, Triadem perſonarum conti- ens, dyadem noſtram creavit, & quatuor elementis corpus, ac uatuor dotibus animam inſignivit, ut hac duplici quadraturâ ſtar cubi conſtans, non fluctuans in Divino ſervitio reperiretur; ſigillatim quatuor cardinalibus virtutibus tam in corpore quã anima octonarium effigiaret. Sit ergo nobis hoc octennium rimi regiminis mei, renovatio eorum quæ hactenùs recenſui; ut in hac octava annuali fiat exornationis templi noſtri com- ementum, hanc præſento Colendam; Cyboriumq; argenteũ m lampade ſimili offero efformandum, ut monas perſonæ Dy- lem naturarum, Divinæ & Humanæ poſſidens Chriſtus Jeſus, i tabernaculum parabitur, & cujus honori lampas ardebit, tri- ici octonario ſuo ſit nobis Jeſus: cui tria ſunt octo, nobis ſit lvator, ut opto, quatenùs ad felicem octo beatificorum manda- rum executionem, deſideratam & Circumciſionis, & Dedica- nis, & Reſurrectionis octavam in ſalutis æternæ beatitudine conſequamur. Fiat fiat.

Quid Monas?

Ex Monade addita Dyas, ex Dyade addita Cubus, ſymbolum hominis.

Duplex quadratura in homine.

Cui tria ſunt octo, mihi ſit Salvator ut opto.

Sermo in Circumciſione Domini.

Dico ego opera mea Regi. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè Pſalm. 44

DEus judicium tuum Regi da, petit Rex Propheta, (*Pſ.* 71.) & juſtitiam tuam filio Regis. PP. RR. FF. DD. Judicium ad diſcernendum rectum ab obliquo, verum à fal- , mundum ab immundo: juſtitiam ad reddendum unicuiq; ſe- ndùm opera ſua. [*Rom.* 2.] Dedit equidem Deus Pater Filio o Regi judicium quod procedit ab intellectu; quando dedit i- ab æterno eſſe perſonale Verbi, quod ſe habet per modum in- llectûs: dedit ei quoq; judiciariam poteſtatem teſte ipſomet Fi- dicente. (*Joan.* 5.) Pater omne judicium dedit Filio. *Sicut e- n Pater*, ait D. Thomas Aquinas, *facit omnia verbo ſuo, ita*

Deus Pater dedit Filio judicium I.

II.

S. Thomas Aquin.

& omnia judicat verbo ſuo. Apud Patrem velut antiquum di[e]rū juxta viſionem Danielis [*Cap. 7.*] eſt authoritas judicandi: Judicium ſedit & libri aperti ſunt, inquit Propheta. A Patre accepit Filius poteſtatem judicandi. Quaſi Filius hominis pervenit ad antiquum dierum, continuat Daniel; haud dubiè idem qui & Fili⁹ Dei, & dedit ei poteſtatem & honorem & regnum, & omnes populi & tribus ipſi ſervient. Poteſtas ejus poteſtas æterna quæ non auferetur, & Regnum ejus quod non corrumpetur. Hic eſt, qui

Chriſtus Judex vivorum & mortuorum.

conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum. (*Act. 10.*) Et ſanè juxta Divū Thomam, *ipſa ratio judicij, eſt lex ſapientiæ vel veritatis, ſecundùm quam judicatur.* Et quia Filius eſt ſapientia genita, & veritas (*1. Joan. 5.*) à Patre procedens, ipſum perfectè repræſentans, illi ſoli convenit judiciaria poteſtas. Dei quidē judicium eſt juxta Moyſen: (*Deut. 1.*) ſed poteſtatem dedit Filio ſuo judicium facere, etiam quia Filius hominis eſt. (*Joan. 5.*) Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, inquit S. Paulus (*Ephes. 1.*) & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corp⁹ ipſius. Omnes ergo ſtabimus, & omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, (2. *Cor. 5*) qui de ſe loquitur: ego vici & ſedi in Throno Patris mei. [*Apoc. 3.*] In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut vivorum & mortuorum dominetur. (*Rom. 14.*) Sed quid agitur hodie? Circumciditur puer & vocatur Jeſus (*Luc. 2.*) Siccine tempus eſt ut judicium incipiat à domo Dei (1. *Pet. 4.*) Scitis quæ domus Dei: innocentiſſimum & ſanctiſſimum Corpus Chriſti, in quo dicente Apoſtolo, (*Coloſ. 2.*) inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter; & ſumus in illo repleti qui eſt caput omnis principatûs & poteſtatis. Corpus domum eſſe manifeſtat Doctor Gentium. (2. *Cor. 5*) Scimus enim, inquit quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factā æternam in cœlis. En judicium quod habet Rex noſter, Caput noſtrum; [*Ephes. 4.*] in ſe ipſo primùm exequitur illud per circumciſionem immaculati Corporis ſui, ac pretioſiſſimi ſangvinis effuſionem; qui peccatum non fecit, (1. *Pet. 2.*) qui juſtè edicit quis veſtrûm arguet me de peccato? (*Joan. 8.*) Miſſus quidem à Deo in ſimilitudinē carnis peccati, (*Rom. 8*) ſed abſq; peccato tamen inſtar peccatoris pænā peccati in ſe aſſumit. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit De⁹, ut de peccato damnaret peccatum in carne, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo, (2. *Cor. 5.*) ut juſtificatio legis impleretur in nobis. (*Rom. 8.*) Sic Deus dedit judicium Regi, quod ipſe in ſe exercuit, & juſtitiam filio Regis (*Pſ. 71.*) circumciſo per Circumciſionem, quam in nos transfunderet, ut non ſecundùm carnem ambulemus ſed ſecundùm ſpiritum, (*Rom. 8.*) qui Deus eſt, (*Joan. 4.*) ut etiam circa nos judicium & juſtitiam exerceamus. Beati, ait Vates Re-

Judicium incipit à domo Dei, quod eſt Corpus Chriſti.

Circumciſio ejus eſt prima judicij executio.

giu[s]

ius (*Psalm.* 105.) qui custodiunt judicium & faciunt justitiam
n omni tempore. Nonne hic vere Rex noster accinxit se gla-
io suo super femur suum? (*Psal.* 44.) Non tantùm per my-
terium Incarnationis, cùm femur sit symbolum generationis;
uandoquidem D. Hieronymus sic explicat thema nostrum: *Ac-
ingere gladio tuo super femur tuum, Tu Christe indue carnem,
ugna contra diabolum & libera genus humanum de inferno. Ac-
ingere gladio, verbo prædicationis qui dividit filium à Patre,
liam à Matre, nurum à socru; circa femur tuum, super carnē
ssumptā: potentissimè non segniter neq; leviter sed viriliter.* Hæc
.Hieronym.. Et D. Basili⁹: *quoniam Deus Verbum, carnis debi-
tati se conjuncturus erat, pulchrè additur potentissimè: quoniam
n Christo potentiæ demonstrationem habet, posse Deum in natura
sse humana.* Non tantùm dico accinxit se gladio suo super femur
uum per Incarnationem, sed etiam sigillatim per Circumcisio-
em, cultro lapideo velut gladio faciens præputium sibi in femo-
e amputari. Et si juxta Hesychium *gladius Crucem denotat*, quæ
najor Crux in puero Jesu, quàm circumcidi? Sed & Mulier for-
s accinxit fortitudine lumbos suos. (*Prov.* 31.) Utiq; Sponsa
ponsi sequens vestigia, Sponsi sangvinum (*Ex.* 4) & ipsa parata
sq; ad sangvinis effusionē resistere adversarijs, unde & robora-
t brachiū suum: *Pr.* 31. ut & munditia castitatis sit in corpore,
: virtutis exercitiū sit in operatione justitiæ. Hæc Rex agit & ej⁹
onsa, quid agent subditi & filij? Sic caput præcessit, quidni mē-
ra sequantur? Ita Deus Homo factus se judicat, quomodo se
uri homines judicabunt? multò magis quia in iniquitatibus cō-
rpti (*Ps.* 50.) & in peccatis nati, in multis offendunt, (*Jac.* 3.)
li egent judicio. Si cogitationes justorum sunt judicia iuxta Sa-
entem (*Cap.* 12.) de quo D. Gregorius: *quia ab omni strepitu
culari ad corda sua redeūt, ibiq; ascendunt tribunal mentis, atq;
nte oculos se & proximum statuunt, sicq; districto jure atq; judicio
usam suam & proximi, juxta Divinæ legis tabulas in foro cor-
s examinant:* certè cum Job (*Cap.* 23.) justo, ponunt coram
eo judicium, quòd juxta eundem D. Gregorium *est intra mētis
cretum per fidei contemplationem ad tremendum examen Ma-
statis illius oculos considerationis aperire; quid peccator homo
reatur attendere, & occultus nunc & tacitus judex quàm ter-
bilis pòst appareat, considerare.* Nec os tantum replere increpa-
onibus contra se, sed exercitari & scopere spiritum, (*Ps.* 76) sco-
, everrere; quin etiam virgis castigare corpus, & in servitutem
ligere ne reprobi efficiantur. (1. *Cor.* 9.) Et sic cum Deo dicē-
t: ego justitias vestras judicabo, (*Ps.* 78.) & ipsi non rogant
eum quasi gens quæ justitiam fecerit, (*Isa.* 58.) judicia justitiæ,
d etiam bona opera sua ad examen judicij deducunt ut illa cor-
ant & perficiant. Et hæc omnia faciunt justi qui vix salvandos

Quomodo Rex accinxit se gladio suo super femur suum? I.

S. Hieron.

S. Basilius.

II.

Hesychius.

Quomodo homines se judicare debent?

Justi,

S. Gregor.

ſe æſtimant, apprehendunt diſciplinam, ne quando iraſcatur Do-
Peccatores. minus & pereant de via juſta: (*Pſ 2.*) peccatores quid agent u-
bi parebunt? (1. *Pet. 4.*) Compareant in judicio privato, ſemet-
ipſos dijudicent, [*1. Cor. 11.*] non ſecundùm viſionem oculi
judicent [*Iſa. 11.*] ſed ſcrutentur renes & corda, fundamenta mo-
veant conſcientiæ, ad judicium legis *Divinæ* omnia reducant &
quidquid repererint obliquum, falſum, immundum, gladio ſpi-
ritûs, id eſt verbo *Dei* (*Eph. 6.*) reſecent, rectumq; & verum
judicium à domo ſua incipiant, id eſt corporis ſui circumciſione.
Per quid originalis juſtitia & innocentia deperdita? Quidnam illud putamus eſſe, Fratres mei, per quod originalis
juſtitia & innocentia eſt deperdita? Reſpondet D. Auguſtinus.
S. Auguſtin. *Concupiſcentia eſt reatus originalis peccati.* Per hanc haud dubiè
voluntas humana à *Deo* Summo Bono ejusq; beneplacito aver-
ſa & ad bonum commutabile & contrarium *Deo* converſa,
quæ erat ſubdita per juſtitiam primigeniè à *Deo* inditam, facta
eſt inordinata & rebellis *Divinæ* voluntatis prævaricatrix. Jam
Per concupiſcentiam triplicem, concupiſcentiam triplicem novimus ex Divo Joanne, (1. *Joan.*
cap. 2.) videlicet carnalem, temporalem & ſpiritualem; illam
voluptatis, iſtam divitiarum, hãc ſuperbiæ: omnes peccaminoſas,
à Deo recedentes, & elongatas. Ultima fuit Diabolica, cujus
participium habuit homo credens ſerpenti dicenti: eritis ſicut
Dij. (*Gen.* 3.) Prima & ſecunda propriè fuit humana carnis ar-
ridens illicio, Evæ blanditijs; temporalis gloriæ ambitum & lu-
xum corporis conſequenter affectãs. Hic omnib⁹ concupiſcen-
quæ circumcidenda; tijs adhibenda eſt Circumciſio. Sed quia ipeccatum carnis ma-
ximæ eſt adhærentiæ & difficilè ab eo poteſt homo eripi, ex ſen-
S. Thõ. Aq. ſu Angelici Doctoris; *inſatiabilis eſt delectabilis appetitus*, agno-
& maximè carnis. ſcit Ethnicus Philoſophus; potiſſimùm concupiſcentia carnis eſt
S. Laurent. Novarienſis. circumcidenda. Pulchrè ad hanc rem S. Laurentius Novarienſis
Epiſcopus. *Femur te fœdavit? femur te reformet atq; recuperet.*
Accingere inquit, (*Pſal.* 44.) gladio ſuper femur tuum poten-
tiſſimè. *Te corripit ſermo Propheticus, quia peccâſti: fuiſti profuſus in libidine? eſto potentiſſimus in virtute. Laxâſti membra
tua in luxuria? reſtringe vivacitate armorum.* Acſi diceret
cum Apoſtolo: (*Rom.* 6.) ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſer-
vire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibe-
te membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Proſequi-
Idem S. Laurentius. tur idem S. Laurentius Epiſcopus: *Arma lumbos cordis tui, arma femur animæ tuæ, ut corporei femoris eximas fœditatem, evel-
laſq; de viſceribus tuis plagas.* Hæc præfatus Antiſtes. Ut ſciat,
S. Hieron. benè ſequitur ex Divo Hieronymo, *ſemper Virginitatem gladium
Virginitatis gladius pudicitia, & I. frænum laſciviæ, habere pudicitiæ; per quam truncat opera carnis & ſuperat vo-
luptates.* Et hæc primum frænum eſt in proſtitutione ſui ad la-
ſciviam, pudicitia: quam tollit frons meretricis, quæ non vult
II. erubeſcere. (*Jer.* 3.) Secundum eſt timor ſupplicij: oderunt enim

pecca-

[...]ali formidine pœnæ. Tertium est amor Dei, qui vincit omnia; [...]nò fortis est ut mors dilectio. (*Cant.* 8.) En lectulum Salomo[...]is, ait Epithalamium sacrum, sexaginta fortes, alius textus legit [H]*eroes*, alius *Gigantes*, ambiunt ex fortissimis Israël. (*Cant.* 3.) [Q]uales sunt isti? Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. [(]*Ibid.*) Qui sunt hi gladij? Sunt gladij spiritûs, qui sunt verbũ [D]ei. (*Eph.* 6.) In corde meo abscondi eloquia tua, ut non pec[c]em tibi, ait Propheta. (*Ps.* 118) Cum B. Virgine Muliere forti, [q]uæ manum suam misit ad fortia (*Pr.* 31.) castitatis servandæ, [c]onservanda sunt verba Dei ad conferendum in corde. (*Luc.* 2.) [U]bi robur est, ibi gladius, ubi doctrina verbi *D*ivini in corde re[c]ondita. Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores [n]octurnos, continuat Canticum Canticorum. [*cap.* 3.] Præstan[ti]ssimè super hoc commentatur Magnus Gregorius: *Quid per* [e]*nsem nisi rigorem conversationis, & quid per femur nisi carnis* [a]*ppetitus accipimus? Electi autem quiq; qui jam ad perfectionem* [v]*itæ provecti sunt, semper ensem super femur suum ferunt, quia* [ri]*gore conversationis appetitus carnis assiduè frangunt, ne hostis* [q]*uem in nocte hujus mundi timent, repentè veniens mollem adi*[t]*um inveniat, & per voluptatis mollitiem eò faciliùs quò voluptu*[o]*siores invenerit, ad graviora peccata perducat.* Hæc *S.* Gregori[u]s. Optimè opera tenebrarũ, quæ sunt carnis, timores noctur[ni] nuncupantur. Et hoc non minùs est negotium perambulans [in] tenebris, (*Ps.* 90.) concupiscentia carnis, quod ense circumci[si]onis circa femur applicato, circa lumbos præcinctos est præscin[d]endum. Non venit Rex noster circumcisus pacem mittere car[n]ali homini sed gladium; (*Matth.* 10) pacem dat hominibus bo[n]æ voluntatis (*Luc.* 2.) *D*eo obsequentis & devotæ, non illius [q]uæ per concupiscentiam Deo resistit. Vidit Joannes [*Apoc.* 1.] [d]e ore ejus gladium utraque parte acutum duas habentem acies [V]eteris & Novi Vestamenti, in quibus præfata concupiscentia [d]amnatur, & in vestimento ejus rubro proculdubiò etiam à san[g]uine circumcisionis, & in femore ejus circumciso scriptum erat: [R]ex Regum & Dominus Dominantium. (*Apoc.* 19.) Nemo enim [m]agis carnem in se devicit Rege nostro; quam priùs circumcisi[o]ne mortificans, postremò flagellis, spinis, clavis & morte crucis [pe]r terribile judicium in seipsum exercitum exinanivit. Ita vivus [es]t sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: [(]*Hebr.* 4.) & iste sermo quẽ locut⁹ est, judicabit omnes in no[vi]ssimo die, *Joan.* 12. qui se hìc non dijudicant, & gladio spiritûs [n]on circũcidunt. Nonne gladij ancipites in manibus Sanctorum [a]d faciendam vindictam in nationibus, (*Ps.* 145) rebellibus Deo, [se]nsibus corporis & animæ potentijs, ut faciant in eis judicium [c]onscriptum? (*Ibid.*) Jeremias Propheta porrexitè cœlis gladium [J]udæ Machabæo dicens: accipe sanctum gladium munus à Deo,

III. frænum lasciviæ

Sexaginta fortes,

tenentes gladios.

Gladius spiritûs est verbum Dei

in corde reconditum.

S. Greg. M.

Qui sunt timores nocturni?

Quis gladius Christi utraq; parte acutus?

Gladius Judæ Machabæo datus sanctus,

quomodo? in quo dejicies adversarios. (2. *Mach.* 15.) Sanctus planè gladius, per quem vasa nostra possidemus in sanctificatione. (1. *Thess.*) Mun⁹ est à Deo, quia nemo continens nisi cui De⁹ dat. (*Sap.*) Necesse tamen est ut & homo muneri cooperetur Divino, lumbos suos præcingendo, carnem cum concupiscentijs suis mortificando. Hoc gladio dejiciuntur omnes inimici; non enim facè mundo adhærer, qui suam carnem superavit, & qui seipsum devicit: nec satanas accessum ad talē habet qui utì maximè gaudet de peccato luxuriæ & idololatriæ teste Divo Augustino, à summè de virtute continentiæ & veri cultûs Divini contristatur. Circumcisus puer vocatur Jesus, quia vera salus hominis in circumcisione concupiscentiæ, quæ est fomes peccatorum & consummatio. In hoc igitur novo Anno strenæ loco gladium spiritualem vobis offero PP. RR. FF. DD. quo supra femur accingamini potentissime, quia durum est & pervicax prælium cum hoste domestico, qui non occidendus, sed circumcidendus. Si facti sumus Reges regendo nos, Pastores pascendo nos, Custodes custodiendo nos; nunc simus Judices judicando nos, Milites debellando nos. Adstamus & nos lectulo Regis nostri, qui est Crux: imò tenemur esse ipsi concrucifixi, quidni concircumcisi? Simus fortes; fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia. Simus Heroës, heroicis mortificationum facinoribus concupiscentiam carnis, originem ruinæ nostræ superantes. Simus gigantes ad alta cœlorum nati, quæ sursùm sunt sapientes, (*Coloss.* 3.) magnis passibus sequentes supremum Gigantem, qui exultavit ad currendam viam, à summo cœlo ad inferiores partes terræ, & occurrendo rursùs ad summa cœlorum (*Psal.* 18.) ad dexteram Patris: ut per novos semper annorum decursus novis quoque virtutum incitamentis curramus viam mandatorum Dei, (*Ps.* 118.) continuo judicio nos examinantes, corripientes, corrigentes, carni nostræ non parcentes, sed eam sedulo castigantes, ut non intret in judicium (*Psal.* 142.) nobiscum ille qui veniet judicare vivos & mortuos, (1. *Pet.* 4.) coram quo columnæ cæli contremiscunt & pavent ad nutum ejus. (*Job.* 26.) Inde fiet, quòd non judicabimur, si etiam alios non judicaveri⁹ (*Luc.* 6.) sed nos duntaxat solos: Jesum, quem Salvatorem hîc suscipimus, hilares quoque & securi venturum Judicem videbimus, & ascendentes ad populum accinctum nostrum, (*Habac.* 3.) cordibus & corpore in affectu nimirùm & effectu circumcisi, throno Regis nostri hodie circumcisi in Regno gloriæ ejus assistere merebimur in æternum.

Qui carnem suam vincit, vincit mundū.

Ex circumcisione salus.

Gladius spiritualis.

Quomodo sumus Reges, Pastores, Custodes, Judices, Milites, Fortes, Heroes. Gigantes.

Sermo in Epiphania Domini.

Dico ego opera mea Regi. Psalm. 44.

PRomptam trium Magorum & Regum ad iter resolutionem, velocem in itinere progressum, solertem circa Neonatum Regem in i-

nquiſitionem quis non admiretur? PP. RR. FF. *DD.* Quid oc fecit? Unius ſtellæ conſpectus. Vidimus ſtellam ejus & ve-imus inquiunt. [*Matt.* 2.] Quid ultra cauſæ fuit? Deſiderium idendi, ſalutandi, adorandi Regẽ natum. Ubi eſt, inquiunt qui atus eſt Rex Judæorum? O ardentes quæſitores nati Salvato-s! O ſollicitos Meſſiæ noſtri inveſtigatores! O profundos par-uli Regis ſcrutatores! qui ſic dicunt opera ſua Regi cœleſti; oſtquam eructâſſent ex corde verbum bonum, inquientes: ubi t? (*Matt.* 2.) Ab ijs ſumere licet exemplum quærendi *D*eum, lcar requirendi Chriſtum, ſpecimen JESUM conſequendi. Quantas ſtellas multi vident & non veniunt? Quanta lumina à Deo capiunt & tardant venire? Quot illuſtrationes mentis ha-ent nec ſe movent ad quærendum Deum? Quam Stellam cre-itis Fratres mei lucere nobis? Verbum Dei ad cor loquens, Oſee. 2.) verbum Dei aure perceptum, verbum Dei oculis le-tum. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis eis, ait Regius vates: (*Pſ.* 118.) præceptum Dñi lucidum illu-inans oculos. (*Pſ.* 18.) Ego ſum ſtella ſplendida & matutina, t de ſe ipſum Dei Verbum eſſentiale. [*Apoc.* 22.] Ipſe eſt ſtel-trahens, ſtella ducens, ſtella conducens ad ſe ipſum Solem ſtitiæ, (*Malach.* 4.) qui venit quærere & ſalvum facere, quod erierat. (*Luc.* 19.) O quoties hæc ſtella luxit vobis! Quoties c Lucifer ortus eſt in cordibus veſtris! (2. *Pet.* 1.) O quot erba ejus in Officio Divino canitis, in meditationibus tenetis, lectionibus legitis, in exhortationibus noſtris percipitis! Non os ſum⁹ qui loquimur, ipſe per os noſtrũ ſe manifeſtat. (*Marc.*) An experimentum quæritis ej⁹, qui in me loquitur Chriſtus? uærit Vas electionis ejus. (2. *Cor.* 13.) Et noſtra igitur verba, iò non noſtra ſed Dei, & alia quæ dixi, ſtellæ ſunt, lumina nt, lucernæ ſunt ducentes vos ad quærendum Deum: & ac-uirendum ac perpetim poſſidendum. Sed ecce ſunt, qui quæ-nt Deum præſumptuosè, uti Deus conqueritur de Judæis a-ud Iſaiam: (*cap.* 58.) me etenim de die in diem quærunt, & re vias meas volunt; vel ſimulativè & hypocriticè; uti Hero-es dicens: ut & ego veniens adorem eum: (*Matt.* 2.) vel de ſtitia ſua præſumendo, ſequitur enim apud Iſaiam: [*cap.* 48.] uaſi gens quæ juſtitiam fecerit & judicium *D*ei ſui non dereli-uerit. Hinc rogant me judicia juſtitiæ ſuæ, & appropinquare Deo volunt; cùm ſatiùs deberent etiam omnia faciendo ſervos inutiles reputare, (*Luc.* 17.) petere ab occultis mundari, & um Davide deprecari: non intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. (*Pſal.* 142.) Tales Deum non reperiunt niſi Judicem & vindi-em. Ignorantes enim juſtitiam *D*ei, & quærentes ſuam ſtatu-e, juſtitiæ *D*ei non ſunt ſubjecti; (*Rom.* 10.) ſed vindicativam

Stella viſa fecit tres Reges currere & quærere Regẽ natum.

Quænam ſtella nobis lucet?

Sermones Prædicatorum ſtellæ ſunt.

Quærentes Deum præſumptuosè.

experientur. Meliùs alij in humilitate dicunt Deo cum Jeremi (cap. 10.) scio Domine quia non est hominis via ejus, nec vi est, ut ambulet & dirigat gressus suos. Nemo venit ad Patre nisi per me, ait ipsa Veritas infallibilis. [Joan. 14.] Per Filiu venitur ad Patrem, sed & ad Filium non venitur nisi per Patre. Nemo venit ad me, inquit eadem Veritas Christus, nisi Pat meus traxerit eum: (Joan. 6.) adeòque non est volentis neq currentis hominis, sed miserentis Dei. (Rom. 9.) Stella vocat e cœlo, verbum Dei clamat ut quæratur Deus. Sunt qui quæru

Quærentes Deum fallaciter & malitiosè.

fallaciter vel malitiosè & sangvinariè, uti Judæi quærebant a-quid capere de ore JESU, (Luc. 11.) quærebant eum appreh-dere, (Luc. 19.) perdere, quærebant in die festo: ubi est ill? (Joan. 7.) quærebant opportunitatem, (Matt. 26.) quærebat falsum testimonium ut interficerent eum, (Ibid.) quod & H-rodes cum alijs fecit, de quibus Angelus revelans Josepho in s-mnis: mortui sunt qui quærebant animam pueri vix nati JES. [Matt. 2.] Tales hypocritæ & sangvinarij invenient portione cum eo, qui ab initio fuit homicida; [Joan. 8.] quandoque i Angelum lucis se transfigurans. (2. Cor. 11.) Quid putamus? Utrum non veniant in censum eorundem alij peccatores rurs

Quærens peccare mortaliter, quærit Jesum interficere.

crucifigentes sibimetipsis Filiũ Dei & ostentui habentes? (Heb. 6.) Qui quærit peccare mortaliter, quærit iterum necem Fili Dei inferre, quærit animam Jesu in mortem: talis clamat cu Judæis: tolle, tolle, crucifige eum. (Luc. 23.) Quanta crudelit peccatoris, quærere Salvatorem ad perdendum eum! Ah fi hominum quærite bonum & non malum ut vivatis, hortat Deus apud Amos: (cap. 5.) quærite Regnum Dei & justitia

Cur aliqui quærunt Deũ & non inveniunt?

ejus, admonet Filius Dei. (Matt. 6.) Sed quid accidit, quòd a-qui quærant Deum & non inveniant? Jam de illis perfidis J-dæis nolo loqui, quibus Veritas æterna dixit: quæretis me non invenietis; [Joan. 7.] & iterum: ego vado & quæretis m,

S. August.

non desiderio, infert Augustinus, *sed odio*; & in peccato vest moriemini. *Hoc est Christum malè quærere*, ait idem S. Doct, *in peccato suo mori, hoc est, illum odisse per quem possit solu salvus esse.* Nolo inquam de pessimis hisce quæsitoribus qui-quam proferre, sed de bonis Dei investigatoribus qui quærut

Sponsa quærit usq; tertiò, & non invenit.

& non inveniunt. En & ipsa Sponsa infelix in eo fuit, quan usque tertiò repetit in Epithalamio: quæsivi quem diligit anim mea, quæsivi & non inveni illum. (Cant. 3.) Quid causæ?

S. Bernard9.

Respondet S. Pater noster. *Attendite tres esse causas, quæ in-rim occurrunt, & quærentes frustrari solent, cùm aut videli non in tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut non ubi op-tet. Quoad primum docet Isaias:* (cap. 55.) *quærite Do-num dùm inveniri potest; id est, in hacce vita, omni temp præsentis sæculi, de quo Apostolus: ecce nunc tempus accept-*

bi,

le, ecce nunc dies salutis (2. Cor. 6.) quia in his, infert melli-
uus Doctor, ipse Deus Rex noster ante sæcula operatus est sa- *Quando quærendus Deus?*
tem in medio terræ. (Psal. 73.) Ubi antecedenter inquit:
uòdsi per bona opera quæritur Deus, ergo dùm tempus habemus,
eremur bonum ad omnes: [Gal. 6.] præsertim quia Domi- *In hoc tempore vitæ.*
us apertè prænuntiat venire noctem, haud dubiè mortis, quando
mo potest operari. (Joan. 9.) Invocate eũ, addit Propheta, dùm
ope est. (Is. 55.) Nunquam propior est salus nostra quàm cùm
edidimꝰ, (Rom. 13.) quàm cùm Deꝰ homo factꝰ est, quàm cùm
æcessit & dies appropinquavit, (Rom. 13.) per stellam cœli,
r solem justitiæ (Malach. 4.) exortum. Ecce nunc tempus
iserendi nostri, quia venit tempus redemptionis. (Psal. 101.)
tempore accepto exaudivi te, inquit Deus, & in die salutis
ljuvi te; (2. Cor. 6.) ille qui de se asserit: antequam me invo-
tis, dicam: ecce adsum. (Isai. 58.) Dicamus & nos cum Davi-
: omni momento temporis & vitæ nostræ. Nunc cæpi quæ-
re Deum, nunc quæro illum per orationes, meditationes, le-
iones, jejunia, eleemosynas, actus virtutum internarum & ex-
narum. Ecce his quæritur Deus & invenitur. De secundo
em monet Propheta: si quæritis quærite, [Isai. 21.] nimirum *Quomodo?*
igenter, instanter, sollicitè, ardenter, perseveranter; quod ex-
cat Jeremias: (cap. 29.) quæretis me & invenietis, cùm quæ-
ritis me in toto corde vestro. Idem promittit Moyses: cùm
æsiêris Dominum Deum tuum invenies eum, si tamen toto *In toto corde.*
rde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ; (Deut. 4.) ve-
m in corde gerendo tristitiam de absentia Dei & pœnitentiæ
lictionem; hoc est quærere prout oportet: solum Deũ quæ-
e & nihil præter illum; ex toto corde ipsi soli consecrato &
n diviso cum creaturis. Hoc egit Regius Vates Deum allo-
ens: ex toto corde meo exquisivi te; (Psal. 118.) & iterum:
i dixit cor meum, hoc est, ex omnibus interioribus meis, ex-
isivit te facies mea, quæ est sedes omnium sensuum, hoc est,
omnibus exterioribus meis, faciem tuam Domine requiram,
Psal. 26.) quia hoc est unicum votum & desiderium meum,
Psal. 37.) hæc est unica intentio & affectio cordis mei, hic est
imatus beatitudinis meæ finis: quando veniam & apparebo
te faciem Domini. (Psal. 41.) De tertio ubi quærendus sit *Ubi?*
us, videtur nobis Evangelium monstrare locum. Cùm enim
s Reges Hierosolymæ quærerent, ubi est qui natus est? (Matt.
2.) credentes Regem in regia civitate nasciturum; non invene-
t eum, quin & stella deseruit eos; quæ tamen rursus apparu-
is, cùm deseruissent urbem. Non in tumultibus mundanis,
n in vanitatibus seculi, non in terra suaviter viventium Deus
enitur: non est ei locꝰ in diversorio, (Luc. 2.) quo omnes tur-
deflectunt & divertunt. Et in hoc videtur errâsse Sponsa, quòd

Mala Sponsæ quæsitio in lectulo.

primò in lectulo per noctes quæsiêrit Sponsum, deinde per i-
cos & plateas; demum quòd non statim pulsanti aperuerit, licet
anima ipsius liquefacta fuisset ut dilectus locutus erat; (*Cant.*
3.) ubi non tantùm conqueritur, quæsivi & non inveni illum;
verùm etiam, vocavi & non respondit mihi. (*Cant.* 5.) Prima
indebita quæsitio, in lectulo meo. Avertat Deus, ut eum quis
quærat in cubilibus & impudicitijs, [*Rom.* 13.] in carnis vo-
ptatibus per noctes ignorantiæ & tenebrarum peccati. Nox un-
de? ex interpositione terræ respectu solis. Ita & spiritualis nox
animæ inducitur ex obice terrenarum cupiditatum, quas ami-
mus, inter nos & Deum. Jam lectuli varij sunt peccatorum: n
lectulus avari thesaurus ejus, superbi vana gloria, ambitiosi ho-
nor & dignitas, gulosi ciborum & potûs abundantia, luxuriosi
voluptas carnis, iracundi contentio, invidiosi infortunium pro-
mi, ignavi & acediosi otium; quia in his omnibus vitiosi suam
habent quietē. In lectulo ergo, ait, meo. Delicatè sic nominat
locum commoditatis suæ, vel locum propriæ voluntatis, vel -
dum pacis & otij, vel prosperitatis triclinium: sed in his non -
venitur Sponsus, qui Sponsus sangvinum est, (*Exod.* 4.) Do-
nus virtutū, potens in prælio, (*Ps.* 23.) quasi bellator fortis (*Is.*)
propugnator ad salvandum. Dominus sicut fortis egreditur, -
cut vir præliator suscitat zelum, cujus vestimentum tinctum
sangvine. (*Isai.* 42.) Lectulus ejus crux fuit, in quo obdormivit.

Nox unde tam temporalis quàm spiritualis.

Varij lectuli vitiorum.

In lectulo Crucis quærendus Christus.

Ecce locus ubi posuerunt illum; (*Marc.* 16.) ecce locus ubi
quærendus est Sponsus sangvinum; (*Exod.* 4.) in cruce. Per
noctes, addit: Sponsus autem lux est, quem qui sequitur non
ambulat in tenebris; (*Joan.* 8.) & præcipit: ambulate dùm lucē
habetis, ne tenebræ vos comprehendant. (*Joan.* 12.) Secunda
inquisitio Sponsæ fuit circuitio civitatis, per vicos & plateas c-
ambulatio, (*Cant.* 3.) videtur quidam ambitus esse curiositat.
Quæ civitas nostra? Totus mundus. Qui vici, quæ plateæ? cœ-
lum, terra & omnia quæ in eis sunt. In his omnibus contem-
plandis versatissimus Salomon quid reperit? Ego Ecclesiastes,
inquit, fui Rex Israël in Jerusalem, & proposui in animo meo
quærere & investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole.
Et concludit: vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce universa
vanitas & afflictio spiritûs. [*Eccli.* 1.] Sic evanuerunt omnes
Philosophi in scientijs & cogitationibus suis, & obscuratum est
insipiens cor eorum; quia cùm cognovissent Deum, non sicut
Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt. (*Rom.* 1.) Sic &
Sponsa non reperit in hac divagatione creaturarum Sponsum
Creatorem. Pulchrè Augustinus supra illud: exquisivi Dominum
& exaudivit me; *noli aliud à Deo extra illum quærere, sed ipsum
Dominum quære & exaudiet te, & adhuc te loquente dicet: ecce
adsum: ecce præsens sum. Quid vis? Quid à me quæris? Qui-*

Mala Sponsæ quæsitio in plateis.

S. August.

*uid tibi dedero, vilius est quàm ego. Me ipsum habe, me frue-
, me amplectere.* Hinc anima devota cum Psalmista dicit: *Deus non extra sed in se quærendus.*
uid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terrã? Defecit caro
ea & cor meum ab his omnibus: te solum volo & quæro De-
cordis mei & pars mea Deus in æternum. (*Psal. 72.*) Vigiles *Boni custodes civitatis.*
orrò qui custodiunt civitatem, sunt Angeli custodes, sunt Apo-
oli, Ecclesiæ Prælati & Pastores, qui invigilant animabus, tan-
uam Deo rationem pro ijs reddituri; [*Hebr.* 13.] qui ducunt
os ad quærendum & acquirendũ *Deum*: quos dùm paululùm
ponsa pertransit, *Dominum* invenit. Sed ecce dum Sponsa
ulsanti Sponso negligit aperire, declinat ab illa & pertransit,
bi illa surgens quærit & non invenit, vocat nec respondet.
uin & custodes qui custodiunt civitatem non in bonum sed in *Mali custodes ejus.*
alum; illi planè qui circumeunt quærentes quem devorent,
Pet. 5.) custodientes atrium suum cum forti armato, (*Luc.*
) percutiunt eam & vulnerant viduatam assistentiâ Sponsi, de-
q; palliũ ei auferunt (*Cant.* 5.) omni merito Sponsi eã denudãtes. *Quod pallium Sponsæ?*
æc est merces eorum, qui non promptè obediunt Divinis in-
pirationibus; pulsanti Deo ad cor non statim portam volunta-
resignatæ aperiunt, licet aliquando ad vocem Dei in lachry-
is colliquescant. Hi sunt defect⁹ quærentium Deum & non in-
nientiũ: quærentiũ non suo tempore, non suo modo, non suo
cò. Ecce hodierni tres Reges quæsiêrunt *Dñum* in tẽpore mox *Tres Reges quæsiêrunt Dominum & suo tempore, & suo modo, & suo loco.*
ũ natus esset. Dùm *Deus* in corde nostro per gratiam oritur
l nascitur, tunc requirendus est. Quæsiêrunt legitimo modo,
tâ cordis intentione & intensione; faciamus & nos similiter.
uæsiêrunt demùm in suo loco, id est, Bethlehemitico stabulo,
bi stella veniens stabat suprà ubi erat puer. O Bethlehẽ gratis-
na Patria, quia domus panis! Et quis ad locum non eat, ubi
panis distributio? Et quis locum non quærat, quem stella in-
cat, locum lucis? Sed stabulum deterret. Quin potiùs alliciat,
uia est locus quietis, est locus pascuæ (*Ps.* 22) jumentorum Do-
ini; est locus, ubi puer natus est. Hic est locus quem desiderat
ponsa dicens: quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera
atris meæ, ut inveniam te foris? (*Cant.* 8.) Non foris, ubi ca- *Mala loca foris.*
s sunt & venefici: (*Apoc.* 22.) non foris, ubi vastat gladius,
Deut. 32.) vel interficit: (*Thr.* 1.) ubi pugnæ, (2. *Cor.* 7) ubi la-
unculus, (*Osee* 7.) ubi sunt ij, qui percutiuntur cæcitate: (*Gen.*
.) ubi cadit grando & moriuntur: (*Exod.* 9.) nec ubi vitulus
m corio & fimo comburitur, eò quòd pro peccato sit: (*Ex.* 29
c ubi pigro leo stat: (*Pr.* 22.) nec ubi arbor alligatur in vin-
lo ferreo & æreo in herbis quæ ibi sunt: (*Dan.* 4.) nec ubi o-
nia in parabolis fiunt, vel incipiunt foris stare, qui non conten
nt intrare per angustam portam, (*Luc.* 13.) quos Deus judi-
bit; ubi est homo qui corrumpitur: (2. *Cor.* 4.) sed foris, ubi

Sapientia prædicat, (*Pr.* 1.) extra diversorium mundi, in quo
Bona loca foris.
habet locum, quia non est de hoc mundo: (*Joan.* 17.) ubi præ-
cipitur: præpara foris opus tuum; (*Pr.* 24.) ubi benedictꝰ Do-
mini stat; (*Gen.* 24.) quò educitur Abraham à Deo, (*Gen.* 1
nimirùm extra angustias corporis ad cœlestia contemplanda,
extra angustias legis ad amplitudinem Evangelij: foris, quò Jo-
seph relictâ adulterâ fugit, quò jubetur Lazarus egredi, nimi-
ab excusatione & occultatione peccati ad accusationem sui p
proprij oris confessionem: ubi Petrus egressus flevit amarè: *Ma.*
26.) ubi Mater Domini & fratres stant quærentes Jesum: (*Ma.*
12.) ubi multitudo populi est orans, ibi invenitur gratia Dei, i-
venitur Jesus, Deus reperitur in stabulo Ecclesiæ, in stabulo R-
ligionis. Verùm de loco, ubi quærendus est *Deus*, sequenti s-
Quâ mercede quæritur Deus?
mone fusiùs differemus. Nunc requiret aliquis, quâ merce
quæritur *Deus*? Respondet Vir secundùm cor Dei: (*Ps.* 68.) quæ-
rite Deum, & vivet anima vestra. Hoc idem ipse Deus prom-
tit apud Amos Prophetam: (*cap.* 5.) quærite me & vivetis. Im
ibidem repetit: quærite me & vivite. Quis est homo, qui vu
vitam, diligit dies videre bonos? (*Psal* 33.) Quærat Deum, u
diximus, & vitâ vivet. *Magnum bonum, quærere Deum*, ait
S. Bernardus. Bernardus & subjungit: *non pedum passibus, sed cordis desideri*
S. August. *quæritur Deus.* Præstanter Sol Doctorum Augustinus: Deus
sinè fine quærendus, quia sine fine amandus. Sed si semper quæ-
ritur, interrogat idem S. Doctor, *quando invenitur?* Quær
Dominum & confirmamini, imperat Psalmista, (*Ps.* 104.) quæ-
S. August. rite faciem ejus semper. *An semper dixit*, petit D. Augustinus,
in tota vita ista, quæ hìc vivitur, exquo nos id facere debere co-
Et fides & spes & charitas quærit Deum.
gnovimus, quando & inventus quærendus est? Jam equidem i-
venit eum fides, sed adhuc quærit spes; charitas autem & inve-
nit eum per fidem, & eum quærit habere per speciem: ubi tunc
invenitur, ut sufficiat nobis. Quidni hæc tria Sancti tres R-
ges muneribus suis expresserunt; thure, quo *Deo* adolescit, fi-
dem: myrrhâ, quo amara est, spem: auro, quod pretiosissim
est, charitatem indigitantes. Hæc tria munera, hæc opera nost
dicamꝰ Regi; sic optimè quæremꝰ eum in hac misera vita, & in-
veniemꝰ in altera beata, ac cum ipso vivemus in æternum. Uti-
nam hoc ipsum omnes Status, omnes Ordines, sigillatim nostr,
animæ agonizantes & purgantes assequantur.

Sermo in Festo Purificationis B. V. Mariæ.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

Vita hominis est continua quæsitio.
TOta vita hominis est quædam continua quæsitio & rerum desideratarum investigatio; cujus terminus est optata ac-quisitio & pacifica possessio. PP. RR. FF. *DD.* Omnes qui quærunt, laborant, fatigantur, solliciti sunt, donec quæsita pot

ptiantur. Multi multa quærunt, & hoc ipsum quod quærunt igorant, vel non percipiunt corde. Multi in vanum laborant, n: inveniunt quod requirunt. Sunt qui quæsitis inventis gaudnt; sed quia cor hominis est insatiabile: (*Psal.* 100.) non quieunt in ijs neque contentantur, sed plura concupiscunt; & hæc onia de bonis temporalibus ac caducis sunt intelligenda, quæ c hominis nequeunt satiare. Solum & unicum summum bonm in se immensum, interminum & æternum quod Deus est, hmanum cor exsatiare potest & contentare. *Fecisti nos Domin ad Te*, alloquitur S. Augustinus Deum, *& inquietum est cor nrum, donec requiescat in te.* Interea ad hoc Bonum essentie consequendum tenetur homo assiduè per totam vitam in es quæsitione allaborare, donec illud comprehendat. Sic curr:, monet Apostolus, (1. *Cor.* 9.) ut comprehendatis; sic quær:, dico ego, ut inveniatis. Sed ecce habemus promissum ætnæ veritatis: omnis qui quærit invenit. [*Matt.* 7.] Diximus nber ex mente Sancti Patris nostri, *quærentes frustrari tunc, qndo vel non in tempore, vel non ita ut oportet, vel non in lo(debito inquirunt.* Nuperum Evangelium detexit nobis adhuc um locum quæsitionis indebitum, videlicet inter cognatos & ntos Jesum minimè reperiri. Ecce ipsa Mater Domini cum Sonso suo ibi quæsivit eum & non invenit. (*Luc.* 2.) Ille qui vnit separare hominem adversùs Patrem suum, & filiam adversi Matrem suam, (*Mat.* 10) voluit abesse à Matre & cognatis, qndo in ijs quæ Patris sui sunt, oportebat illum esse; [*Luc.* 2.] umonstraret non acquiescendum esse carni & sangvini, prout fit Apostolus: (*Gal.* 1.) quando negotium Dei est peragendn, quando regnum Dei est quærendum, (*Matt.* 6.) vel annntiandum, quòd caro & sangvis non possidebunt. (1. *Cor.* 15.) Ui ergo invenitur Jesus Filius Dei, Deus de Deo? Nusquam n in templo. Utiq; qui rectè inveniendus est, domi suæ quærdus est. Templum est domus Dei, Deus in domo sua est iestigandus. Ecclesia Christi est templum Dei, Basilicæ sunt tpla Dei, cœlum denique est templum Dei, de quo Psalmist: extollo manus meas ad templum sanctum tuum. (*Ps.* 27.) E alibi: Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sed ejus. [*Psal.* 10.] In his locis optimè Deus quæritur & invenitr. Verùm qui templum vult adire, debet priùs purificari ad emplum purissimæ Matris Dei, quæ purgationis minimè indig, utpote tota pulchra (*Cant.* 4.) sinè omni macula, noluit tamen ad templum accedere, nisi post impletos purgationis suæ di;: (*Luc.* 2.) quidni homo de immundo conceptus semine, [*Job.* 14.] cujus nec infans unius diei super terram à sorde mũdi est, debet primò à sordibus ablui, quod apud Judæos figuraatur per corporis lotionem; tenetur à peccatis se mundare?

Bona caduca cor hominis nõ satiant, sed Deus summum bonum.

S. August.

S. Bernardo.

Non inveniũt Deum, qui nõ in tẽpore, modo, & loco quærunt, neq; inter cognatos.

Invenitur in templo

prævià tamen purificatione.

Lotio Judæorũ

Pp tem-

templum enim Dei ſanctum eſt, (1. *Cor.* 3.) mirabile in æq tate; (*Pſ.* 64.) quod nihil coinquinatum ingreditur, (*Apoc.* 2 nec faciens iniquitatem. (*Matt.* 13.) Domum Dei decet ſanc tudo, (*Pſal.* 92.) ubi in conſpectu Angelorum pſallitur, ado tur Deus ad templum ſanctum ſuum, (*Pſal.* 137.) & confeſſ fit nomini illius. Sed dicet aliquis: nonnè Sacramentum Bap ſmi & pœnitentiæ conferuntur in templo? utrumq; tamen pr ſupponit inquinamenta culparum: illud originalis, hoc act alium peccatorum, quæ per Sacramentorum virtutem & a luuntur & tolluntur. Ita eſt: ſed utrumque etiam præſuppo intentionem & deſiderium eorum qui veniunt ad templu quòd velint ab his ſordibus emundari. Ergo uti Deus cor co tritum & humiliatum non deſpicit; (*Pſ.* 50.) ita apparitionem e rum audit auris Dei, (*Pſ.* 10.) jamq; datur pax hominibus bo voluntatis, (*Luc.* 2.) ſicut per propoſitum juſti & vocantur, ſan in intentione, qui poſtea per uſum & executionem Sacrame torum ſanctificantur. Jam verò qualeſnam creditis eſſe PP. R FF. DD. illos qui inveniunt Deum, inveniunt Jeſum in te plo? Non alij ſunt niſi Simeones & Annæ. Simeon homo j ſtus & timoratus expectans conſolationem Iſraël, (*Luc.* 2.) Si meon, id eſt, audiens vel obediens. Anna verò Prophetiſſa fi Phanuel, videlicet videntis Deum, non diſcedens à templo je nijs & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. (*Ibid.*) Anna, i eſt, gratioſa, miſericors, requieſcens vel donans. Obedientia e ga Deum, gratia & miſericordia erga proximum inveniunt D um, inveniunt Jeſum in templo. Ipſum opus Filij Dei Incarn ti quod erat? Venit ut faceret voluntatem Patris ſui qui in cœ lis eſt, (*Joan.* 6.) ut obediens eſſet Patri usque ad mortem cruc [*Phil.* 2.] Deinde pertranſijt benefaciendo omnibus, (*Act.* 10 cunctis hominibus gratiam & miſericordiam exhibendo. Et hæ debent eſſe opera eorum, qui quærunt Jeſum, qui ſequuntur i lum, qui ipſi ſtudent conformari. Simeones ſint, Annæ ſint u inveniant Jeſum in templo. Scitis quid offeratur in templo? Sa crificium, oblationes victimarum, holocauſtomata, & his ſim lia Deo ſunt offerenda. Jam per Samuelem aſſerit Deus: me or eſt obedientia quàm victimæ, & auſcultare magis quàm o ferre adipem arietum. (1. *Reg.* 15.) Deinde per Oſee Proph tam inquit: miſericordiam volo & non ſacrificium. [*Oſee* 6 Obedientia igitur Deo exhibita & miſericordia proximo præſ ta, ſunt optima holocauſta, ſunt ea quæ Deus requirit à qu rentibus ſe, ut ipſum inveniant. Quid tamen eſt PP. RR. DD. quòd homines adeò deſides & remiſſi ſint ad quærendu Deum & inveniendum? Non aliud arbitror in cauſa eſſe, quà quòd ſe alijs quæſitionibus præoccupent, implicent & intricen quòd ſe onerent affectibus bonorum terrenorum, mundanoru & cad

Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ in templo conferuntur

cum intẽtione.

Quinam inveniant Jeſum in templo? nempe Simeones & Annæ, obedientes & miſericordes.

Quid offeratur in templo?

Melior obedientia quàm victimæ.

Quid faciat homines deſides in quærendo?

& caducorum. De cœlo prospexit Dominus super filios hominum ut videat, si est intelligens aut requirens Deum; omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: (*Psal.* 13.) omnes dereliquistis me, conqueritur Deus apud Jeremiam; [*cap.* 2.] unde jure meritò Rex Prophetarum inclamat: filij hominũ, filij Adam decepti, filij de humo terreni, usquequò gravi corde; (*Ps.* 4) quousq; eritis corde gravato, pondere peccatorũ pressi, juxta Divũ Chrysostomũ, *crasso corde, carnales, affixi terræ, vitiũ prosequẽtes, improbitatem exercentes, libidine & voluptate corrupti & marcidi?* addo ego, sollicitudine temporalium onerati, uti gens peccatrix, populus gravis iniquitate, semen nequam, filij scelerati? (*Isai.* 1.) Vultis scire pondera vestra, gravamina pessima, onera insupportabilia? Recenset Isaias Propheta undecim onera, quæ appositissimè S. Pater noster explicat in sermone suo de undecim oneribus Isaiæ, excepto ultimo onere jumentorum Austri (*Isai.* 30.) quod in literali sensu impios & brutales Judæos sonans, in sensu mystico applicat pijs & Spiritu sancto oneratis jumentis. Ad horum lectionem & intellectionem accedat, qui volet, opera Melliflui Doctoris. Ego interim septem capitalium vitiorum onera innuo; quæ cor non tantùm gravant, sed depriment & obruunt quandoque. Superbiam nemo credet gravare, qui scit illam mentem sursùm elevare; ut ambulet in mirabilibus super se. (*Psal.* 130.) Sed quid? pondus est. Tollitur in altum, ut lapsu graviore ruat. Vidi impium, (quis magis impius quam superbus? Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituum apud Jeremiam, (*cap.* 50.) & cadet superbus, & corruet, proculdubiò propter onus superbiæ suæ;) vidi, inquit Propheta, impium elevatum & superexaltatum, transivi & ecce non erat. (*Psal.* 36.) Sed & ipsi honores & dignitates superbiæ fetus quid nisi onera? Moyses (*Num.* 11.) inquit ad Deum: cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? Et communiter superbia intolerabilis dicitur, quia premens est & ponderosa. Avaritiam nemo dubitat esse gravaminosam, Væ! ei, qui multiplicat non sua, ait Abacuc Propheta: (quid enim habes, quod non accepisti? 1. *Cor.* 4.) usquequò aggravat contra se dēsum lutum? (*Abac.* 2.) de quo D. Gregorius: *Avaro contra se densum lutum aggregare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare.* De Tyro Zacharias Propheta (*c.* 9.) ait: quòd coacervaverit argentum quasi humum, & aurum quasi lutum platearum. Idem (*c.* 5.) vidit, & ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ & dixit: hæc est impietas; & projecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os ejus. Hæc præfatus Magnus Gregorius sic explicat. *Dum per imaginem amphoræ quasi patens os avaritiæ designavit: Avaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu*

Cura terrenorum. *S. Chrysost.* *Pondera gravia.* *Undecim onera.* *S. Bernardus.* *Onera sunt 7. capitalia peccata.* *Superbia.* *Avaritia.* *S. Greg. M.*

apertum tenet. Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati? Impietas in medio amphoræ projicitur, quia in avaritia semper impietas tenetur. Massa plumbi in os mulieris mittitur, quia impietas avaritiæ peccati sui pondere gravatur.

Luxuria. De luxuria manifestat lapsus Rex Solymæ: iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me; miser factus sum & curvatus sum usq; in finem. Quare? quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, [*Psal.* 37] per alienæ uxoris concupiscentiam. Unde S. Chrysostomus. *Nihil facit adeò grave cor, ut libido.* Quod tale esse non erraverit qui dixerit cor luteum; quia infixum in limo profundi, (*Ps.* 6) in volutabro luti, in sordibus carnalitatis.

S. Chrysost.

Ira. Iram gravem esse asserit Sapiens in Proverbijs: [*c.* 27.] grave est saxum & onerosa arena, & ira stulti utroque gravior. Ecclesiastic⁹ (*c.* 22.) interrogat, super plumbum quid gravabitur? & quod illi aliud nomen quàm fatuus? Arenam & salem & massam ferri facilius est ferre quàm hominem imprudentem & fatuum & impiū, quæ omnia conveniunt homini iracundo, qui impetu ducitur non ratione.

Invidia. Invidiam repræsentat Isaias *cap.* 19. onere Ægypti dicens: cor Ægypti tabescet in medio ejus: dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus. Jam nonnè livor tabificum malis venenum?

Gula. De gula dicet clarè Evangelista monens: attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula, (*Luc.* 21.) quæ est cibi satietas, & ebrietate.

Acedia. Acediam demùm in se gravem esse quis ibit inficias? quando juxta sapientem: (*cap.* 19.) abscondit piger manum sub ascellasua vel in sinu suo; & laborat, si ad os suum eam converterit: adeò est sibi ipsi gravis homo acediosus. Unde meritò secundum Ecclesiasticum [*c.* 22.) in lapide luteo lapidatus est piger, de stercore boum lapidatus est piger, ut magis oneretur. De his oneribus imperat Deus apud Isaiam. (*c.* 58) Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes & omne onus dirumpe. Ergo Filij hominum usquequo gravi corde, quamdiu cor sic oneratum eructabit verba pessima peccatorum? utquid diligitis vanitatem (*Psal.* 4.) rerum temporalium? quæ non continent solidum bonum; transitoria & labilia sunt velut umbra.

Temporalia nō continent solidum bonum.

Ecce vos estis ex nihilo, loquitur Deus apud Isaiam, (*cap.* 4) & opus vestrū ex eo quod non est. Confidunt in nihilo, ait idem Propheta, (*c.* 59.) & loquuntur vanitates: conceperunt laborem & pepererunt iniquitatem. Quæ major vanitas nihilo? Filij hominum utquid quæritis mendacium? (*Ps.* 4.) Omnia enim hæc mentiuntur homini ostentantia aliquid in apparentia, in re nihil: quia semper mentitur iniquitas sibi. (*Ps.* 26.) Verè mendaces filij hominum in stateris, ponderantes omnia velut aliquid ut decipiant ipsi & decipiantur de vanitate in idipsum; (*Ps.* 6) æstimantes se aliquid esse, & ea quæ possident, cùm nihil sint,

Non est major vanitas nihilô.

& nihil habentes ipsi se seducant. (*Gal.* 6.) Quid enim? Confringite jugum iniquitatis, pondus impietatis excutite, onera peccatorum dissolvite & disrumpite; & ite in libertatem filiorum Dei, (*Rom.* 8.) quærentes regnum Dei & justitiam ejus: (*Luc.* 12.) quæ sursùm sunt quærite non quæ super terram, (*Coloß.* 3.) tollentes jugum leve Christi & onus ejus suave. (*Matt.* 11.) Opera vestra quæ addixistis mundo, terræ, carni, diabolo, dicite Regi Christo; non quærite quæ vestra sunt, sed quæ JESU Christi, (*Phil.* 2.) imò ipsum Jesum quærite. (*Matt.* 28.) Ecce vos invitat: venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. (*Matt.* 11.) Quærite & invenietis (*Matt.* 7.) eum, ac inprimis in templo, quod est ejus Ecclesia, intrando in hanc per ablutionem baptismi fide prævia stabiliti, ubi est vita æterna, ut cognoscant te Deum vivum, & quem misisti Jesum Christum. (*Joan.* 17.) Hic suscepimus misericordiam tuā in medio templi tui, (*Ps.* 47.) ubi Christus Dominus salutem operatus est in medio terræ. (*Ps.* 73.) Hæc Ecclesia non latet in angulis, sed patens est in orbe universo, cùm sit Catholica seu Universalis. Si quis dixerit vobis: ecce hìc est Christus, ecce illic, nolite credere, imperat ipsa æterna Veritas vobis; ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere. (*Mat.* 24) Catholica est Ecclesia non singularis. Ecclesia foris prædicat, in omnem terram exivit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. (*Ps.* 18.) Deinde invenietis illum in templis manu factis per devotionem orationis, & sacrorum frequentationem; domus enim mea, ait ipse Deus, domus orationis vocabitur. (*Matt.* 21.) Ecce hìc nobiscum est omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi *Mat.* 28. in SS. altaris Sacramento, Deus absconditus & Salvator. (*Is.* 45.) Deniq; in cœlo reperitur, facie ad faciem videtur (1. *Cor.* 13.) & possidetur; quem anhelabat Vas electionis dicens: cupio dissolvi & esse cum Christo. (*Phil.* 1.) Sed dicetis. Ecce tres Reges Regem natum non in templo sed in Bethlehem repererunt. Ita est. Quidni & Bethlehem templum fuit. Nonnè ubi Dominus templi, ibi quoq; est templum ejus? Sed & Bethlehem nomine suo indicat templum Christi; Bethlehem enim domus panis interpretatur. Et quæ sunt templa Domini, nisi domus panis, & illius supersubstantialis Verbi Divini, quo anima pascitur ac nutritur? Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei: (*Mat.* 4.) & illi⁹ supercœlestis, qui de cœlo descendit, (*Joan.* 6.) & confirmat cor hominis (*Psal.* 103.) & dat vitam mundo. Porrò sciendum est, quod Deus loquitur apud Isaiam: non dixi semini Jacob, frustra quærite me: (*Isai.* 45.) non frustra equidem, quādoquidem ubi inveniunt Dominum, nihil ipsis deest, in loco pascuæ collocantur. [*Ps.* 22.] Denique inquirentes Dominum non

Omnia opera nostra addicēda Christo.

In Ecclesia quærendus Jesus,

quæ non latet, sed patet.

Etiam in templis manu factis,

in cælo reperitur,

in Bethlehem,

ubi est panis supersubstantialis.

Quærentibus Dominum nihil deest.

minuentur omni bono, (*Ps.* 33.) quandoquidem Summo, Inf nito, & indeficienti Bono satiantur. Bonus est Dominus anim quærenti illum. Non dereliquisti quærentes te Domine, ait Re (*Ps.* 9.) qui in toto corde suo exquisivit Dominum. (*Psal.* 118 Exquisivi Dominum, inquit, & exaudivit me, & ex omnibꝰ tr bulationibus meis eripuit me. (*Ps.* 33.) Quanta bona sunt qua rentium Dominum, uti Simeon & Anna, quærentium facier Dei Jacob! (*Ps.* 23.) Lætetur cor quærentium Dominum, (*P* 104.) canentium cum Simeone: nunc dimittis Domine servu tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. (*Luc.* 2 Cum Anna confiteantur Domino, (*Ib.*) quoniam bonus. Cu Rege Sancto declarent; unam petij à Domino hanc requirau ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; u videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus; (*Ps.* 26. à quo Anna vidua non recedebat per 84. annos viduitatis sua (*Luc.* 2.) Ecce hodie venit ad templum suum Dominator quer nos quærimus, (*Mal* 3.) venit gestatus manibus Maternis. Ad vertitisne ubi quoq; Jesus inveniatur? In sinu virgineo Mariæ; ib templum ejus, ibi sedes ejus, ibi locus requietionis (*Isai.* 66.) eju Per manus Mariæ accepit Jesum in ulnas suas Simeon & bene dixit Deum; (*Luc.* 2.) *quia nihil nos Deus habere voluit*, test Mariophilo Bernardo, *quod per Mariæ manus non transiret*; si quidem *Deus in totum nos habere voluit per Mariam.* Ac proin de filij hominum quærite Dominum & confirmamini, quærit faciem ejus semper: (*Ps.* 104.) quærite in Ecclesia ejus per fide spei & charitatis media; quærite in sacrarijs & Basilicis ejus pe Sacramentorum participationem, quærite in templo gloriæ eju ubi satiabimur cùm apparuerit gloria ejus. (*Ps.* 16.) Quærite de positis oneribus delictorum: quærite velut Simeones obediente Deo, & Annæ gratiosæ & misericordes erga proximum: quærit demum per manus Mariæ Jesum quem generavit & hodie ob tulit in templo: quærite Deum, apud quem Maria gratiam in venit. [*Luc.* 1.] Equidem ex mente ejusdem Melliflui Doctoris *Maria quod quærit invenit, & frustrari non potest.* Ipsa est qua illum invenit in templo, ubi illum obtulit; ipsa est quæ illum in hoc templo gratiæ, & in illo templo gloriæ nobis præsentabit & ostendet, si tamen non mundo, non carni, non diabolo, non va nitati & mendacio, sed ei tanquam Regi, qui Veritas, (*Joan.* 14. & Deus verax est, (*Joan.* 3.) omnia opera & studia nostra di xerimus ac dedicaverimus nunc & in æternum. Ipse Rex facia se quæri & inveniri à Statu Ecclesiastico & Politico, ab Ordini bus Religiosis, ac speciatim nostro, & Oliva nostra; atque ab ani mabus ad ipsum tam per agonem quàm per purgationem ten dentibus, ut omnes se ipsos & opera sua in templo gloriæ su addicant in perpetuum.

Quanta bona quærentium Dominum cum Simeone, Anna, David.

Invenitur in sinu Virginis.

S. Bernardus.

S. Bernardus.

B. Virgo præsentabit omnibus, qui vanitati renũtiant.

Sermo in Dominica I. Quadragesimæ.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

REgum munia sunt magnæ considerationis & diversæ actionis. PP. RR. FF. DD. Audivimus nuper Regem petentē, dari judicium Regi & justitiam Filio Regis. (*Psal.* 71.) Et h: est primum Regij muneris opus, quia honor Regis judicium d.git. (*Psal.* 98.) Idipsum liber primus Regum [*cap.* 8.] nobis a.rit, quando petitionem Israëlitarum pro Rege sibi à Samuele d.do his verbis manifestat: Rex erit super nos, & judicabit nos R.x noster. Addunt ijdem filij Israël secundum necessarium pla. Regibus officium, dicentes: & egredietur ante nos, & pugna. b. bella nostra pro nobis. De judiciaria Christi Regis nostri pot. ate jam diximus; nunc egressum ej⁹ ante nos ad bellandū pro n.bis trutinemus. En hodie egreditur ante nos Rex noster, cui o.ra nostra dicere tenemur. Dominus sicut fortis egreditur, si. c. vir præliator suscitat zelum: (*Isai.* 42.) à spiritu S. ductus i. desertum, ut tentaretur à diabolo, dicit Evangelium: (*Matt.* 4.) ut cum hoste communi bella nostra pro nobis inchoaret. Si e.m militia est vita hominis super terram, [*Job.* 7.] si videmus a.im legem in membris nostris repugnantem legi mentis no. st., & captivantem nos in lege peccati, (*Rom.* 7.) quæ est in m.mbris nostris; & sic intùs pugnas experimur, foris autem ti. m.res (2 *Cor.* 7.) oboriuntur: quoniam teste Apostolo, (*Ep.* 6.) n. est nobis colluctatio adversùs carnē & sangvinem, sed adv.sùs principes & potestates, adversùs mundi rectores tenebra. r.m harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus; quid no. b. restat faciendum? nisi bonum certamen certare, (2. *Tim.* 4.) p.gnare non quasi áërem verberātes, [1. *Cor.* 9.] militare bonam m.litiam, laborare sicut boni milites Christi, & ad hoc induere n. armaturam Dei, ut possimus stare adversùs insidias diaboli, u. possimus resistere in die malo, (*Ephes.* 6.) in die tentationis. E.e Imperator & Rex noster præcedit nos, intendit prosperè, p.cedit & regnat, accinctus gladio suo super femur suum pot.tissimè; [*Psal.* 44.] accepit armaturam zelus ejus, induit pro t.race justitiam, & accepit pro galea judicium certum, sumpsit s.tum inexpugnabile æquitatem. (*Sap.* 5.) Quin unde credim⁹ h.minibus Regiæ dignitatis meritum primariò provenire? Inde e.idem, quòd fortes facti sunt in bello, castra verterunt extero. r.m, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladij; (*Hebr.* 11.) hinc victoribus data est corona exeuntibus vincenti. b. ut vincant. (*Apoc.* 6.) Nonnè dùm cœlestes Principes inter. r.gant: quis est iste Rex gloriæ? respondetur ipsis: Domin⁹ fort.s & potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum, i. est Zabaoth, videlicet Dominus exercituum seu militiarum, i.e est Rex gloriæ. (*Ps.* 23) Ita ad thronum Regni æterni nonnisi

Christi Regis judiciaria potestas.

Potestas ad bellandum.

In deserto inchoavit bella cum hoste.

Militia vita hominu.

Bonum certamen certandū est.

Unde primariò Regum merita?

Primum initium bellorum Christi per jejunia.

per virtutem prælij & victoriam haud potuit Rex noster perve-nire. Videamus initia bellorum ejus, quomodo Dominus qua-si vir bellator, (*Jer.* 20.) jejunio 40. dierum & noctium arma-tus, solus in arenam deserti descendit cum diabolo pugnaturus.

Comparatio David & Goliath,

Umbram certaminis hujus cernere possumus in *Davide* & Go-liatho. Quid enim? Magna sanè inter Christum & Davidem diabolum & Goliathum analogia. Consideremus utriusque præ-lium singulare, illudque adinvicem trutinâ discursus collibrem.

cum Christo & diabolo.

David fortissimus robore & vir bellicosus, prudens in verbis, & vir pulcher in sacra Scriptura describitur: quidni Fortem nostri

In fortitudine, Sapientia,

fortiorem forti armato, (*Luc.* 11.) qui est secundùm Jobum (*cap.* 9.) sapiens corde & fortis robore, imò sapientia ipsa, & fortitu-do nostra, & robur nostrum juxta Jeremiam: [*Cap.* 16.] Do-

David ludit cum leonibus & ursis.

minum, inquam, indutum fortitudine & præcinctum virtute (*Ps.* 92.) denique speciosum forma præ filijs hominum [*Ps.* 44 repræsentat? Inducitur David ab Ecclesia cum leonibus luden quasi cum agnis, & in ursis similiter faciens; 1. *Reg.* 17.) [luder hìc intelligitur concertare, uti in 2. libro Regum (*cap.* 2.) dici Abner ad Joab: surgant pueri & ludant coram nobis, ubi ex ho taminis lusu ortum fuit prælium sangvinolentum.] Quid leo-

Designat Behemoth,

nes, quid ursi designare possunt nisi Behemoth, qui significa bestias, quadrupedia, imò multitudinem animalium terrestri-um; inter quæ leones & ursi tanquam ferociores belluæ tenen quasi primatum? Behemoth autem nomen est diaboli, quem

nomen diaboli.

Christus vicit; & in quo omnes peccatorum belluas superavit

S. August.

Sigillatim tamen, Divùs Augustinus asserit, *David, id est, Chri-stus, tunc leonem & ursum strangulavit, quando ad inferna descendens, omnes de eorum faucibus liberavit. Et quia ursus in manu fortitudinē habet, leo in ore: in istis duabus bestijs diabolu figuratus est. David interpretatur manu fortis,* ait idem S. Augu-stinus; *quid eo fortiùs Fratres, qui universum mundū vicit, ar-matus non ferro sed ligno? David tulit baculum suum, Christus crucē suam bajulavit.* Stabant, ait sacer Regum codex, filij Israë

in 40. diebus.

contra adversarios 40 diebus: (1. *Reg.* 17) 40. *dies*, inquit præfat S. Doctor, *propter 4. tempora, & 4. partes orbis terræ vitā præ-sentem significant, in qua contra Goliath & exercitum ejus, id est*

Baculus est Crux.

contra diabolum & angelos illius Christianorū populus pugnare non desinit. Nec tamē vincere posset, nisi verus David Christ⁹ cū ba-culo, id est cum crucis mysterio venisset. Prævaluit David in fun-da & lapide, percussumq; Philisthæum in fronte interfecit. (*Ibid. Videte Fratres*, inquit Sol Doctorum, *ubi David Goliath per-*

Lapis est Christus.

cusserit, in fronte utiq; ubi crucis signaculum non habuerat. Sicu enim baculus crucis typum habuit, ita etiam & lapis ille de quo percussus est, Christum Dominum figurabat. Ipse enim est lapis vivus, de quo scriptum est: lapidem quem reprobaverunt ædifi-

cantes

ntes, hic factus est in caput anguli. (1. *Pet.* 2.) *Quòd autem* S. August.
avid prostravit Goliam, ait idem D Augustinus, *Christus est*,
i occidit Diabolum. Quid est autem Christus, qui Diabolum oc-
lit? Humilitas occidit superbiam. Ac ideò in fronte percussus
ubuit. Quod sic explicat præfatus Doctor Ecclesiæ: *Goliath*
viribus suis superbus, elatus, inflatus, primò totam victoriam
iversæ partis suæ in se uno constituit. Et quia omnis superbia *Percussus in fronte, id est superbia.*
bet impudentiam frontis, in ipsa fronte lapide veniente dejectus
. Evacuata est frons, quæ habebat impudentiam superbiæ suæ;
vicit frons quæ habebat humilitatem crucis Christi. Propterea
nos signum ipsius crucis in fronte portamus. Hæc ille. In tol-
ndo manum, loquitur Ecclesiasticus, (*cap.* 47.) saxo fundæ de- *Christus in*
it exaltationem Goliæ; *& Christus Dominus in magnitudine* *brachio suo percussit inimicũ.*
achij sui, quod Dominus expandit in Cruce, addit Origenes, Origenes.
rcussit inimicum. Exaltatus in cruce, expandit manus suas ad
pulum non credentem & contradicentem. (*Rom.* 10.) Exten-
i manum tuam, *illam manum victricem, non ferro armatam*,
Divus Augustinus, *sed cruci affixam*, & devoravit eos ter- S. August.
, (*Psal.* 137.) *ad centrum ejus infernum detrusus est satanas &*
gatus. David demùm proprio gladio Goliath, interfecit eũ, *Goliath proprio gladio interficitur,*
præcidit caput ejus; *per quod designatum est*, teste eodem S. Idem.
octore, *quòd in adventu Christi suo gladio diabolus victus est*, *Diabolus suo*
i per nequitiam suam & injustam persecutionem, quam exer- *gladio iniquitatis.*
it in Christum, omnium in eum credentium perdidit principa-
m Ideo caput ejus abstulit, ait D. Ambrosius, *ut ipse esset caput* S. Ambrosi9
rporis interempti. Meritò nunc gentes caput regale circumfe- *Caput de domo*
nt, quia Christi Regis membra sunt. Percussisti caput de do- *impij quid?*
o impij, alloquitur Abacuc Propheta Christum; (*cap.* 3.) quod D. Hieron.
put Divus Hieronymus explicat: *principem mundi hujus, &*
mum ipsius mundum, ut illo percusso atq; ejecto fiat domus Dei,
fiat in nobis caput Christus. Maledixisti sceptris ejus, (*Abac.*
) dominio illius & regno, in hoc mundo posito in maligno,
Joan. 5.) capiti bellatorum ejus, (*Abac.* 3.) *cùm dixisti*, in- *Caput bellatorum.*
t Rupertus, *ad serpentem, qui fuit initium belli contra huma-* Rupertus.
m genus; maledictus eris inter omnia animantia & bestias ter-
. (*Gen.* 3) En Behemoth. Sed maxima maledictio (ipsum se-
en, mulieris nempe, conteret caput tuum, *Ibid.*) in cruce
it completa, quando caput serpentis, adinstar Sisaræ, *Domin9*
avis crucis suæ transfixit. Ibi dedit Deus imperium Regi suo,
sublimavit cornu Christi sui; (*1. Reg.* 2.) cornu Regni in cœ-
& in terra. Et hæc fuit monomachia Davidis cum Goliatho, il-
m Christi cum diabolo figurans ac planè repræsentans, ex qua
iritualem fructum ut capiamus, audiamus Abbatem Pœmon *In sensu morali quia leo? quid ursus?*
ctum Davidis explicantem, quoad leones & ursos. *Quia le-*
em quidem percutiebam, nam & ursum frequens suffocabam:

per leonem iracundia, per ursum fornicatio intelligitur

hoc autem ita intelligitur: *quia furorem ab animo meo abscindebam, fornicationem autem in laboribus affligebam*; acsi diceret potentiam irascibilem & concupiscibilem superabam. Jam vero duellum Davidis cum Goliath, luctam spiritûs cum carne insinuat;

Duellum Davidis, lucta spiritûs cum carne.

gitat; nam optimè S. Chrysostomus *Goliam turrim carneam* nominat: spiritus ergo carnem suam lapide austeritatis deijcit, & gladio mortificationis caput illi præscindit, ne præsit sed subjiciat. Denique spiritus validus subigit sibi cerebrum sub fronte latens, quod est officina omnis pravæ cogitationis & concupiscentiæ. Placet jam aliud duellum producere & intueri? Si conspicimus Jesum hodie à Spiritu S. ductum in desertum, aspectemus ex opposito Adamum à Deo positum in paradiso, & speculemur, ut sic de thesauro sacri codicis nova & vetera proferamus, eaque inter se quadam sermonis collineatione conferamus: haud dubie utrobique & parallela & disparata reperiemus. Ibi vetus & primus, hic novus & secundus homo, uterque in plenitudine virilis ætatis existens ad singularem cum hoste pugnam cernitur expositus; ille post primam ex limo terræ vi creationis generationem, iste post primam ex aqua baptismatis virtute recreationis regenerationem.

Comparatio Adami in Paradiso, cum Christo in deserto.

Uterq; in virili ætate.

Sed ecce in principio occurrit nobis magna locorum disparitas. Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, ait vetus Testamentum, (*Gen.* 2.) ut operaretur & custodiret illum. Quanta primi hominis felicitas! Ductus est Jesus à spiritu in desertum, inquit novum Testamentum, [*Matt.* 4.] ut tentaretur à diabolo. Quanta secundi hominis infelicitas! tantò major, quia in consortio bestiarũ; erat cum bestijs, testatur Divus Marcus. (*cap.* 1.)

Locorum disparitas.

Quidnam hoc est, quod paradisum in desertum transformavit? Nihil aliud præter quam primigenium Adæ peccatum. Istud hortum deliciarum in deserti vastitatem & bestiarum feritatem Christo commutavit. Quomodo? Quo casu? Fraus diaboli ex malitia erga Deum & ex invidia erga hominem, totum orbem posuit desertum. Jam verò quis modus tentationis utrobique? Ibi in forma serpentis se insinuat, hic accedens tentator loquitur. Ibi interrogat cur præcepit vobis Deus? (*Gen.* 3.) hic imperat: dic ut lapides isti panes fiant. (*Matt.* 4.) Quàm callidè utitur occasione ad tentandum. Primum hominem vescentem de fructu lignorũ, quæ erant in paradiso, inducit ex occasione prohibitionis Divinæ ut lignum scientiæ boni & mali (*Gen.* 2.) interdictum in fructu suo gustet. Secundum verò hominem 40. diebus & noctibus jejunantem aggreditur persvasione, ut lapides sibi in panes transmutet. Hinc patet quomodo omnes pravæ ad peccandum occasiones sint evitandæ, quandoquidem eas tentator arripit ad nos sibi subjugandos. Prosequitur satanas utriusque veteris & novi hominis tentationem, ibi falsitatem promissi illudens, eritis sicut

Quidnam Paradisum in desertum transformavit?

Modus tentationis veteris & novi hominis Christi.

Occasiones peccandi sunt vitandæ.

Dij

: [*Gen.* 3.] hic fallaciâ inquisitionis arridens, si Filius Dei es: (*Matt.* 4.) ibi apertionem oculorum obtendens, hic omnia re-a mundi & gloriam eorũ ostendens: ibi scientiâ boni & ma-li decipiens, hic falsa scripturæ citatione deludens. Audiens enim [pri]mum tentationis assultum, Verbi *Divini* testimonio de non [sol]o pane vitam hominis sustentante, sed etiam verbo Dei (*Ibid*) [vic]em panis obeunte, repulsum, & ipse ad verbi Divini eloquia [rec]urrit, qui in primo homine ejusdem Verbi *Divini* ausus est [inf]ringere veritatem, quia mendax est & pater mendacij; in ve-[rita]te non stetit, & veritas non est in eo. (*Joan.* 8.) Nequaquam [m]orte moriemini, (*Gen.* 3) dixit contra verbi Divini decretum, [minant]rentis Adamo: in quacunque die comederis, morte morieris. (*Gen.* 2) Ita nunc mitte te deorsùm, inquit, scriptum est enim: [An]gelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te; falsificavit [Scr]ipturã, mutilans verbum Dei & omittens textum: ut custodi-[an]t te in omnibus vijs suis. (*Mat.* 4) Bonum equidem est, ut sæ-[piu]s dixi, cor verbi *Divini* eloquio munire contra peccata & té-[ntati]ones, juxta exemplum Regis sancti dicentis *Deo*: in corde [me]o abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi; (*Ps.* 118.) quan-[do] ipsum Filium Dei audimus testimonijs legis satanam à se abi-[gen]tem. Cæterùm tentatio fit à diabolo per modum suggestio-[nis.] Ea enim, ad quæ hominem observat affectum, suggerit u-[bi]que. *Et ideo*, inquit D. Thomas, *diabolus hominem spiritu-[ale]m non statim tentat de gravibus peccatis, sed paulatim à levio-[rib]us incipit, ut postmodum ad graviora perducat.* Pro quo ex D. [Gr]egorio pulchram adducit interpretationem super sententiam [De]i apud Jobum (*c.* 38) dicentis de equo: procul odoratur bellũ, [ex]hortationem *Ducum* & ululatum exercitûs. *Bene Duces ex-[hor]tari dicti sunt, exercitus ululare; quia prima vitia deceptæ [me]nti quasi sub quadam ratione se ingerunt; sed innumera quæ se-[qu]ntur, dùm hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali [cla]more confundunt. Ita peccatum à dæmone suggestũ in initio par-[vu]m, per frequentationem actûs adolescit, donec per consvetudi-[nem] habitum contrahat, maturescat, ac ultimariè per contemptum [ve]terascat.* Ordo autem & modus tentationis in Adamo & [Ch]risto fuit non absimilis. Illum primò sollicitavit ad fructûs è [lign]o vetito comestionem, inquirens: cur præcepit vobis Deus, [ut] non comederetis ex omni ligno paradisi? (*Gen.* 3.) huic [pri]mò proposuit conservationem vitæ per corporis sustentationẽ: [quo]d *etiam quantumcunq; spirituales viri appetunt*, ait D. Tho-[ma]s. Deinde illi vanam gloriam per apertionem oculorum præ-[tend]it, huic non minùs gloriæ ambitum per descensum è pin-[nac]ulo ad templum pro ostentatione aliqua svadere conatus est, [in qu]o *interdum viri spirituales deficiunt*, teste eodem Divo Tho-[ma.] Denique illius tentationem ad supremam superbiam per-

ibi falsitate promissi, hic fallaciâ inquisitionis.

Diabolus pater mendacij.

mutilans Scripturam.

Tentatio fit per suggestionem,
S. Thomas.
primò leviorũ, ut dein ad graviora perducat
S. Gregorius

Ordo tentationis diaboli in utroq;.

D. Thomas.

duxit, inquiens: eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum; (*Gen. 3.*) iſtius autem ad concupiſcentiam divitiarum & gloriæ mundanæ, in quibus ſuperbia nidulatur, & quod jam non ſpiritualibus ſed carnalibus competit hominibus, tentationem traxit uſque ad ipſius Dei contemptum, volens locò Dei adorari. Hos planè gradus concupiſcentiarum etiam S. Joannes Apoſtolus poſuit dicens: omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ; (*1. Joan. 2.*) & his diabol⁹ potiſſimùm homines tentare conſvevit, quib⁹ primum hominem ejusque progeniem ad ruinam dejecit; quas Chriſtus Dominus verbi Divini ſententijs ſuperavit. *His*, inquit S. Leo, *tentationibus Chriſtus reſtitit teſtimonijs legis, non poteſtate virtutis; ut hoc ipſo & plùs hominem honoraret, & adverſarium plùs puniret, cùm hoſtis generis humani non quaſi à Deo, ſed quaſi ab homine vinceretur.* Hæc eſt Regis noſtri victoria, cui in triumphum acceſſerunt Angeli & miniſtrabant ei. (*Matt. 4.*) Ita militibus Chriſti agendum, ut fortiter dimicent, reſiſtant fideliter, oppugnent fiducialiter, in nomine Omnipotentis tanquam prælia Domini prælientur, (*1. Reg. 18.*) cùmque nova bella eligit Deus, (*Judic. 5.*) ipſi quoque novo fervore ad pugnam animentur, nunquam retrocedentes, ſed ſemper hoſtem propulſantes, ſuccincti lumbos in veritate, ſicut Rex accinctus ſuper femur, induti loricam juſtitiæ, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi ignea extingvere. (*Ephes. 6.*) Hæc eſt enim victoria quæ vincit mundum, & in mundo diabolum; fides noſtra, fides viva [*1. Joan. 5.*] per charitatem in ſpe operativa; galeam ſalutis aſſumentes & gladium ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, orantes omni tempore in ſpiritu, vigilantes in omni inſtantia & obſecratione: (*Ephes. 6.*) & ſic proculdubiò à Deo per *D. N. I. C.* velut Ducem, Anteſignanum, Regem, & Imperatorem victoriam reportaturi. Reſiſtamus igitur diabolo nos tentanti virtute Regis noſtri, virtute crucis ejus, reſiſtamus concupiſcentijs quæ militant in membris noſtris, (*Jac. 4.*) reſiſtam⁹ carnalibus deſiderijs quæ militant adversùs animam. [*1. Pet. 2.*] Neque enim in carne ambulantes ſecundùm carnem militamus; (*2. Cor. 10.*) nam arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, per Deum ſcilicet efficacia ad deſtructionem munitionũ diabolicarum; conſilia deſtruentes & omnem altitudinẽ extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei. *Ib.* Omnibus proinde diebus, quib⁹ nunc militamus, parati ſimus ad tentationes: in oratione & jejunio eijciamus dæmonia: ac maximè hoc Quadrageſimæ ſanctæ tempore ſequamur Regem nos ad bellum præeuntẽ: ſimus veri athletæ Chriſti, neq; militantes Deo implicemus nos negotijs ſæcularibus, (*2. Tim. 2.*) & ſcientes, quòd qui certat in agone, non coronabitur niſi legitime certaverit; [*Ibid.*] ad coronam Regis

Gradus concupiſcentiarum.

S. Leo.

Militibus Chriſti pugnãdum eſt,

per fidei ſcutũ,

charitatem.

Omni tempore orandum & vigilandum.

Adhortatio ad fortiter reſiſtendũ diabolo in virtute crucis.

Rgni anhelemus, dabitur enim nobis benè certantib⁹ corona justitiæ, (2. *Tim.* 4.) vincentibus corona vitæ, (*Jac.* 4.) & cum Rege nostro cui opera militiæ nostræ addiximus, triumphabimus & regnabimus in æternum.

Sermo in Dominica II. Quadragesimæ.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

OPera Regum sublimia sunt in contemplatione, magnifica sunt in actione, gloriosa sunt in consũmatione. PP. RR. FF. *DD.* Operibus Regum opera subditorum tenentur e correlativa. Et quidem debent esse prompta in obeditione, elocia in operatione, efficacia in executione. Sublimitatem, magnificentiam, & gloriam Regis nostri quis attinget? Nemo quidem, nisi Petrus, Jacobus, & Joannes; hi sunt qui assumuntur in montem & vident Regis Regum transfigurationem. (*Mat.*) Quid Petrus, nisi petra fidei? Quid Jacobus, nisi planta sive vestigium spei? Quid Joannes, nisi amoris gratia? Et hæc sunt opera quæ Regi dicuntur, nimirùm Fides, Spes, Charitas. Hæc trias & unio virtutum Deo soli uni trino, Regi sæculorũ immortali, invisibili (*1. Tim* 1.) correspondens. Jam ergo liceat nobis Fide Spe & Charitate Regis nostri hodie transfigurati sublimia intueri, magnifica meditari, & gloriosa speculari. Quis vultus Regis nostri? Resplenduit facies ejus sicut sol, inquit Evãgelium, (*Matt.* 17.) vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Quid hoc? Facies ignis, habitus lux. Nonnè Rex noster Deus est? qui in facie ignis consumens est; [*Hebr.* 12.] in habitu lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. (1. *Joan.* 1.) Sed quinam sunt assistentes Regis nostri? Haud dubiè magni & secreti consiliarij, Moyses & Elias. Quid Moyses? utique de aqua sublatus, vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra: (*Num.* 12.) sed habens claritatem vultûs, (*Exod.* 34.) ob lumen gloriæ Divinæ illi impressum. Quid Elias? quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. (*Eccli.* 48.) Quàm bonã hi viri consiliorum relationẽ habebant ad Regem nostrũ quando uterque Regis statum in se repræsentabant. Tali enim Regi sic conformiter optimè opera dicuntur, quando ipsius operationes exprimuntur. Quid enim? Nùm tantùm consiliarios vult Dominus habere, qui nullius eget consilio? qui in se est admirabilis consiliarius, imò ipsemet magni consilij Angelus. (*Isai.* 9.) Quinimò vult habere & operarios sibi conformes, qui sint lucernæ ardentes & lucentes, (*Joan.* 5.) qui sciant utì ipse facere & docere; (*Act.* 1.) qui fide & spe luceant, ardeant charitate utì Petrus Jacobus & Joannes, quibus sit facies interior, ardor solis, habitus exterior, candor lucis; sint in se & erga se igniti Seraphini, ad extra verò & erga alios, mites, & operibus suis lucẽtes Cherubini.

Opera Regum sublimia, magnifica, gloriosa.

Petrus notat fidem, Jacobus spem, Joannes charitatem.

Facies sicut sol, vestis ut nix.

Assistũt Christo Moyses mansvetudinẽ & Elias ignem significans.

Consiliarij Domini debent esse operarij ardentes & lucentes.

Seraphini, Cherubini.

rubini. Hi namque soli Throno Dei assistere notantur in Scri- ptura. Sed quid hi collaterales hospites quasi à consilijs positi, velut conscij secretorum, quid inquam novitatis in mediū pro- ferunt? Manifestat tertius in ordine Cancellarius Regius Lucas referens: erant Moyses & Elias visi in majestate, & dicebant ex- cessum ejus, quem completurus erat in Ierusalem. (*Luc.* 9.) Qui sunt hi sermones quos conferunt isti ad invicem? (*Luc.* 24.) Lo- quuntur de excessu mortis ejus in gloria majestatis. Hæccine materia est Regij discursûs, dùm transfiguratur in gloria? Quid vitæ cum morte? quid virtuti cum infirmitate? quid opprobrio cum gloria? multum sanè per omnem modum. Regium est prævidere omnia, omnium finem & exitum pervidere, sibi & cunctis providere, denique omnes suos excessus limitare, subdi- torum autem excessus corrigere & præcavere. Nonnè sic o- portuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? (*Ibid.*) Hinc proposito sibi gaudio gloriæ futuræ, cujus initia expertus est in corpore suo per transfigurationem, sustinuit crucē. (*Heb.* 12.) Ita virtus Dei, & sapientia Christus, attingit à fine usque ad finem fortiter, svaviterque disponit omnia. (*Sap.* 8.) Hoc mo- net Ecclesiasticus: (*cap.* 11.) in die bonorum ne immemor sis ma- lorum; & vice versa: in die malorum ne immemor sis bono- rum. Idem alibi hortatur: (*cap.* 18.) memento paupertatis in die a- bundantiæ, & necessitatum paupertatis in die divitiarum. Ex- cessus igitur hic Regis nostri in Ierusalem complendus, est juxta Syriacum textum, exitus illius è vita per summam passionem & mortem crucis consummandus; est juxta Arabicum, eventus ul- timi agonis sustinendi & victoriæ reportandæ; est juxta Æthio- picum, transitus ejus de hoc mundo ad Patrem: Phase nimirùm Pascha verum, quod immolatus est Christus. (*1. Cor.* 5.) Nonnè exitus Israël de Ægypto sive Exodus, uti Græca interpretatio excessum hunc explicat, gloriosus & victoriosus submerso Pha- raone & exercitu ejus in mari rubro (*Exod.* 14.) typus fuit ex- tûs nostri de domo servitutis diabolicæ, per submersionem sata- næ ejusque potentiæ quam habuit, mortis nimirùm, peccati, & inferni in mari sangvineo passionis & mortis Christi? Hic exces- sus Regis nostri, qui Dux fuit in misericordia populo suo quē re- demit, (*Exod.* 15) erat expeditio ej⁹ bellica contra comunē huma- ni generis inimicū. Eapropter Rex noster iturus committere bel- lum adversùs alium Regem principem mundi hujus, (*Joan.* 4.) sedens hodie in gloria priùs cogitat quomodò occurrat ei cum decem millibus virtutum suarū perfectissimarū, qui cum 20000. (*Luc.* 14.) transgressionum humanarum venit contra illum tam corpore quàm anima commissarum. Currus enim Dei decem millibus multiplex (*Psal.* 67.) ad decem millia talentorum quæ debebamus solvenda, (*Mat.* 18.) contracta per transgressiones decem

Discursus de excessu mortis in gloria Majestatis.

Pati & intrare in gloriam.

Excessus complendus in Jerusalem. Exitus, eventus, transitus,

exitus de Ægypto.

Excessus erat expeditio bellica.

cem Dei præceptorum. Et hi ſunt delictorũ noſtrorum ex-
ſus, qui ſi contingant, Regis ſolertiâ corriguntur; & ne con-
gant præcaventur. Ad eorum autem extinctionem & deleti-
em ô quanti hìc virtutum in Rege ac Domino virtutum (*Pſ.*
.) fuêre exceſſus! Humilitas ejus, fuit exinanitio ſuiipſius usq;
Contra exceſſus peccatorũ, erant exceſſus virtutum.
Humilitas.
poſtpoſitionem ſui infra homicidam, ad æſtimationem inſa-
in aula Herodis, ad deputationem ſui cum ſceleratis, (*Iſai.*
) ae maledictionem pendentiæ in ligno, (*Gal. 3.*) ita ut no-
ſimus virorum crederetur, (*Iſai. 53.*) opprobrium hominum
abjectio plebis. (*Pſal. 21.*) Patientia ejus erat tolerantia non
Patientia.
tùm injuriarum, contemptuum & blaſphemiarum in anima,
rùm etiam in corpore omnium dolorum in omnibus mem-
s ſuſtinentia: ut meritò vir dolorum & ſciens infirmitatem
ſai. 53.] diceretur. Manſvetudo tanta, ut faciem ſuam non
Manſvetudo.
erteret ab increpantibus & conſpuentibus ſe, (*Iſai. 50.*) quin
am percutienti ſe daret maxillam: (*Matt. 5.*) ac demùm ſi-
agnus ad occiſionem ductus coram tondente ſe obmuteſce-
, nec aperiret os ſuum. (*Iſai. 53.*) Obedientia cui nulla æqua-
Obedientia.
, usq́ue ad mortem crucis. (*Phil. 2.*) Paupertas usq́ue ad ex-
Paupertas.
mam ſacri corporis denudationem, veſtiumq́ue ſpoliationem.
udentia enituit, quando multiformis proditoris artem fefellit,
Prudentia.
medelam tulit inde unde hoſtis læſerat. Fortitudo patuit per
Fortitudo.
inimicorum corporalium & ſpiritualium ſubjugationem, eo-
nq́ue omnium integram victoriam; comminuendo illos ut
verem ante faciem venti, ut lutum platearum delendo ipſos;
ſal. 17.) torcular calcando ſolus, & de gentibus non eſt vir
cum, ait ipſemet Dei Filius. (*Iſai. 63.*) Sed ſuper omnia cha-
Charitas exceſſiva.
tem exceſſivam quis explicabit? Majorem charitatem nemo
bet, quàm ut animam ſuã ponat quis pro amicis ſuis. (*Joan.*
) Major hic quia etiam pro inimicis, etiam pro tranſgreſſoribꝰ
gavit ut non perirent, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt
d faciunt. (*Luc. 23.*) Hic exceſſus eſt extaſis amoris, quo qua-
Exceſſus extaſis amoris, in Deũ, amicos, & inimicos.
xiit extra ſe, & tranſiit in ſummam eamq́ue triplicem DEI
ris, hominumq́ue amicorum, & inimicorum dilectionem.
m enim dilexiſſet ſuos, usq́ue in finem dilexit eos mortis ſuæ.
an. 13.) Hiſce decem millibus, decem virtutum ſuarum exer-
bus fudit hoſtem cum 20000. nimirùm duplicatæ ſuæ & hu-
næ malitiæ. Ecce hi fuêre diſcurſus planè Regij de talibus
Diſcurſus Regij de futuris prælijs.
uri prælij, virtutum ipſiusq́ue per generoſam occubitionem
toriæ ac triumphi exceſſibus, vel ſatiùs heroicis facinoribus
progreſſibus ſublimibus in contemplatione, magnificis in a-
ne, glorioſis in conſummatione. Licebit mihi hic cum Pro-
ta exclamare: exaltabo te Deus meus Rex (*Pſal. 144.*) trãſ-
rate. Ecce generatio Patriarcharum in Moyſe, & generatio
Rex transfiguratus.
phetarum in Elia, laudabaut opera tua, & potentiam tuam

pronuntiabant, magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquebantur, & mirabilia tua narrabant, & virtutem terribilium tuorum dicebant, & magnitudinem tuam referebant, memoriam abundantiæ svavitatis tuæ eructabant, (*Ibid.*) de excessu tuo multipliciter complendo in Ierusalem. (*Luc.* 29.) Fratres mei, tales e quidem & nostri discursus semper esse deberent, potissimùm toties, quoties in sacrificio Missæ adeò frequentem cernimus Regis nostri transfigurationem; hìc enim memoriale passionis & mortis ejus repræsentatur: quomodò ille speciosus formâ præ filiis hominum, [*Psal.* 44.] cujus facies resplendens ut sol visa est (*Matt.* 17.) & non erat ei species neque decor, quasi absconditus vultus ejus & despectus, quasi leprosus & percussus à Deo verè vulneratus propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra: (*Isai.* 53.) quomodò ille, in quem desiderant Angeli prospicere, (1. *Pet.* 1.) cujus vestimenta candida sicut nix, (*Dan.* 7.) ille Jesus jam est indutus vestibus sordidis, imò indumentum ejus rubrum, & vestimenta ejus sicut calcantium in torculari (*Is.* 63.) omninò dilectus candidus & rubicundus (*Cant.* 5.) conspicitur, qui sordibus peccatorum nostrorum quæ in se assumpsit diluenda, omnia indumenta sua, corpus nimirùm suum sanctissimum inquinavit. Quàm stupenda hìc transfiguratio! Quantus iste excessus Regis nostri & gloriosi & dolorosi! Ab hoc excessu *Domini*, ad nostros quoque excessus trutinandos descendamus. Ego dixi in excessu mentis meæ, inquit Rex Propheta, projectus sum à facie oculorum tuorum. [*Psal.* 30.] In excessu meo, in prætergressione mandatorum Dei, videlicet in excessu meo contemplationis ac quadam extasi, considerando supremam Dei offensi majestatem, justitiam & sanctitatem, perpendendo peccatorum meorum enormitatem, continuamque per frequents in peccata relapsus fragilitatem, quid dicam? Projectus sum à facie oculorum tuorum; *Ps.* 30. non sum dign⁹ in conspectu tuo comparere. Cogor præ stupore & timore dicere cum *D.* Petro: exi à me quia homo peccator sum Domine; (*Luc.* 5.) cum Magdalena stare retrò secùs pedes tuos; [*Luc.* 7.] cum Hemorrhoissa accedere retrò & tangere fimbriam vestimenti tui; (*Mat.* 9.) cum centurione indignum me tanto hospite æstimare. (*Mt.* 8.) Hoc est verecundari in conspectu Dei, cum Moyse abscondere faciem, non audendo aspicere contra *Deum* de rubo igne loquentem; (*Exod.* 3.) cum Elia ad sibilum auræ tenuis operire vultum pallio pudoris. (3. *Reg* 19.) Hæc est sancta verecundia, quæ ex sensu Divi Patris nostri Bernardi, *est gemma morum, virga disciplinæ, soror continentiæ, lampas pudicæ mentis, expunctrix malorum, propagatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ.* Rursùs in alio loco repetit idem Rex Propheticus inciens: ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax, (*Psal.* 1.)

Meditatio in sacrificio Missæ de talibus excessibus Domini,

& de stupenda transfiguratione ipsius in exinanitione sui.

Descendendũ ad trutinãdos nostros excessus,

cum pudifactione nostra,

in sancta verecundia.

S. Bernard⁹.

plane; poſt multa enim quæ facimus propoſita, tam in exa-
nibus conſcientiæ quotidianis, quàm in confeſſionibus ordi-
rijs, rursùs in eoſdem relabimur peccatorum defectus: adeòq;
cedimus & excidimus à propoſitis noſtris, & mendaces coram
o deprehendimur. Fateamur ingenuè hanc fragilitatem no-
am, & Dei virtutem nos ſemper ſublevantem confiteamur:
virtus *Dei* in infirmitate noſtra perficietur. (2. *Cor.* 12.) Sunt
alij exceſſus mentis, de quibus S. Paulus ait: ſive mente exce-
nus Deo; [2. *Cor.* 5.] & quem expertus D. Petrus in Actibus
oſtolorum, (*cap.* 10.) ubi dicitur cecidiſſe ſuper eum mentis
ceſſus. Sed & in Pſalmis nominatur Beniamin adoleſcentulus
mentis exceſſu; (*Pſal.* 67.) per quem vel S. Paulus in tertium
elum raptus (2. *Cor.* 12.) de tribu Beniamin procedens intelli-
ur; vel S. Joannes, Chriſti & Beatiſſimæ V. Beniaminus, &
tu minimus inter Apoſtolos, & dilectus Jeſu *D*iſcipulus, qui
per pect⁹ ejus recubuit, (*Joan.* 12.) verè in principio Verbi Di-
ni propalati, & in Apocalypſi extaticus, & ſupremo contem-
ationis dono elevatus, qui ſicut aquila poſt ingreſſus Dei ſui,
gis ſui qui eſt in ſancto, (*Pſal.* 67.) poſt aſcenſionem ſcilicet
riſti in cœlum, altiſſimè volavit. Tales exceſſus mentis, ſunt
taſes myſterijs Divinæ contemplationis inſignes, quas libet
ululùm ſcrutari. Cùm enim antehac cogitationes, meditati-
es, & orationes diſcuſſerimus, reſtat nobis contemplatio quoq;
minanda; quæ haud dubiè non minùs eſt, imò maxima ex cor-
verbi boni eructatio; & per quam ſupereminenter opera no-
a Regi dicuntur. Contemplatio igitur dici poteſt exceſſus,
ia ſolitum hominum agendi modum excedit, & à terra re-
isque terrenis, quin & à ſe ipſo recedit. Mens enim extraor-
narie in *Deum* elevatur, & quaſi à ſenſibus alienatur, adeòque
pra mundum conſtituitur. Et hæc eſt vera myſtica Theologia,
i homo corporalem mundum excedit, & ad ſpiritualem acce-
t, in eoque ad *Deum* extollitur omnia inferiora tranſcendens,
intellectu mentis, ſingulari cognitionis Divinæ lumine illuſtra-
, & voluntate in Divinum amorem totaliter abſorpta. Vnde
taſis eſt poſitio mentis, & conſiſtentia extra ſe ipſam, atq; ad
pernaturalia, ſupermentalia, & anagogica abſtractio. Verè
ntemplatio in extaſi eſt altiſſimus mentis humanæ exceſſus,
aſcenſio Moyſis in montem Synai, (*Exod.* 19.) eſt aſcenſio
onſæ in palmam, (*Cant.* 7.) eſt aſſumptio Apoſtolorum in
ontem Thabor. (*Matt.* 17.) Seraphicus Bonaventura ſic defi-
extaſim: *quòd ſit deſerto exteriori homine ſui ipſius ſupra ſe vo-
ptuoſa quædam elevatio ad ſuperintellectualem Divini amoris
ntem:* & hæc fit per contemplationem, quæ inſtar aquilæ al-
ſimè omnes ſupervolat nubes, ad intuendum ſolem oculis aper-
nec unquam conniventibus vel nictantibus. Ita planè cogita-

Omnis homo mendax in propoſitis ſuis.

Alij mentis exceſſus.

Beniamin in mentis exceſſu

S. Joannes in extaſi.

Contemplatio eſt verbi boni eructatio, quâ dicuntur opera Regi.

Eſt exceſſus,

eſt myſtica Theologia,

eſt aſcenſio Moyſis in Synai,
eſt aſſumptio in Thabor.

tio humana est humi reptans, meditatio est ambulans & curre[ns]
Cogitatio. Meditatio. Contemplatio. contemplatio verò est sursùm volans, & in alto requiescens.
Pater noster contemplationis exemplar, eam dicit esse *mentis i[n] Deum suspensam elevationem*, (quasi suspensionem, de qua fo[r]tè Job: *cap. 7.* elegit suspendium anima mea;) *æternæ dulced[i]nis gaudia degustantem.* Quandoque contemplatio raptus e[st]
Raptus. qualis fuit S. Pauli ad tertium cœlum; (2. *Cor.* 12.) nimirùm s[u]perato äëreo ubi aves, & sidereo ubi astra, ad empyreum u[bi] Deus cum Angelis, vel juxta D. Thomam: *post visionem corp[o]ralem & imaginariam ad visionem Dei intellectualem:* ex sent[entia] Divi Augustini; vel post cognitionem cœlestium corporum [&] cœlestium spirituum, ad cognitionem ipsius Dei: vel post visi[o]nes infimæ & mediæ hierarchiæ Angelicæ ad supremæ hierarchi[æ] visionem, ubi audivit arcana verba quæ non licet homini loq[ui].
Illuminatio. (2. *Cor.* 12.) Hinc sequitur in contemplatione illuminatio à Pat[re] luminum, [*Jac.* 1.] qui lucem habitat inaccessibilem, (1. *Tim.* 6.) amictus lumine sicut vestimento; (*Psal.* 103.) & ex hac i[l]luminatione visio luminis sive speculatio, uti ait Propheta, in lu[]mine tuo videbimus lumen, (*Psal.* 35.) qui etiam monet: acc[e]dite ad Deum & illuminamini. (*Psal.* 33.) S. Thomas defin[it]
S. Thomas. *Intuitio veritatis.* contemplationem, quòd sit *Divinæ veritatis simplex intuiti[o]*
Gustatio dulcedinis. quam *Divinæ* dulcedinis gustatio comitatur, exhortante Vat[e]: gustate & videte quàm dulcis est Dominus. (*Ibid.*) Tande[m]
Quies. quies in Deo, ubi absconditur anima in abscondito faciei Dei [à]
Silentium. conturbatione hominum; (*Psal.* 30.) in quiete silentium, u[bi] silet terra à facie mentis, silent omnia, solus Deus cogitatur, v[i]detur & desideratur. Ex silentio promanat somnus, quia exta[]
Somnus. Vigilia dormientis. sis etiam est dormitio quædam vigilans seu vigilia dormien[tis] prout sponsa de se asserit: ego dormio & cor meum vigilat; u[bi] à Sponso adjurantur filiæ Jerusalem, ne suscitent nec evigila[re] faciant dilectam, donec ipsa velit. (*Cant.* 5.) Postremò anim[a] influit in Deum, eique commiscetur per charitatem; quia Deu[s]
Unio cum Deo. charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deu[s] in eo; (1. *Joan.* 4.) ac tandem unitur ipsi; qui enim adhær[et] Deo, utique per amorem, unus spiritus est cum eo, (1. *Cor.* 6.) & ab ipso quasi deificatur. Et hoc est supremum culmen con[]
Transformatio in Deum. templationis, per quam mens humana in Deum transformat[ur] virtute perfectissimæ cognitionis & excellentissimæ charitati[s] quod exprimit Apostolus dicens: qui sumus in hoc tabernacu[]lo, ingemiscimus gravati, eò quòd nolimus exspoliari sed supe[r]vestiri; ut absorbeatur quod mortale est à vita. (2. *Cor.* 5.) Ha[c] est hominis in Deum quasi transformatio, instar candentis fer[ri] ob intimam ignis cum ferro conjunctionem igniti, & transfig[u]ratio; ut vivamus non jam nos, sed Deus in nobis vivat: [*Gal.*
Transfiguratio. 6.] ipsaque in *Deo* velut guttæ aquæ in mari animæ humar[æ]

su[]

merſio. Quotuſquisq; ad tam ſublimem mentis operationem, tam excelſa, magnifica & glorioſa opera pervenit, ut ea Regi gum dicere queat ac dicare? Qui ad hoc aſpirat, debet eſſe trus, firmus in fide; Jacobus, plantam tenens in ſpe; Joannes, tioſus in charitate: ſic poterit aſſumi in montem contempla-nis. Sit quoque Moyſes in lenitate aquea & manſvetudine ida erga proximum, ſit Elias in amore igneo & zelo ardenti a Deum. Sit demùm imitator Jeſu, exceſſum paſſionis & rtis ejus ſemper meditando, & mortificationem ejus in cor-re ſuo circumferendo, (2. Cor. 4.) exceſſus virtutum ejus he-carum in ſe exprimendo. Trium tabernaculorum diviſionem n quærat, ſed tertium cœlum appetat, ubi neminem videat i ſolum Jeſum; abſtractus à creaturis ſoli Deo inhæreat per tellectûs ſpeculationem & voluntatis cum Deo unionem, ita merebitur per exceſſum gloriæ cum Rege ſuo transfigurari.

Hæc ſunt opera excelſa, magnifica, glorioſa, Regi dicanda.

Sermo in Dominica III. Quadrageſimæ.

Dico ego opera mea Regi. *Pſal.* 44.

REgum ac Principum prima ſollicitudo & cura primaria hæc ſit, operæ pretium eſt, PP. RR. FF. DD. ut Regnum ſuũ & in eo ſibi ſubditos in pace & quiete, in unione & con-rdia contineant ac conſervent. Et quidem intùs per judicij juſtitiæ adminiſtrationem, (opus enim juſtitiæ pax, *Iſai.* 32.) tra verò per hoſtium averſionem & ſubjugationem, (belli mque finis pax,) id fieri debere, nemo inficiabitur. De u-bque in præcurrentibus ſermonem habuimus & vidimus judi- & juſtitiæ in Rege noſtro authoritatem; ſed & præliandi ac perandi hoſtes potentiam ejus & dexteritatem intelleximus. ihilominus dantur quandoque diviſiones, ſeditiones, rebellio-s, quæ ne intercurrant, Regiæ prudentiæ opus eſt proſpice-, eaque impedire. Ejuſdem Regis, qui æterna Sapientia t, edictum audivimus hodie ex S. Luca: (*cap.* 11.) omne re-um in ſe ipſum diviſum deſolabitur; ubi apud *D.* Matthæum *ap.* 12.] adjungit: & omnis civitas vel domus diviſa contra non ſtabit. Diviſio eſt diſſenſio, contentio, æmulatio, & his milia, quæ paci & quieti, unioni & concordiæ contrariè oppo-ntur. Notum vulgi proverbium: concordiâ res parvas cre-ere, diſcordiâ maximas dilabi; adeòque diſcordiam eſſe Re-norum deſolationem & ruinam: concordiam verò illorum eſſe abilimentum & incrementum. Rex noſter eſt Rex pacificus, Princeps pacis; (*Iſai.* 9.) vix natus mox pacem per nuntios os cœleſtes publicans hominibus bonæ voluntatis, (*Luc.* 2.) de uo Rex Prophetarum: orietur in diebus ejꝰ juſtitia & abundan-a pacis; (*Pſal.* 71.) quinimò exinde multiplicabitur ejus impe-um, (*Iſai.* 9.) per ſpecioſos pedes euntium in orbem univer-

Regum cura eſt, ut Regnũ ſit in pace, per juſtitiam & averſionem hoſtium.

Impedire ſeditiones.

Regnum diviſũ deſolabitur,

per diſcordiã.

Chriſtus Rex pacificus.

ſum & evangelizantium pacem. (*Rom.* 10.) Et ne crederetur e-
Pax intermina.
ſe pax duntaxat temporalis, addit Propheta: & pacis non erit f-
nis. (*Iſai.* 9.) Pax Regis noſtri eſt intermina, eſt æviterna. Ja
paci adhæret quies, & pacis effectus ſunt unio ac concordi
Vbiq́ pacem commendet.
Tranſiturus ex hoc mundo ad Patrem quid pro teſtamento d
dit ſuis? Pacem, ait, relinquo vobis, pacem meam do vob
(*Joan.* 14.) Intrantibus Diſcipulis domum, imperat: primùn
dicite, pax huic domui. (*Luc.* 10.) Ita in pace factus eſt locus R
gis noſtri; (*Pſal.* 75.) in pace in idipſum poſt bellum peractu
dormivit & requievit: (*Pſal.* 4.) acceptoque Regno, (*Luc.* 19)
poſitis inimicis pro ſcabello pedum ſuorum [*Pſal.* 109.] reve
Pacis effectus unio.
ſus ad nos Rex gloriæ (*Pſal.* 23.) pacem ſubditis manifeſtat, d
cens ad Apoſtolos: pax vobis. (*Joan.* 20.) Pacis autem huj
principalem expreſſit effectum, qui eſt unio, dùm Patrem orar
Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſi
unum ſicut & nos. [*Joan.* 17.] Et ne videretur ſolis Apoſto
id apprecari, ſubnectit infra: non pro eis autem rogo tantùr
ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbũ eorum in me, (*Ibid.*)
Qualis unio?
id eſt nobis, ut omnes unum ſint. Utque ſciremus qualis ha
unitas eſſe deberet, infert: ſicut tu Pater in me & ego in t
(*Ibid.*) ut & ipſi in nobis unum ſint. En modus, en forma u
nitatis ſive unionis Chriſtianæ, in Deo in Chriſto unum eſ
Confirmat id mox & magis explicat: ut ſint unum ſicut & no
unum ſumus. (*Ibid.*) Ego in eis & tu in me, ut ſint conſumm
ti in unum. Quidni ubi unio, ibi pax, ibi concordia, ibi nulla d
viſio, ibi Regni perennitas? Monet Apoſtolus Chriſtianos, ut ſi
Unitatem ſervare in vinculo pacis.
ſolliciti ſervare unitatẽ ſpiritûs in vinculo pacis, unum corpus &
unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. (*Ep*
4.) Si Regium officium eſt inter ſubditos procurare pacem &
Subditi debent tenere pacem & concordiam
concordiam; nonnè ſubditorum debitum eſt ejuſdem pacis &
concordiæ inter ſe eſſe tenaces? Vnde rursùs Doctor gentium
idem ſapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vo
biſcum: (2. *Cor.* 13.) non enim diſſenſionis eſt Deus ſed paci
(1. *Cor.* 14.) Sicut proinde ad extra proprium eſt Chriſtianorun
contra hoſtes bellare, ita ad intùs neceſſarium eſt, ijsdem int
ſe inquirere pacem & perſequi eam, (*Pſal.* 33.) in uno ſpirit
eſſe unanimes, (*Phil.* 1.) idipſum ſentientes, (*Phil.* 2.) uniꝰ mo
ris in domo; (*Pſal.* 67.) quemadmodùm tempore Apoſtoloru
Cor unum & una anima.
multitudinis credentium erat cor unum & anima una. (*Act.* 4
Inde ſequebatur, quòd erant illis omnia communia. [*Ibid.*] U
Unio & communio. Motiva ad unionem. Unus Deus.
nio & communio ſimul currunt. Motiva ad hanc unionem ſe
vandam ſunt plurima. Ac primùm unus Deus. Nullus eſt eni
Deus niſi unus, ex quo omnia; Pater omnium, (*Ephes.* 4.) q
eſt ſuper omnes, per omnia & in omnibus nobis, [*Ibid.*] & no
in illo. Ipſe eſt principium & finis omnis unitatis, per quã omni
red

dduntur perfectiora, quæ magis ad *Divinam* accedunt unita-m. Si *Deus* unus in se suaque natura author unitatis, in ali-quidni amator? Qui Deum unum amat, debet amare unita-m. Unus est *Dominus* JESUS Christus, per quem omnia, & s per ipsum, (*Ib.*) de quo Zacharias Propheta: (*c.* 14.) & erit ius Rex super omnem terram. In illa die erit *Dñus* unus, & t nomen ejus unum; nomen planè super omne nomen, (*Phil.*) nomen Jesu, id est, Salvatoris, & non est in aliquo alio sa-s: nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in o oporteat nos salvos fieri. (*Act.* 4.) Hic est unus mediator ei & hominum homo Christus Jesus; (1. *Tim.* 2.) unus vir, em septem mulieres synagogam septenario numero gaudentē gnificantes apprehendunt, ut tantummodo invocetur nomen us super illas. [*Isai.* 4.] Unus vir cui desponsati sumꝰ tanquam rgo casta. (2. *Cor.* 11.) Hic est lapis unus, super quem septem uli sunt juxta Zachariam: (*cap.* 3.) & secundùm Isaiã septem na Spiritûs S. requieverunt; lapis factus in caput anguli, (*Ps.* 7.) lapis probatus, angularis, pretiosus, in fundamento fundatꝰ, pis summus electus, duos jungens parietes veteris & novi te-menti. Ipse enim est pax nostra, qui facit utraque unum; *Ephes.* 2.) Deum homini in se jungens & reconcilians; duos po-ulos Judæorum & Gentilium in unam suam reducens Ecclesi-n, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne a, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in metipso, in unum novum hominem faciens pacem, & recon-liet ambos in uno corpore mystico Ecclesiæ unitos *Deo*, per ucem interficiens inimicitias in semetipso, & veniens evangeli-vit pacem nobis Gentilibus qui longè fuimus à *Deo*, & pacē qui propè, Judæis; qui per ipsum habemus accessum ambo uno spiritu ad Patrem. (*Ephes.* 2.) Et sic unus Deus, unus ominus, unus spiritus, in quo vivificati & per cujus gratiam nctificati congregamur in unum: [*Ephes.* 4.] quidni exinde l unitatem & unionem in ipsis animamur? Placet angulum unc scrutari quid significet in scripturis, undè Dominus noster citur caput anguli. Legimus in Isaia: (*cap.* 19.) deceperunt gyptum angulum populorum ejus. *Idioma est S. Scripturæ,* quit D. Hieronymus, *ut angulum pro Regno ponant, eò quòd pulos contineat; & quod in tota domo fortissimum sit.* Angulus nim in ædificio primarium tenet locum, & in angulo lapis an-ularis utrumq; parietem connectens est & constringens. Hinc elvetiorum Duces & Respublicæ Cantones, ex Germanico idi-mate vocantur tanquam anguli Germaniæ. Sic apud Jeremi-m (*cap.* 51.) de eversione Babylonis dicitur: non tollent de te pidem in angulum, & lapidem in fundamenta; quod Chaldæ-sic vertit: non tollent deinceps ex te Regem in regnum, &

Unus Dominus JESUS Christus multipliciter.

Unus spiritus.

Quid sit angulus in Scriptura?

Caput anguli Christus.

D. Hieron.

Angulus regnū significat.

 Prin-

Principem in principatum. Apud Zachariam verò (*cap.* 10. de-
claratur: visitavit Dominus exercituum gregem suum domum
Juda, ex ipso angulus; quasi diceret: ex Juda prodibit Christu
lapis angularis, & Princeps Judæorum ac Gentium, qui primus
Apostolorum vocavit Petrum, & constituit petram, super quam
ædificavit Ecclesiam suam, (*Matt.* 16.) faciens ipsum Ecclesi
totius post se supremum Principem. Ita in Christo velut lapid
angulari, (*Ephes.* 2.) capite anguli, (*Act.* 4.) omnis ædificati
constructa crescit in templum sanctum in Domino, (*Ephes.* 2.

Ecclesia una est

quod est Ecclesia. Et hæc ipsa Sponsa Christi nonnè una est
una columba ejus, electa ejus, perfecta ejus, [*Cant.* 6.] extr

unitate fidei, spei, & charitatis:

quam non datur usquam salus? Una est unitate fidei & doctr
næ, quia una fides; (*Ephes.* 4.) una est unitate spei in uno Deo
quâ ad unũ cœleste regnum ejus aspiramus dùm speramus: un
est unitate charitatis Dei & proximi. In illa unum est baptism

unitate baptismi,

Ib.) pro omnibꝰ. Præstantissimè Doctor gentium unitatem han
explicat Corinthijs epistolâ 1. *c.* 12. Præmittens enim: sicut cor
pus unum est, & membra habet multa; omnia autem membr

unitate corporis,

corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Chri
stus; statim infert: etenim in uno spiritu omnes nos in unũ cor
pus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive li
beri, & omnes in uno spiritu vocati sumus. Ita Vas electioni
Christi, hanc Ecclesiæ quæ est corpus Christi, exaggerat unita

cujus vestis est charitas.

tem, ducens omnes ad unionem. Hujus corporis vestis est cha
ritas, est vestis nuptialis, (*Matt.* 22.) est vestis polymita Josephi
(*Gen.* 37.) ex mente S. Patris nostri, *multicolorem multorum or
dinum præseferens distinctionem*; est vestis inconsutilis (*Joan.* 19
propter individuam indissolubilis charitatis unitatem. Utiqu
astitit Regina à dextris Regis in vestitu deaurato circumdat
varietate, (*Psal.* 44.) quod Sol Doctorum sic explicat: *vari
lingvæ faciunt varietatem vestis Reginæ hujus*, nimirùm Eccle
siæ. *Quomodò autem varietas vestis in unitate concordat, sic &
omnes lingvæ ad unam fidem. In veste varietas sit, scissura non
sit. Ecce varietatem intelleximus de diversitate lingvarum, &
vestem intelleximus propter unitatem. In ipsa autem varietat
aurum quod est? Ipsa Sapientia. Qualibet sit varietas lingvarũ
unum aurum prædicatur; non diversum aurum, sed varietas d
auro. Eandem quippe sapientiam, eandem doctrinam & disciplin
omnes lingvæ prædicant. Varietas in lingvis, aurum in sententij*
Hæc augustè Augustinus. Sed & charitas aurum est, omnium
virtutum pretiosissima & excellentissima. *Cæterùm in baptism
vestis alba non tantùm puritatem designat, sed & mentem pacifi
cam*, teste Clemente Alexandrino. Album convenit hominibu
pacificis & filijs lucis, & hoc ipsum provenit ex charitate, quæ es
mater pacis, concordiæ & unionis. Quid ampliùs? Nunqui

no

...n unus panis & unum corpus multi sumus omnes qui de uno ...e participamus? (1. *Cor.* 10.) Nonnè unitas est in uno sacri...o incruento quod immolamus, in quo pax maximè commẽ...ndatur? *Pacem enim*, ait S. Cyrillus Alexandrinus, *& ad nos ...ad Deum habere, fons & origo omnium bonorum est.* Quan...unitatis motiva! quàm maxima unionis incentiva! quanti sti...li pacis & concordiæ mutuò servandæ! Sed super omnia ipse ...vator noster nos ad hoc incitare potest, qui nullum alium ...racterem nobis impressit quàm charitatis. In hoc cognoscent ...nes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvi...; (*Joan.* 13.) acsi diceret: hoc signum est verorum Christia...um, si diligant se mutuò, & hoc per pacem, concordiam, ...unitatem demonstrent. Hinc meritò cum Propheta super hac ...lesiæ Christianæ unitate exclamandum: ecce quàm bonum ...quàm jucundum habitare fratres in unum, (*Ps.* 132.) sub uno ...gistro & Domino. Unus est enim Magister noster, ait ipse ...ominus de se, (*Matt.* 23.) omnes vos autem Fratres estis, vos ...nes Christiani, quidni Religiosi? quibus vel maximè conve... unio, charitas, pax & concordia. Nec desunt ad hoc ratio..., imò superabundant. Quid enim? Nonnè Religiosis est u... Legislator & Fundator, una eademque lex & statuta, unum ...mque nomen, unus Prælatus, vel Præpositus, Superior, una ...emque domus, eadem mensa, eadem vestis, ijdem amici & ...mici, unus idemque finis laborum & scopus. Omnes quasi ...unus; (2. *Esd.* 8.) per quid? per concordiam in charitate. H...c concordia, quàm bonum est ob vitæ probitatẽ, hæc quàm ...undum est ob lætitiam mentis & delectationem, sed fundata ...vera Dei & proximi charitate. Pax & concordia ex ea debet ...cedere, aliàs nihil sunt; si nec eloquentia humana vel Ange..., nec Prophetia vel scientia, nec fides montes transferens, nec ...emosyna, nec mortificatio aut martyriũ sinè charitate aliquid ...t, imò pro nihilo habentur ex mente magni Apostoli; (1. *Cor.* ...) quid merebitur unitas, pax & concordia sinè vera charita... *Adde charitatem*, dicit magnus Augustinus, *prosunt omnia. ...trahe charitatem, nihil prosunt cætera. Nudæ sunt omnes sinè ...ritate virtutes*, ait Sanctus Leo, *nec potest dici in qualibet mo...n excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit.* P...chrè rursùs S. Augustinus: *semel breve præceptum tibi præci...tur: dilige & fac quod vis. Sive taceas dilectione taceas, sive ...mes dilectione clames, sive parcas dilectione parcas. Radix sit ...ùs dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere.* N...c minùs præclarè S. Gregorius. *Omne mandatum de sola di...ione est, & omnia unum præceptum sunt, quia quidquid præcipi..., in sola charitate solidatur.* Sed & omnes virtutes in se con...t charitas, quãdo patiens est, benigna est, non æmulatur, nõ

Unus panis, unum sacrificium.

S. Cyril. Al.

Unus Magister.

Christianis & maximè Religiosis convenit unio & charitas.

Unus Legislator & Fundator, una lex, unus Prælatus, una eademq; domus, mensa, vestis, &c.

Ex charitate pax & concordia provenit.

S. August. *Sinè charitate omnia nihil sunt.*

S. Leo.

S. August.

S. Gregori9 *Charitas omnes virtutes in se continet.*

agit perperam, non inflatur per superbiam, non est ambitios[a], non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, no[n] gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia cr[e]dit, omnia sperat, omnia sustinet. (1. *Cor.* 13.) Quæ virtus dee[st] charitati? quando *charitas est virtutum principium & finis*, test[e] D. Chrysostomo, *ipsa est radix, fundamentum, & fastigium*. Deniq́ue charitas est omne bonum, & ex ipsa ac per ipsam h[a]betur pax & concordia satanæ maximè inimica. Mellifluus [S.] Pater noster ad sororem suam loquitur: *nihil est quod diabol[us] tantùm timeat, quantùm concordiam & charitatem. Nam si tot[um] quod habemus damus propter Deum, hoc diabolus non timet, qu[ia] ipse nihil habet; si jejunamus hoc diabolus non timet, quia ipse nu[n]quam comedit: si vigilamus hoc diabolus non timet, quia ipse nun[quam] dormit; sed si charitatem & concordiam tenemus, hoc diab[o]lus vehementer timet. Quare? Quia hoc tenemus in terra, quo[d] ipse in cœlo tenere noluit. Hoc est etiam quod S. Ecclesia terribil[is] esse ut castrorum acies ordinata dicitur:* (Cant. 6.) *quia sicut h[o]stes timent, quando acies castrorum benè ordinatas ad bellum v[i]dent; ita certè diabolus expavescit, quandò spirituales viros vi[r]tutum armis accinctos in unitate concordiæ vivere conspicit. Ip[se] victus & confusus vehementer dolet, cùm eos per discordiam div[i]dere & penetrare non valet.* Hæc S. Pater noster. Hoc est quo[d] Sponsa Ecclesia de Sponso dicit: ordinavit in me charitaten[m]. (*Cant.* 2.) Nihil proinde diabolo gratiùs, Christo Domino abo[mi]minabiliùs est divisione, hoste charitatis & concordiæ. Quantùm Rex noster à divisione abhorruerit, patet apud D. Lucam: (*ca[p.]* 12.) petenti enim cuidam, Magister, dic fratri meo, ut divida[t] mecum hæreditatem; videtur cum indignatione respondisse: ho[-] mo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos? Eg[o] veni ut dispersa congregem, divisa uniam, separata conjungam quod optimè S. Chrysologus innuit: *eum voluit fieri division[is] authorem, qui ad restituendam venerat humani generis unitate[m].* Accidit tamen, quòd aliquando cogatur Pater dividere substan[-] tiam inter filios, dedit enim Deus singulis liberum arbitrium u[t] non necessitate sed libertate operentur: verùm eventu pessim[o] illius qui hanc expetijt divisionem; peregrè enim proficiscitu[r] abscedit à Patre in longinquam regionem, dissipat substantiam suam vivendo luxuriosè, deniq; ad porcorum consortium & sil[i-] quas damnatur, (*Luc.* 15.) nec restituitur in gratiam Patris, n[isi] per pænitentiam & resipiscentiam, tollendo divisionem, redeun[-] do ad Paternam unionem, fraternæ concordiæ se jungendo. Ca[e-] terùm reperiuntur in sacris literis variæ divisiones juxta diversitat[em] rerum & materiarum diversimodè acceptæ & explicatæ. Fluvi[-] us qui egrediebatur de loco voluptatis, dividitur in quatuor ca[-] pita; (*Gen.* 2.) quia sapientia, fons vitæ, verbum Dei in exce[l-]

S. Chrysost.

Satanæ maximè inimica,

S. Bernardus

qui amat divisionem. Ab hac Christus Dominus abhorret.

S. Chrysol.

Cogitur aliquando Pater dividere substantiam inter filios propter liberum arbitrium ipsorum; sed damno illius requirẽtis divisionem.

Variæ in Scriptura sacra divisiones moraliter explicatæ

Divisio fluvij paradisi.

, diffusa est in quatuor orbis partes: vel quòd sapientia in quator virtutes cardinales sit distributa. Divisit *Deus* lucem à tenebris, (*Gen.*1.) quia fecit lucem, & ordinavit tenebras quas non fecit; vel etiam bonos Angelos à malis tunc separando, & nunc istos à peccatoribus; vel novum Testamentum à veteri distinguendo. Dividunt luminaria diem ac noctem, (*Ibid.*) cùm illuminati Doctores separant spiritualia à carnalibus. Dividit firmamentum aquas ab aquis, (*Ibid.*) quia sacra Scriptura, quæ est firmamentum Ecclesiæ, distingvit inter Angelos videntes Deũ, nec Scripturâ indigentes, super cœlos habitantes; & homines terræ incolas, scripturæ indigos. Divisi sunt Abraham & Loth; (*Gen.* .) neque enim expedit amatores spiritualium cohabitare carnalium sequacibus. *Dividi* in Jacob, (*Gen.* 49.) est separari fideles ab infidelibus, aut virtutes à vitijs. Divisit Abraham animalia terrestria, (*Gen.* 15.) per quod variæ curæ terrenorum & carnalium designantur à Domino prohibitæ, quæ nos separant à Deo & Divinis; aves verò non divisit, quia mens ad imaginē Dei fixa manet. Quin etiam contingunt divisiones, quandò homines carnales sunt dicente Apostolo: quia est inter vos zelus & contentio, nonnè carnales estis? Nonnè homines estis? (1. *Cor.* .) Inter aves autem non est divisio, nimirùm inter spirituales. Dividens Jacob populũ & greges nè simul omnes perirent, (*Gen.*) significat nos debere separare temporalia à spiritualibus, ita ut temporalia pereant, salva sint spiritualia. Divisit Cain non rectè, quia meliora non obtulit quæ Deo debebantur, *& quia*, ex mente S. Ambrosij, *in oratione ejus non fuit justitia.* Dividere pretium bovis vivi & cadaver mortui cum proximo, (*Exod.* .) est compati infirmitatibus proximi. Divisio maris & aquæ ut transiret populus, [*Exod.* 14.] est dissolutio rationum, quæ contra fidem fiunt, quibus simplicium transitus impeditur. Dividit argentum innocens, (*Job.* 27.) cùm vera à falsis hæreticorum dictis discernit. Dividitur æstus super terram, (*Job.* 38.) quandò non datur totum pondus tribulationis, sed in mensura ut ferri possit. Dividere minutatim similam in sartagine, (*Lev.* .) est distinctè contemplari singulos passionis Christi actus. Dividens spolia ad vesperam Beniamin, (*Gen.* 49.) est Divus Paulus doctrinam Evangelij prædicans post conversionem; sunt & Judæi, qui in fine mundi divident literam occidentem à spiritu vivificante per conversionem ad fidem. *Divisa* maceria per Phares, (*Gen.* 38.) designat Judæos separantes se ab Ecclesia. Dividi infantem vivum, (3. *Reg.* 3.) est separari legem à gratia novi testamenti, quod Judæi volebant fieri, petentes servari legem. Dividunt & Arriani infantem vivum, qui divisionem ponunt inter Patrem & Filium, quod vera & pia mater Ecclesia minimè fieri consentit. *Dividere* ungulam, [*Lev.* 11.] est distinguere

Divisio lucis à tenebris.
Divisio luminarium, Firmamenti.
Divisio Abrahæ & Loth.
Divisio in Jacob
Divisio animaliũ per Abrahã.
Divisio populi & gregum per Jacob.
Mala Caini divisio.
Dividere pretium bovis vivi & mortui.
Divisio maris & aquæ.
Dividit argentum innocens.
Dividitur æstus super terram.
Dividere similam in sartagine.
Dividens spolia Beniamin.
Divisa maceria per Phares.
Dividitur infans vivus.
Dividere ungulam.

stingvere duo testamenta vel literam à spiritu: est quoq; discernere inter bonum & malum, est firmum gressum habere in virtutibus, æquilibrium justitiæ observando.

Divisio Sichimæ.

Dividit Deus Sichimam, (*Psal.* 107.) cùm gentiles facit participes hæreditatis Jacob.

Divisio Jordanis.

Divisio Jordanis per Elisæum facta non ad primam sed ad secundam percussionem, (4. *Reg.* 2.) denotat gentes ad prædicationem Apostolorum suscepisse baptismum, Judæis in infidelitate manentibus.

Dividitur maceria.

Dividitur maceria, (*Gen.* 38.) cùm tolluntur impedimenta, & fit unum ovile ex Gentibus & Judæis. Diviserunt gentes terram Dei, (*Num.* 17.) cùm varia idola gentiles introduxerunt.

Dividere inter fratres.

Dividere dicitur inter fratres (*Osee* 13.) infernus aut mors, cùm unus ad pœnam alter ad gloriam assumitur. Dividunt peccata inter nos & Deum, (*Isai.* 59.) quia per illa velut per medium parietem à Deo separamur.

Dividitur præda.

Dividitur præda æqualiter inter pugnantes & non pugnantes, [*Num.* 31.] ita tamen, ut major sit portio pugnantium, quia gloria cœlestis datur omnibus justis, major tamen Doctoribus & fidei defensoribus, vitiorum debellatoribus. Diversi sunt gradus gloriæ; sic terra promissionis divisa populo, (*Jos.* 13.) quia in domo Dei mansiones multæ sunt. (*Joan.* 14.) Sed sicut stella à stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum. (1. *Cor.* 15.)

Divisiones gratiarum.

Sunt & divisiones gratiarum Spiritûs Sancti juxta mensuram donationis Christi, (1. *Cor.* 12.)

Divisio vestiũ Christi.

Divisio vestium Christi in quatuor partes, (*Matt.* 27.) est dispositio Ecclesiæ in quatuor orbis distinctiones; sed tunica inconsutilis manet indivisa, [*Joan.* 19.] quia una est in omnibus Ecclesia. Dividit spiritus Domini sortem Prophetijs in mensura, cùm secundùm ordinem facit eas suis impleri temporibus.

Divisio muri.

Dividit murus inter sanctuarium & vulgi locum in templo, (*Ezech.* 42.) quia non omnes admittuntur ad mysteria, nè sanctum detur omnibus. (*Matt.* 7.) Et hæ sunt primariæ divisiones, quæ in sacra leguntur scriptura sensibus mysticis refertæ, quæ diversimodè intercurrunt.

Divisio animorum mala.

Sed divisio animorum per contentiones, dissensiones, æmulationes ad scindendam pacem, concordiam & charitatem in Ecclesia Dei, in congregationibus semper est damnata & damnosa, quinimò causans interitum. Divisum est cor eorum, ait Propheta, nunc interibunt. (*Osee.* 10.) Sed dabitur fortasse occasio aliàs loquendi de divisionibus, nunc concludo verbis Apostoli:

Exhortatio ad unionem.

si quæ ergò consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ societas spiritûs, si quæ viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, nihil per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua singuli considerantes, sed quæ aliorum. (*Phil.* 2.) Pax autem Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda nostra & intelligentias nostras in Christo Jesu (*Phil.* 4.)

Rege nostro, cui meliora opera dicere non possumus, præter p...em, concordiam, unitatem, & charitatem; ut in ipso & per ipsum cum Deo simus consummati in unum.

Sermo in Dominica IV. Quadragesimæ.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

VIrtus quæ maximè Reges decet & Principes, liberalitas est & beneficentia; PP. RR. FF. DD. imò proprietas quædā est Regiæ dignitatis, à Deo summo bono habentis partici-p...m benefacere universis. Hinc dictum est ipsius supremi Re-g... nostri: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestaté h...ent super eos, benefici vocantur, [*Matt.* 20.] sive ex Græco E...rgetæ. Titulus hic est honoris & laudis, sed ex effectu be-n...centiæ ortum ducens. Olim Reges & Imperatores boni vo-c...antur, uti Pöëta de Domitiano:

Maxima Regũ & Principum virtus liberalitas.

Evergetes quid?

Et bonus æthereo lactatur nectare Cæsar.

C...vit hic titulus, & ad alios minores Rectores translatus fuit; it...ut etiam Præsides Romani optimi vocarentur: undè fortasse P...nores dicuntur Optimates. Sic in Actis Apostolorum (*cap.* 2...) Claudius Lysias scribens epistolam dicit: optimo Præsidi F...ci salutem. Et Tertullus quidam Orator accusans D. Paulũ e...dem Præsidem alloquitur: optime Præses. Quin & ipse A-p...tolus alteri Præsidi insaniam sibi objicienti respondit: non in-sa...o optime Feste. (*Act.* 26.) Quantumvis quidem Græcũ Cra-ti...o, juxta Vatablum intelligatur potentissimo, & juxta Pagni-n...n præstantissimo, & ex tectu Syriaco victoriosissimo; tamen V...gata editio benè explicat optimo. Trajanus inter omnes ho-m...um denominationes optimi titulum ambiebat. Hic autem ti...lus primariò competit Deo Regi Regum, qui Optim⁹ Ma-xi...us est & nominatur. Jam bonitas fons est liberalitatis & be-n...centiæ, quandoquidem omne bonum sui diffusivum est & c...mmunicativum. Quid Rex noster? A quodam Principe ge-n...exo requisitus, Magister bone quid boni faciam, ut habeam vi... æternam? Videtur hunc titulum non acceptâsse responden-d... quid me interrogas de bono? vel satiùs, quid me dicis bo-nu...? Nemo bonus nisi unus vel solus Deus, (*Matt.* 19.) vide-lic... ex essentia sua & natura. Humilitatis hoc opus fuit laudem ha...c bonitatis à se quasi repellere & in Deum transferre, ut nos si...liter faciamus; nec minùs instructionis Magistralis effectus, fid...m illi de se instillare, per quam Christum agnosceret esse De-um; acsi diceret interprete Divo Hieronymo: *si me vocas bonum, cr...e me esse Deum, nemo enim per se bonus nisi Deus.* Sic igi-tu... titulos boni & optimi, quos Reges, Gentiles, & Præsides af-fe...abant, & ut benefici vocarentur, noster Rex humilis & man-su...us detrectabat, licèt re ipsa optimus in se & beneficentissim⁹

Optimates quare?
Optimi cur?

Cratistos quid?

Bonitas fons liberalitatis.

Christus bonus,

Quomodo?

Cur hunc titulum detrectavit?
S. Hieron.

erga omnes agnoſceretur. Nonnè in hodierno Evangelio magna ejus liberalitas innotuit, quandò quinq; millia hominum famelicorum quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus pavit ad ſaturitatem, ita ut duodecim cophini fragmentorum panis ſuperabundarent? (*Luc. 9.*) Et ecce ex hac munificentia quid ſequitur? Venturi erant ut raperent Chriſtum & facerent eum Regem. (*Joan. 6.*) Agnoverunt ex illo tanto victûs collati beneficio Regium Chriſto deberi honorem. Verè enim Regia virtus eſt beneficentia. Rex Propheta Deum laudaturus, & confeſſione publica in toto corde eum exaltaturus, ratione operum ejus exclamat: magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus. (*Pſal. 110.*) Magna omninò & incomparabilia & inimitabilia tam in creatione quàm in recreatione, tam naturæ quàm gratiæ, quæ omnia verbo virtutis ſuæ adimplevit. Dixit enim & facta ſunt; [*Pſal. 32.*] omnia per Verbum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. (*Joan. 1.*) Deinde miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, nimirùm deperditos per peccatum homines, & eripuit eos de interitionib⁹ eorum. (*Pſ. 106.*) Quomodo magna opera Domini? Et exquiſita, quia Domini perfecta ſunt opera in omnes voluntates ejus; omnia enim quæcunque Dominus voluit fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis; (*Pſal. 134.*) & quia non eſt impoſſibile apud DEUM omne verbum. (*Luc. 1.*) Adeò magna ſunt opera, ut ad magnitudinem eorum cognoſcendã homo nequeat attingere. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. (*Pſ. 63.*) Intellexi, ait Rex Sapientiſſimus, quòd omnium operum Dei nullã poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub ſole, quantò minùs eorum quæ fiunt ſupra ſolem? Quantò plùs laboraverit homo ad quærendum, tantò minùs inveniet. Etiamſi dixerit ſapiens ſe nôſſe, non poterit reperire. (*Eccli. 8.*) Scientia eſt cognitio rerum per cauſas quæ ſunt occultiſſimæ, quin ipſæ rerum eſſentiæ ſunt ab oculis hominum abſconditæ. Quid ergo poterit homo ex operibus Dei penetrare? Etiam in minimis maximus eſt Deus. Illos vermiculos, cinifes dictos, Magi Ægyptiaci agnoverunt eſſe omnipotentiæ Divinæ opus dicentes: digit⁹ Dei eſt hic. (*Exod. 8.*) Sed hodiernum opus beneficentiæ per multiplicationem panis & piſcium ad cibandũ populum, quis non fatetur fuiſſe opus magnum & exquiſitum? Confeſſio & magnificentia opus ejus. (*Pſ. 110.*) Confeſſi hoc ſunt populi proculdubio, & magnificaverunt Deum. Sed hoc umbra tantùm fuit majorum Domini & Regis noſtri operum, in SS. Euchariſtiæ id eſt bonæ gratiæ, verè maximæ beneficentiæ Sacramento nobis exhibitorum. Hìc verò memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, (*Ibid.*) qui dixit: miſereor ſuper turbam; (*Joan. 6.*) eſcam dedit timentibus ſe. (*Pſal. 110.*) In hoc eſt

Chriſtus Rex fieri debebat propter beneficentiam.

Magna opera Domini quæ?

Quomodo?

Impenetrabilia ſunt.

Etiam in minimis Deus eſt maximus.

Cibatio 5000. hominum umbra Euchariſtiæ.

t operum Dei stupendorum collectio, est epitome & compen-
um beneficiorum Divinorum, est Regiæ liberalitatis excessus;
juxta S. Gregorium Nazianzenum, *magnorum mysteriorum e-
mplar.* Quidquid mirabilium lex naturæ, lex Mosaica, lex
atiæ continet; ista Eucharistiæ esca totum in se complectitur.
lege naturæ mirabile fuit lignum vitæ in medio paradisi vitam
ominis conservans, & illum à morte præservans; (*Gen.* 2.) lõ-
magis admirandus est panis Eucharisticus qui dat vitam mun-
; ita ut qui manducat hunc panem vivat in æternum. (*Joan.*
) Quinimò ex mente S. Joannis Damasceni, *per omne lignum
radisi intelligitur Eucharistia, quæ & omnem saporem continet,
dat vitam omnem, corporalem nimirùm & spiritualem, acti-
am & contemplativam, temporalem & æternam.* Quid Mel-
hisedech Regis Salem panis & vinum figurabat, (*Gen.* 14.) ni-
corpus & sangvinem Domini in Sacramento Eucharistiæ cõ-
usa, quæ verus Sacerdos & Pontifex in æternum secundùm or-
nem illius (*Psal.* 109.) Deo obtulit pro nobis, & nobis contulit
sumendum? Præcessit ibi mirabilis Abrahami super 4. Reges
ctoria; hic multò mirabilior 4. regnantium in orbe hostium,
aboli, peccati mundani & carnalis, necnon mortis subactio &
peratio gloriosa. In lege porrò Mosaica manna de cœlo plu-
s ab Angelis in áère confectum 40. annis Israëlitas sustentans
deserto omnibus admirationem pariebat, ut proclamarent:
anhu, quid est hoc? (*Exod.* 16.) Quantò magis quid est hoc?
e panis qui de cœlo descendit, (*Psal.* 77.) panis cœli, Ange-
rum esca, omne delectamentum in se habens & omnis sapo-
svavitatem; (*Sap.* 16.) nos usque ad consummationem seculi
itriens & conservans? Jam esus agni Paschalis nonnè figura
it Agni nostri Eucharistici, qui verè tollit peccata mundi.
Joan. 1.) Tempore Judicum panis à Gedeone visus subcineri-
us ex hordeo, tabernacula Madianitarum percutiens, subver-
, & terræ funditùs coæquãs: *Jud.* 7. quidni figura panis nostri
charistici omnẽ diaboli potentiam & munitionem pessundans?
empore Regum subcinericius panis Eliæ ab Angelo datus, quẽ
medens Elias ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus &
. noctib⁹ usq; ad montem Dei Oreb, qui erat vertex montis
nai; (3. *Reg.* 19.) nonnè typus panis nostri, qui confortat cor
minis, (*Psal.* 103.) ut possit currere feliciter ad montem san-
ficationis, in quo beneplacitum est Deo habitare? (*Psal.* 67.)
erque fuit subcinericius, quia cineri corporeæ mortalitatis no-
æ immixtus. Tempore demùm transmigrationis Babylonicæ
nieli in lacu leonum constituto per Habacuc Prophetam vir-
e Angelica translatum panis allatus verè fuit mirabilis, (*Dan.*
) potestque panem nostrum signare multò mirabiliorẽ; quia
bis hìc inter leones rugiẽtes & quærẽtes quẽ devorent (1. *Pet.* 5.)

Eucharistia est compendiũ Divinorũ beneficiorũ, & mirabilium in lege naturæ, Mosaica & gratiæ.

S. Joan. Dam.

Panis & vinũ Melchisedech, figura erat Corporis & Sãgvinis Eucharistici.

Manna Israëlitis de Cœlo datum.

Esus Agni Paschalis,

Panis subcinericius à Gedeone visus,

Eliæ panis subcinericius ab Angelo datus

Danieli in lacu leonum panis allatus

 positis,

positis, non per Angelum vel Prophetam, sed per ipsum Domi-
num Angelorum & Regem Prophetarum porrectus: in quo ma-
jorum mirabilium memoria & compendium comprehenditu
His mirabilibus majora in se comprehendit Panis Eucharisticus,
Quid enim hæc admiranda panis, sive de cœlo, sive de terra, ha-
bent comparationis cum Pane nostro, qui non tantùm est supe-
substantialis & supercœlestis, sed *Divinus*, ipsum Deum homi-
nem, ipsum Verbum Dei caro factum, (*Joan.* 1.) ipsum Regem
Deum in se cōplectens,
Regum & *Dominum Dominantium* [*Apoc.* 19.] in se compl-
ctens? De hoc eleganter Zacharias Propheta: (*cap.* 9.) quid
nim bonum ejus, id est Syonis, est, & quod pulchrum ejus, ni
frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Quæ ma-
jor liberalitas potest esse, quàm seipsum dando homini in co
semetipsum cōvescendo offerens in cibum & potum,
sortium per incarnationem, per mortem consecrando in pretium
& redemptionem, semetipsum convescendo offerre in cibum
potum, stupendâ metamorphosi transubstatiationis panis in co
pus, & vini in sangvinem? Quæ beneficentia profusior quàm tot
se cum Divinitate & humanitate, cum corpore anima & sangvi-
ac totū se homini cōmunicans.
ne uni terræ vermiculo per se indigno, nihil boni imò indignati-
onem & pœnas promerito tradere ad manducandum, ad vivi
candum, ad sanctificandum tam in corpore quàm in anima
O excessus bonitatis Regiæ! O incomparabilis liberalitatis pro-
fusio! O inæstimabilis beneficentiæ superaffluentia! Si miracu-
lum fuit quinque panibus & duobus piscibus saturare quinque
Miraculū miraculorum est
millia hominum; (*Joan.* 6.) nonnè miraculum miraculorum e
inconsumptibili cibo Sacramentali in infinitum multiplicabili p
sci & satiari innumerabiles hominum milliones, idque quotid
Omnia novæ legis mysteria in se concludit.
usque ad finem mundi? Hic etiam summatim omnia legis no-
væ & Evangelij mysteria includuntur. Ipsum incarnationis i
utero Virginis sacramentum à seculis absconditum repræsentat
Incarnationis,
ita, ut veluti operatione Spiritûs sancti positus fuit ibidem, i
Divina virtute nunc sub speciebus panis collocetur, & quemad-
modùm per unionem hypostaticam sive personalem humanit
ibi fuit unita verbi *Divinitati*, sic per unionem mysticam anim
humanæ ipsi Deo homini Christo hìc per sacram sumptionem
uniuntur. Ibi per verbum Virginis fiat conceptus Christus, h
per verbum sacerdotis reproducitur. Ibi recens natus in præse
ponitur angusto, (*Luc.* 2.) in medio duorum animalium, hìc
Sacramento renatus ciborijs vel pyxidibus includitur, & sæpè b
stijs nimirùm peccatoribus in cibum datur. Deinde hic toti
Passionis,
passionis memoria renovatur; quia fit in commemorationem
ejus, qui passus pro nobis, crucifixus, mortuus & sepultus est:
sic agitur in recordationem transitûs ejus ad Patrem, & transitû
nostri à jugo diaboli in libertatem filiorum Dei; sicut Phase fu
transitûs Israëlitarum ex Ægypto ad terram promissionis renova-
Resurrectionis
tio. (*Exod.* 12.) Nec passionis duntaxat sed & resurrectionis
ascen

ensionis dulcis ac gloriosa memoria hic habetur, prout ipsa clesia sancta innuit post consecrationem.

& Ascensionis.

Denique omnium ei mirabilium & Sacramentorum est summa.

Omnium Dei mirabilium & Sacramentorũ est summa.

Omnis enim, te S. Bernardino Senensi, *institutio ad sacram Eucharistiam ornatur, cùm per sanctificationes omnium sacrorum fit digna præratio ad receptionem & conservationem Eucharistiæ, ubi fons betur sanctitatis.*

S. Bernardinus Senen.

Sed quis edisseret abyssum miraculorum, æ in hac planè Regali munificentia reperiuntur? Quàm maificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia & bonitafecisti, (*Psal.* 103.) repleta est terra infinitis beneficiorum geribus. Magna opera Domini nostri & inenarrabilia sunt, id optima & perfectissima; exquisita in omnes voluntates ejus, r munificentiam in omnes profusam. Deus enim dat omnis affluenter, & non improperat. (*Jac.* 1.)

Opus divinæ beneficentiæ, extendentis se erga justos,

Opus Divinæ beneentiæ erga omnes extenditur, & licèt oret Deum Propheta: befac Domine bonis & rectis corde; [*Psal.* 124.] fatetur tamen cens: oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escã tempore opportuno: quinimò aperis tu manum tuam, prondis liberalitatem tuam, & imples non solùm homines, sed & nne animal benedictione. (*Ps.* 144.)

& peccatores.

Hanc Dei beneficentiam imitemur imperat Deus apud Isaiam (*cap.* 1.) inquiens: disci benefacere.

Hanc Deus imitandam imperat.

De Rege nostro dicit Apostolus Petrus: quòd rtransijt benefaciendo; (*Act.* 10.) & S. Paulus nos hortatur: lite deficere benefacientes; (*Gal.* 6.) & alibi: beneficentiæ & mmunionis nolite oblivisci, talibus enim hostijs promeretur eus. (*Hebr.* 13)

Hæc bona divitum facit cũ pauperibus cõmunia, per cõmunicationẽ,

Beneficentia facit bona divitum communia m pauperibus per communicationem; quin etiam utrinq; tam ntis quàm accipientis bona efficit communia, quando accins à dante recipit bona terrena, dans autem ab accipiente rticipat bona spiritualia, orationem benedictionem & his silia. Sed quod majus est, apud ipsum Deum meritum acqui; quia quò magis nos videt liberales, eò liberalior erga nos citur.

& apud Deum meritũ acquirit.

Et hoc est quod dicit Apostolus: qui parcè seminat, rcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictiibus & metet. (2. *Cor.* 9.) Beneficentior enim est Deus, à quo nne datum bonum, & omne donũ perfectum descendit (*Jac.* erga illos qui liberales sunt in benefactis. Quidni talis sit? ando ipsemet sibi attribuit illa, quæ alijs benefacimus. Quidid fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. (*Matt.* 2) Potens autem est Deus omnem gratiam abundare facere in bis, affirmat Apostolus, ut in omnibus semper omnem suffintiam habentes abundetis in omne opus bonum. (2. *Cor.* 9.) c est date & dabitur vobis, mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrũ. (*Luc.* 6 Et ut sciamus esse hic quandam cum Deo reciprocationem bene-

Beneficentiæ cum Deo reciprocatio

Hilarem datorẽ diligit Deus

beneficentiæ. Deus qui hilarem datorem diligit, [2. *Cor.* 9]
diligit & liberalem; & ſic eâdem menſurâ quâ menſi fueritis r-
metietur vobis: (*Luc.* 6.) ſi larga fuerit menſuratio, larga qu-
que erit retributio; quinimò teſtatur idem Doctor gentiun
multiplicabit ſemen veſtrum. (2. *Cor.* 9.) Datio enim ſivè larg-

Largitio habet ſe inſtar ſeminis, reddentis fructum centuplum.

D. Chryſoſtomus.

tio habet ſe inſtar ſeminis jacti in bonam terram, quæ reddit fr-
ctum centuplum; (*Luc.* 8.) quod etiam teſtatur Divus Chryſ-
ſtomus dicens: *eleemosyna dicitur ſemen, quia non eſt ſumpt*
ſed reditus. Indè augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ,
in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem qu
operatur per nos gratiarum actionem Deo. (2. *Cor.* 9.) Hoc
negotiari, hoc eſt committere pecuniam Domini nummulari,
dare indigentibus, ut veniens Dominus recipiat quod ipſius
cum uſura. (*Matt.* 25.) Non noſtra pecunia eſt ſed Regis n-
ſtri; quid enim habemus quod non accepimus? (1. *Cor.* 4.) h

Talenta credita cũ uſura & lucro, Deo reddẽda.

eſt decem talentis alia decem, talentis quinq; alia quinque, u
mnâ decem vel quinque mnas lucrari; undè ſervi nequam, m
li & pigri talentum & mna datur alteri habenti: omni enim h-
benti, ad quid? ad dandum, dabitur & abundabit. (*Matt.* 2
Obſervandum eſt dictum Apoſtoli, quo beneficentiam nomin
hoſtias, talibus hoſtijs promeretur Deus: (*Hebr.* 13.) acſi dicer
demeretur, conciliatur, obligatur. Sicut enim Regum & Pri-

Eleemoſyna eſt vera beneficẽtia, quã Deus proximo exhibitam, quaſi ſibi impẽſam æſtimat

cipum gratiam ac benevolentiam muneribus captamus; ita p
eleemoſynam, quæ eſt vera beneficentia, ac bona opera, Dei gr-
tiam & benedictionem nobis lucramur. Deus noſtra benefic
proximis exhibita pro beneficijs ſibi impenſis æſtimat. Text
Syrus habet loco promeretur Deus, pulchreſcit Deus; quaſi b-
neficentia noſtra tantã Deo pariat voluptatem, ut per illam pu-
chrior, gratior, hilarior, oblectabilior, & jucundior reddatur. N-
minavit autem Vas electionis Divinæ beneficentiam hoſtias, a
inſtar ſacrificiorum & holocauſtorum per manus eorum quib
exhibetur Deo, oblatas. Quinimò dedignatur Deus alias hoſt-

Alias hoſtias dedignatur

as. Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum? dicit D-
minus, diſcite benè facere. (*Iſai.* 1.) Miſericordiam volui & no
ſacrificium. (*Oſee.* 6.) Sic alibi liberalitatem Philippenſium nu-
cupat Apoſtolus odorem ſvavitatis, hoſtiam acceptam, place-
tem Deo. (*Phil.* 4.) Et in epiſtola ſecunda ad Corinthios (*ca.*
9.) inquit: quoniam miniſterium hujus officij non ſolùm ſuppl-
ea quæ deſunt Sanctis, ſed & abundat per multas gratiarum

Collectio beneficẽtiæ, Diaconia Liturgiæ apud Græcos, i. e. myſticum Miſſæ ſacrificium

ctiones in Domino. Ubi miniſterium hujus officij, ſive admi-
ſtrationem hujus collectæ eleemoſynarum vocat in Græco D-
aconiam hujus Liturgiæ, quaſi hujus beneficentiæ collectio ſit l-
turgia, ſit myſticum Miſſæ ſacrificium, in quo Corinthij ſint ſ-
cerdotes offerentes eleemoſynæ oblationem & victimam; alta
ſint pauperes quos ſanctos appellat; ſacrificium, eleemoſynæ b-
neficent-

eneficentiam. Divus verò Paulus exhortans: procurans, colli- [S. Chrysost.]
gens & distribuens eleemosynam sit Diaconus vel minister. Huc
ervit illa Divi Chrysostomi sententia: *cùm vides pauperem, cor-*
us Christi, aram Christi te videre puta, & reverere: ac eleemo-
næ sacrificium offer, ex quo gloria & gratiarum actio quasi fu-
us ascendat ad Deum. Confirmat S. Gregorius Nazianzenus. [S. Gregorius Nazianzenus]
ulla ex omnibus re Deus perinde ac misericordiâ colitur; quo-
am nihil aliud tam peculiare est Deo, quàm illa; utpotè ante
uem misericordia & veritas gradiuntur. Ipsi Gentiles agnove-
unt magnum bonum esse beneficentiam. Pythagoras affirmat [*Sensus Pythagoræ de beneficentia,*]
omines Dijs similes haberi, veritatem amplectendo & cunctis
enefaciendo. Alter asserit in Regno esse beatissimũ, nunquam
inci beneficijs. Theophrastus beneficentiam humanæ vitæ [*Theophrasti,*]
onservatricem asseveravit. Sed præstantissimè S. Greg. Nazian- [*S. Gregorij Nazianzeni,*]
enus: *fias infortunatò Deus, misericordiam Dei imitando; nihil*
am adeò Divinum habet homo, quàm benefacere. Qui benefacit
x Deo est, ait dilectus Jesu Joannes. [1. *Joan.* 3.] Sic Justinus: [*Justini Phil.*]
ui pauperi elargitur à Deo accepta, Deus fit eorum qui accipiũt.
c proindè qui primus est ad misericordiã, benedicetur. (*Prov.*
.) Benefacit animæ suæ vir misericors. (*Pr.* 11.) Benefac justo,
onet Ecclesiasticus, (*c.* 12.) & invenies retributionem magnam.
t si non ab ipso si fuerit ingratus, certè à Domino, (*Pr.* 24) qui
ddit unicuiq; secundùm opera sua. (*Mat.* 16.) Sed generaliter ad [*Generaliter cũctis tam gratis quàm ingratis benefaciendũ;*]
itationem Dei omnibus benefaciendum, tam bonis sivè justis,
uàm malis sivè injustis, tam gratis quàm ingratis, tam amicis
uàm inimicis. Si benefacitis his qui vobis benefaciunt, dicit ipse
ex noster liberalissimus, quæ vobis est gratia? siquidem & pec-
tores hoc faciunt. (*Luc.* 6.) Ac ideò præcipit: benefacite &
utuum date nihil indè sperantes; quin etiam benefacite his qui
derunt vos. *Ib.* Quid fiet exinde? Ut sitis filij Patris vestri qui
cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, &
uit super justos & injustos. (*Matt.* 5.) Hoc est summum be-
eficentiæ culmen, quod ipsemet hodie exercuit. Quidni enim
otuerint esse inter illa quinque millia ab ipso pasta aliqui Judæi
roditores, Judæi persecutores, blasphemi, clamantes postea: tol-
, tolle, crucifige eum? (*Joan.* 19.) Hæc est suprema liberalita- [*quæ est suprema liberalitatis perfectio.*]
s perfectio indifferenter omnibus benefacere; cum sole cũctis
icente, cum Deo benefaciente universis. Sic docet Caput Ec-
esiæ D. Petrus: hæc est voluntas Dei, ut benefacientes obmu-
escere faciatis hominum impudentium ignorantiam. (1. *Pet.* 2.)
Quinimò, subinfert: si benefacientes patienter sustinetis, hæc est
ratia apud Deum. Denique concludit: meliùs est benefacientes
ati, [si voluntas Dei velit] quàm malefacientes. (1. *Pet.* 3.)
t ideò ultimariè instruit: hi qui patiuntur secundùm voluntatẽ
Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis. (1.

Maximum est, benefacere & mala pati, ad exemplũ Christi.

Pet. 4.) Hoc equidem maximum est, & benefacere & mala pa ti, quod Rex noster supra omnem modum expertus est, de qu sequenti sermone: imò ipse Deus Pater cœlestis à filijs rebellibu prodigis, ingratis, & hostibus suis peccatoribus continuò exper tur. Jam igitur dùm tempus, habemus operemur bonum ad o mnes. (*Gal.* 6.) Hæc autem opera beneficentiæ omnia dicamu Regi nostro, (*Psal.* 44.) ipsum in hoc imitantes, imò ipsum au thorem omnis benefacti nostri agnoscentes, sinè quo nihil possu mus facere boni; (*Joan.* 15.) & simus operibus ejus liberalitat conformes, ut qui se totum nobis, ac potissimùm in SS. Eucha ristiæ Sacramento tradidit, mutuâ alacritate nos ipsi totos impé damus; Deoque omnium bonorum largitori beneficẽtiæ nostr talis, qualis est in potestate nostra, hostias quoad vivimus immolemus.

Bonum ad omnes operandum.

Sermo in Festo S. Benedicti.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

Ecclesia militans,

terribilis ut castrorum acies ordinata.

Imperator illiꝰ Dominus exercituum.

Vexillũ, Crux.

Varij Ordines sub hac militantium.

Inter quorum instituta, non minùs principale est S. Benedicti,

ECclesia Dei hìc in terris stabilita rectè militans dicitur esse PP. RR. FF. DD. quia continuum cum generali totius hu mani generis hoste gerit conflictum: ac ideò jure meritò vo catur terribilis ut castrorum acies ordinata. (*Cant.* 6.) Sempe est in acie, quandoquidem nunquam non prœlia Domini prœ liatur. (1. *Reg.* 25.) Habet Imperatorem suum Dominum exer cituum (*Isai.* 5.) se præcedentem, & in aperto belli campo qua si fortem bellatorem (*Jer.* 20.) in cruce stantem; ubi hostẽ cum omni sua mortis & peccati mundi & carnis totiusq; inferni col luvie gloriosè debellavit ac superavit. Hinc vexillum Regis pro dijt, effulsit Crucis mysterium, subque hoc Imperatoris sui la baro militiam exercens, bellum contra præfatum continuat ini micum. Est proinde castrorum acies ordinata, (*Cant.* 6.) qui tot varijs est instructa exercitibꝰ, quot diversis ordinibus præcellit Hinc in Psalmo nostro benè inducitur astans Regina à dextri Regis in vestitu deaurato. [*Psalm.* 44.] Omnium enim ve stis eadem est aureâ texta charitate, quæ est unio omnium in Ec clesia militantium, & de qua aliàs Sponsa inquit: ordinavit in m charitatem. (*Cant.* 2.) Sinè unione enim charitatis mutuæ, qu multitudinem bellantium facit, quòd sit quasi unus vir, (1. *Es* 2.) quisnam exercitus subsisteret? esset chaos & confusio, no ordo. Circumdata varietate (*Psal.* 44.) deinde dicitur, ad di versitatem ordinum in ea sub vexillo crucis prœliantium indicá dam. Inter hæc variorum Ordinum instituta, unum ex princi palibus est Sancti Benedicti & Legislatoris nostri & Antesignan genus vivendi cænobiticum sivè Monasteriale. Hoc adinsta militiæ ab ipso dispositum esse nemo ibit inficias, qui prologun Regulæ ipsius sub initium consideraverit, ubi sic ait: *Ad te erg*

nun

Hunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians proprijs voluntatibus, Domino Jesu Christo vero militaturus obedientiæ fortissima atq; præclara arma assumis. Nonnè hic Dux noster classicum canit, ad bellum provocat, opera militiæ Regi dicere imperat, ad arma conclamat, eademq; continuò manifestat ac subministrat?

in Prologo Regulæ ad bellum provocantis suos sequaces.

Quænam sunt hæc? Non alia equidem præter obedientiam.

quibus sermonum loco ponit obedientiam.

In quo rebellem hostem credimus primariò peccâsse contra Deum? Haud dubiè quòd per superbiam Divinæ restiterit & non obtemperaverit voluntati. Inobedientia ex superbia orta fecit illum cœlo extorrem, ac perpetuum ignis gehennæ inquilinum.

Inobediētia Luciferum perdidit,

Quid est, quod idem versipellis inimicus, in homine, suo perverso effecit susurro? Nihil aliud nisi prævaricationem mandati Divini per inobedientiam, non minùs ex superbia motivo inductam.

& primū hominem ad lapsum pertraxit.

Indè patet, quòd quemadmodùm præcipua & maxima sunt hostis arma contra nos, inobedientia erga Deum, per quam nos mortifero trucidat peccato; ita nostra cōtra ipsum primaria & potiora arma debent esse, obedientia DEO exhibita, per quam adversarium omnimodè superamus.

Hæc per contrariam sibi obedientiam est corigenda.

Hanc excellentem inter alias virtutem & supereminens inter cætera votum Divus Benedictus Patriarcha noster potissimùm recommēdat capite singulari, ubi asserit: *quòd obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur; ipse enim dixit: qui vos audit me audit.* [*Luc.* 10.] Eapropter in Superioribus aliquid imperantibus Deus est semper considerandus, & præcepta Superiorum ita veluti mandata *D*ei sunt acceptanda & adimplenda.

In præceptis superiorū Dei voluntas respicienda.

Excellentia porrò obedientiæ vel exinde patet, quòd omnibus sacrificijs anteponatur teste Samuele dicente: melior est obediētia quàm victimæ, & auscultare magìs, quàm offerre adipem arietum. (1. *Reg.* 15)

Obediētia melior est, quàm victimæ.

Super quo pulchrè D. Gregorius: *obedientia*, ait, *victimis præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur.* Tantò igitur quis Deum citiùs placat, quantò ante ejus oculos repressâ arbitrij sui superbiâ gladio præcepti se immolat.

S. Gregorius

Hanc obedientiæ auscultationem requirit D. Pater in ipso Regulæ principio dicens: *ausculta ô Fili præcepta Magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij Patris excipe libenter & efficaciter comple.*

S. Benedictus

Nihil enim juvat audire, si non sequatur audita facere. Non enim auditores verbi justi sunt apud Deum, teste Apostolo, sed factores legis justificabuntur. (*Rom.* 2.) Confirmat idipsum D. Jacobus (*cap.* 1.) dicens: qui perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.

Nil juvat audire si audita non facias.

Quod autem inter vota Religiosa primatum habeat obedientia, ipsa professionis forma quam facimus manifestat, ubi primariò promittimus Deo obedientiam secundùm Regulam Divi Benedicti, in qua & alia duo vota essenti-

Inter vota Religiosa primaria est obediētia,

in qua includitur votum Paupertatis & Castitatis.

alia Paupertatis & Castitatis virtualiter includuntur, imò & illa
multa alia opera cadunt sub obedientiam. Et ratio hujus e
siquidem homo censetur habere triplex bonum; primum rer
exteriorum, secundum proprij corporis, tertium animæ, quib
omnibus se abdicat sincero erga Deũ Religionis cultu, tria D
reddendo vota: nimirùm per voluntariam paupertatẽ bona t
rena & mundana à se excludit; per castitatem & continenti
maximis se privat corporis voluptatibus; per obedientiã demũ

Abdicatio propriæ voluntatis Deo gratior fortunæ & corporis bonis.

propriæ abrenuntiat voluntati. Jam quis non agnoscit liberi a-
bitrij propriam voluntatem omnibus fortunæ & corporis bonis
longè esse præstantiorem? Majus proindè est Deo per obedien-
tiam propriam offerre voluntatem, quàm res exteriores dicare
per paupertatem, vel corpus proprium immolare per castitatem;
adeòque obedientia est maxima virtus, est summum votum R-
ligionis. Per obedientiam reddimur veri imitatores Regis nostri,

Per obedientiã reddimur veri imitatores Christi.

qui non venit facere voluntatem suam sed Patris sui, (*Joan.* 6)
& ipsi factus est obediens usque ad mortem crucis: (*Phil.* 2.) E
quidem cùm esset Filius Dei, inquit Apostolus, didicit ex ijs quæ
passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus o-
temperantibus sibi causa salutis æternæ. (*Hebr.* 5.) Nonnè per

Inobedientia primi hominis, per obedientiã secundi in ligno Crucis expiata.

lignum scientiæ boni & mali [*Gen.* 3.] à primo homine cõmissa
est inobedientia? Nonnè per lignum crucis à secundo homine
consummata est obedientia? Ibi casus & ruina, hìc surrectio &
sublevatio; ibi jugum diaboli, hìc libertas Dei: ibi mors pecca,
hìc vita gratiæ; ibi clades, hìc victoria. Undè optimè à Sapie-
te pronuntiatur: vir obediens loquetur victoriam. [*Prov.* 21]
Sic benè pugnatur armis obedientiæ, quando per illa victoria re-
portatur. Undè meritò à Sancto Patre *fortissima atq; præclara*

Obedientia superat omnes inimicos.

arma vocantur; *fortissima*, quia omnes inimicos superantia, *præ-
clara*, quia victoriam adferentia. Placet supputare hostes, & a
quæ à victrice obedientia subjugantur. Primus hostis omnium

Quorum primus diabolus, de quo solus obediens triũphat. S. Gregorius.

inimicorum caput & princeps diabolus totaliter superatur, de
quo victo loqui victoriam & canere triumphum solus potest o-
bediens. Audiamus D. Gregorium Magnum. *Victimæ sunt ob-
sequia obedientium: quia dùm pro Deo hominibus subijcimur, su-
perbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones ex-
pugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergò sunt qui obe-
diunt, quia dùm voluntatem suam alijs perfectè subijciunt, ipsi i-
psis per obedientiam Angelis dominantur.* Hæc D. Gregorius.

Cæteræ virtutes diabolũ oppugnãt, obedientia expugnat.

Ecce aliæ virtutes sunt dæmonum oppugnatrices, sola obedien-
tia est expugnatrix. Nihil autem magis Satanam tentatorem

Gaudiũ diaboli super Monacho, Superioribus obedire detrectanti.

affligit, quàm quandò Superioribus conscientias aperimus: tunc
enim ejus technæ & doli patefiunt, quibus nobis sub specie boni
illudit. Vultis scire quod summum dæmonis gaudium? Mona-
chus est, qui suo arbitrio vivit, nec vult à majoribus gubernari.

Imp-

Imprimite cordi sententiam mellifluì Patris nostri, ac potissimùm vos juniores, qui ait: *obsecro vos novellæ plantationes Dei, vos qui nondùm exercitatos habetis sensus ad discretionem boni & mali: nolite sequi cordis vestri judicium, nolite abundare in sensu vestro, nè vos tanquam rudes adhuc versutus ille venator decipiat.* S. Bernard9.

Et hoc est quod S. Legifer noster posuit 4. 50. in Instrumentis bonorum operum: *cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, & Seniori spirituali patefacere.* Victo diabolo per obedientiam vincitur & mundus. S. Benedict9. Omne quod natum est ex Deo, inquit dilectus Jesu discipulus, vincit mundum. (1. *Joan.* 5.) Quomodò? Obediendo Deo; filij enim tenentur Patri suo obedire. Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. (*Ibid.*) Fides undè? Ex auditu. Auditus per verbum Christi (*Rom.* 10.) Ergò fides est obedientia verbo Christi, quando & intellectus captivatur in obsequium fidei, (2. *Cor.* 10.) & voluntas obedit præceptis Dei. *Secundus hostis, mundus, per obediētiā vincitur.* Obedientia quoque de tertio hostem triumphat, qui est caro. En doctrina Doctoris nostri melliti. *Tertius hostis, caro, de quo etiam obedientia triumphat.* *Quod si possidere vult anima, si regnare desiderat supra membra sua; necesse est, ut sit ipsa mitis & Superiori suo subjecta: quoniam tale inveniet inferius suum, videlicet in carne; qualem exhibuerit se Superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam Creatoris. Et ideò noverit anima, quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoq; minùs quàm oporteat superioribus potestatibus esse subjectam. Mansvescat ipsa & humilietur sub potētiam manu Dei altissimi. Subjecta sit Deo, & his pariter, quibus vices ejus habet obedire Prælatis, & continuò corpus suum inveniet obediens & subjectum.* S. Bernard9. Ita egregiè S. Pater noster. Idipsum docet Theodidactus Thomas à Kempis: *qui non libenter & spontè suo Superiori se subdit, signum est, quòd caro sua necdùm perfectè sibi obedit, sed sæpè recalcitrat & murmurat.* Thomas à Kempis. *Obedientia nō spontanea est signum carnis recalcitrantis;* Vetus habemus in ipsis Protoparentibus nostris exemplum. *Aperti sunt oculi amborum post inobedientiam, ad quid? ut viderent nuditatem suam, agnoscerent carnis suæ rebellionem.* Sic augustè Augustinus. S. August. Ad hominis inobedientiam redarguendam suâ inobediētiâ caro quodammodò testimonium perhibebat, gratiâque remotâ ut pœnâ reciprocâ inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens novitas, & fecit attentos reddiditque confusos. *quam in pænā inobedientiæ, homo reciprocè experitur inobedientem.* Confirmat hoc S Gregorius Magnus. *Adam quia suo auctori esse subditus noluit, jus carnis suæ quam regebat amisit, ut in seipso inobedientiæ suæ confusio redundaret, & superatus disceret quod elatus amisisset.* S. Greg. M. Sic Deus punit superbas & obedientiæ prævaricatrices mentes, ut concupiscentijs carnis suæ subijciantur, & serviles voluptatis corporeæ appetitus ipsis dominentur. Optimè S. Augustinus: *agnosce ordinem, tu Deo, tibi caro; quid justius? Quid pulchrius? Tu majori, minor tibi. Servi tu ei qui* S. August. *Ut tibi caro obediat, tu priùs Deo obedi.*

fecit te, ut tibi serviat quod factum est propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, nunquam efficies ut tibi caro; qui non obtemperas Domino, torqueris á servo. Sic Augustinus præclarè. P[illegible] hos adversarios devictos quid restat vincendum? Ipse homo [illegible] bi superest superandus. Quomodò? Per obedientiam. En [illegible] Gregorius, *vir obediens*, ait, *loquetur victorias*; (Prov. 21.) *quandùm alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Primaria obedientiæ victoria est se ipsum vincere, suam obedientiæ subijcere voluntatem.* Ita obediens victor est diabo[li], mundi, carnis, & sui ipsius, ac triumphator. Sed quæ troph[æa] refert? quæ prœmia reportat? Maxima, illa omnia quæ in Apocalypsi à supremo Rege nostro victore & triumphatore, Rex Regum (*Apoc.* 19.) utique obedientium, qui verè Reges sunt, promittuntur. Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Vincenti dabo manna absconditum & calculum candidum. Qui vicerit non lædetur à morte secunda. (*Apoc.* 2.) Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. (*Apoc.* 3.) Denique præter alia multa, quod summum est; qui vicerit, dabo illi sedere mecum in throno meo. (*Ib.*) Quanta merces? quanta dignitas? quanta sublimitas obedientiæ? quæ tantis gloriæ adoreis coronatur. Verùntamen non hic sistit victoria obedientis; etiam temporalibus victorijs gloriatur. Abraham Deo obediens cum trecentis ipsi obedientibus vernaculis, quatuor prosternit Reges: (*Gen.* 14.) quin & præclaras à Deo recipit repromissiones, Isaaco insinuatas per Deum, qui ait: multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, daboque posteris tuis universas regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. (*Gen.* 26.) Quare? Eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & cæteras cæremonias legesque servaverit. (*Ibid.*) Videte quomodò ipse Deus enumeret & exaggeret omnia, in quib[us] Abraham fuit Deo obediens, in præceptis, in mandatis, in cæremonijs & in legibus, & nos quàm sæpè pro nihilo habemus observantias Regulares, per Regulam, statuta, praxes, ac Superiorum præcepta nobis præscriptas? Credimus esse minutias, parvitates, & res flocci, cùm tamen his maxima obedientiæ merita apud Deum lucremur. Quomodò arbitramini tot gentes, tot populi, tot Regna ad fidei obedientiam redacta? Nonnisi per viros obedientiâ illustres, & sui ipsius victores. Quin & elementa omnia, mare, ignis, terra, aër, obedientiæ & obedientibus obediunt. Moyses mare, (*Exod.* 14.) Josue Jordanem divídit, & sicco alveo populus transiret. [*Josue.* 3.] Quâ virtute? Obedientiæ Deo exhibitæ: Petrus super mare ambulat; (*Matt.* 14.) quâ potestate? Obediendo Christo. Sic & D. Maurus Sancto Patri Benedicto obediendo super flumen ambulavit, Sanctumque Placidum ex aquis liberavit. Ignis non læsit nec contristavit tris

Postremò per obedientiam ipsemet homo se superare debet.

D. Gregorius.

Præmia obedientis.

Obediens Deo etiam in temporalibus prosperatur. Abraham de 4. Regibus triumphat, & recipit à Deo repromissiones propter obedientiam.

Obedientibus omnia elemēta obediunt: aqua Moysi, Josue, D. Petro & S. Mauro; Ignis tribus pueris;

tres pueros Hebræos; (*Dan.* 3.) Quare? Quia Deo obediētes fuerūt fideles. Josue ex imperio Dei pugnat contra 5. Reges Amorrhæos, & imperio suo in cœlo solem sistit, (*Josue.* 10.) obediente Domino voci hominis. *Sol Josue.* Obedientia est victrix non minùs omnium tentationum, ipsius peccati, mortis, & gehennæ. *Obedientia peccati, mortis, gehennæ,* Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus verò peccati lex. Hæc omnia vicit obedientia Christi; Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum, (1. *Cor.* 15.) obedientem usque ad mortem crucis. (*Phil.* 2.) Denique obedientia est ipsius Dei victrix. *deniq; ipsius Dei est victrix.* Audiamus magnum Augustinum: *Sciendum Fratres, quòd quantò modo erimus ipsi obedientes Superioribus nostris, tantò erit Deus obediens orationibus nostris.* S. August. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorū exaudiet & salvos faciet eos. (*Ps.* 144.) Considerate Jacob Patriarcham quomodo Matri obediendo & fratrem Esau supplantans, & Patris recipit benedictionem, ejusq; jussu eum fugiens, ac Dei imperio ad sua rediens, atq; cùm Angelo Dei speciem referente luctans ac vincens, Israël nimirùm Deo prævalentis & dominantis vel Deum videntis nomen ac benedictionem meruit obtinere. *Jacob Matri obediendo Patris recipit benedictionem.* Divum Patriarcham nostrum quid extulit nisi obediētia vocationi Divinæ correspondens, *quâ Deo soli placere cupiēs religiosæ conversationis habitum quæsivit*, Ordinemq; suum & Regulam in solo obedientiæ fundamento stabilivit. *S. Benedicti propter obediētiam exaltatio.* Dicendum ipsi, quod Eliæ ab Elisæo dictum. Pater mi: currus Israel & auriga ejus. (4. *Reg* 2.) Currus qui ducitur, ponitur primò, & auriga qui ducit, secundò, ad ostendendum quòd ille benè ducit regendo, qui primò fuit ductilis obediendo; uti S. Pater qui se Romano Monacho subdidit regendum. Obedientiam porrò imperat debere esse ita promptam, *ut vicinô obedientiæ pede jubētis vocem factis sequamur, & veluti uno momento prædicta Magistri jussio & perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicentur.* *Obediendum sinè mora.* Hoc D. Pater noster Bernardus energicè exprimat. D. Bernardus. *Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem; parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes: totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide*, inquit Doctor noster egregius, *Dominum festinanter præcipientem & hominem festinanter obedientem.* Velociter currit sermo Dei (*Ps.* 147.) & velocem habere desiderat sequentem. Viam mandatorum cucurri, ait Propheta. (*Ps.* 118.) Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignē urentem, (*Ps.* 103.) omnia vincentem & velociter consumentē. Pro coronide definitionem obedientiæ ex Climaco adnecto, qui ait: *Obedientia est perfecta abnegatio propriæ animæ & proprij corporis, mors voluntaria, vita sine solicitudine, navigatio sine damno,* *Obedientiæ definitio ex S. Joan. Climaco.*

sepultura voluntatis, vita humilitatis, & quasi si quis iter faci *dormiendo.* Quam pulchrè per Obedientiã omnia etiã damn tionis pericula superantur. Qui in obedientia vivit, onus suu aliorum humeris imponit, super aliorum ulnas natat, ac sustent tur in aquis, ne mergatur; aliorum manibus ad cælum securè d vehitur. Stupendum non minùs ex eodem Climaco exemplu addo de quodam Achatio obediente. Hic mortuus è sepulch à Sene evocatus & interrogatus, num mortuus esset; respond obedientem non posse mori. Imò ipsi Sancti jam mortui, su obedientes viventibus Superioribus, uti D. Pater noster Bernar qui Abbati præcipienti, ne ampliùs miracula faceret, obediv O inæstimabilis! ô insuperabilis! ô invictissima obedientiæ v tus! Quis te non adamet? quis non sectetur? quis non forti teneat, qui tantam tuam in bellando, debellando, vincendo, triumphando agnoscit potentiam? Sed hoc sciendum ante omn & super omnia, obedientiam nonnisi in Cruce vincere, & triun phare. Sic D. Fundator noster Benedictus stans utiq; in Cru Ordinis à se fundati, inter manus discipulorum exspiravit, uti R noster pansis brachijs in cruce Patri tradidit Spiritum, [*Joa.* 19.] cui omnia opera sua in obedientia potissimum dixit, dicav & consecravit; ut & nos crucem post ipsum portantes exhibe mus nos servos ad obediendum, ut simus servi obeditionis ad ju stitiam, (*Rom.* 6.) simus filij obedientiæ ut obediamus Præpos tis nostris & subjaceamus eis, ipsi enim pervigilant quasi ratio pro actib⁹ nostris reddituri. (*Hebr.* 13) Sic benè pugnabimus, bo num certamen certabimus, (2. *Tim.* 4) sic vincemus hostes no stros, diceturq; de nobis illud Eccli. (*cap.* 3.) Filij sapientiæ, Ec clesia justorum, & natio illorum obedientia & dilectio. Mens e nim justi meditatur obedientiam; (*Pr.* 15.) quia tunc obedienti perfecta est, dùm per justitiam procedit ex charitate.

Stupendum exemplũ Achatij obedientis.

S. Bernardi jam demortui obedientia.

Victoria & triumphus obedientiæ in cruce.

Exhortatio ad obedientiam.

Sermo in Dominica Passionis.

Dico opera mea Regi. *Ps.* 44.

QUænam primaria sint Regum opera & officia, quæ singu lares prærogativæ, quæ virtutes principales, ex præcurren tibus Sermonibus potuit aliqualiter patescere: PP. R FF. DD. idque sigillatim, quæ sint supremi Regis nostri excell tiæ, qui simul & bonus Pastor & Custos, (*Joan.* 10.) Judex Bellator, (*Jerem.* 20.) imò exercitûs sui Antesignanus & prop gnator, excessuum discussor & corrector, pacificus, & unitatis concordiæ in populo suo amator, denique erga omnes bene centissimus est atque liberalissimus. Nunc Dominica Passion patientiam & benignitatem ipsius videtur nobis repræsentare, qu uti in ipso Deo, qui dicitur in Scripturis Sacris patiens, benign longanimis & multùm misericors; (*Joel.* 2.) ita in Regib⁹ & Pri cipib

Deus patiens, benignus, longanimis & multùm misericors.

cibus etiam necessariò reperitur. Nonne Altissimus est patiens redditor? Nunquid non clemens & benignus? quando expectat, ut misereatur nostri, & exaltabitur parcens nobis [*Is.* 30] An longanimitas & benignitas ejus ad pœnitentiam nos non adducit? (*Rom.* 2.) Ita Reges, qui vices Dei in terris gerunt, Divinā patientiam, benignitatem, & longanimitatem tenentur imitari. Sed quid patientiæ Regis nostri æquiparari potest, qui licèt ab omni peccati defectu immunis, ita ut jure meritò hodie interrogat: quis ex vobis arguet me de peccato? [*Joan.* 8.] Nihilominùs non tantùm transgressiones subditorum suorum benignissimè toleravit, verùm etiam peccata totius mundi (*Joan.* 1.) in se transtulit, illáque terribili passione atq; horrendâ crucis morte expiavit. Videte ubinam se Regem asserit institutum, ipsis gentibus frementibus, & populis meditantibus inania, astantibus Regibus terræ, & Principibus convenientibus in unum adversùs Dominum & adversùs Christum ejus, [*Psal.* 2.] id est, ipsum Messiam Regem, ac dicentib⁹: nolumus hunc regnare super nos: (*Luc.* 19.) noli scribere Rex Judæorum, non habemus Regem nisi Cæsarem (*Joan.* 19.) Ego, inquit, constitutus sum, (*Joan.* 18) id est, ordinatus, creatus, inauguratus sum Rex ab eo, solo Deo conscio, etiam ipso diabolo ignorante, multò magìs parricidis Judæis & crucifixoribus nescientibus quid facerent, (*Luc.* 23) super Syon montem sanctum ejus, (*Psal.* 2.) id est Ecclesiam; dequo S. Augustinus: *Syon si speculationem significat, nihil magìs quàm Ecclesiam debemus accipere; ubi quotidie intentio speculandæ Dei claritatis erigitur: quam etiam montem appellat propter eminentiam & firmitatem.* Sed dicet aliquis: Christ⁹ Dominus in monte Calvariæ crucifixus constitutus fuit Rex, quomodò in monte Syon? Ad quod respondetur. Montem dictum Morià fuisse in Jerusalem, qui tractu suo ad Orientem in urbe montem Syon, in quo arx David & templum Salomonis erat, & montem Calvariæ extra urbem complectebatur. Ubi notandum quod D. Augustinus refert de S. Hieronymo: *Hieronymus, ait, Presbyter scripsit se certissimè à Senioribus Judæorum cognovisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, & Adam sepultus, ubi postea Christus est crucifixus* Hunc ergò montem Moria suo sacrificio Abraham videtur initiâsse & consecrâsse, ut in monte Syon esset sedes Regū & templi fabrica, & in monte Calvariæ altare Christi in cruce oblati, ejusque in throno crucis exaltatio. Primariò tamen institutio Regis nostri dicitur facta in monte Syon, sede David Patris ejus, (*Luc.* 1.) ubi quoque sacrificij incruenti institutio, & Spiritûs Sancti missio est peracta: & undè prædicatio potissimùm cæpit præcepti Divini, legis scilicet Evangelicæ, ut de Syon exiret lex, & verbum Domini de Jerusalem, [*Isai.* 2.] à Christo prædicante præceptum Dei. Consūmatio autem omnium

Reges Divinā patientiam, benignitatem, & longanimitatem debent imitari.

Christus D. constituitur Rex à Deo Patre super montem Syon, i. e. Ecclesiam.

Mons Moria in Jerusalem versùs Orientem;

quem Abrahā suo sacrificio videtur initiâsse.

Institutio Sacrificij incruenti, & missio Spiritûs S. peracta in monte Syon.

um cæremoniarum Regiæ institutionis fuit in monte Calvariæ
Cæremoniarũ Regiæ institutionis consummatio in monte Calvariæ.
qui verè fuit Regia basilica, sacrumque Regiæ majestatis palati-
um, in quo finaliter unctus & inauguratus fuit Rex noster, in-
dutus purpurâ, coronâ redimitus, sceptro donatus, in thronum
crucis exaltatus, titulo Regio renuntiatus, atq; ab omnibus pro-
clamatus, Jesus Nazarenus Rex Judæorum. (*Joan.* 19.) Perpen-
damus singula, & inaugurationem hanc apud Gentiles & Judæ-
Seria & vera, quanquam ignominiosa apud Judæos Regis nostri inauguratio:
os ridiculam, ipsi Regi ignominiosam & dolorosam, re ipsa au-
tem veram, seriam, & à Deo Patre ordinatam solidè trutinem.
Certum est quòd gentiles Regi nostro purpureâ chlamyde cir-
cumdato, coronâ spineâ redimito, arundine locò sceptri donato
genu flexo illudebant dicentes: ave Rex Judæorum. (*Matt.* 27.)
Sed qui habitat in cœlis, irridebat illos irrisores, & Dominus sub-
sannabat hos illusores. (*Psal.* 2.) *Detestabili mentis affectu,* ai
D. Ambros.
S. Ambrosius, *honoratum tamen Judæi exitum produnt; nam &
compungentes coronant, & illudentes adorant, etsi corde non cre-
dunt, quem perimunt & confitentur. Illis licèt defuit boni oper
affectus, Deo tamen suus non defuit honor, qui salutatur ut Rex,
coronatur ut victor, quasi Deus & Dominus adoratur.* Et sic
S. Leo.
dicente S. Leone, *manus impiæ furentium dùm proprio incumbunt
sceleri, famulatæ sunt Redemptori.* Undè rectè Apostoli in Acti-
bus Apostolorum (*cap.* 4.) inquiunt: convenerunt verè in civi-
tate ista adversùs sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti
Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Israël face-
re, quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri. Manus
ergò persecutorum manui Divinæ & consilio ejus ministrârunt
à Deo Patre realiter ordinata.
ita ut quod illi illusoriè faciebant, hoc Deus Pater realiter ope-
rabatur. Idem D. Petrus in die Pentecostes manifestavit dicen
ad Judæos: Jesum Nazarenum definito consilio & præscienti
Dei traditum per manus iniquorũ affligentes interemistis. (*Act.*
Christus diversimodè traditur & benè & malè.
2.) Traditum inquit, ô quàm diversimodè! Et benè & mal
Deus Pater proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omni-
bus tradidit illum. (*Rom.* 8.) Ipse Filius dilexit nos, & tradidi
Deus Pater tradidit benè,
semetipsum pro nobis, teste Apostolo, (*Ephes.* 5.) idem rursu
repetente: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro e
(*Ibid.*) quin hoc ipsum sibi singulariter appropriante: qui dilexi
me, ait, & tradidit semetipsum pro me: (*Gal.* 2.) per quod ma-
nifestat Regem nostrum ita se tradidisse pro singulis, uti pro o-
mnibus. Prædixit hoc quoque Isaias dicens: tradidit in morten
animam suam, oblatus est enim quia ipse voluit: (*Is.* 53.) quod
alibi de se testatur asserens: ego pono animam meam, nem
tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso; (*Joan.* 10.) quod
fecit tam ex motivo obedientiæ erga Patrem, quàm ex charitat
Ipse Christus se tradidit
erga nos incentivo. Quandoquidem verò dicente Doctore gen-
tium, per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum De-
(*Heb.*

(Hebr. 9.) utique & Spiritus S. tradidit illum. Et hi sunt boni traditores Christi in mortem, tota videlicet SSma Trinitas, ex cujus haud dubiè prædestinatione, juremeritò in Apocalypsi, (Cap. 13.) occisus ab origine mundi Agnus nominatur. Quidni ipsa quoque stans ad crucem Mater censenda est ipsum non minus tradidisse tanquam vera & genuina Abrahæ filia, parata ad exemplum ejus, Filium suum Deo id sic volenti & jubenti immo lare. Eleganter S. Petrus Damianus inquit. *Inijt Deus consilium, cogit concilium de redemptione hominum, ac statim de thesauro Divinitatis Mariæ nomen evolvitur, atq; per ipsam cum ipsa & in ipsa totum hoc faciendum decernitur: ut sicut sinè ipso nihil factum est, ita sinè illa nihil refectum esset.* Nec frustra dùm primam parvuli in templo faceret oblationem, prædicitur illi, quod ipsius animam pertransiret gladius, [*Luc.* 2.] utique in secunda jam adulti oblatione; ut sic juxta Arnoldum Carnoten. *unũ holocaustũ ambo pariter offerrent Deo, Maria in sangvine cordis, Christus in sangvine carnis.* Jam mali traditores fuêre diversi, sed omnium antesignanus, qui fuit author cædis Christi & machinator, erat diabolus, qui misit in cor ut traderet eum Judas. (*Matt.* 26.) Hic sceleratissimus homo pacis, amplians adversùs Christũ supplantationẽ, (*Ps.* 40.) *vim sceleris sui*, juxta S. Leonẽ, *per speciem pacis insimulans, traditionis signum sæviore omnibus telis osculo præbuit.* Undè Redemptor ad illum: Juda, osculo Filium hominis tradis? (*Luc.* 22.) *O signum sacrilegum*, exclamat D. Chrysostomus, *ubi ab osculo incipitur bellum, & per pacis indicium pacis rumpitur sacramentum.* Agnovit serò nequam scel⁹ suum dicens: peccavi tradens sangvinem justum. (*Matt.* 27.) Judas ergò Judæis Christum tradidit, & hi tradiderunt eum Pontio Pilato Præsidi id publicè fatenti, alloquendo Christum: Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi. (*Joan.* 18.) Sed & turbæ clamantes, tolle, crucifige eum, (*Joan.* 19.) ad mortem ipsũ postulantes, nonnè fuêre Christi traditores? Deniquè Pilatus dimisso Barabba Jesum flagellatum tradidit eis, (*Matt.* 27.) Judæis nimirùm & militibus, ut crucifigeretur. *O quanti sunt Domine Jesu traditores tui!* inclamat mellifluus Pater noster. Sed maxima fuit ipsiusmet traditio, *quâ*, ex sensu S. Hieronymi, *non necessitate sed voluntate sustinuit crucem. O verè admirabile commercium*, S. Pater noster repetit, *tradidit se Rex pro servo, Deus pro homine, Creator pro creatura, innocens pro nocente.* Istis porrò omnibus traditionibus effectum est, ut Jesus Christus constitueretur Rex super Syon montem sanctum ejus, (*Psal.* 2.) solis tantùm bonis traditoribus secreti conscijs & consentientibus, inscijs autem & ignorantibus omnibus perversis traditoribus, ut juremeritò cum Patriarcha Joseph potuisset & ipsis dicere Salvator: vos cogitâstis de me mala, sed Deus vertit illud in bonũ,

Spiritus S. tradidit illum benè.

Beatissima Virgo Christũ quoq; tradidisse censenda est benè.

S. Petrus Damianus.

Mali traditores diversi, quorũ antesignanus diabolus, author cædis Christi.

S. Leo.

II. Judas, qui Christum Judæis tradidit, Judæi deinde Pontio Pilato.

Pilatus rursùs eundem Judæis tradidit.

D. Bernard⁹

S. Hieron.

D. Bernard⁹

Christus non necessitate, sed suamet volũtate sustinuit Crucem.

ut exaltaret me. (*Gen.* 50.) Quia non vestro consilio, sed D

S. August.

voluntate huc missus sum. *Nam Deus*, ait S. Augustinus, *quasd voluntates suas utiq; bonas implet per malorum voluntates mala sicut per Juaæos malevolos bonâ voluntate Dominus Christus c cisus est.* Verè magna opera Domini, exquisita in omnes vo

Idem.

luntates ejus, (*Psal.* 110.) ita dicente eodem S. Doctore, *ut m ro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etia contra ejus fit voluntatem. Sic in his omnibus eluxit Divinæ d spensationis mysterium, ut per illam voluntatem malam quâ fact est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit, benè uter malis tanquam summè bonus. Nam utitur Deus cordibus etia malorum ad laudem atq; adjumentum bonorum, & ipso etiam di bolo utitur pessimo, de quo Deus apud Isaiam:* (cap. 54.) *ecce go creavi fabrum sufflantem in igne prunas,* (*ipse namq; est omn um malorum sufflaminator & fabricator*) *ut ad bonos fines qu ipse Deus præscivit, tendant omnia quæ voluntati ejus videnti adversa.* Hæc omnia præclarè D. Augustinus. Sic ergò bon traditoribus approbantibus, malis etiam propria illusione elusi ipsorummet manibus & in eorum oculis Regis nostri peracta e

Regalia insignia & ornamenta Regis inaugurati.

inauguratio, utì sequitur per Regalia insignia & ornamenta. Pa ludamentum Regium fuit chlamys coccinea vel vestis purpure diadema corona spinea, sceptrum arundo, thronus crux, præst tatio, ecce Rex vester; (*Joan.* 19.) salutatio, ave rex Judæorum (*Matt* 27.) inscriptio & acclamatio, Jesus Nazarenus Rex Juda

Purpura, per quam juxta S. Cyrillũ, *regnum totius mundi; Secundùm* Origenem, *Sangvis mũdi, i. e. peccata;* D. Hieron.

orum. (*Joan.* 19.) Consideremus primùm purpurã Regiam. Pe purpuream vestem asserit Cyrillus *regnum totius mundi*, quo *per fidem acccepturus erat, significatum fuisse volunt.* Origene autem inquit: *suscipiens Dominus coccineam chlamydem in se san gvinem mundi suscepit; peccata videlicet, quæ iuxta Isaiam* (cap 1.) *rubra sicut coccinum: quandoquidem in eo posuit Deus iniqui tatem omnium nostrûm.* (*Isai.* 13.) Consentit D. Hieronymus; *i chlamyde coccinea*, ait, *Dominus opera gentium cruenta sustenta*

S. Athanas.

Concinit D. Athanasius. *Gestabat*, inquit, *in coccinea chlamyd speciem sangvinis, quo terra per diabolum funestata & multis cru oris undis imbuta fuit.* Sic Jesus visus à Zacharia Propheta (*ca* 3.) indutus vestibus sordidis. Et quæ sordes maximæ quàm san gvinum, tam ab irascibili quàm à concupiscibili potentia prove nientium quibus plenus est mundus? Aspersus est sangvis host um, ait ipse de se, super vestimenta mea, & omnia indument mea inquinavi. (*Isai.* 63.) Sed optimè juxta D. Ambrosium

juxta D. Ambrosium, *mysterium sacri Sangvinis declaratur.*

purpuræ specie mysterium sacri sangvinis declaratur, quo Regnum cœleste confertur. Sangvis Christi, inquit ille, *purpura est, q tingit Sanctorum animas; non solùm colore resplendens, sed etiam potestate, quia* Reges *facit, & meliores Reges quibus Regnum do net æternum.* Ita S. Pater noster sentit. *Multò quidem nobiliùs*

D. Bernard9

ait

a, *veſtem corporis ſui pretioſisſimâ effuſione purpuravit. Pur-
pra enim non plùs quàm bis tingitur, ipſe verò purpuram corpo-
r ſui non ſolùm bis, ſed etiam tertiò ſangvineo torrente pertinxit.*

Purpura bis tingitur, Chriſtus usq; tertiò ſuam tinxit.

D: Juda Patriarcha, vel ſatiùs de Meſſia ex tribu Judæ Regia
furo, vaticinium Jacobi Patriarchæ fuit: lavabit in vino ſtolam
ſ m, & in ſangvine uvæ pallium ſuum, (*Gen.* 49.) quod Chal-
dus paraphraſtes ſic vertit figuratè: purpura bona erit veſtimẽ-
t ejus, operimentũ ejus ſericũ tinctũ coccino, varijs tinctum co-
l ibus. Hoc Origenes ſic interpretatur. *Stola Chriſti quæ lava-
t in vino, Eccleſia ejus eſt, quam ipſe ſibi mundavit pretioſô
ſ gvine ſuo, non habentem maculam neq; rugam.* [*Ephes* 5.]
I em alibi paululum aliter. *Lavit Chriſtus*, ait, *in vino ſtolam,
i eſt, carnem ſuam, & in ſangvine uvæ anaboladium ſuum, hoc
e, in paſſione corporis ſui diluit gentes ſangvine ſuo. Etenim
a aboladium verbi gentes ſunt, ſicut ſcriptum eſt: vivo ego, dicit
D ominus, niſi omnes induam ſicut veſtimentum;* (*Iſ.* 49) & alibi:
ſ ut amictum mutabis eos & mutabuntur. (*Pſal.* 101.) Hæc O-
r enes. *Bona ſtola in vino lota*, inquit D. Ambroſius, *caro eſt
C riſti, qui omnium peccata operuit, omnium delicta ſuſcepit, o-
m nium errores texit.* Bona ſtola quæ univerſos induit veſte jucũ-
d atis; nam vinum lætificat cor hominis. (*Pſal.* 103.) Lavit ergò
J us ſtolam ſuam, non ut ſuam quæ non erat, ſed ut noſtrã quæ
e it, ſordem ablueret. *In quo vino*, interrogat D. Auguſtinus,
*l it ſtolam ſuam, niſi in illo de quo dicitur: quod pro multis ef-
f ndetur? In hujus enim ſangvinis vino, id eſt lavacro regenerati-
o is, à Chriſto lavatur Eccleſia; quandoquidem in morte, id eſt,
i ſangvine ipſius baptizati ſumus.* (*Rom.* 6.) Quidni igitur veſtis
c ccinea eſt Eccleſia, regio Chriſti ſangvine purpurata? Vel e-
t m ſecundùm D. Ambroſium, *hæc veſtis Martyrum palmas ſi-
g abat, qui laverunt ſtolas ſuas in ſangvine Agni.* (*Apoc.* 7.) Ita
R x noſter teſte D. Gregorio, *aſcenſum purpureum fecit ad fer-
c um throni ſui*, (intellige, flagellatus vel flagellis cæſus:) *quia
a Regnum quod intùs aſpicitur, per tribulationem ſangvinis per-
v nitur. Quid enim purpura niſi cruor & tolerantia paſſionum
a ore Regni exhibita?* Eleganter Origenes duas allegat figuras
e Scriptura dicens: *coccinea chlamys myſterium erat coccinei ſi-
g i, quod ſcriptum eſt in Jeſu Nave, quod ad ſalutem ſuam ha-
b it illa Raab: & in Geneſi; quod factum eſt in uno filiorum Tha-
m r de Regia ſtirpe ad manum naſcentis, ut coccum alligaretur in
ſ num futuræ Paſſionis & ſangvinis Chriſti.* Tali igitur Regio
p udamento indut⁹ Rex noſter erat, ut hoc manifeſtũ fieret mi-
r ulum novum & incredibile, Explicat S. Athanaſius. *Quem
a ernabantur ut vilem & contemptibilem, eum confitebantur Re-
g m.* Imò ut idem D. Doctor inquit: *cùm exueretur Dominus
i indueretur purpurâ, eo ipſo inviſibiliter trophæum de diabolo*

Stola lota in vino,

Origenes. *eſt Chriſti Eccleſia,*

eſt caro Chriſti.

Pallium vel anaboladium Gentes ſunt.

D. Ambros.

S. Auguſt.

Veſtis coccinea eſt Eccleſia.

S. Ambroſi⁹

S. Gregori⁹.

Purpura eſt cruor.

Origenes.

Regium Chriſti paludamentum.

S. Athanaſi⁹.

Miraculum novum & insigne victoria coccinea chlamys & spinea corona.

erigebatur. Miraculum novum & incredibile & magnæ sinè du-bio victoriæ insigne, quem per ludibrium subsannationemq; pulsa-bant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem & coronam spineam. Ea de causa hoc genere vestimenti indutus ad mortem processit, ut ostenderet victoriam de morte non temerè sed pro nostra salute partam esse. Sic insigniter S. Athanasius.

Rupertus.

Concludo cum Ruperto. *Illi traditores*, nimirùm & illusores ridentes, *purpuram circumdederunt ei tanquam Regi, sed ipse & seriò purpuram admisit, & calamumpro sceptro suscepit in dextra, quia certissimò per hæc fiebat, ut & in cœlo & in terra purpuram Regni, & Imperium sceptri acciperet.* Jam progrediamur ad

Regium Christi diadema, S. Vincentius. *instar pilei,*

Regium diadema, de quo Evangelista: milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus (*Joan.* 19.) Sanctus Vicentius de illa sic arbitratur. *Erat*, ait, *ad modum pilei, ita qui undiq; caput tegeret & tangeret, adinstar cydaris Pontificiæ, quæ*

Josephus. *vel coronæ Imperatoriæ.*

juxta Josephum, *erat pileus supra capitis summitatem*; vel formam gessit, dico ego, coronæ Imperatoriæ. En spinosum sertum, e rhamno, uti putatur, confectum, *impietatis contumeliosæ corona*

Tertullianus S. Chrysost.

juxta Tertullianum. *Sic ambitur*, dicente S. Chrysostomo, *sacrum caput aculeis spinarum, & Divinum verticem pænalis corona circumdat.* Sed quid? Mentita est iniquitas sibi [*Psal.* 16.] per hanc dolorosam illusionem. Audiamus mellifluum Patrem

S. Bernardus

nostrum. *In corona spinea*, ait, *non leviter imposita sed inviè impressa, non solùm opprobrium sed supplicium quærunt. Sed licet in irrisione coronent, tamen ignorantes & irridentes coronatum Re-*

Coronatur ut Rex.

gem fatentur, quia Regum est coronari. Coronatus ergò Rex esse vel ab ipsis nescientibus demonstratur. *Quale, oro te, sertum*

Tertullianus.

subijt? quærit Tertullianus, *ex spinis opinor & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis. Abstulit autem virtus crucis omnes aculeos mortis in Domini capitis tolerantia*

Corona spinea solutio maledictionis.

obtundens. Maledicta terra in opere hominis, teste Scripturâ spinas & tribulos ei germinabit. (*Gen.* 3.) *Mysterium erat corona*

S. Cyrillus.

spinea, ait Cyrillus, *solutio enim erat peccatorum, & dissolutio maledictionis; propterea Jesus accepit spinas, ut solvat hanc maledictionem.* Non incongruè S. Athanasius inquit: *spineam coronam*

S. Athanasius.

gestare voluit, ut solicitudines nostræ vitæ extirparet, & spinarum gestatione omnes in securitatem assereret. Ipse enim in doloribus & curis erat, ut nos doloribus careremus. Sed & corona signum est

Corona signum victoriæ & triumphi.

victoriæ & triumphi. Ita S. Ambrosius. *Corona de spinis capiti*

S. Ambrosius.

ejus annexa, quid aliud quàm Divini sanè operis munus ostendit, quòd de peccatoribus mundi tanquam seculi pænis triumphalis Deo

D. Hilarius.

gloria quæreretur. Idem asserit D. Hilarius. *Peccatorum est acu-*

D. Gregorius *Deus in medio rubi,*

leus in spinis, ex quibus Christo victoriæ corona contexitur. Figuram spineæ coronæ pulchrè D. Gregorius attexit. *Quid Dominum de medio rubi in flamma ignis apparentem credimus fuisse,*

nisi

ni Regem nostrum, qui in igne Deitatis, carnis nostræ dolores
qasi rubi-spinas suscepit? Aliam figuram D. Augustinus innuit, S. August.
dariete loco Isaac ab Abraham immolato. (Gen. 22.) Quis a- *Aries inter*
lij erat ille aries, ait, qui cornibus tenebatur inter vepres, nisi *vepres tentus,*
Cristus crucifixus & spinis coronatus? Aptè equidem Ecclesiastes *figura Christi*
(7.) alludit ad hanc illusoriam coronationem; sicut vox spi- *coronati.*
nrum, ait, sub olla, ita risus stultorum: de quo S. Ambrosius. S. Ambrosi9
Dempè spinæ cùm ardent sonant & citò exuruntur, ut nullus calo-
ri sit effectus; ita Judæi exarserunt sicut ignis in spinis. (Psal. 117)
Exusti sunt enim suo risu, & conflagrârunt in Domini passione,
qandò in animæ suæ jocabantur incendium, & deridentes per-
ciebant calamo caput ejus, & spinis eum coronabant, ille risus sy-
nagogam incendit in æternum. Christo Regi autem data est coro-
n, & exivit vincens ut vinceret; utì ait Germanus Patriarcha Germanus
Constantinopolitanus. Corona ex spinis plexa ante Crucem ca- Patriarcha
pi imposita confirmabat victoriam dicentis: confidite, ego vici Constanti-
mundum mundiq; Principem, portans peccatum mundi. Pec- nopolitanus.
cati verò symbolum spina est. Præclarè S. Ambrosius. Corona nō *Peccati sym-*
nisi ubi fuerit difficilioris lucta certaminis, non enim coronatur *bolū est spina.*
ni qui legitimè certaverit. (2. Tim. 2.) Finio cum exclamatione S. Ambrosi9
SPatris nostri. O Regem! O diadema! Mater siquidem syna- S. Bernardus
ga non matrem se exhibet sed novercam, Regem nostrum coronâ
spineâ coronavit. Pudeat sectari gloriam membra, quibus caput
sum tam inglorium exhibetur. Pudeat sub spinoso capite membrū
fri delicatum; quod omnis ei interim purpura non tam honoris sit *Sub capite spi-*
qàm irrisionis. Pudeat dico cum Tertulliano coronari rosis et vi- *noso membrum*
o, quandò spinæ Domini tempora & fædaverunt & lancinave- *delicatum.*
rnt. Sed ecce & Clerici & Monachi coronam in capite gestāt, Tertullianus
a quid? Respondet V. Beda. Ita oportet, Monachos votum vel *Cur Clerici*
gadum Clericatûs habentes, formam coronæ, quam ipse pro nobis *& Monachi*
spineam portavit, suo quemq; in capite per tonsuram perferre, ut *coronam in ca-*
sirrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo suffer- *pite gestant?*
ripso etiam frontispicio doceant. Succedit tertium insigne Re- V. Beda.
gium sceptrum, quod fuit arundo in dextera ejus posita, ubi *Regiū sceptrū*
gnu flexo ante eum illudebant ei dicentes: ave Rex Judæorum; *arundo in*
(Matt. 27.) quod S. Hieronymus sic enucleat. Pro sceptro Re- *dextera,*
gi dant calamum, & adorant quasi Regem, & exspuentes in e- S. Hieron.
um accipiunt arundinem, & percutiunt caput ejus. Arundo au- *quid significet?*
tm & fragilitatis signum est, & inconstantiæ, & inanitatis, quā
po sceptro porrexerunt Regi, quasi regnare volenti & non va-
lnti, vacuitate calami Regnum ejus quasi inane designantes.
Origenes id confirmat. Calamus ille quem posuerunt in dextera Origenes.
ejs, mysterium fuit sceptri vani & fragilis, super quem incumbe-
bmus priùsquam crederemus, sceptrum maligni. Confidebamus e-
nm in virga calaminea Ægypti vel Babylonis, vel cujuscunq;

Regni contrarij contra Regnum Dei. Et accepit calamum illu[m] & virgam fragilis Regni de manibus nostris, ut triumphet eum [&] conterat in ligno Crucis; & pro calamo illo priori dedit nobis sc[e]ptrum Regni cœlestis. Sciendum autem sceptrum virgam quo[que] & baculum nominari.

Sceptrum virga & baculus nominatur.

Virga quam Moyses & Aaron & 12. Prin[]cipes tribuum gestabant, erat insigne rectricis & judiciariæ po[]testatis.

Virga signum judiciariæ potestatis.

Virga Regis nostri est virga virtutis emissa ex Syon, sign[um] dominij in medio inimicorũ; (*Ps.* 109.) est virga directionis, virg[a] Regni ejus. (*Psal.* 44.) Reges eos in virga ferrea, ait Propheta (*Psal.* 2.) id est, virga rigoris & severitatis.

Virga virtutis, virga directionis, virga ferrea,

Virga & bacul[us] junguntur simul aliquando. Apud Regium vatem, virga tua [&] baculus tuus ipsa me consolata sunt. (*Psal.* 22.) Apud Jeremiam (*cap.* 48.) quomodò confracta est virga fortis, baculus glori[o]sus? Apud Isaiam; (*cap.* 14.) contrivit Dominus baculum imp[i]orum, virgam dominantium; & alibi: væ Assur, virga furori[s] mei, & baculus ipse est. (*Is.* 10.) Apud eundem (*cap.* 36.) po[r]rò bacul⁹ arundineus confractus à Rege Assyriæ nominatur Pha[]rao Rex Ægypti, qui etiam apud Ezechielem (*cap.* 29.) vocatu[r] draco magnus, figura planè diaboli draconis infernalis, qui cu[]bat in medio fluminum; & hic forma Behemoth, qui sub um[]bra dormit in secreto calami, & in locis humentib⁹, ubi maxim[è] arundo succrescit; per quam ex sensu D. Gregorij, *temporalis mũ[n]di gloria denotatur.*

Virga & baculus simul juncta in Psalmo. Apud Jeremiam, Apud Isaiam, I. II. Baculus arundineus Pharao Rex Ægypti, & draco magnus figura diaboli.

S. Gregori9. Arundo mundi gloria.

Dicitur autem Pharao iste, quòd fuerit ba[]culus arundineus domui Israël; & talis est diabolus & tale regn[um] ejus, quod Rex noster in arundine apprehendit, ut regnum eju[s] contereret & dissiparet. Præstantissimè S. Athanasius. *Atq; hin[c] rursùm*, ait, *quòd arundinem quoq; accepit, cùm illi à diabolo por[]rigeretur ignaro, quòd contra se ipsum gladium acueret.* Dicitu[r] *enim arundo serpentibus letalis esse, atq; indè potissimùm inter[]fici. Cùm igitur ipse Dominus Sabaoth, ut Isaias dicit, (cap.* 51.) *fugientem draconem & magnum illum serpentem diabolum persequi statuisset; tùm ejus rei causâ, id quod exitiale erat, a[b] eis accepit, ut suis proprijsq; rebus debilitatiore reddito diabolo ijs quæ Christi erant homines fortiores redderentur. Qua[] quid David in Goliath designavit, qui sumpto adversarij gla[]dio, eo ipso illius caput præcidit. Idem quoq; Servator fec[it] sumens arundinem ab illis, ut nos non solùm liberaret à versuti[a] serpentis, sed & illum serpentem tolleret, & mortuum exhibere[t].*

S. Athanas.

Arundo serpentibus letalis.

Idem est D. Hieronymi sensus dicentis. *In corona spinea maledi[]ctum solvit antiquum; in calamo venenata occidit animalia.* Jam de percussione capitis sanctissimi audiamus præfatum D. Atha[]nasium. *Videns serpens se amisisse chirographum & calamum, qu[i] nos in sua cautione descripserat, rursùs non audenda audet: re[] sumptâ enim à Domino arundine, cùm milites arundine Christum se pulsare existimarent, hallucinabantur; quippe qui diabolum ips[]*

D. Hieron.

S. Athanas.

ritantem verberabant. Et paulò post: *quod sanè versutissimo* *Quis effectus arundinis? I.*
i serpenti ad summum vituperium cessit. Omninò enim si à
Domino vapulâsset, gloriari poterat; nunc ab illis percuti, quos in
rvitutem redegerat, id omne dedecus probrumq; transcendit. Sed
men non illorum verbera serpentem conficiebant, nihil inde enim
terant ijdem illi & homines & carnifices, sed ut dolori erat illi
ntumelia à Judæis illata, ita verberibus arundinis vi Christo im-
ssis consauciabatur. Hæc eleganter S. Athanasius. Quò con-
irat Abacuc prophetia dicentis: percussisti caput de domo im-
j. [*Hab.* 3.] D. Ambrosius aliter arundinem explicat inquiens; S. Ambrosi9.
rundo vel comprehenditur manu ejus, ut humana fragilitas jam II.
m sicut arundo moveatur à vento, sed operibus Christi corroborata III.
rmetur; vel illâ caput ejus percutitur, ut solidata Divinitatis
tactu nostra conditio nutare non possit. Sed quia calamus etiam *De calamo in manu Christi.*
ribendi instrumentum est, D. Hieronymus inquit: *calamum* S. Hieron.
nebat in manu, ut sacrilegium scriberet Judæorum. Verùm sva- *Quare? I.*
ùs & mitiùs S. Athanasius applicat: nimirùm, ut deleret quòd S. Athanasi9
versùm nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium
bis dicente Apost. tulit de medio affigens illud cruci, & exspo-
ns principatus & potestates traduxit confidenter palam trium-
ans illos in semetipso. En verba S. Athanasij. *Cùm hoc chiro-*
aphum nactus inimicus noster hostes invaderet, & tyrannidem
omnes exerceret ut in subjectos sibi, ea de causa cùm illum omni-
s spoliâsset Dominus, calamum etiam accepit, ut victoriam o-
ntaret. Gestabat ergò chirographum in calamo, quo instructus
n olim nos diabolus æri suo rationibusq; inscriptos habebat, ut
à cum morte etiam ista demoliretur. Et infra. *Videt sceleratus* *Quare? II.*
se ab illis omnibus spoliari & excidere, quibus adversùm nos
erebatur, & se è terra proturbari, amisisseq; chirographum &
lamum, quo nos in sua sanctione descripserat. Huc collimat
D. Ambrosius. *Arundo manu ejus comprehenditur, ut affixo* S. Ambrosi9
cruci chirographo quod erat contrarium nobis, sententiæ vetustas
cessaret. Ergò Rex noster jam Regalibus initiatus insignijs, *Quomodò Rex Christus?*
portans coronam spineam, & purpureum vestimentum, atque
arundinem in dextera; specie hâc suâ intendit, prosperè procedit
& regnat. (*Psal.* 44.) Ah quantæ patientiæ in doloribus & pres-
suris! quantæ mansvetudinis in contumelijs & opprobrijs! quan-
tæ longanimitatis in adversitatibus & persecutionibus! Vir do-
lorum, imò Rex dolorum, licèt novissimus virorum, (*Isai.* 53.)
opprobrium hominum & abjectio plebis; (*Ps.* 21.) meritò vero
ac sincero corde à nobis salutandus & adorandus, eructando ex
corde verbum bonum: (*Psal.* 44.) Ave Rex Judæorum. (*Matt.*
27.) Te credimus, agnoscimus, & confitemur esse verè Regem *Allocutio ad Christũ Regẽ.*
constitutum in monte sancto tuo Syon, (*Psal.* 2.) quæ est Ec-
clesia tua ubique existens, ut in nomine tuo omne genu flecta-

tur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingva cō
fiteatur, quoniam per patientiā, & passionem tuam es in glori
Dei Patris, (*Phil.* 2.) Rex gloriæ, (*Ps.* 23.) Rex Regum & Do
minus Dominantium, (*Apoc.* 19.) Jesus Nazarenus Rex Judæo
rum. (*Joan.* 29.) Cum hac confessione, quæ verorum est Juda
orum, id est confitentiū, conformemus nos Regijs facinorib⁹ pro
nobis & dolorosè & gloriosè Regio planè animo exantlatis. D
camus quoq; opera nostra, opera passionum, opera patientiæ
mansvetudinis, benignitatis, & longanimitatis Regi nostro, imi
tatores ejus facti. Quia Christus passus est pro nobis, vobis re
linquens exemplum, ait Princeps Apostolorum, (2. *Pet.* 2.) ut
sequamini vestigia ejus. Quomodò? Qui peccatum non fecit
nec dolus inventus est in ore ejus, (1. *Pet.* 2.) ut idem fiat in no
bis. Qui cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretu
non comminabatur; [*Ib.*] ut similiter faciamus. Tradebat au
tem judicanti se injustè, ut & nos tradamus cum Apostolo cor
pora nostra, ita ut amore ejus ardeamus. (1. *Cor.* 13.) Lavemu
stolas nostras in sangvine Agni, (*Apoc.* 22.) patiendo pro ipso
& compatiendo ipsi; sit corona spinea in capite, arundo in ma
nu, compungamur in cogitationibus capitis, verberemur in ope
rationibus manuum, ut plenarie & totaliter in patientia Regi
nostro conformemur.

Exhortatio ad conformitatem Passionis Christi.

Sermo in Festo Annuntiationis B. V. Mariæ.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

Beatissima Virgo summum Dei opus,

BEatissima Virgo Maria summum Divinæ creationis, redemptionis, & sanctificationis Opus ita se & opera sua reciproce Deo addixit, ut nihil in ea & in tota vita ipsius reperiretur, quod non esset Deo conformatum, ejusq; laudi honori ac gloriæ consecratum. PP. RR. FF. DD. Et quidem à summo Rege procreata, ex Deo, qui est altissimus Rex super omnes cœlos & super omnē terram (*Ps.* 96) nata, (*Joā.* 1) & filia Regis & Regina, adeò conformis fuit Regi factori & rectori suo, ut concupisceret Rex decorem ejus, (*Ps.* 44.) qui fuit perfectissimus, ex eo quòd decori Regio corresponderet. Utque sciremus quis esset hic Rex, addit Propheta: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. (*Ibid.*) Fecerat Deus hominem veterem ad imaginem & similitudinem suam; [*Gen.* 2.] sed per peccatum & imago fædata, & similitudo fuit deperdita. Facit Deus hodie alium novū hominem, Deum hominem, qui est imago bonitatis illius, [*Sap.* 7.] sibi per omnia simillimum, quia Filium suum unigenitum, Deum de Deo, hominis naturam complexum, ut in homine & imaginem ab omni fæditate peccati mundaret, & similitudinem Dei restitueret. Sed huic novo homini non inveniebatur adjutor similis ejus, (*Gen.* 2.) ex quo & ipse

ex Deo nata, Filia Regis, & Regina, conformis Regi Deo, decoris perfectissimi.

Factus homo vetus.

Christus novus homo veterem hominem ad imaginem & similitudinem Dei reformans

procrearetur, & vetus homo recrearetur. Quid tamen? Fe- *Quomodò facta*
cit Deus adjutoriũ simile Adamo; fecit ex costa dormientis no- *Eva & Ma-*
vi Adæ, ex latere sopore mortis in cruce absumpti viri dolorũ, *ria?*
(Isai. 53.) fecit, inquam, per prædestinationem & præservatio-
nem Viraginem de se viro sumptam; sed ut ipsum circumdaret
virum, (*Jer.* 31.) ut mater esset ipsius immaculati immaculata,
& ipse esset filius hominis, filius Virginis Matris sibi per omnia
simillimæ & conformis. Videamus paululùm has similitudines *Similitudines*
& conformitates. Rex speciosus formâ præ filijs hominum (*Ps.* *& conformita-*
44.) dictus, dicit de Regina Matre sua: tota pulchra es amica *tes inter Jesũ & Mariam.*
mea, & macula non est in te: (*Cant.* 4.) pulchra in anima, pul- I.
chra in corpore, pulchra in Conceptione mei, pulchra in genera-
tione, semper Virgo intacta, intemerata, incorrupta & illibata.
Diffusa est gratia in labijs Regis, (*Psal.* 44.) qui est verbum ple- II.
num gratiæ & veritatis: (*Joan.* 1.) Regina plena gratiâ hodie de-
nuntiatur, & ultra invenisse gratiã apud Deũ annuntiatur. (*Luc.*
1.) Rex vocatum nomen habet Emanuel, (*Is.* 7.) id est nobiscum III.
Deus: Reginæ hodie à cœlesti nuntio refertur, Dominus tecum.
[*Luc.* 1.] De Rege asserit Regius Propheta, benedixit te Deus IV.
in æternum: (*Psal.* 44.) Regina benedicta in mulieribꝰ dè cœ-
lo declaratur. (*Luc.* 1.) Rex benedictus fructus ventris [*Ibid.*] V.
Reginæ nominatur: sed & Reginæ beatꝰ venter publicatur qui eũ
portavit, & beata ubera quæ illũ lactaverunt. (*Luc.* 11.) Rex De- VI.
us fortis: (*Isai.* 9.) Regina mulier fortis. (*Eccli.* 26.) Rex Pater
futuri seculi: (*Is.* 9.) Regina mater cunctorum viventium. (*Gen.*
3.) Rex Princeps pacis: (*Isai.* 9.) Regina facta coram eo quasi VII.
pacem reperiens. (*Cant.* 8.) Rex super aspidem & basiliscum VIII.
ambulans, atque conculcans leonem & draconem: (*Psal.* 90.)
Regina conterens caput serpentis antiqui. (*Gen.* 3.) Rex lux IX.
mundi, (*Joan.* 8.) sol justitiæ, (*Malac.* 4.) lux vera illuminans
omnem hominem: (*Joan.* 1.) Regina sicut aurora consurgens,
pulchra ut luna, electa ut sol. (*Cant.* 6.) Rex terribilis, Rex ma- X.
gnus super omnem terram, (*Psal.* 46.) Dominus exercituum
nomen ejus: (*Isai.* 54.) Regina terribilis velut castrorum acies
ordinata. (*Cant.* 6.) Rex numerat multitudinem stellarum, & eis XI.
nomina vocat: (*Psal.* 146.) Regina in capite habet coronã stel-
larum duodecim. (*Apoc.* 12.) Regis facies resplendens sicut sol, XII.
& vestimenta alba sicut nix: (*Matt.* 17.) Regina amicta sole.
(*Apoc.* 12.) Rex flos campi & lilium convallium: (*Cant.* 2.) Re- XIII.
gina sicut lilium inter spinas, (*Ibid.*) & virga de radice Jesse, ex
cujus radice ipse flos ascendit. (*Isai.* 11.) Rex sicut malus inter XIV.
ligna sylvarum, (*Cant.* 2.) & statura ejus assimilata est palmæ:
(*Cant.* 7.) Regina est arbor vitæ in medio paradisi, (*Gen.* 2.) est
quasi palma exaltata in Cades. (*Eccli.* 24.) Rex humilis & mi- XV.
sericorde, (*Matt.* 11.) pauper & mansvetus: Regina ancilla Do-

mini. (*Luc.* 1.) Rex Salvator mundi, (*Joan.* 4.) & Domin[...] cujus est orbis terræ & plenitudo ejus: (*Psal.* 23.) Regina me[...] terræ, in quo ipse operatus est salutem. [*Psal.* 73.] Rex dives [...] misericordia, cujus templum sanctum est mirabile in æquita[...] (*Psal.* 64.) Regina medium templi, in quo suscepimus mise[...]cordiam tuam Deus. [*Psal.* 47.] Sed quis cunctas poterit R[e]ginæ similitudines Regi conformes edisserere, quæ Regi data [...]

Maria adjutorium simile Jesu, sine qua nullum homini adjutorium.

adjutorium simile sibi? Omninò hæc est, sinè qua homo per[di]tus nullum Dei adjutorium potuisset experiri, nec ad Dei simi[li]tudinem reformari. Per hanc Rex cùm in forma Dei esset [æ]qualis Deo, formam servi accepit in similitudinem hominum [fa]ctus & habitu inventus ut homo. (*Phil.* 2.) In hac omnipote[n]tia Patris Creatoris enituit, in hac sapientia Filij Redemptoris [e]micuit, in hac bonitas Spiritûs S. Sanctificatoris excelluit: ac p[o]tissimùm quandò Spiritus S. supervenit in illam, & virtus Alti[s]simi obumbravit illi, ut ex ea nasceretur Sanctum, quod voc[a]retur Filius Dei, (*Luc.* 1.) qui esset Rex Regum & Domin⁹ D[o]minantium, [*Apoc.* 19.] cujus Regni non erit finis. (*Luc.* 1[.]) Huic soli Regina se totam & opera sua dixit, tanquam Mat[er] unigeniti Filij Dei, unigeniti Filij sui Genitrix, ad hoc prædest[i]nata, ab æterno ordinata, (*Prov.* 8.) electa & prælecta ante o[m]nem creaturam. (*Eccli.* 24.) Hinc primò & primariò puritat[is] illius sectatrix, primumque Virginitatis decus hodiè manifest[a]t dicens: quoniam virum non cognosco: (*Luc.* 1.) & cor & co[r]pus immaculatum tanquam speculum sinè macula, (*Sap.* 7[.]) Divino & à maculis alieno Soli proponens, sicque totam se Re[gi] suo immolans instar holocausti. Humilianti autem & exinani[]enti se in carne Deo, non absimile humilitatis specimen exhibu[]it, servitium Domino ancillare præsentans; undè respexit humil[i]tatem ejus, ita ut beatam illam dicant omnes generationes. (*Lu[c.]* 1.) Porrò Filium Dei cernens Deo Patri obedientem, & ips[i] promptè obedivit annuens: fiat mihi secundùm verbum tuum[.] (*Ibid.*) Denique cum ipso Rege suo pauper, exul, persecutioni[]bus & ærumnis exposita, patiens, benigna, mitis, clemens, pia[,] misericors, audiens verbum Dei & custodiens illud; [*Luc.* 11.] ad voluntatem Dei integrè resignata, per totius vitæ suæ decur[]sum astitit Regina à dextris ejus: (*Psal.* 44.) ultimariò patien[ti] compatiens, morienti in cruce commoriens, gladio doloris ani[]mam ipsius pertranseunte. Nonnè sic perfectissimè & conformi[]ter omnia opera sua Regi dixit ac dicavit? Nonnè per hæc omni[a] laudi Divinæ honori & gloriæ litavit? Nonnè planè adjutoriu[m] ej⁹ simile ipsi fuit? Imò ipsa erat porta Sãctuarij exterioris (*Ezech.* 44.) quod est Ecclesia militans, (nam triumphans est Sanctua[]rium Dei interius,) respiciens ad Orientem, ad illum planè d[e] quo apud Zachariam: (*cap.* 6.) ecce vir Oriens nomen ejus, & [...]

In Maria Omnipotentia Patris, Sapientia Filij, Bonitas Spiritûs S. excellunt.

Similitudo XVI. in puritate.

XVII. in humilitate.

XVIII. in obedientia.

XIX.

Omnia opera sua Regi dixit Maria.

Maria porta Sanctuarij exterioris.

erit clausa; de qua Dominus dixit: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam, (quia non cognovit virum) quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa Principi soli Regi nostro. (*Ezech.* 44.) Princeps ipse quievit in ea, videlicet per assumptæ carnis humilitatem: de quo Richardus à S. Laurentio, *Sicut enim qui sedet, in parte prostratus est, in parte erectus: sic Dei Filius in natura humana prostratus, in Divina fuit erectus.* Porta hæc semper clausa, quia semper Virgo, ante partum, in partu, & post partum: in qua 9. mensibus sedit Rex noster, qui per illam ingressus & egressus, claustro Virginitatis illibato & inviolato. Ipsa erat hortus conclusus, fons signatus; [*Cant.* 4.] nec clausuram aperire, nec signaculum violare ullus potuit invasor hostis. Tota cum delicijs amœni horti quò ad corpus, cum exuberantia limpidi fontis quò ad animam soli patuit Regi; planè Virgo concipiens, Virgoque generans, conclusi horti & signati fontis intemeratum in se decus dedicavit. Hortus & fons fæcunditatis specimen, clausura & signatura Virginitatis gloriam præseferunt. Rex consequenter intentiùs inclamat, pro salute horti, & fontis conservatione: Surge aquilo, (*Cant.* 4.) ut nimirùm hinc abeas, ocyùs discede, maturafugam; es enim gelu tuô hortorum inimicus. In lateribus aquilonis Lucifer voluit sedere; (*Isai.* 14.) Ab aquilone pandetur omne malum: (*Jerem.* 1.) idcircò evigila & abscede; neque enim in hoc horto frigus aquilonare plantas ac flores adurens, exsiccans & enecans locum habet; nec Lucifer, nec serpens, nec spiritus malignus huc accedere potest; abest hinc omne malum. Veni auster, (*Cant.* 4.) calore & humiditate hortum vegetans & fœcundās: superveni S. Spiritus, fœcunditatem inducens, Virginitatis speciem conservans. Ab austro hoc calor Divini amoris & humor fructiferæ operationis procedit. Perfla hortum meum, (*Ibid.*) alijs omnibus conclusum, tibi & mihi soli pervium, & fluant aromata illius, (*Ibid.*) gratiarum Dei profluvia in mūdum universum. Et factum est ita. Imperavit ventis contrarijs, & mari, illi peccatorum abysso; & facta est tranquillitas magna. (*Matth.* 8.) Deus tandem ab austro venit (*Hab.* 3.) hodie; & fecundavit hortum hunc voluptatis suæ, paradisum hunc deliciarum novo providit germine, novo homine. Verè germen Domini ex hoc horto est in magnificentia, & fructus terræ sublimis. (*Isa.* 4.) Sic Domina nostra Virgo & Mater, facta est Regina austri, Spiritu Sancto semper plena, nobis quoq; ejusdem Spiritûs gratissimos impetrans afflatus: Regi Salomoni Sapientissimo & pacifico conjunctissima, cui se, ut portam clausam, & hortum cōclusum, & fontem signatum præsentavit. Imò omnia, sicut omnibus, sic vel maximè *Deo Regi* suo seipsam exhibuit; & quemadmodum per ipsum facta & refecta sunt omnia, sic per illam

Richardus à S. Laur.

Beatissima V. Porta clausa,

Hortus conclusus, Fons signatus,

Pro salute horti aquilo, i. e. Lucifer abscedere

auster verò, i. e. Spiritus S. venire jubetur

Maria hortus voluptatis, Paradisus deliciarum,

Regina Austri,

Regi Salomoni sapientissimo conjunctissima,

tanquam primam cooperatricem Divinæ diſpenſationis atq; hu-
manæ reparationis, ſigillatim virtute Incarnationis hodiernæ Fi-
Dei in ipſa adimpletæ. Omnium facta eſt integra reſtauratio, &
imaginis fœdatæ in homine expurgatio, & ſimilitudinis Divin-
redintegratio. Ecce enim Deus quaſi unus ex nobis factus e
(*Gen.* 3.) homo; quidni homo fiet quaſi unus ex Dijs? Eg
dixi, *D*ij eſtis, aſſerit Rex Prophetarum; (*Pſ.* 81.) quod de vir
juſtis & ſanctis poteſt intelligi, qui præter imaginē & ſimilitudin
Dei naturalem, quæ conſiſtit in anima incorporea, individua &
æterna; memoriam, intellectū, voluntatem, liberumque arbitri
um poſſidente, virtutum omnium capace, & dominatum ſupe
alias creaturas beſtiales poſſidente, ſupernaturalem habent ſimi
litudinem, quam gratia divina, totam exornans animam perfic
& adimplet. Et filij excelſi omnes, continuat *R*egi⁹ Vates: (*Pſ.* 81
quam prærogativam juſtis & ſanctis dedit Filius Dei factus Fili
us Virginis Matris; dedit enim eis poteſtatem filios Dei fie
his, qui ex *D*eo nati ſunt: [*Joan.* 1.] originaliter ex Dei volun
tate, electione, prædeſtinatione, & charitate, qua illos Deus a
mat, conſequenter nati ex Dei ſpiritu, & gratiâ, atq; charitate pe
Spiritum Sanctum diffuſâ in cordibus, (*Rom.* 5.) quâ Deus reda
matur: finaliter ex ipſa Dei totiuſq; SS. Trinitatis māſione & inha
bitatione in anima, quā efficit Dei dilectio & mandatorū ej⁹ ob
ſervatio. Sic namq; ipſa Veritas Divina eloquitur: Si quis dili
git me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, &
ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. (*Joann*
14.) Ita qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo
(1. *Joan.* 4.) Hoc eſt fieri *D*eum & filium Altiſſimi, hæredem
Dei, cohæredem Chriſti juxta promiſſum Oſee Prophetæ: [*c.* 3
Erit in loco, ubi dictum eſt eis: non populus meus vos; diceti
eis: filij Dei viventis. Per quam viam venit tanta beatitudo ſupr
homines? Per unicam viam vitæ & ſalutis Mariam. Ipſa eſt vi
ſancta per quam Deus ad nos venit, & per quam nos ad Deun
redimus. Reverà ſinè ipſa factum eſt nihil, quod factum eſt in
humana reſtauratione; *quæ eſt principium beneficiorum Dei in ge
nus humanum*, teſte Idiota, *& principium ortûs noſtri ad vitam
Principium omnis gratiæ in nobis poſt Deum* ex mente *D*. Alber
ti Magni, & juxta S. Antoninum *principium*, *ex quo recreatum
fuit omne creatum*; idq; ideò, quia fuit principium Chriſti, prin
cipium conceptionis & incarnationis ejus non tantùm material
vel paſſivum, ſed etiam activum; adeòq; dici poteſt plus quàm
Mater. Aliæ enim Matres ex ſanguinibus ſuis & maris concipiū
ac generant: Beatiſſima autem Virgo per Spiritûs Sancti opera
tionem & Altiſſimi virtutem obumbrantem, ex proprio ſangvi
ne Virgineaque ſubſtantia ſua totam maſſam ac materiam Cor
poris Chriſti formavit non ſolùm virtute conceptivâ paſſivâ, ſed
etiam

Per quam omnium facta eſt integra reſtauratio.

Juſti & Sancti ſunt Dij.

Propter ſupernaturalē ſimilitudinem, quā gratia Divina perficit.

Sunt & filij Excelſi, nati ex ſpiritu Dei, gratia, & charitate.

Omnis beatitudo per Mariam unicam vitæ & ſalutis viā.

Idiota.

D. Alber. M.
S. Antonin⁹.

Beatiſſima V. plùs quàm Mater. Quomodò?

enim generativâ activâ, ita ut dederit Christo totum essendi principium quoad humanam naturam, quam ex ea assumpsit. Undè meritò Rex illi dicere potest illud Jobi: (*cap.* 10.) pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me. O principium salutis nostræ Princeps Regina & Domina, Mater Principis Christi qui est Princeps Regum terræ, (*Apoc.* 1.) imò Mater Regis Regum. (*Apoc.* 19.) *Princeps quasi principium capiens*, ex sensu Richardi à S. Laurentio, *illum qui de se dicit: ego principium qui & loquor vobis:* (*Joan.* 8.) vel quasi primum capiens, id est illum qui se nominat: ego primus & novissimus, (*Apoc.* 1.) quem hodie per portas auris & cordis cepisti, & in porta clausa uteri tui benedicti concepisti, cui factus est principatus super humerum ejus, (*Isai.* 9.) per quem Reges regnant & Principes imperant. (*Prov.* 8.) Fac per Tua merita & gratiam ipsius, ut ad imaginem & similitudinem DEI reformemur; illi velut reformationis prototypo, & Tibi tanquam similitudinis ejus speculum per virtutum vestrarum imitationem conformemur. Simus quoque portæ clausæ inimico, apertæ soli Regi nostro, devotæ Tibi Reginæ nostræ; ut in portis nostris laudentur opera tua. (*Prov.* 31.) Simus horti conclusi, excluso serpente ejusque instinctibus, fontes signati crucis signaculo, nec unquam aquilo Luciferianus invadat hortos animarum nostrarum, sed auster Divinus humorem gratiæ & calorem amoris sui nobis afflet & affundat; ut participium Divinitatis per Incarnationem Filij Dei consequi mereamur, & filij Excelsi, (*Psal.* 81.) sed & Tui tanquam Matris cunctorum viventium, (*Gen.* 3.) ipsi quoque cum omnib⁹ statib⁹ Ecclesiasticis, Religiosis & Politicis, cumq; animabus agonizātib⁹ & purgātib⁹ in Deo & Christo vivētes efficiamur.

Maria principium salutis humanæ.

Richardus à S. Laurentio

Simus portæ clausæ inimico, horti conclusi serpenti, fontes signati crucis signaculo.

Sermo in Dominica Palmarum.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

BEnedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël, pax in cœlo & gloria in excelsis. (*Luc.* 19.) Benedictum quod venit Regnum Patris nostri David. Domino Regi suo asinam v pullum ejus insidenti ac Jerusalem ingredienti (*Matt.* 21.) hodie applaudunt populi Judæorū, & concinunt Osanna, id est, sal- v obsecro. PP. RR. FF. DD. Hoc est quod prædixit prædict⁹ Rex Prophetarum: ô Domine salvum me fac, ô Dñe benè prosperare, (adventus enim Regis est salus & prosperitas) Benedictus qui venit in nomine Domini, ille ipse est Deus Dominus qui illuxit nobis. (*Psal.* 117.) Ipse est benedictio cœli & terræ, et benedictio omnium gentium, (*Eccli.* 44.) fons omnis benedictionis, cui meritò confitendum: benedixisti Domine terram tuam, [*Psal.* 84.] Per quid? Sequitur: avertisti captivitatem Jacob. (*Ibid.*) O vera benedictio à captivitate diaboli & homi-

Applausus Judæorum Regi Israel Hierosolymam ingredienti;

cujus adventus, salus & prosperitas.

Benedicit terram, avertit captivitatem,

remittit iniquitatem,

num liberatio & redemptio. Remisisti iniquitatem plebis tu operuisti omnia peccata eorum; (*Ibid.*) O desideratissima ben dictio peccatorum remissio, imò per se ipsum pro peccatis to mundi satisfactio! Mitigâsti iram tuam, avertisti ab ira indign

mitigat indignationem.

tionis tuæ: (*Ibid.*) O felicissima benedictio, iræ Divinæ mitig tio & indignationis ejus aversio, adeòque Divinæ gratiæ reco ciliatio! Et hæc omnia fecit Rex Israël pro populo suo. Sic ve fecit Osanna; sic Deus ipse venit & salvavit nos: [*Isai.* 35.] prosperatus est, quia sic intendit prosperè processit & regnav (*Psal.* 44.) Hoc est benedictum Regnum David, pro quo er Psalmus: memento Domine David & omnis mansvetudinis jus. (*Psal.* 131.) Dicite filiæ Syon, citat Prophetiam S Mathæ Evangelista, (*cap.* 21.) ecce Rex tuus venit tibi mansvetus: qu sic Zacharias Propheta vaticinatus est: (*cap.* 9.) ecce Rex tu veniet tibi justus, & Salvator ipse pauper, & ascendens super

Regis Israel mansvetudo, justitia, paupertas, salus in monte Calvariæ cōpleta.

sinam & super pullum filium asinæ. Patet hic mansvetudo, ju stitia ante eum ambulabit: (*Psal.* 84.) adest paupertas, salus sp ratur & expectatur, quæ tandem completa est in solenni Reg nostri inauguratione supra montem Calvariæ absoluta. Ibi jar verè Dominus regnavit à ligno. Hoc ipsum est, quod post lev

Accipit principatum per crucis bajulationem.

virgam arundineam nunc longè gravius Regi nostro porrigitu virga Crucis, quæ velut principatus super humerum ejus factu (*Isai.* 9.) ipsi imponitur gestanda. Undè impræsentiarum no super asinam sedens, sed bajulans sibi Crucem, ait Evangelist Joannes, [*cap.* 19.] exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum quia ibi erant corpora mortuorum. Hic caput Ecclesiæ, capu omnis principatûs & potestatis vivificator & primogenitus mor

Constituitur in caput anguli per crucifixionem.

tuorum, Princeps Regum terræ, (*Apoc.* 1.) constitutus Jude vivorum ac mortuorum, in caput anguli factus est [*Psal.* 117.] per crucifixionem. Fert interea Crucem suam Rex tanquam virgam Regni sui, super quo interrogat Tertullianus. *Quis e-*

Tertullian9.

nim omninò Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut manu sceptrum? Et respondet sibi. *So lus novus Rex novorum ævorum Christus Jesus novæ gloriæ, & potestatem & sublimitatem suam humero extulit, Crucem scilicet ut secundùm Prophetiā exindè Dominus regnaret à ligno.* Quod

Idem.

pulchrè demonstrat; *si enim per lignum mors ab Adam regnavit usq; ad Christum, cur Christus non dicatur regnâsse à ligno, ex quo in crucis ligno mortuus regnum mortis exclusit?* Et S. Chryso-

S. Chrysost.

stomus per parallela ligni & mortis id sic deducit. *Lignum*, ait, *& mors cladis nostræ fuerunt symbola; sed attende, rursùm lignū & mors victoriæ symbola exstitêre. Nam loco ligni scientiæ boni*

Parallela ligni & mortis.

& mali lignum Crucis, loco mortis Adam mors Christi. Vides eum per quæ vicit, per eadem victum esse. Circa arborem prostravit diabolus Adamum, circa crucem debellavit diabolum Christus.

Præclara S. Augustini consideratio super Regem nostrum Consideratio
antem sibi Crucem. *Si spectet impietas*, ait, *videt Regem pro* Regis bajulan-
Regni, lignum sibi portare supplicij Si pietas, videt Regem tis sibi crucē.] S. August.
antem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat in frontibus Regum: in eo spernendus oculis impiorum, in quo gloriatura corda Sanctorum. Dicturo etiam Paulo: mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, (Gal. *ipsam Crucis suæ virgam suo gestans humero commendabat.* Præclarè Augustinus. Eleganter quoque D. Ambrosius. S. Ambros.
ecit humerum suum ad laborandum, subjiciens se Cruci ut peccata portaret, ideoq; dixit Propheta: cujus principatus humerum ejus, [Is. 9.] *hoc est, super corporis passionē Divini- potestas, vel crux supereminens corpori Supposuit ergò hume- omnibus subeundis contumelijs patiens, ita subjectus labori, ulneraretur propter iniquitates nostras*, (Isai. 53.) *ut infirma- propter peccata nostra.* Hæc S. Ambrosius. Ita ille qui t omnia verbo virtutis suæ, crucem portans laboravit susti-; *sed tunc*, inquit S. Augustinus, *verè Christus principatum* Crux Christi principatus. S. August.
humerum habuit, quandò crucem suam admirabili humili- portavit. Nec incongruè crux Christi principatum signifi- nam per ipsam & diabolus vincitur, & totus mundus ad li notitiam & gratiam revocatur. Quinimò ex sensu Divi S. Leo Papa.
is Papæ, cùm *Dominus lignum portaret Crucis, quod in* Crux in sceptrum versa & trophæum.
um sibi converteret potestatis, triumphi sui portabat trophæ- & invictæ patientiæ humeris signum salutis adorandum Re- mnibus inferebat. Virga tua & baculus tuus ipsa me con- Quid virga?
solati sunt; (*Psal.* 22.) super quo Euthymius præstanter deducit quid baculus? Euthymius.
um, quo Rex noster diabolum percussit & pessumdedit. I.
dam, ait, *per virgam & baculum Crucem intellexêre. Ex du- enim partibus crux componitur, quarum rectum baculum di-, à quo erecti sumus, cùm in errore jaceremus. Transversum virgam esse aiunt, per quam percussit Deus & confregit dæ-s. Solent enim qui validè percutiunt ex transverso ictum in-, ut graviorem plagam infligant. Præponi autem dicunt vir- baculo, quia primò Cruce tyrannum destruxit, & eâdem post-* II. Idem.
m nos redemit. Hæc Euthymius, qui rursùs ait: *virga qui- pro judicio, baculus pro providentia sumitur. Ita planè præ- Isaias:* (cap. 9.) *virgam humeri ejus & sceptrum exactoris superâsti: virgâ Crucis virgam potestatis tyrannicæ humeris inum incubantem destruxisti & tyrannum devicisti.* Notan- Virga Moysis figura Crucis.
autem virgam Moysis fuisse figuram Crucis & umbram. Origenes. *Virga, per quam à Moyse geruntur hæc omnia, per* Origenes. Quomodò? I.
m Ægyptus subjicitur & Pharao superatur, Crux Christi est, quam mundus hic vincitur, & Princeps hujus mundi cum cipatibus & potestatibus triumphatur. Pulchrè observat Di-

II. S. August. vus Augustinus. *Nullum Moyses signum sinè ligni sacram[ento]*
peregit: ut etiam & prodigia in Ægypto faceret, virgam acc[epit]
à Domino, & ad signa quæq; divinitùs audiebat: eleva virg[am]
tuam. Erigebatur virga, ut scire possemus quantum esset i[llud]
futuri ligni mysterium, cujus fuerat umbrâ figuratum virgæ il[lius]
sacramentum. Prima porrò prodigia per virgam Moysis facta [re-]
III. S. Ambros. fert D. Ambrosius & exponit. *Jubente Domino virgam proj[ecit]*
Moyses, & facta est serpens & fugit ab ea; apprehendit caud[am]
serpentis & facta est virga, & adhuc non cognoscebant myster[ium],
quo declarabatur descensurum in terram Dominum Jesum, [ut]
cùm se exinanisset, poni in crucem & deponi pateretur in tumulu[m],
quasi serpens de virga factus est, quia in tumulum projectus; [de]
quo secundùm oracula legis resurgens, in gloriam Dei Divin[i]
sedis Regale consortium de serpente remearet. Apprehendamus [&]
nos caudam serpentis illius Crucifixi, ut potestatem ejus Regi[am]
IV. Cyrillus. *possimus agnoscere.* Sic S. Ambrosius. Aliter paulò Cyrillus. *V[ir-]*
ga est verbum directum Regale, plenum potestate, insigne Impe[rii:]
virga serpēs facta est, quoniam qui erat Filius Dei ex Deo Patre [na-]
tus, Filius hominis factus est natus ex Virgine, qui quasi serpens
Exaltatus serpens, Christus in Cruce. *xaltatus in Cruce, medicinā vulneribus infudit humanis. Unde [&]*
ipse Dominus ait: sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, [ita]
Quis effectus? *exaltari oportet Filium hominis.* (*Joan.* 3.) Hæc Cyrillus. *Si mo[rs]*
I. II. S. August. *à serpente*, inquit S. Augustinus, *virga in serpente, Christus e[t]*
in morte. Ideò cùm à serpentibus morderetur in deserto, præcep[it]
Deus Moysi, ut serpentem æneum exaltaret. Magnum solatiu[m].
Quid est intuendo serpentem sanari à serpente? Credendo in mo[r-]
tuum salvari à morte. Sed quid dictum est, apprehende caud[am]
ejus? Posteriora comprehende. Hoc significavit & illud: posterio[ra]
mea videbitis. Primò factus est serpens, sed cauda retenta facta [est]
virga. Primò occisus, postea resurrexit gloriosus. Ita Augustin[us].
III. S. Gregori9 Nazianzen9. Ad hanc rem S. Gregorius Nazianzenus. *Serpens æneus advers[us]*
serpentum morsus suspenditur, utì Christi pro nobis passi non typ[us]
sed antitypus, qui salutē intuentibus affert: dùm non vitâ frui, [sed]
mortuus esse, ac subditas sibi potestates secum interimere credit[ur],
oppressus nimirùm & extinctus sicut merebatur. Jam verò qu[od]
Virga projecta fit draco, quid significet? virga projecta fit draco vel serpens, & devorat Ægyptiorum [ser-]
pentes, ajunt Origenes & Augustinus; serpens pro sapientia p[o-]
nitur sicut scriptum est: estote prudentes sicut serpentes; (*Ma[tth.]*
10.) & alibi: serpens erat callidior cunctis animantib9 terræ. (*G[en.]*
3.) Crux ergò Christi, cujus prædicatio stultitia videbatur, ([1.]
Cor. 1.) postquam in terram projecta est, id est, postquam [in]
credulitatem & fidem hominum venit, conversa est ad sapien[ti-]
am, & tantam sapientiam, quæ omnem Ægyptiorum id est h[u-]
jus mundi sapientiam devoraret. Intuere ergò quomodò stu[ltam]
fecit Deus sapientiam mundi, posteaquam manifestavit Chri[stum]

qui crucifixus est, Dei virtutem esse & Dei sapientiam, juxta id quod dixit: comprehendens comprehendam sapientes in astutia eorum. (1. Cor. 3) Omnia hæc jungens S. Ambrosius sic prosequitur. *Christus percusso dracone, id est, diabolo lacerato, perniciosum peccati virus extinxit, & sicut Apostolus ait: in similitudinem carnis peccati de peccato damnavit peccatū in carne sua.* (Rom. 8.) *Ad hoc Moyses serpentem non verum sed æneum in eremo suspendit in ligno, qui proprius erat typus corporis Christi, sic & aliam virgam projecit in terram, quæ in similitudinem est corporata serpentis: ideò omnium Ægyptiorum potestatem, quia tanta virtutis in se typum gerebat, absorbuit.* Ita S. Ambrosi⁹. Erectio autem serpentis ænei super lignum facta, indigitabat Sancto Justino Martyre interprete, *quòd jam tùm per eum qui in crucem agendus erat, mors quæ serpenti eventura erat, prædicabatur.* Jam verò crucem hanc tanquam thronum Regni sui Rex noster conscensurus, qui hactenus in campo paludatus incessit, exuitur vestibus. Nimirùm jam ad ultimi conflictûs actionem procedentē exuerunt chlamyde, ait Evangelium. (*Matt.* 27.) Dat causam D. Ambrosius. *Pulchrè ascensurus Crucem Regalia vestimenta deposuit, ut scias quasi hominem passum esse, non quasi Deum Regem; est utrumq; Christus: quasi hominem tamen non quasi Deum crucisse suffixum. Sed milites non Judæi sciunt, quo tempore qualia Christo vestimenta conveniant. Judicio quasi Rex victor assistit, ad passionem tamen quasi reus humilis venit.* Hæc S. Ambrosius. Nudus cum nudo hoste ultimam peragit luctam, ubi rursùs D. Ambrosius, *nudus Crucem ascendit*, inquit, *nudum ecce video. Talis ergò ascendat qui seculum vincere parat, ut seculi adjumenta non quærat. Victus est Adam qui vestimenta quæsivit, vicit ille qui vestimenta deposuit, & talis ascendit, quales nos auctore Deo natura formavit. Ita Adam perditâ innocentiâ foliis se contexit; Christus habitâ semper innocentiâ habitu suo denudatus est: ille nocens indigus vestimenti, hic innocens haud egens tegumento.* Ponitur in solio, affigitur Cruci, erigitur in throno, exaltatur in cruce, constituitur Rex super Syon montem sanctum ejus, (*Psal.* 2.) talisque declaratur per tituli inscriptionem; Jesus Nazarenus Rex Judæorum. [*Joan.* 19.] *Non possunt ferre hujusmodi titulum Principes Judæorum*, inquit eleganter Cyrillus, *sed conturbati invidiâ Regnum pernegant Christi: nunquam enim inquiunt Rex iste fuit, quem nos in Regem nunquam suscepimus, sed ipse hujusmodi verbis usus est.* Quid tamen? Optimè idem Cyrillus. *Etiamsi Judæi nolint, etiamsi gloriam ejus confiteri non patiantur, Rex Judæorū est, & stabile ac supra calumniam Regnū ejus. Pudebat Judæos Regem habere patibularium, & verebantur ne per Gentiles hic titulus per orbē dispergeretur. Pudebat illos habere Regē*, ait D. Augustinus, *quem crucifigere potuerunt. Sed Pilatus*

S. Ambros.

S. Justinus Martyr.

Christus exuitur vestibus, quare?

S. Ambros.

Nudus cum nudo hoste pugnat.

Idem.

Christus in Cruce velut throno Rex.

Titulus Crucis explicatur.

Cyrillus.

Idem.

S. August.

tus quid? *Respondet: quod scripsi scripsi.* (*Joan.* 19.) Præstanti-
S. August. sime D. Augustinus. *O ineffabilem vim Divinæ operationis etia*
in cordibus ignorantium! Nonnè occulta vox quædam Pilato int
quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tantò an
Psalmorum in titulis prophetatum est: nè corrumpas tituli inscri-
ptionem? Ecce tituli inscriptionem non corrumpit: quod scripsit scri-
psit, acsi diceret: quid mihi suggeritis falsitatem? ego non corrum
veritatem. Quid loquimini insani? Quid fieri contradicitis, qu
mutare nullo modo potestis? Nunquid enim propterea non e
Christus Rex est Judæorum. *verum, quia Jesus ait, Rex sum Judæorum? Si corrumpi non p*
test quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod veritas dixit?
Cyrillus. *ex imperitia*, ait Cyrillus, *non videbant veritatis naturam men-*
ri non posse: veritas autem Christus est. (*Joan.* 14.) *Rex igit*
Quare? I. *Judæorum est, si sic ipse dixit, ut vos ô Judæi affirmatis. In -*
S. August. *tulo scriptum erat*, ait S. Augustinus, *Rex Judæorum.* Prorsus R
vester est, vivus Rex vester est, occisus Rex vester est. Recora-
mini titulum super crucem. Si non eum videtis scriptum, man
tamen. Et quid ait titulus? In finem nè corrumpas. Non enim c-
rumpitur illa inscriptio tituli. Rex vester est Christus, quia om-
um Rex Christus; quoniam ipsius est Regnum, & ipse domin-
Idem. *bitur gentium.* (*Ps.* 21.) Apposite huc idem D. Augustinus co-
siderans Magos sub eodem titulo inquisivisse Salvatorem, u
II. est qui natus est Rex Judæorum? (*Matt.* 2.) sic inquit: *Adv-*
tamus magnum hoc & mirabile sacramentum. Magi ex Gen-
bus erant, ipse etiam Pilatus ex Gentibus. Illi stellam viderun
in cœlo, ille titulum fixit in ligno, utriq; tamen non Regem Gen-
Idem. *um sed Judæorum vel quærebant vel agnoscebant.* Idem rursus a
præstantissimè. *In eo, quod de Christo veraciter scriptum est in tit*
Qui veri Judæi? *lo, Rex Judæorum, qui sunt intelligendi Judæi? nisi semen Abra*
filij promissionis, qui sunt etiam filij Dei. Quoniam non qui fi
carnis, ait Apostolus, hi sunt filij Dei, sed qui filij promissionis
putantur in semine. (Rom. 9.) *Et Gentes erant quibus diceb*
Si autem vos Christi, ergò Abrahæ semen estis, secundùm prom-
sionem hæredes. (Gal. 3.) *Rex autem Judæorum Christus, sed*
dæorum circumcisione cordis, spiritu non literâ. Ideò Pilatus q
scripsit scripsit, quia Dominus quod dixit dixit. In eandē rem
S. Ambros. sonat D. Ambrosius. *Non potuit obliterari Christi triumphus, t*
lo Crux patuit salutaris. Hoc est quod petentibus Judæis Pil
respondit: quod scripsi scripsi, id est, non ea scripsi quæ vobis
cerent, sed quæ ætas futura cognosceret: non vobis scripsi sed p
ritati. Habeat Helena quæ legat, undè Crucem Domini r
gnoscat. Invenit ergò titulum, adoravit Regem. Concludo se
Cur hic titulus inscriptus? Rupertus. tiâ Ruperti, qui arbitratus est Pilatum ideò hunc titulum p
isse, quòd qui se Regem facit, contradicit Cæsari ex sensu Ju
orum, undè sic inquit: *gloriari se sperabat in malitia, & hoc i*

manifestius futurum & clarius Cæsari annuntiandum, se pro fi-
de ejus occidisse hominem, quem multa gentis illius turba cum ra-
mis palmarum accipiens, Regias illi laudes acclamaverat, Chri-
stum illum esse existimans, quem per Prophetias promissum expe-
ctabat. Ubi Rupertus ad verba Pilati, quæ scripsi scripsi, veniēs, Rupertus.
sic ei improperat. *Ergò signâsti iniquitatem tuam in manu tua,*
quia stabile & fixum vis esse, quòd Regem Christum occidendo
expectationem Israel interfeceris, & oracula Prophetarum cassa-
veris, dicentium de hoc Rege, quòd magnum habiturus esset Re-
gnum. Tandem subinfert: *Spiritus S. benè utens maligni scripto-* *Spiritus S. utens maligni*
ris manu hunc titulum fecit, qui cœlo & terrâ transeuntibus non *scriptoris ma-*
transibit, quia Jesus Nazarenus, id est Salvator, & verè San- *nu hunc titu-*
ctus, Rex Judæorum per Crucem suam est effectus; Judæorum, *lum fecit.*
inquam, non eorum qui se Judæos esse dicunt & non sunt, sed
Judæorum qui in veritate confessores sunt. Hæc Rupertus. Ita
planè Caiphas prophetavit, cùm esset Pontifex anni illius, Jesum
pro tota gente moriturum, (*Joan.* 18.) Spiritu Sancto benè u-
tente lingvâ ipsius malevolâ. Sic ergò dicente S. Hieronymo *ve-* S. Hieron.
lis nolitis Judæi, omnis vobis Gentium turba respondet. Jesus
Rex Judæorum est, hoc est, Imperator credentium & confitenti-
um. Imò & rebellium, quos regit in virga ferrea, & tanquam
vas figuli confringit eos. (Psal. 2.) *Quid enim?* ait D. Augusti- D. Augustin.
nus, *quia contradixerunt, ideò Regis sui dominationem evertere* *Non obstanti-*
potuerunt? Rex est & supra illos. Nam Rex ille & virgam fer- *bus quorum-*
ream gerit, quâ & regit & frangit. Quos regit? Quos conterit? *cunq; contra-*
Regit obedientes, conterit resistentes. Scriptus autem erat titulus *dictionibus, Christus verè*
Hebraicè Græcè & Latinè, de quo Theophylactus. *Vide autem* *fuit Rex Judæorum.*
& machinam diaboli quæ in ipsum vertitur. Qui enim tribus Theophyl.
literarum characteribus rebellionem Jesu divulgârat quodammodò, *Titulus Crucis*
ut neminem prætereuntium lateret, quasi propter hoc suspensus es- *triplici idio-*
set, quòd Regem se fecisset: hoc jam etiamsi non è mente scribentis *mate exaratus*
symbolum factum est, quòd potentissimi Gentium quales Romani,
& sapientissimi quales Græci, & Religiosissimi quales Hebræi,
Christi Regno subijciendi essent, & ipsum prædicare deberent.
Hoc etiam collimat D. Augustinus. *Hæ tres lingvæ præ cæteris* D. August.
eminebant, Hebræa propter Judæos in lege Domini gloriantes,
Græca propter Gentium sapientes, Latina propter Romanos mul-
tis ac penè omnibus jam tunc gentibus imperantes. Tribus autem,
idem ait Augustiuns, *lingvis tanquam tribus testibus titulus ap-* *Quare?* I.
probatus est, quia in ore duorum vel trium testium stabit omne
verbum. (*Matt.* 18.) Hic ergò titulus ex sensu Venerabilis Be- Ven. Beda.
dæ ostendit, *quòd nec occidendo potuerunt efficere, ut eum Regē*
non haberent. Undè in Psalmo 2. canitur: ego autem constitu-
tus sum Rex ab eo super Syon montem sanctum ejus. Regis,
quâ præditus erat, dignitatem titulo prætendit, ut cunctis insi-

Titulus Crucis Regis dignitatem designat.

nuaret, quòd Crucis patibulum non perdiderit suum sed con-
firmârit potiùs & corroborârit imperium. Cum hoc titulo si
planè regnabit in domo Jacob, & Regni ejus non erit finis: (Lu
1.) Dominus regnabit in æternum & ultra. [*Psal.* 9.] *Meri*

S. Ambrosius.

supra Crucem titulus, ait S. Ambrosius, *quia non humani corpo-
ris, sed Divinæ potestatis est regnum quod habet Christus. Me-
ritò supra Crucem titulus, quia licet in Cruce erat Dominus Je-
sus, supra Crucem tamen Regis Majestate radiabat.* Sic & Eu-

Euthymius.

thymius. *Literæ in altum positæ Regnum ejus clarè promulgabã*
Dominus igitur regnavit à ligno, cujus figura & memoria ubiq

Crux Christi per totum orbem adoratur.

celebratur. *Crux instar Regij tituli, instar salutis signi ubiq; e-
rigitur, ubiq; adoratur*, teste S. Chrysostomo, *videlicet in domi-
bus, in foro, in solitudine, in vijs, in montibus, in collibus, in val-
libus, in mari, in navigijs, in insulis, in lectis, in vestibus, in ar-
mis, in thalamis, in symposijs, in vasis argenteis, in aureis, in mar-
garitis, in murorum picturis, in bellis, in pace. Deniq; in purpur
✠, in diademate ✠, in armis ✠, in mensa sacra ✠, & in tot
orbe ✠, & supra solem fulget ✠.* Sed post Pilatum quis agno-

Christi Crucifixi Regiam dignitatem post Pilatum agnovit & bonus latro.

D. Chrysost.

vit Jesum crucifixum esse Regem? Nemo equidem præter bo-
num latronem dicentem: memento mei Domine cùm veneris in
Regnum tuum. (*Luc.* 23.) Hunc Divus Chrysostomus interro-
gans sic alloquitur: *Dic mihi: Regnum commemoras, quid Regn
vides? Crux est quod inspicis. Sed ipsa Crux, inquit, Regnum
est, est Regni solium, est Regni thronus, & ideò eum Regem
nomino, quia Crucifixum inspicio. Imperatorum enim est mori pro
omnibus, & Regis optimi pro communi utilitate nunquam recusa-
re supplicium.* Hæc aureum os Chrysostomi: qui ejus fidem cõ-

Collatio fidei latronis cum fide Prophetarum.

fert cum Prophetis. *Credidit Isaias sed in gloriæ solio consistenti
vidi, inquit, Dominum sedentem super thronum excelsum & ele-
vatum.* (Isai. 6.) *Credidit & Ezechiel, sed & ipse Dominum su-
per Cherubim contemplatus est. Iste vidit Salvatorem non supe
throno Regali, sed in pœna sociatum latronibus. Videt in tormen-
tis, & tanquam in gloria adorat; videt in Cruce, & rogat tan-
quam in throno sedentem; videt condemnatum, & Regem invo-
cat.* Hæc aureo stylo Chrysostomus. Ideò juremeritò confessio-
nis suæ dignum recepit prœmium: Hodie mecum eris in para-
diso; super quo idem S. Chrysostomus. *Nihil medium est, &*

Crux Christi clavis paradisi.

Crux & statim paradisus. Et iterum: *Crux Christi clavis para-
disi, Crux Christi aperuit paradisum. Sed ecce confitenti latron
paradisum promisit & dedit; blasphemanti haud dubiè suam quoq;
tribuit mercedem, quia Crux & thronus Regis est, & Judicis tri-
bunal.* Rex noster posuit in judicio thronum suum: imò sedis
super thronũ qui judicas justitiã, alloquitur eũ Propheta. (*Ps.* 9.
Ecce Rex qui sedet in solio judicij, ait Sapiens, dissipat omne
malum intuitu suo. (*Prov.* 2.) Nunc judicium est mundi, nu

prin

pinceps mundi eijcietur foras, ait ipsamet Veritas: (*Joan.* 12.) & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. *In Cruce exaltatus, ut omnibus esset conspicuus,* ait Lactantius, *& ad eum cognoscendum pariter & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent: quas omnes traxit ad seipsum, amore illum moriendo.* Omnes creaturæ Regi suo morienti testimonium reddidêre. *Vide & testimonia orbis terrarum*, ait D. Augustinus. Commoveatur, inquit Propheta, à facie ejus universa terra: (*Ps.* 95.) dicite in nationibus, Dominus regnavit à ligno; ne ultra regnaret peccatum in mundo. (*Rom.* 6.) Hic verificatũ illud Joëlis: (*cap.*) à facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. *Ita*, dicente S. Leone, *pendente in patibulo Creatore, universa creatura congemuit. Debebat hoc testimonium suo mundus authori, ut in ejus occasu vellent universa finiri. Ad hoc scelus*, ait S. Pater noster, *expalluit & expavit tota machina mundialis, & penè in antiquum chaos sunt omnia resoluta. Majestatem ejus attende*, inquit S. Anselmus, *& miraberis qualis est hic, quia cœli & terra compatiuntur ei.* Idem loquitur S. Augustinus. *Expavit scelus hominum natura rerum, & quem Judæa rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, & cœli Regem sol fugiens confitetur. Et sicut mos erat Judæis*, inquit Theophylactus, *in blasphemijs contra Deum scindere vestes, ita nunc quoq; Divinum templum quasi ægrè ferens Christi mortem disrumpit vestem suam.* Denique glossa ait: omnia elementa suum Dominum Crucifixum demonstrant. Sic ergo Dominus Jesus Christus constitutꝰ est Rex super Syon mõtem sanctum ejus. (*Psal.* 2.) Sic Dominus regnavit à ligno crucis, & cessavit regnum diaboli, peccati, mortis, & inferni. *Contremiscente proinde omni creaturâ, contremiscat in Redemptoris sui supplicio*, exhortante S. Leone, *terrena substantia: rumpantur infidelium mentium petræ, & qui mortalitatis gravantur sepulchris, discussâ obstaculorum mole prosiliant. Appareant nunc quoq; in civitate sancta, in Ecclesia Dei futuræ resurrectionis indicia, & quod gerendum est in corporibus, fiat in cordibus. Et quando confitendæ Majestatis sensum totus mundus accepit; præoccupemus & nos faciem ejus in confessione*, (Psal. 94) *dicentes: Dominus Rex noster regnavit à ligno.* Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël. Benedictum quod venit regnum Crucis. (*Marc.* 11.) Tollamus & nos cruces nostras, & sequamur Regem bajulantem sibi Crucem. Qui enim non bajulat crucem suam & venit post me, dicit præcedens nos Rex noster, non potest meus esse discipulus. (*Matt.* 10.) Gloria magna est sequi Dominum. Nolite recedere à tergo Domini, monet Samuel: (1. *Reg.* 12.) & ipsemet Salvator prædicens se Jerosoly-

Christus in Cruce exaltatur. Quare?
Lactantius.
D. August.
S. Leo.
Super quem Crucifixum universa creatura congemuit,
S. Anselmus.
D. August.
Theophyl.
contremiscat & terrena substantia,
& Crux bajuletur post Regem.

rosolymis multa passurum & occidendum, cùm à Petro ei dic[eretur] increpante: absit à te Domine, non erit tibi hoc; redarg[u]it Petrum & retro abjecit à se dicens: vade post me; (*Matt.* 16.) acsi diceret illud: tu me sequere, sciens quâ morte clarificaturus esset Deum. (*Joan.* 21.) Sequamur Dominum, feramus crucem nostram, ut vetus homo noster sit concrucifixus. (*Rom.* 6.) E[...] mus & nos viventes, & moriamur cum illo in Cruce, ut bened[i]cti Regni ipsius, à quo omnis benedictio in cœlo & in terra, [in] paradiso, ubi pax erit in cœlo, & gloria in excelsis, cum bon[o] latrone etiam illi concrucifixo consortes efficiamur.

Sermo in Festo Paschatis.

Dico ego opera mea Regi. *Psal.* 44.

EQuidem hâc die quam fecit Dominus, (*Psal.* 117.) om[nia] jure & ratione Regi Domino nostro, ex viro dolorum [&] novissimo virorum, (*Is.* 53.) Regi Regum & Domino Do[minantium], (*Apoc.* 19) ex opprobrio hominum & abjection[e] plebis, (*Psal.* 21.) Domino virtutum & Regi gloriæ; [*Psal.* 23.] Jesu Nazareno antea crucifixo nunc florido & glorioso, nudiu[s] tertiùs mortuo, jam in æternum viventi, (*Eccli.* 18.) & immor[tali] Regi (1. *Tim.* 1.) verorum Judæorum, id est, laudantium Deum, Encomiastum Dei canentium Alleluia, quod est, lauda[te] Dominum; quasi ex Agno mansveto, (*Jer.* 11) Leoni fort[i] de tribu Juda, (*Apoc.* 5.) victori ac triumphatori, ac in medi[o] inimicorum suorum dominatori omnia opera nostra confessio[nis], honoris, gloriæ, laudis, benedictionis, gratiarum actionis, & exultationis dicere, dicare, & demonstrare tenemur. PP. RR. FF. DD. Invitat nos ad hoc & pertrahit Rex Propheticus dicens: jubilate Deo omnis terra. (*Psal.* 99.) *Quid est jubilate?* interrogat D. Augustinus, & respondet: *in vocem erumpite gaudiorum, si non potestis verborum. Non enim verbis jubilatur, sed solus gaudentium sonitus redditur, quasi parturientis & parientis cordis lætitiam in vocem rei conceptæ, quæ verbis explicari non possit.* Unde alibi Vates noster monet: jubilate Deo in voce exul[tationis], (*Psal.* 46.) quia jubilus propriè est clamor sinè voc[e] articulata ingentem cordis lætitiam manifestans. Jubilus autem hic ad Deum referri debet, qui cùm sit ineffabilis, nullâ potest clarâ & distinctâ voce quoad suam excellentiam & eminentiam enuntiari. Est enim abyssus essentiæ & perfectionis, uti omnem conceptum, ita & omnem sermonem superans, totamque universæ creaturæ potentiam in se absorbens & absumens. Jubilat[e] Deo omnis terra, [*Psal.* 99.] quoniam Dominus excelsus terribilis, Rex magnus super omnem terram, Rex omnis terræ Deus, regnans super omnes gentes, (*Ps.* 46.) hodie gloriose & vehementer magnificatus est. (*Psal.* 103.) Et hæc jubilatio simple[x] & im

Jesu Nazareno resurgenti, Regi vero Judæorum, i. e. laudantium Deum, omnia opera confessionis, honoris, laudis &c. dicenda sunt.

D. August.

Quomodò jubilandum?

Quid est jubilus?

& imperfectorum, qui ad conspectum rerum admirandarum [fac]ent exclamare. Jam proficientibus imperat Regius Propheta: (Psal. 67.) psalmum dicite nomini ejus, qui cœlestium mysteriorum notitiam habentes in virtute & laude Dei progredimini.

Jubilus imperfectorum, proficientium,

Psallendum nomini ejus est, inquit præfatus D. Augustinus, *quia [...]ber organum Psalmus est, ita & corporis nostri, quod animæ [&] affectionis & negotiorum omnium organum est, artificiosis o[pe]ribus est placendum.* Consonat D. Chrysostomus. *Non est satis,* inquit, *si Divina verba percenseas, nisi ea quoq; rebus præstes.* Et paulò infra. *In sacris Scripturis multi adoriuntur Divina verba, sed non omnes inde lucrum faciunt, aut fructum referunt. In causa, quod non recto modo adeant, neq; cum artificio citharam pulsent. Quod enim in re cytharædica ars, hoc ipsum in Dei laudibus operum exhibitio.* Ita Chrysostomus. Et hæc est jubilatio cum Psalmo. Ultimariè jubilatio cum Dei glorificatione præcipitur per Prophetam dicentem: date gloriam laudi ejus; (Ps. 65.) quæ est perfectorum, non suum commodum vel gloriam quærentium, sed Dei unius & solius laudem & gloriam expetentium. Cæterùm Hugo Cardinalis hunc Psalmi versum sic explicat. *Jubilate in officio Ecclesiæ, psalmum dicite in bona operatione, date gloriam in prædicatione,* Quare? *Quia Pascha Domini est;* inquit S. Gregorius Nazianzenus, *Pascha, & iterùm Pascha dicam in honorem SS. Trinitatis.* Dies omnium dierum maximus, imò dies dierum omnium Rex. Dies in quo post tenebrosam mortis noctem resurgens à mortuis Deus Dominus & illuxit nobis, (*Psal.* 117.) in quo Dominus regnavit, decorem indutus est, (*Psal* 92.) cui nuper non erat species neque decor, (*Isai.* 53.) indutus est Dominus fortitudinem, (*Psal.* 92.) qui circumdatus erat infirmitate, imò erat sciens ac planè sentiens infirmitatem: & præcinxit se virtute, (*Ibid.*) qui verè langvores nostros tulit. (*Isai.* 52.) Hæc est dies Dominica, Domini Regis nostri propria, facta ab ipso, dico iterum quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea, (*Psal.* 117.) quia hæc est dies lætitiæ cordis illius. Hæc est dies desponsationis ejus, quâ civitatem novam Jerusalem descendentem de cœlo à Deo paratam tanquam sponsam ornatam viro suo, (*Apoc.* 21.) non habentem maculã neq; rugam, (*Ephes.* 5.) sibi copulavit. *Hæc est festivitatum festivitas, & celebritatum celebritas,* ait idem S. Doctor, *tantò cæteris omnibus superior, quantò sol stellas antecellit.* Ecce Rex noster jam meliùs inauguratus & constitutus est super Syon cœlestem & terrestrem, Ecclesiam nimirùm in cœlis & terris propagatam: Dominus in Syon magnus, & excelsus super omnes populos. (*Ps.* 98.) Egredimini filiæ Syon, Angeli, cœlestes spiritus, justi, animæ sanctæ terrestres, & videte Regem in diademate, non in eo quo eum coronavit in terris mater sua synago-

D. August.

S. Chrysost.

& perfectorum

Hugo Card.

S. Gregorius Nazianz.

Dies Paschatis omnium dierũ maximus.

Christo Regi propriè sacer.

S. Gregorius Nazianz.

Inauguratio Regis nostri gloriosa super montem Syon, i. e. Ecclesiam utramq;

ga, facta ipsi noverca, [*Cant.* 3.] sed quo coronavit eum Pat
suus qui est in cœlis, (*Matt.* 16.) per quem data est ipsi potest
in cœlo & in terra. (*Matt.* 28.) Operuit cœlos gloria ejus, & la
Commutatio Regis nostri in veste, dis ejus plena est terra. (*Hab.* 3.) Pro coccinea chlamyde con
fessionem & decorem induit amictus lumine sicut vestiment
in corona, (*Psal.* 103.) Pro corona spinea gloriâ & honore coronatur, (*Ps*
8.) positaque est in capite ejus corona de lapide pretioso: (*Ps*
20.) imò in capite ejus diademata multa; quia est Rex Regum
& Dominus Dominantium; [*Apoc.* 19.] per quem Reges re
in sceptro, gnant & Principes imperant. (*Prov.* 8.) Pro arundineo scept
habet virgam auream, (*Esther.* 4.) virgam directionis, virgam
Regni sui, (*Psal.* 44.) sceptrum dominationis, (*Ezech.* 19.) qui
tenet sceptrum hæreditatis suæ Israëlem, (*Jer.* 5.) populum ele
ctum, opus manuum suarum, (*Psal.* 137.) populum, quem sib
in throno. sangvine suo acquisivit. (1. *Pet.* 2.) Pro sede Regia Crucis, thro
nus ejus sicut sol in conspectu Dei, in Ecclesia triumphante, &
sicut luna perfecta in æternum, in Ecclesia militante, & sicut te
stis in cœlo fidelis, (*Psal.* 88.) videlicet his, quæ est in circuitu se
dis Dei, & quæ est signum fœderis æterni inter Deum & homi
nem, estque symbolum Passionis Christi in Ecclesia patiente;
ex qua hodie captivam eduxit captivitatem; (*Ephes.* 4.) ita ut
meritò in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestri-
um, & infernorum. [*Phil.* 2.] Sic ad vesperum passionis demo-
rabatur fletus, & ad matutinum Resurrectionis exurrexit lætitia,
(*Ps.* 29.) ubi Rex noster Patri suo ait: convertisti planctum me-
um in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedi-
Qualiter Deo jubilandum? sti me lætitiâ. (*Psal.* 29.) Qualiter autem jubilare Deo salutari
nostro, psalmum dicere ac dare gloriam debeamus, Rex Pro-
phetarum [*Psal.* 65.] exprimit. Dicite Deo, inquit, quàm ter-
ribilia sunt opera tua Domine, sivè quàm mirabilia! Pati, mori,
resurgere, vivere in æternum quis non miretur? Quis non ex-
pavescat? Et quidem morti nonnè terribilis fuit Resurrectio?
Nonnè obriguit & emortua est? Ero mors tua ô mors, dicit Rex
mortis debellator, Dominus fortis & potens, Dominus potens
in prælio. (*Ps.* 23.) Ubi est mors victoria tua, quâ me occiden-
do vicisti, quæ nunc à me resurgente victa periisti? Ubi est mors
stimulus tuus? Stimul⁹ mortis peccatum est, & hoc interiit quod
mors animæ fuit: stimulo innocentiæ & justitiæ meæ stimulus
In victoria resurrectionis absorpta est mors animæ & corporis. hic excussus est & confractus. Et sic absorpta est utraque mors
& corporis & animæ in victoria Resurrectionis. (1. *Cor.* 15.) Jam
verò inferi nonnè tremuêre? Dæmones eorum inquilini nonnè
obstupuêre? quando princeps tenebrarum, princeps mundi eje-
ctus foras, (*Joan.* 12.) & per fortiorem nostrum hic fortis arma-
tus ad catenas inferni damnatus, iisque fuit ligatus? [*Mar.* 3.]
Morsus tuus ero ô inferne, dicit Dominus præliator, (1. *Cor.* 15.)
qui

quò coactus reddere mortuos suos: ac antè faciem ejus ivit mors & corruit; diabolus egressus est ante pedes ejus, & conculcatus est ac contritus hic serpens antiquus; contriti sunt montes seculi, montes arrogantiæ, incurvati sunt colles mundi, colles superbiæ; illi apostatarum Angelorum, hi coapostatarum hominum ab itineribus æternitatis ejus (*Hab.* 3.) per ignominiam Crucis, & per gloriam Resurrectionis, quæ secum fert perennitatem. Sed & in circumstantibus Regis resurgentis non defuêre timores, terrores, stupores, & angores. Ac quidem tam ad magnum terræ motum (terra enim tremuit & coram moriente & coram resurgente, & quievit cùm exurgeret in judicium Deus, *Psal.* 75.) quàm ad conspectum Angeli lapidem revolventis & sedentis super eum, cujus aspectus erat sicut fulgur, præ timore exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui, (*Matt.* 28.) timentes nè post motum terræ, & post fulgur Angeli, fulmine percuterentur. Nec in principibus & Sacerdotibus Judæorum hostium ipsius abfuit pavor, qui & sepulchrum sigillo muniêrunt, & ad custodiendum sepulchrum milites addiderunt; (*Matt.* 27.) quos etiam post Resurrectionem pecuniâ corruperunt, ut dicerent, dormientibus ipsis Discipulos eum noctu furatos esse; super quo pulchrè S. Augustinus. *O verè stultitia dormiens, aut vigilabas, & prohibere debuisti: aut dormiebas, & quid fieret nescîsti.* Hinc secuta obcæcatio Judæorum & obduratio; quæ quantum ah! metuenda? *Dicite Deo*, ait sol Doctorum Augustinus, *quàm timenda sunt opera tua! Undè timenda? Quia cæcitas ex parte in Israël facta est, ut plenitudo gentium intraret.* (Rom 11.) *O Gentium plenitudo, dic Deo quàm timenda sunt opera tua! Et sic gaude ut contremiscas, noli extolli super ramos præcisos.* Et rursùs. *Si gaudes & hinc, nè fortè quod datum est humili, auferatur superbo. Judæi enim propter superbiam ceciderunt*, ex mente Sancti Augustini. Verùm hæc pertimescentia reperta est quoque in amicis ac Discipulis. Nonnè mulieres ad sepulchrum accedentes invasit timor & pavor, ita ut cogeretur Angelus illas animare? Nolite timere, nolite expavescere; [*Marc.* 16.] quin ipse Jesus apparens eis itidem dixit: nolite timere. (*Matt.* 28.) Nonnè Apostoli in cænaculo conturbati sunt & conterriti, existimantes se spiritum videre, quantumvis audierant ab apparente illis Domino, pax vobis, nolite timere? (*Luc.* 24.) Sed & nobis omnibus terribilia & admirabilia debent esse opera Dei in Resurrectione Domini, quia hæc est causa efficiens & exemplaris tam præsentis resurrectionis nostræ in animabus per gratiam, quàm futuræ in corporibus per vitam æternam. Væ nobis si non resurgimus cum Rege nostro subditi, cum Capite nostro membra, cum Domino nostro servi per vitam gratiæ; quia vita æterna erit nobis mors secunda, ibi ubi mors fugiet à nobis in

Terror custodum sepulchri in resurrectione Domini.

Pavor Principum & Sacerdotum.

S. August.

ac Judæorum.

Idem.

Metus Discipulorum ad sepulchrum Domini accedentium.

Et nobis timendum.

Resurgendum per vitam gratiæ.

igne æterno. (*Apoc.* 9.) Idcircò dicente S. Thoma, *Christo R*
D. Thomas Aquinas. *surgenti debemus etiam secundùm animam conformari*, ut sic
Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in n
vitate vitæ ambulemus; & sicut ipse resurgens ex mortuis ja
non moritur, ita & nos existimemus nos mortuos esse peccat
ut ultra non serviamus peccato, viventes autem Deo in Chri
Jesu Domino nostro. (*Rom.* 6.) Sed ecce licèt territi & stup
Obduratio Judæorum in Christi resurrectione, facti fuerint hostes Regis qui à mortuis resurrexit; non tamen e
inde sunt meliores facti & ad ipsum conversi. In multitudine vi
tutis tuæ, inquit Regius Propheta, (*Psal.* 65.) mentientur ti
inimici tui. Ubi enituit maximè multitudo virtutis Divinæ?
Resurrectione Christi. Hìc salvavit sibi brachium suum, (*Is.* 59
hìc fecit potentiam in brachio suo, (*Luc.* 1.) hic dextera Dom
ni magnificata est in fortitudine. (*Exod.* 15.) Quis effectus
hostibus? Mentiti sunt ei inimici, (*Psal.* 80.) qui promitteban
si Rex Israël est, descendat nunc de Cruce & credemus ei. (*Mat*
27.) Ecce depositus de Cruce vivit, quia resurrexit, & non cre
ad opera Dei admiranda cæcutientium. dunt ei. Mentita est iniquitas sibi. (*Psal.* 26.) Et Judæi excæca
ti, & milites corrupti, & gentiles increduli mentiti sunt Chr
sto per suam perfidiam; licèt tantam virtutem & opera Dei ad
miranda potuerint cognoscere in ejus resurrectione. Quin etiam
aliqui mendaciter & falso fictoque animo ob potentiam Deita
tis tuæ, ô Rex, fient tibi supplices ex timore simili, cùm sint i
corde tui inimici: sed multitudo potentiæ tuæ mendaces osten
det hostes tuos. Interea & aliter mentientur tibi inimici tui, (*Ib*
D. Augustin. ex sensu D. Augustini, *ut crucifigaris; ideò crucifigeris ut resur*
gas. Mendacium ergò illorum ad commendandam multam poten
tiam tuam valebit. Hoc est mentientur, ait idem S. Doctor, *u*
inde crescat & magìs glorificetur robur tuum. Ex eorum menda
cio fiet, ut gloria tua magìs eniteat. Et infra. *Accesserunt & mi*
lites mendacio inimicorum, auctus est & numerus mentientium
ut argueretur merces credentium: quia in multitudine potenti
tuæ mentientur tibi inimici tui. Hæc præclarè S. Augustinus
His jam non obstantibus omnis terra adoret te Deus. Cur o
Terra triplex. mnis dicitur non tota? Quia triplex est terra. Est terra promis
sionis lacte & melle fluens, (*Exod.* 8.) Cœlum, quæ est terra vi
ventium. Est terra de qua Job: (*cap.* 10.) terra tenebrosa & o
perta mortis caligine, terra miseriæ & tenebrarum, ubi umbr
mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: utiqu
infernus, qui est terra mortuorum. Est terra data filijs hominum
[*Psal.* 113.] hic mundus vel orbis terræ, qui est terra morienti
Omnis terra adorat Deum. um. Omnis hæc terra adorat, colit, & timet Deum, ut in no
mine Jesu, ut jam dixi antea, omne genu flectatur, cœlestium
terrestrium, & infernorum: (*Phil.* 2.) in quibus omnibus Re
est constitutus. Rursùs invitat Psaltes Regius: venite & videt
oper

opera Dei, quàm terribilis in consilijs super filios hominum; (*Ps.* 65.) vel juxta Syriacum textum, plurima sunt miracula ejus erga filios hominum. *Verè terribilis*, liceat hoc ex D. Augustino iterò inculcare, quando id Psalmus repetit; *Ecce cæcitas ex parte Israël facta est. Ecce Judæi ex quibus natus est Christus, foris sunt. Ecce Gentes quæ contra Judæam erant, in Christo intus sunt.* Quamobrem monet Apostolus: tu in fide stas, noli altum sapere, sed time. (*Rom.* 11.) Quid? Time lapsum. Qui stat videat ne cadat. (1. *Cor.* 10) Potestas & terror apud Deũ est; (*Job.* 25.) ideo cum timore & tremore operari salutem oportet. (*Phil.* 2.) Qui exasperant non exaltentur in semetipsis. (*Ps.* 65.) Non dicant: nos filij Abrahæ; (*Gal.* 3.) non glorientur; nos Religiosi; sed humilientur sub potenti manu Dei, [1. *Pet.* 5.] qui dominatur in virtute sua in æternum, (*Ps.* 65.) deponens potentes de sede, & exaltans humiles; [*Luc.* 1.] unum assumens & alterum relinquens. (*Luc.* 17.) Multi vocati, pauci electi. (*Matt.* 20.) Sed quò devenimus? Jubilandum nobis est hodie, psallendum, & exultandum; & ecce terribilia narrantur, timores inculcantur. Ita est: servite Domino in timore, docet Psalmista, (*Ps.* 2.) & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, quâ vos in vestra spirituali resurrectione contineatis, nequando super excess⁹ vestros adeò frequẽtes irascatur Domin⁹, & pereatis de via justa. Resurrexit ergo Dominus Rex noster, primitiæ dormientium, (1. *Cor.* 15.) & primogenitus mortuorum, (*Apoc.* 1.) prior tempore & dignitate; surrexit verè, quia nunquam moriturus, sed in æternum victurus; surrexit ex justitia, quia cùm se humiliavit usque ad mortem Crucis, (*Phil.* 2.) necesse fuit illum exaltari per gloriam Resurrectionis. Idcirco dicit ad Patrem: tu cognovisti, id est, approbâsti sessionẽ meam, nimirùm, humilitatem & passionem, & resurrectionem meam, (*Ps.* 138.) videlicet, glorificationem in resurrectione, uti glossa explicat. Sic planè oportebat Christum pati, prout ipsemet asserit, (*Lu.* 24.) & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma, nimirùm à Judæis. Christus namque etiam resurrexit propter justificationem nostram, (*Rom.* 4.) quam pænitentia promeretur. Surrexit ad roborandam fidem nostram. Si Christ⁹ non resurrexit, ait Apostolus, (1. *Cor.* 15.) inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Ex resurrectione enim Christi patet Divinitas ejus, quia etsi crucifixus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. (2. *Cor.* 13.) Eapropter in Psalmo 29. ait: quæ utilitas in sangvine meo? Quod S. Thomas explicat, *in effusione sangvinis mei, dùm descendo quasi per quosdam malorum gradus in corruptionem:* quasi dicat: nulla; si enim statim non resurgo, corruptumque fuerit corpus meum, nemini annuntiabo,

D. August.

Cum timore & tremore salus operanda.

Christus surrexit verè; surrexit ex justitia;

propter justificationem nostram, ad roborandam fidem nostram;

D. Thomas Aquinas.

nullum lucrabor, ut glossa exponit. Idcirco non dedit Domin
sanctum suum videre corruptionem. [*Ps.* 15.] Resurrexit Ch-
ad erigendam spem nostram. stus ad erigendam & stabiliendam spem nostram. Ita Job va-
cinatur: (*cap.* 19.) credo quòd Redemptor meus vivit, utiq;
Christus; & in novissimo die surrecturus sum, & in carne m
videbo Deum Salvatorem meũ, haud dubiè Jesum; reposita
hæc spes mea in sinu meo. Hinc Tertullianus: *Fiducia Christi-*
norum, resurrectio mortuorum. Imò juxta S. Cyrillum Jerosol-
mitanum: *radix totius bonæ operationis, est spes resurrectionis.*
Resurrectio Christi forma est vitæ instituendæ. Quin etiam forma vitæ instituendæ est resurrectio Christi, quæ
est mors mortis, & via vitæ æternæ. Ratio enim vitæ Christia
est mori peccato, vivere Deo; sicut Christus mortuus est pecca-
to & vivit Deo. Et sicut Christus non moritur ampliùs, sic ne
nos mori per peccatum debemus; nec mors peccati ultra nob
dominetur, neq; peccatum regnare debet in nostro mortali co
pore, ut obediamus concupiscentijs ejus, (*Rom.* 6.) sed potiu
peccato mori tenemur, ut nunquam vivamus in illo: vita ve
nostra abscondita sit cum Christo in Deo. (*Coloss.* 3.) Pro cor
Cur oportuit Christum tertia die resurgere? nide inquiramus, cur oportebat Christum tertiâ die resurgere
Primaria ratio est, quòd fides nostra debuit instrui per Resurr
ctionem de Divinitate & humanitate Christi. Ad credenda
I. Divinitatis Christi veritatẽ op⁹ erat, ut resurrectio citò fieret, n
II. differretur ad finem mundi, uti nostra differtur. Ad credenda
III. humanitatis Christi veritatem, necesse erat aliquod spatiũ tem
poris intercedere: statim enim post mortem resurgendo, & mo
dubia, & resurrectio potuisset haberi incerta. Non ergo citi
resurgendum erat Redemptori nec tardiùs, quia mortui per n
cem hominis nulla vitæ indicia intra triduum possunt intercurr
re: & uti certa mors, ita & resurrectio non potuit esse nisi ev
dens & infallibilis. D. Thomas adducit alias congruentiarum
IV. rationes; partim quòd post primum naturæ tempus ante legem
& secundum tempus sub lege, tertium gratiæ inceperit. Tu e
xurgens misereberis Syon, ait Propheta (*Ps.* 101.) quia venit tem
pus miserendi ejus temporaliter, quia venit tempus æternalite
V. partim quòd triplex status sit hominum; primus sub legis sign
secundus sub fidei veritate, tertius in gloriæ æternitate, qua
VI. Christus Dominus per resurrectionem inchoavit: partim quò
Christus unâ suâ morte triumphali, quæ fuit propter justitiam
duas nostras mortes destruxit, corporis scilicet & animæ; qu
sunt tenebrosæ propter peccatum: & ideo die integrâ & duab
VII. noctibus permansit in morte ex sensu D. Augustini: partim d-
nique ut perfectio ternarij, qui est numerus omnis rei, utpo
habens principium, medium, & finem, commendaretur. Ja
igitur in hac solennissima & primaria omnium dierum festivi-
te, uti cæpimus præsentem discursum cum jubilo, psalmo, glori

& h-

honore, confeſſione, laude, benedictione, & gratiarum actionem, ita cum ijſdem concludamus, laudantes opera Regis noſtri, & noſtra opera illi dicentes, ac potentiam ejus pronuntiantes, magnificentiam gloriæ ſanctitatis illius loquentes, & mirabilia ejus narrantes, & virtutem terribilium ipſius dicentes, & magnitudinem ac multitudinem virtutis ejus decantantes, memoriam abundantiæ ſvavitatis illius eructantes, & in juſtitia ejus exultantes, notam facientes filijs hominum potentiam illius, & gloriam magnificentiæ Regni ejus. (*Pſ.* 144.) Confiteatur & dicat quisq; noſtrûm ſemper Regi noſtro hâc methodo. Dico ego opera mea tibi Regi, (*Pſ.* 44.) qui dùm me regis, nihil mihi deerit: (*Pſ.* 22.) ideo regimini tuo totum me ſubijcio. Tecum ſemper reſurgere, & tibi ſoli ſervire, ac in novitate vitæ ambulare (*Rom.* 6.) intendo, propoſita meliùs ſemper vivendi, proficiendi, & ad perfectionem tendendi hoc ſacro Quadrageſimæ tempore facta aſſiduâ intentione renovo, fragilitatem meam & defectuoſitatem ſimul, ac totam meam ex te & per te ſufficientiam ac poſſibilitatem agnoſco; unde ſi ex mea cado imbecillitate, ex virtute gratiæ tuæ, quam ſemper oro ac deſidero, reſurgo; ſoli tuo Divino adjutorio, quod nunquam non invoco, innitor; membrorũ tuorum, Sanctorum & juſtorum patrocinio ac communione tanquam commembrum eorum, ſi ſum in gratia tua, licèt ex me indignus, continuò frui exopto: tibi compatiendo, commoriendo complantatus paſſioni & morti tuæ, ac conſepultus in morte, (*Rom.* 6.) convivificat⁹ & conreſuſcitat⁹ tibi convivere, & ſuſtinendo conregnare cupio, ut Regnum tuũ intra me ſit, & ego ſim in Regno tuo, quod eſt juſtitia, pax, & gaudium in Spiritu ſancto. (*Rom.* 14) O Rex ſeculorum, Regnum tuum eſt regnum omnium ſeculorũ, & dominatio tua in omni generatione, præterita, præſenti, & in generationem futuram. (*Pſ.* 144.) Poteſtas tua poteſtas æterna in cœlo & in terra, quæ non auferetur, & Regnum quod non corrumpetur. (*Dan.* 7.) Per te enim facta ſunt omnia, (*Joan.* 1.) per te Deus fecit & ſecula, & tibi tanquam Verbo Dei aptata ſunt ſecula; (*Heb.* 11.) omnia nimirùm tempora, & in temporib⁹ exiſtentia mundi, & cuncta quæ in mundo ſunt, tibi tanquam Regi gloriæ, (*Pſ.* 23.) æternæ vitæ authori ſit honor, laus, & gloria, atq; canatur Alleluia ab omni creatura maximè rationali, in omni omnis terræ loco per infinita ſeculorum ſecula; ſitq; Regnum tuum ſuper omnem Eccleſiam triumphantem, militantem, & patientem, nunc & in æternum.

Applaudendum in jubilo Reſurgenti Salvatori,

Confeſſio & dictio operum ſuorum Regi Chriſto.

Sermo in Feſto Aſcenſionis Domini.

Dico ego opera mea Regi. *Pſal.* 44.

QVantos gaudiorum impulſus, quantas exultationis & cõfeſſionis ſtimulationes, quanta plausûs & jubilationis mo-

tiva secum adferat & præferat hodiernæ festivitatis solenitas, q
est qui poterit vel mente concipere, ne dicam eloquio patef
re? Nemo equidem, qui plenâ judicij trutinâ Ascensionis D
minicæ sublimia, immensa & exoptabilia voluerit ponder
Altitudinem cœli & latitudinem terræ & profundum abyssi q
dimensus est? quærit Siracides. (*Eccli.* 1.) Quantò magis sapi
tiam Dei præcedentem hæc omnia quis investigavit? Hæc
quæ hodie attigit à fine usque ad finem fortiter, & disposuit
mnia svaviter, (*Sap.* 1.) quando summa cœlorum & ima infe
rum cum medijs terrenorum congregavit & copulavit fons sa
entiæ, verbũ Dei in excelsis. (*Eccli.* 1.) A summo cœlo fuit egre
Regis nostri, (*Ps.* 18.) & descensus non in terram tantùm, s
etiam ad inferiores partes terræ; nunc occursus ejus est usq; a
summum cœli, super omnes cælos, ut adimpleret omnia (*Eph.*
4.) suâ præsentiâ & gratiâ, nec esset qui se absconderet à cal
amoris ejus ac bonitatis. Ita Dominus universorum (2. *Mac.*
14.) in ascensione sua omnia junxit, ut nunc ei planè omne g
nu cælestium, terrestrium, & infernorum flecteretur: (*Phil.*)
quod etiam Ecclesia sancta in hymno manifestat concinens: u
trina rerum machina, cœlestium terrestrium, & inferorum c
dita, flectant genu jam subdita. Nunc militans super terram E
clesia in B. M. V. Matre Dei, Apostolis, discipulis, & sanctis m
lieribus subsistens, atque numerum centum viginti adæquan
utì innuit D. Lucas in Actis Apostolorum, (*cap.* 1) nunc tri
umphans de cœlo in millibus millium Angelorum obviam pr
cedens, nunc patiens ex Sanctis Patribus, Patriarchis, Prophet
veteris testamenti Sanctis, ac novi testamenti Innocentibus, at
Sancto Josepho constituta, Christoq; unita, sub ipso suo Rege
Capite omnium Ecclesia cernitur coadunata. Ecce quàm bo
num, & quàm jucundum videre, convenire, & habitare fratr
in unum, (*Psal.* 132.) ad thronum gloriæ primogeniti ex mul
fratribus, (*Rom.* 8.) sed & Regis omnium, primogeniti Patris i
cœlo, primogeniti Matris in terra, primogeniti mortuorũ (*Ap.*
1.) in inferno, de quo Pater æternus: & ego primogenitum p
nam illum excelsum præ Regibus terræ. (*Ps.* 88.) Nonne te
Apostolo, cùm iterum introducit primogenitum in orbem te
ræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei? (*Hebr.* 1.) I
planè adorate eum omnes Angeli ejus, audivit & lætata est S
on, (*Ps.* 96.) Ecclesia Sanctorum, electorum, & justorum sim
adorantium Dominum. Quidni hæc felicissima, beatissima,
gloriosissima congregatio Regis Prophetici hymnum cecinit, a
gaudia, exultationes, plausus, & jubilos animando universo
Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultat
onis? (*Ps.* 46.) Dicite jubilum: Io Victori! Io triumphe!
Dominatori cœlorum & terræ universæ, quoniam Domini e
regnu

Inscrutabilis Dei sapientia in Ascensione.

Ecclesia militantis,

triumphantis,

& patientis, sub Christo in cælos ascendente coadunatio.

Jubilandum Deo in voce exultationis.

regnum, & ipse dominabitur gentium. (*Ps.* 21.) Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo (*Ps.* 23.) Data est Regi nostro omnis potestas in cœlo & in terra. (*Mat.* 28.) Jam plaudite & jubilate. Quare? Quoniam *Quare?* Dominus excelsus in humanitate, qui est altissimus in Divinitate. Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria ejus. [*Ps.* 112.] Qui juxta Amos Prophetam, (*c.* 9) ædificat in cœlo ascensionem suam, Dominus nomen ejus. Idipsum intonat Rex Prophetarum: (*Ps.* 67.) qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Hunc ascendentem idem alloquitur: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra, quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. (*Ps.* 8.) Hic excelsus est & terribilis in sua potentia, in signis & prodigijs, in justitia quam exercet contra delinquentes, terribilis dæmonibus & eorum cultoribus, quos è terra eliminat. Est animi excelsi, clemens, benignus, & misericors erga fideles, sed terribilis ijs qui bonitate illius abutuntur. *Christus erga fideles misericors, terribilis erga delinquētes.* In altis habitat, sed humilia & minima quæque respicit in cœlo & in terra, (*Ps.* 112.) & ille ipse est eritque terribilis Judex. Sic enim veniet ad judicandum, quemadmodùm ascendit in cœlum. (*Act.* 1.) Est Rex magnus super omnem terram viventium, (*Ps.* 46.) morientium, & mortuorum. *Christus Rex magnus super tria, tripliciter,* *Magnus Rex est Christus*, teste Divo Thoma, D. Thomas. *I. universalitate dominij, quia Rex omnium populorum; II. duratione, quia in æternum; III. authoritate, quia Rex omnium regum.* I. II. III. Est Rex Regum, (*Ap.* 19.) id est, maximus & potentissimus juxta Hebraismum, sicut cœli cœlorum dicuntur, id est sublimissimi, canticum canticorum, id est excellentissimum, sanctum sanctorum, locus templi sacratissimus. *Christus Rex Regum, quomodò?* Huic Regi optimo, maximo, Io vivat! canamus, Io regnet! acclamemus, Io imperet! precemur, *Acclamationes.* Regum potentissimus, Imperatorum augustissimus, qui paravit in cœlo sedem suam, & ascendit accipere regnum, & regnum ipsius omnibus dominabitur. (*Ps.* 102.) Qui accepit possessionem regni sui, & conscendit thronum majestatis Regiæ ad dexteram Patris, gloriâ & honore coronatus, (*Ps.* 8.) & omnibus Regalibus insignib' inauguratus in æternum, omnes alios sub se coronās Coronator. Ubi sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit; (*Heb.* 1.) quia est Jesus Christus filius Dei vivi: [*Mat.* 16.] Angeli verò sunt administratorij spiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, tantò magis propter illum qui filius est & hæres per Deum, cui dicit: thronus tuus Deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui. (*Heb.* 1.) Ergo ab omnibus gentibus plaudendū manibus.. (*Ps.* 46.) *Ab omnibus gentibus plaudendum manibus.* *Quid est plaudite?* interrogat S. Augustinus, *gaudete. Sed quare manibus? quia bonis operibus.* S. August. Ab istis inchoandum, quia *Quare?*

illi fit plausus, qui priùs cæpit facere, postea docere. Jubilandu
D. August. Deo in voce exultationis. *Et voce & manibus*, ait idem S. Do
ctor, *si tantùm voce, non benè, quia pigræ sunt manus*;
tantùm manibus, nec hoc benè, quia muta est lingva. Conco
dent manus & lingva, ista confiteatur, illæ operentur. Postquar
eructat cor verbum bonum, dicantur opera Regi manibus,
& lingva calamus scribæ velociter scribentis. (*Ps.* 44.) Quid cau
Cur Domino ascendenti manibus & voce plaudendum? sæ, ut in Ascensione Domini hunc plausum manuum & jubilum
vocis exhibeamus, ad quæ nos haud dubiè Apostoli Sancti ve
bis Prophetæ præcipuè exhortantur. En duæ rationes. Prim
I. est, quia per Ascensionem suam subjecit populos nobis, & gen
II. tes sub pedibus nostris. (*Ps.* 46.) Secunda est, quia elegit nob
hæreditatem suam, speciem Jacob quam dilexit: id est, hic i
terra Ecclesiæ suæ subdidit nationes per conversionem earum a
fidem, ibi in cœlis præparat locum mansionum pro fidelibus
jam re ipsa Sanctos suos quos secum ducit in illis collocand
Magnæ rationes gaudiorum, plausuum & jubilorũ. Hic per præ
dicationem Evangelij regnum hactenus diaboli in regnum cœlo
rum terrestre commutatur, ibi regnum cœlorum empyreum ha
ctenus clausum aperitur, & sic utrique & militanti & triumphã
ti Ecclesiæ magnus salutis, prosperitatis, ac beatitudinis perficitu
accessus. Locò populorum Symmachus legit Reges, locò gen
tium Felix vertit Regna, & hoc est quod dixit Isaias: [*c.* 49.]
erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu demiss
in terram adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent
Ecclesia militans osculo pedum & vestigiorum à supplicibus ac devictis honoratur. Magna equidem non tantùm subjectio, sed & reverentiæ manci
patus Ecclesiæ sanctæ hic in terris constitutæ; quòd pedes capi
tis ejus, imò & pavimentum quod calcant tam à supplicib⁹ quàm
à devictis osculo honoretur. Hæreditas sua porrò quam elegit
Hæreditas quæ? est ipsum regnum cœlorum, quod ut possideat ingreditur, &
nos eligit in seipso ad illud possidendum. Sic Apostolus ait: quo
Deus elegit nos in ipso, id est in Christo; (*Eph.* 1.) in quo sort
S. August. vocati simus, id est gratia, ait S. Augustinus. *Nam ubi sors es*
non est electio sed voluntas Dei. Unde & nos elegit ad hæredi
tatem, & hæreditatem ipsam nobis per electionem prædestina
vit, speciem Jacob quam dilexit; alij legunt decorem & pulchr
tudinem, præstantiam, excellentiam, magnificentiam, exaltat
onem, florem præcipuum. S. Hieronymus legit gloriam v
gloriationem, quæ omnia equidem conveniunt nobis ex eo, quo
nomina nostra scripta sint in cælo, [*Luc.* 10.] in libro vitæ &
Debemus esse Jacobi supplantatores. quòd simus hæredes Dei; sed debemus esse Jacobi, vitia omni
& hostes authores vitiorum supplantantes. De talibus enim d
Hugo Card. cit Deus apud Malachiam: (*c.* 1.) Jacob dilexi. Pulchrè Hug
Quæ species Jacob? Cardinalis speciem Jacob interpretatur. *Vitam æternam speci*
sam benè signatam per Rachel speciosam quam Jacob dilexit,
pr

qua septem annis servivit, & videbantur ipsi pauci di- pra amoris magnitudine. Sed sicut Jacob cupienti habere Rachel substituta fuit prior Lia, id est laboriosa, & postea ...itus fuit Rachele speciosâ; sic laborandum nobis primò pro hæreditate DEI & specie Jacob capessenda: quia per mul- tribulationes oportet nos introire in regnum DEI. (*Act.* 14.) Nonne ipsum Christum sic oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam? (*Luc.* 24.) Iste ergo duplex fructus est Ascensionis Dominicæ, in terris subjectio populorum, Re- ...gum, & gentium; in cælis possessio beatæ hæreditatis. Unde meritò Rex Prophetarum (*Ps.* 46.) subnectit: Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ. Per jubilum omnis humani & Angelici cantûs melodia, per tubam omnia musices instrumen- ...t indigitantur. Jubilus est gaudium voce inconditâ sinè verbis expressum, vel juxta glossam est ineffabile gaudium, quod nec taceri potest; sed non potest exprimi, quia excedit comprehen- sionem; & hunc per vocem exultationis fieri debere innuit Pro- pheta in Psalmi initio: sicut & plausus manuum ad vocem in- strumentorum variorum potest applicari. Angelos potissimùm voce tubæ diversorumq; instrumentorum modulatione usos unà cum jubilo haud dubitandum; jubilum verò propriè sanctis ani- mabus captivæ ex orco captivitatis, de qua Propheta: (*Ps.* 104) ...uxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia, Apostolisque convenisse credendum est. *Sic ergò*, utì censet Hu- go Cardinalis, *ascendit Deus in jubilo Angelorum lætantium de ...gis sui exaltatione, de hominis redemptione, & de ruinæ suæ restauratione*: deinde in jubilo Apostolorum exultantium de Christi Dñi sui glorificatione; de certa Spiritûs S. promissione; de futura mundi conversione: demùm in jubilo hominum redẽ- ...orum propter suam è limbo eliberationem, propter Christi & Angelorum associationem, propter æternæ vitæ consecutionem. ...d & ipse Dominus quidni jubilavit ex eo, quòd Patris imple- ...rit voluntatem, quòd opus humanæ salutis consummaverit, quòd omnes suos & hominum superaverit inimicos. Audite ipsi- ...s Regij Prophetæ applausum, quem facit consequenter ad cã- ...um & celebritatem omnes incitando. Psallite Deo nostro. Bis ...petit, (*Ps.* 45.) quia Christus est Deus, & est Deus noster sin- ...ulariter. Psallite Regi nostro psallite. Bis ingeminat, quia Chri- ...us Rex est, & est Rex noster specialiter. Denique quoniam ...ex omnis terræ Deus, summæ, mediæ, & infimæ terræ, triũ- ...hantium, bellantium, & patientium hominum, psallite sapi- ...nter vel intelligenter, cum sapore & gustu, cum intellectu & ...ttentione; psallite spiritu & mente, ore & opere, cum in- ...eriori animæ, & exteriori corporis modestia. Porrò psalmo- ...ia cùm sit juxta Sanctum Laurentium Justinianum, *quæ-*

Duplex fructus Ascensionis Dominicæ.

Quid per jubilum, quid per tubam denotatur?

Quid jubilus?

Christus ascendit in jubilo Angelorum propter tria, Apostolorum propter tria, & animarum è limbo eductarum propter tria; & ipsemet jubilavit propter tria.

Psallendum quinduplicitèr.

Quid est psalmodia?

dam Dei ad hominem, atq; hominis ad Deum dulcis, læta, & *familiaris allocutio,* quæ immenſas in ſe continet delectationes. Cum quanta reverentia Divinæ majeſtatis, cum quanta ſubmiſſione noſtræ vilitatis, cum quanta corporis ac maximè oculorum modeſtia, cum quanta intellectûs reflexione, cum quanta memoriæ applicatione, cum quanta voluntatis affectione, cum quanto cordis & in eo amoris fervore ſit peragenda, quisq; poterit facilè judicare. Hoc eſt pſallere ſapienter. (*Pſ.* 46.) Concludit Regius Vates effectum finalem Aſcenſionis declarando: regnabit Deus ſuper omnes gentes, Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. (*Pſ.* 46.) Rex noſter & ipſum totius orbis Regnum & ſupremam Regni ſedem in cœlis ſuper omnes cœlos apprehendit, atque aſcendens thronum gloriæ ſuæ ad dexteram Patris, ſimul tam Regia authoritate quàm Judiciaria poteſtate eſt inſignitus. Sedet & myſticè ſuper ſedem ſuam Eccleſiam ſanctam, & ſuper unamquamque animam juſti, quæ ſedes eſt ſapientiæ Dei. (*Sap.* 7.) Ecce jam ad regnantem & ſedentem Regẽ Principes populorum congregati ſunt, [*Pſ.* 46.] Angeli videlicet præſides regnorum & provinciarum, tenentes principatum ſuper populos. Quin & principes populorum Sancti Patriarchæ limbo per ipſum educti acceſſerunt, eique in gloria juncti ſunt. Sed & viventes in terra Reges & Principes cultores idolorum per apoſtolicam prædicationem congregati ſunt cum Deo Abraham tanquam veri Abrahæ filij quia credentes, Patris credentium progenies. Si unquam enim nunc ſanè potens eſt Deus etiam de lapidibus, de obduratis gentilibus facere filios Abrahæ ſibi fideles, (*Mat.* 13.) quia qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ, qui credidit Deo, & reputatum eſt ipſi ad juſtitiam. (*Rom.* 4.) Nec immeritò, quoniam Dij fortes terræ vehementer elevati ſunt (*Pſ.* 46.) & hi ſunt Apoſtoli. Dij per gratiam, fortes per fidem & conſtantiam, vehementer elevati per ſigna & miracula; vel juxta D. Thomam, *Dij propter judiciariam poteſtatem, fortes propter conſtantiam in paſſione, elevati propter prædicationem per miraculorum operationem, & per gloriæ adeptionem.* Deus Abraham Chriſtus, quia utriusque & veteris & novi teſtamenti inſtitutor, qui ipſum Abraham ſecum & cum alijs Principibus ſuæ gloriæ hodie aggregavit. Jam placet ſpectare Regis triumphatoris noſtri gloriam & majeſtatem. Deſcribit hanc idem Propheta Regius: (*Pſ.* 67.) currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina in ſancto; ac ſi diceret illud Moyſis: Dominus de Synai venit, & de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. (*Deut.* 33.) Quæ millia hæc ſunt? Non alia, niſi Angelorum: de quibus S. Gregorius. *Numerus ſupernorũ civium infinitus eſt, & definitus exprimitur, ut qui Deo eſt numerabilis* eſſ

Margin notes: *Effectus finalis Aſcenſionis, Regnum Dei ſuper omnes gentes, ſed & ſuper ſedem* I. II. III. — *Qui Principes populorum?* I. II. III. — *Quomodò Apoſtoli Dij fortes terræ?* I. II. D. Thomas. — *Regis triumphantis gloria & majeſtas.* — *10. Millia Angelorum.* S. Gregorius.

esse innumerabilis hominibus demonstretur. Quidni uti antiquo dierum, ita Regi nostro millia millium ministrabant ei, & deci-es centena millia assistebant ei tanquam filio hominis, cui Pater dat hodie potestatem, & honorem, & regnum, & omnes po-puli, tribus, & lingvæ servient ei. (*Dan.* 7.) Sed quis currus & qualis? Haud dubiè non alius, nisi de quo alibi Psalmista Deum alloquens: qui sedes super Cherubim. (*Ps.* 79.) Et alibi: ascendit super Cherubim & volavit. (*Ps.* 17.) Angeli proinde Cherubim, illuminati, sunt currus, sunt sedes Regis nostri. Nonne Elisæ-us Angelos vidit instar curruum & equorum? (4. *Reg.* 2.) Non-ne Jacob Patriarcha obvios sibi habens Angelos Dei, ait: (*Gen.* 32.) Castra Dei sunt hæc? *Elias Magister Elisei*, teste D. Am-brosio, *nonnè Angelis ducentibus raptus ad cœlum est, & quadri-gæ igneæ impositus quasi in quodam triumpho Victor ascendit?* Ecce curr[9] igneus, ait scriptura, & equi ignei diviserunt utrumq; (4. *Reg.* 2.) ubi Eliseus etiam Eliam currum Israël & aurigam ejus nominavit. Audiamus D. Augustinum de sede Cherubica Dei discurrentem. *Cherubim sedes est Gloriæ Dei, & interpreta-tur plenitudo scientiæ. Ibi sedet Deus in plenitudine scientiæ. Licet intelligamus Cherubim sublimes esse cœlorum potestates atq; virtutes: tamen si vis, eris Cherubim. Si enim Cherubim sedes est Dei, audi quid dicat scriptura: anima justi sedes est sapientiæ.* (*Sap.* 7.) *Quomodò, inquis, ero plenitudo scientiæ? Quis hoc implet? Habes unde impleas: plenitudo legis est charitas. Noli per multa ire atq; distendi. Terret te ramorum diffusio, radicem te-ne & de magnitudine arboris noli cogitare. Sit in te charitas, & necesse est plenitudo scientiæ consequatur. Quid enim nescit qui charitatem scit? Quandoquidem dictum est: Deus charitas est.* (1. *Joan.* 4.) Hæc S. August. Consonat Hugo Cardinalis. *Non in Cherubim, id est in scientia: quia Cherubim interpretatur ple-nitudo scientiæ; sed super, id est ultra, in Seraphim in ardore charitatis: ibi Dominus sedet, id est, requiescit.* Ideo & currus igne[9] Angelorũ; Dñ[9] in eis, in Sina in Sancto monte nimirùm; & sicut in Sina in igne apparuit De[9], *Ex.* 19. qui ignis consumens est, (*Deu.* 4.) ita igneā requirit sedē charitatis. Millia lætantiũ, infi-nitas gaudiorum. Quando? Quando ascendisti in altum, ait Pro-pheta. (*Ps.* 67.) Tertull[9] legit in sublimitatem; Chaldæus in firmamentum, utique in cœlum, quod est respectu terræ altissi-mum. Describit ultra hunc ascensum dicens: cepisti captivitatē, (...) quod S. Paulus sic citat: ascendens in altum captivam du-xit captivitatem. (*Eph.* 4.) Hoc prædixit Zacharias Propheta: (c. ..) tu quoque in sangvine testamenti eduxisti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua. Isaias etiam idipsum vaticinatus est, inquirens priùs: nunquid tolletur à forti præda? aut quod ca-ptum fuerit à robusto, salvum esse poterit? Ubi infert; quia

ministrantia Regi nostro.

Quis currus?

Angeli Cherubim.

D. Ambros.

D. August.

Simus & nos Cherubim, i. e. plenitudo scientiæ, per charitatē.

Hugo Card.

Millia lætantium est infinitas gaudiorum.

hæc dicit Dominus: equidem & captivitas à forti (illo sanè qui custodivit atrium suum, *Luc.* 11.) tolletur, (nimirùm per morsum inferni) & quod ablatum fuerit à robusto, salvabitur. [*Is.* 49.] Nomen Regis nostri est, accelera spolia detrahere, festina prædari, (*Is.* 8.) illum cui prædictum: væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? (*Is.* 33.) Cùm consummaveris deprædationem, (Christum morti in prædam dando) deprædaberis. Hoc est quod dicit Apostolus: [*Col.* 2.] exspolians principatus & potestates, planè fortes & robustos traduxit confidenter, triumphans illos in semetipso. *Ergo ascendit*, teste D. Chrysologo, *non ut se referret in cœlum qui semper mansit in cœlo, sed ut te perferret quem taliter vinctum absolvit & subtraxit inferno.* Tandem adnectit Propheta. Accepisti dona in hominibus vel pro hominibus, (*Ps.* 67.) quod S. Paulus exponit: dedit dona hominibus, (*Eph.* 4.) & illis quos secum in cœlum duxit, dona æternæ gloriæ, & his quos in terra reliquit, dona gratiæ cum Spiritu S., qui propriè est donum gratuitum Dei, à quo singula & singularia procedunt dona. Isaias (*c.* 11.) septem recenset: Spiritum sapientiæ & intellectûs, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris Domini. Apostolus verò asserit (*1. Cor.* 11.) divisiones esse gratiarum, eundem autem Spiritum. Unicuique autem, inquit, datur manifestatio spiritûs ad utilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in uno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij gratia lingvarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. Hi sunt fructus uberrimi Ascensionis Regiæ; hæc est liberalitas Regis nostri: hæc nostra muneratio & locupletatio; hæc captio non credentiũ inhabitare Dñum Deũ, (*Ps.* 67) & hìc in terris incarnatum & ibi in cœlis regnantem. Deniq; benedictus Dominus die quotidie, quod vadat parare nobis locũ, (*Jo.* 14) quod ascendat pandens iter ante nos: prosperum iter in cœlum faciet nobis Deus salutarium nostrorum. (*Ps.* 67.) *Quis desiderare præsumeret*, inquit mellifluus Pater noster, *ascensum cœli, nisi quia is qui descenderat prior ascendit? Dico vobis, non multò mihi tolerabilior videretur exilii hujus habitatio quàm gehenna, nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen fiduciæ & expectationis*, (Is. 1.) *quando elevatus est in nubibus, & spem fecit credentibus.* Ego si exaltatus fuero à terra, inquit ipsemet, utique per Resurrectionem & Ascensionem juxta sensum D. Chrysostomi, omnia traham ad meipsum. [*Joan.* 12.] Invitat nos ut sequamur, trahit nos ut ascendamus. *Levemus igitur*, monet idem S. Pater, *Fratres mei, levemus in cælum corda cum manibus, & ascendentem Dominum sequi v*[...]

D. Chrysol. *Quare Christus in cælum ascendit?*

I. II.

Quæ sunt dona Spiritûs S?

Fructus Dominicæ Ascensionis.

S. Bernard9.

Ascendendum cum Christo. Idem. *Quomodò?*

quibuſdam paſſibus devotionis & fidei contendamus. Deus ſter De⁹ ſalvos faciendi, id eſt Deus ſalutis, eſt Deus in ſalutem, Domini Domini exitus mortis, [*Pſ. 67.*] per ipſum Deum ominum eſt evaſio à morte. Jam verò continuat Propheta & enſet teſtes Aſcenſionis oculatos. Viderunt, ait, ingreſſus tu- Deus, videlicet Apoſtoli, ingreſſus Dei mei Regis mei qui eſt ſancto, id eſt cœleſti ſanctuario. Prævenerunt Principes con- cti pſallentibus ijdem Apoſtoli ſociati Angelis, in medio ju- ncularum tympaniſtriarum, (*Ib.*) mulierum ſanctarum, in- quas primariò fuit Beatiſſima Virgo Mater Dei, quam Sol ctorum tympaniſtriam nominat: ſitque alluſio ad Mariam ophetiſſam ſororem Aaron, quæ poſt tranſitum maris rubri mpſit tympanum in manu ſua, præcinens omnibus mulierib⁹ nticum Moyſis, qui egreſſus fuerat poſt eam cum tympanis & oris. (*Ex. 15.*) Porrò admonet Propheta in parentheſi, ut in cleſijs quas per orbem fundaturi erant, benedicerent Domino fontibus Iſraël. [*Pſ. 67.*] Juxta Theodoretum, fontes Iſraëlis equis nominare poterit vatum libros, ex quibus dulcem can- m Deo offerimus. Fontes ſunt quoque gratiæ Spiritûs Sancti, quibus ipſa Veritas: qui credit in me, flumina de ventre ejus ent aquæ vivæ. (*Joan. 7.*) & alibi: aqua quam ego dabo ei, t in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. (*Joan. 4.*) Su- r quo S. Chryſoſtomus: *Spiritûs gratia cùm menti illapſa eſt nq; irrigavit, omni fonte uberiùs ſcaturit, nunquam deficit, nquam vacuatur, nunquam ſtat. Simul igitur & indeficien- m copiam, & incredibilem operationem, & fontem & fluvios pellavit.* Inter illos autem videntes Principes ibi erat Benia- n adoleſcentul⁹ in mentis exceſſu, S. Joannes dilect⁹ Jeſu; Prin- pes Juda Zabulon & Nephtalim, reliqui Apoſtoli de hiſce ibubus oriundi. Tandem in fine provocat regna ad fidem con- rſa in laudem Dei: Regna terræ cantate Deo, pſallite Domi- . Cui? Qui aſcendit ſuper cœlum cœli, (*Ib.*) id eſt ſupremū mpyreum ad orientem ex monte Oliveti, qui Jeroſolymæ fuit ientalis; ſed & illi qui aſcendit: ecce vir Oriens nomen ejus, & e portabit gloriam, & ſedebit & dominabitur ſuper ſolio ſuo. [*Zach. 6*] Hanc igitur Aſcenſionem Domini ita multipliciter ſcribit Vates Regius in Pſalmis ſuis verè dictam ab Eccleſia S. mirabilem. Quis enim hanc non admiretur, quando ipſi eti- m in cœlo Principes portarum æternalium cuſtodes cum ſtupo- requirunt, quis eſt iſte Rex gloriæ? (*Pſ. 23.*) Quis eſt iſte qui nit de Edom? (*Iſ. 63.*) Quis eſt iſte Rex gloriæ? (*Pſ. 23.*) In- itum enim quid eſt, corpus humanum elevari ſuper cœlos cœ- rum, ſupra Angelicam creaturam extolli & collocari. Hic eſt rabilis Deus in Sanctis ſuis, (*Pſ. 67.*) planè ſanctis ſanctorum æ æternâ redemptione inventa hodie ingreſſus eſt. (*Heb. 9.*)

Teſtes Aſcenſionis Sancti Apoſtoli,

Angeli,

Mulieres Sanctæ,

Beatiſſima Virgo, Tympaniſtria dicta,

Fontes Iſraelis qui?

I.

II.

S. Chryſoſt.

Ab omnibus Regnis Chriſto aſcendenti pſallendum.

Aſcenſio Domini admirabilis.

Jubilandum & nobis in hac Ascensione,

Accedamus & nos ad hoc magnum Angelorum, Sanctorum & Apostolorum consortium, omniumque Christi Ecclesiarum communioni in Ascensione Domini congregatæ sociemur. Jungamus plausus operum, jubilos cordium, psalmos vocum exultationi universæ terræ. Congaudeamus Regi nostro, & congratulemur de ultimaria ejus eaque gloriosa inauguratione. Hodie

quæ quid est?

namque est consummatio itinerarij Filij Dei & hominis, omniumque operum ejus pro salute nostra in terris exantlatorum coronis: est cunctorum meritorum ejus per copiosissimam mercedem coronatio, personæque ejus ad dexteram Patris inthronizatio.

Gratiæ reddendæ Regi nostro,

Hic ad thronum Majestatis & sedem gloriæ ejus supplices provolvamur gratias ei reddentes, victimas gratitudinis immolantes, verba bona ex corde eructantes, & opera nostra omnia Regi nostro addicentes, hoc vel simili modo quisque nostrûm

hoc modo.

dicendo. Dico ego opera mea tibi Regi meo, (*Psal.* 44.) à quo solo regi & dirigi concupisco, nulli nisi tibi soli servire volendo, nullum præter te solum amando, mandata tua exequi curando, non quæ super terram, sed quæ sursùm sunt, ubi tu es in dextera Dei sedens, quærendo & sapiendo; nihil aliud præter te tuumque in cœlo consortium desiderando, unam hanc petendo à te & requirendo, ut inhabitem per conversationem meam in domo tua cœlesti omnibus diebus vitæ meæ: (*Ps.* 26.) ad hoc unum necessarium anhelando, ut apud te qui es fons vitæ, in lumine tuo videam lumen, (*Ps.* 35.) & adimpleas me lætitiâ cum vultu tuo, possideamque delectationes in dextera tua usq; in finem [*Ps.* 15.] tuæ beatæ æternitatis nunquam finiendæ.

Sermo in Festo Pentecostes.

Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. *Ps.* 44.

Invocatio Spiritûs S. per titulos ejus.

O Sanctissime Spiritus à Patre Filioq; per spirationem procedens, amor Patris, & Filij voluntas & donum, tertia in Divinitate persona, sacratissimæ Trinitatis vinculum & complementum, fons gratiarum Divinarum, omnium bonorum largitor, donorum cœlestium distributor, Ecclesiæ sanctæ Paraclete, & spiritualis unctio, ignis omnia consumens (*Deut.* 9.) & inconsumptibilis in se, aqua viva, lumen mentium, creator, vivificator, & sanctificator cordium, origo bonitatis & sanctitatis increate, æterne, immense, omnipotens Domine, qui es scribæ

S. Ambros.

velociter scribens, *quia tua gratia nescit tarda molimina*, qui apparuisti in forma lingvarum dispertitarum tanquam ignis [*Act.* 2.] non minùs velociter agens, verè lingva Divini verbi, cujus eloquia sunt ignita: (*Ps.* 118.) veni & illabere cordi meo tanquam spiritus vehemens, ejusque totam domum reple, ut eructet verbum bonum. (*Ps.* 44.) Da voci meæ vocem virtutis, (*Ps.* 67.) & fac lingvam meam calamum tuum, te tuasque virtutes exa-

ranter

ntem in cordibus audientium. Da fermonem rectum & benè
hantem in os meum, ut lingva mea meditetur justitiam tuam,
loquatur judicium; (*Pf.* 34.) pronuntiet denique lingva mea
quia tua defiderabilia fuper aurum & lapidem pretiosū mul-
m, & dulciora fuper mel & favum. (*Pf.* 18.) Lingva mea, ait — *Spiritus S. est*
x Prophetarum, (*Pf.* 44.) calamus fcribæ velociter fcriben- — *fcriba,*
Scribam effe Spiritum S. docet D. Bafilius his verbis: *Scri-* — D. Bafilius.
Spiritus S. quoniam fapiens eft & omnes docens, velociter fcri-
ns, velox enim mentis motus eft. Scribit autem Spiritus
ctus non in tabulis lapideis, fed in tabulis cordis noftri carneis;
Deus pollicetur apud Jeremiam: [*c.* 31.] dabo legem meam
vifceribus eorum, & in corde eorum fcribam eam. Quod au- — *eft & lingva,*
n fit & lingva, vifibiliter per fe ipfum hoc manifeftavit; cujus
ufam dat S. Gregorius Nazianzenus: *nam cùm Filius*, inquit, — S. Gregori9 Nazianzen9.
pore fenfibili & confpicuo nobifcum confvetudinem habuiffet,
r erat ut Spiritus quoq; corporaliter appareret; ficut etiam ap-
ruit primùm in forma columbæ, nunc in forma lingvarum i-
earum. Perpendamus omnia fucceffivè, & videamus quomo-
Spiritus S. fit fcriba velociter fcribens, qualiter fit columba, — *& columba*
lingva ignea. Velocitas Spiritûs fancti in fcribendo patet, quia — *Velocitas illius in fcribendo.*
il illi refiftit, fpirat ubi vult, & vocem ejus audis, fed nefcis
de veniat & quò vadat. (*Joan.* 3.) Emittitur tantùm & crean-
r omnia, & renovatur facies terræ. (*Pf.* 103.) Apud Sapientem
.7.) dicitur fpiritus intelligentiæ fanctus, unicus, multiplex,
obilis, omnem habens virtutem, omnia profpiciens, & qui ca-
at omnes fpiritus. Celeritatem ejus S. Gregorius Magnus ex- — S. Greg. M.
icat. O *quantus artifex eft ifte Spiritus! Nulla ad difcendum*
ra, agitur in omne quod voluerit. Mox enim ut tetigerit men-
n, docet; folumq; tetigiffe, docuiffe eft. Nam humanum animum
bitò ut illuftrat, immutat. Abnegat hoc repente quod erat, ex-
bet repente quod non erat. Idem admiratur S. Leo. O *quàm* — S. Leo.
lox eft fermo fapientiæ, & ubi Deus magifter eft, quàm citò
fcitur quod docetur! O quàm multa breviffimo tempore, imò
afi unico temporis momento fcribit in animabus eorum quos
nvertit! Nec mirum. Eft enim amor effentialis, amor autem
nis eft, velox in agendo, & maximè activus. Ideo factus eft
pente fonus, (*Act.* 2.) ex improvifo, ut repente omnes cum A-
ftolis congregatos fuis accenderet lingvis. Scribit verò Spirit9 — *Scribit legem*
legem Dei in cordibus hominum, ut eam cognofcant & dili- — *Dei in cordibus hominum,*
ant. Pulchrè Innocentius Pontifex: *Scriptor egregius*, inquit, — Innoc Pont.
fupremus Spiritus S. eft digitus Dei, quo fcriptæ fuerunt duæ — *Spiritus S. eft*
bulæ Teftamenti. Hujus fcriptoris atramentarium eft donum — *digitus Dei.*
ientiæ, de quo per calamum lingvæ atramentum doctrinæ pro-
rtur, & in cordis fuperfcribitur pargameno. Infcribit Spiri- — *item virtutes*
s S. cum legis doctrina & virtutes fanctas, ac primariò fidem, — *fanctas,*

Fidem, spem, charitatem, spem, & charitatem, quæ sunt dona ipsius. Inscribit non miu amorem crucis, teste S. Germano Patriarcha Constantinopolita-
S. Germanus. no: *Spiritus Sanctus*, ait, *velut lingva Dei Patris, & calam*
amorē crucis, *scribæ velociter scribentis sculpit in significatione Christi non e*
atramentum & chartam, sed per ungventi lituram, (S. Joannes
nominat unctionem Christi, quæ docet de omnibus) *& vel*
in libro novo tabulis cordis fidelium crucem Christi insculpes.
D. Basilius. Scribit autem ex sensu D. Basilij magni juxta dispositionem cor-
dium; *juxta proportionem latitudinis cordis*, ait D. Doctor, *plu-*
ra vel pauciora inscribit sanctus ille Spiritus, aut manifesta o-
mnibus, vel certò obscuriora pro modulo apparatûs, quo quisq; ex-
purgavit cordis domicilium. Cæterùm omnia operatur unus & i-
Spiritus S. in forma columbæ apparet, & in lingvis igneis. dem Spiritus dividens singulis prout vult. [1. Cor. 12.] Jam verò
formam columbæ Spiritus Dei sanctus præsetulit, cœlis apertis
descendens corporali specie & manens supra baptizatum Jesum.
(*Mat.* 3) Sed cur speciem & similitudinem columbæ assumpt
Quare? in baptismo, qui in lingvis igneis se Apostolis monstravit? R-
I. spondet S. Chrysostomus. *Quia Christus venit in mundū man-*
svetus ut columba, ad remittendum peccatum & solvendos pec-
S. Bernardus. *catores.* Acsi diceret: simile simili gaudet. Sed S. Pater nost
non minùs appositè dat rationem. *Nec incongruè*, ait, *ad ind-*
II. *dicandum Agnum DEI venit columba, quia nihil meliùs agn*
convenit quàm columba. Quod agnus in animalibus, hoc colum-
ba in avibus est. Summa utriusq; innocentia, summa mansvet-
do, summa simplicitas. Quid enim sic alienum ab omni malit
sicut agnus & columba? Nocere cuiquam nesciunt, lædere no
noverunt. Sed D. Thomas alias quoque adfert rationes, a
III. primùm specie columbæ, quæ simplicitatis est symbolum ip
Domino dicente: estote simplices sicut columbæ; (*Mat.* 10.) di
positio quæ requiritur in baptizatis monstrata est: quia Spiritu
sanctus disciplinæ effugiet fictum, cùm & effectus proprius ba
ptismi est declaratus qui est remissio peccatorum: quod etiam
Ecclesia S. ipsi Spiritui S. attribuit in Collecta feriæ tertiæ ultim
D. Chrysost. & reconciliatio cum Deo: & ideò dicente S. Chrysostomo, *in d*
luvio apparuit hoc animal ramum ferens olivæ, & eo etiam orb
terrarum tranquillitatem annuntians; & nunc etiam columb
apparet in baptismo liberatorem nobis demonstrans. Quin etiam
effectus communis baptismi patuit, qui est conjunctio Ecclesia-
IV. sticæ unitatis, quia columba est animal amicabile & gregale. Su
per Apostolos autem quibus dixit verbum Dei, ite prædicate E
vangelium omni creaturæ, (*Mar.* 16.) opus erat lingvis ijsqu
penetrantibus, ad evangelizandum lapideis planè cordibus ob
duratorum Judæorum atque Gentilium; quidni jure meritò s
in tali forma monstravit, ad fervorem & ardorem prædicand
imprimendum teste D. Augustino, maximè inter pressuras per

secu-

cutionum? quid autem penetrabilius igne? Verba S. Augusti- audiamus. *Duobus modis ostendit visibiliter Deus Spiritum S. licet per columbam super Dominum baptizatum, & per ignem per Discipulos congregatos. Ibi simplicitas, hìc fervor ostendi- r. Ergo ne spiritu sanctificati dolum habeant, in columba de- onstratus est; & nè simplicitas frigida remaneat, in igne visus . Nec te moveat quia linguæ divisæ sunt, unitatem in colum- cognosce.* Paulò aliter id S. Chrysostomus explicat. *Cùm opor- bat delictis ignoscere, quod fit in baptismo, mansvetudo necessa- erat quæ demonstratur in columba; sed ubi adepti sumus gra- m, restat judicij tempus, quod significatur per ignem.* Porrò iritus S. optimè per columbam repræsentatur: quandoqui- m septem dona Spiritus S. per qualitates & proprietates co- mbæ commodè adumbrantur juxta S. Thomam 3. P. q. 39. .6. ad 4. *Columba enim secùs fluenta habitat, ut inde viso cipitre mergat se & evadat: quod pertinet ad donum sapientiæ quam Sancti secùs Divinæ scripturæ fluenta resident, ut in- sum diaboli evadant. Item columba meliora grana eligit, quod tinet ad donum scientiæ, quo sancti sententias sanas quibus pa- ntur eligunt. Item columba alienos pullos nutrit, quod pertinet donum consilij, quo sancti homines, qui fuerunt pulli, id est, tatores diaboli, doctrinâ nutriuntur & exemplo. Item colum- non lacerat rostro, quod pertinet ad donum intellectûs, quo san- bonas sententias lacerando, non pervertunt hæreticorum more. m columba felle caret, quod pertinet ad donum pietatis, per m sancti ira irrationabili carent. Item columba in cavernis ræ nidificat, quod pertinet ad donum fortitudinis, quo sancti plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, id suum refugium & spem. Item columba gemitum pro cantu et, quod pertinet ad donum timoris, quo sancti delectantur in itu pro peccatis.* Hæc eruditè S. Thomas Aquinas. Porrò gva tanquam ignis specimen propriè servit Spiritui sancto, qui gvas Apostolicas ad verbum Dei in orbe fervidè prædicandum divit & habilitavit. Lingva enim est primarium prædicationis ngelicæ instrumentum, ac ideò primò donum lingvarum à itu S. fuit Apostolis collatum, quando loquebantur varijs vis magnalia Dei. (*Act.* 2.) In hoc autem dono lingvarum sunt notabilia; nimirùm memor verborum variorum cogni- intellecta illorum significatio, demùm recta eorundem pro- tiatio; quæ omnia actu & habitu Apostoli veloci instructio- lidicerunt, per solam videlicet Spiritûs S. repletionem. Cum dono lingvarum à Spiritu *S.* receperunt quoq; consumma- sapientiam rerum Divinarum, & humanarum ad fidem & mysteria cognoscenda spectantium, adeòque omnes Rheto- , Philosophiæ, & Theologiæ scientias veritati fidei demon-

D. Augúst.

S. Chrysost.

Septem dona Spiritûs S. per totidem columbæ qualitates adumbrantur.

D. Thomas.

Spiritus S. in specie lingvarum delabitur super Apostolos,

ubi tria notabilia quæ ipsis contulit cum dono lingvarū.

Item sapientiā rerum divinarum & humanarum.

ſtrandæ ſervientes. Inſuper prudentia ſupernaturalis ipſis fu
prudentiam ſupernaturalē, per Spiritum S. indita, quâ providè & circumſpectè omnes ac-
ones & prædicationes ſuas inter tot perſecutionum, periculo
& difficultatum obſtacula, & rerum ac perſonarum varietates
Dei gloriam, Chriſti honorem, ſuamque & aliorum ſalutem di-
demùm animoſitatem, zelū, omnesq́ virtutes. ponerent ac ordinarent. Demùm animoſitatem imperterritam,
zelumq; ardentem lucri animarum, tùm & omnes virtutes h-
militatis, patientiæ, paupertatis, caſtitatis, mortificationis, cu-
ctaque Spiritûs S. dona cum fructibus ejus univerſis in actu pe-
Spiritui S. convenit lingva. fecto & heroico perceperunt. Deinde Spiritui S. convenit li-
gva, quia juxta S. Gregorium, *habet maximam cognationem li-
gva cum verbo, ſicut enim verbum mentis, producit vocem li-
Quare? I. gvæ; ſic à Verbo ſpiratur & producitur Spiritus S.* Sic &
Gregorius Nazianzenus cenſet per lingvam ſignificari cognati-
nem & vinculum, quod eſt inter Filium & Spiritum S. Ru-
II. sùm ſicut lingva eſt ejusdem naturæ cum ore & cæteris mem-
bris, ita Spiritus S. eſt conſubſtantialis Patri & Filio, ita ut qu
lingva eorum arcana & ſecreta nobis enuntiet, juxta illud Ap-
III. ſtoli: [1. *Cor.* 12.[nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi i
Spiritu S. Lingva etiam ſervit ad ſapores diſcernendos, eſtq
proprium guſtûs organum ad diſtingvendum ſapidum ab inſip-
do, dulce ab amaro, gratum ab auſtero, quod Spiritui S. com-
petit, diſtinctiones rerum cœleſtium à terrenis, ſpiritualium
corporalibus, æternarum à tranſitorijs inſtillandi: animalis eni
homo non percipit quæ ſunt ſpiritûs. (1. *Cor.* 2.) Unde juxta
Bernardinum, *Spiritus ſanctus intimos rerum Divinarum guſt
vimq; eorum guſtativam & diſcretivam dedit Apoſtolis.*
IV. lingva non minùs eſt poteſtas cibos ad maſticandum dentibus
porrigendi & ſubminiſtrandi, ut prima digeſtio inſtar primi ch-
li fiat in ore; quia tunc facilior fit in ſtomacho: & hæc eſt qua
operatio Spiritûs S. verbum Dei per meditationem velut ling
maſticare & ruminare, ut tantò commodiùs in mentem traijci-
V. tur, eique incorporetur. Denique cùm lingva ſit optimum
peſſimum membrum, quod juxta Apoſtolum, nemo hominum
domare poteſt, (*Jac.* 3.) in cujus manibus mors eſt & vita, (*Pr.*
18.) Spiritus S. aſſiſtit in hoc, ut frenetur atque ad bonum di-
gatur. Hominis eſt præparare cor, ait Sapiens, (*Pr.* 16.) D-
mini autem gubernare lingvam; quæ in navi cordis habet ſe in-
ſtar gubernaculi: ſi hoc in præcipitium vadit & cor præcipitat
quia lingva eſt univerſitas iniquitatis. (*Jac.* 3.) Spiritûs autem
gratia docet pauca loqui cum reflexione, & multa operari cum
intentione, ac Deum benedicere ſinè intermiſſione, in quo co-
ſiſtit vitæ ſpiritualis perfectio. Lingva porrò erat tanquam i-
forma lingvæ qualis? gnis in pyramdem acutam deſinens, ad deſignandum quod Sp-
ritus Sancti ardor mentem acuat, & profunda Dei faciat pen-
tra-

re; tum quòd corda Apostolica subtilissimè & acutissimè sub- | *Quare acuta?*
rabat & penetrabat; quin etiam quòd ille faceret ad cœlum | I. II. III.
cœlestia anhelare, & quòd lingvis Apostolicis vim & effica- | IV.
m inderet penetrandi corda Auditorum: ac denuò quòd eis | V.
ret donum discretionis spirituum, quo mentes, affectiones, &
reta cordium penetrarent, ad congruè loquendum & consu-
ldum illis ea, quæ conducerent ad salutem. Sed q tanquam
is Spiritus Sanctus, ait Scriptura, (*Act.* 2) super singulos e- | *Spiritus S. in linguis igneis apparuit.*
um, ut per ignem se esse Amorem, cujus symbolum est ignis,
clararet, & Deum simul manifestaret: Deus enim noster i- | *Quare?* I.
s consumens est. [*Deut.* 9.] Tùm juxta Isidorum Pelusiotam, | Isidor. Pelusiota.
unus Deus in utroq; testamento cognosceretur, qui in antiquo | II.
em veterem in monte Sinai dedit in igne, hic in novo legem
vam in monte Syon itidem in igne publicaret, ita ut vetus a-
retur, & novum constitueretur. Expediebat quoque Apo- | III.
los sicut Prophetas per ignem auctorari; uti Isaias (*c.* 6.) cal-
o de altari sublato, utiq; ignito, in labijs fuit purgatus. Elias
que surrexit quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat,
cli. 48.) curru igneo non minùs raptus in cœlum. (4. *Reg.*
2) Jeremias verò de se dicit: de excelso misit ignem in ossibus
is & erudivit me. (*Thren.* 1.) Quod ipse Christus Dominus de-
rat dicens: ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut
eat? (*Luc.* 12.) De Deo asserit Moyses: (*Deu.* 33.) in dexte-
jus ignea lex. Hæc est lex testamenti novi, novum manda-
n charitatis, amoris incendium, quod Spiritus S. in Apostolis
fidelibus operatus est. *Hic ignis quoq;*, teste D. Chrysostomo, | S. Chrysost. IV.
ndi peccata quasi sylvam exussit. Tùm etiam juxta S. Cyril- | S. Cyrillus Hierosolym.
n Hierosolymitanum, *ignis portendit tribulationem magnam*
multiplicem, quam passuri erant Apostoli & fideles, sed supe-
ri per ignem amoris Divini, quem idcircò hic eis indidit Spi-
us S. Cæterùm S. Gregorius sic inquit. *In lingvis igneis ap-* | V. S. Gregorius.
uit Spiritus Sanctus, quia omnes quos repleverit, ardentes pa-
r & loquentes facit. Lingvas igneas Doctores habent, quia
n Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant.
m est otiosus sermo Doctoris, si præbere non valet incendium
oris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso Veritatis ore concepe-
t, qui dicebant: nonnè cor nostrum ardens erat in nobis, cùm
queretur in via & aperiret nobis scripturas? (*Luc.* 24.) S. Au- | D. August. VI.
stinus cum igne & lumen & aquam considerat dicens. *Ipse*
nirùm Spiritus S. Apostolos suos vivæ lucis fonte perfudit,
ipsi postmodùm universum mundum tanquam 12. *solis radij ac*
dem lampades veritatis illuminent, & inebriati novo vino re-
ant atq; irrigent sitientia corda populorum. S. Pater noster in | VII. S. Bernardus
e observat acre examen ac lumen, quod sollicitè menti sug-
it Spiritus S. *Quid à te quærit*, inquit, *qui tantâ sollicitudi-*

Non ne

ne te quæsivit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo? Han sollicitudinem non facit nisi Spiritus Sanctus, qui scrutatur pro funda pectorum nostrorum, discretor cogitationum & intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis quod possidet ha bitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspe ctionis exurit. O utinam in nobis viventibus exurat Spiritu S. omnem stipulam, fœnum, ligna; ne mortuis nobis opera no stra ardeant & detrimenta patiamur! Subjungit ultra mellifluu

Idem.

Doctor. *Spiritus dulcis & suavis, qui nostram voluntatem fle ctat, imò erigat & dirigat magis ad suam, ut eam & veracite intelligere, & ferventer diligere, & efficaciter implere possimu.* Hi sunt effectus ignis Spiritûs sancti, qui vel maximè mundun aridum, torpentem, frigidum, gelidum, ac planè mortuum ex pergefaceret, animaret, succenderet, & inflammaret per igne

Apostoli Cherubini,

factos Apostolos, velut Cherubinos stipatores currûs gloriæ Christi, quos Ezechiel (*c.* 1.) vidit, ita quòd aspectus eorū qual carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum es

Seraphini,

set; imò tanquam Seraphinos igne Divini amoris & zeli anima rum accensos, ut lingvæ eorum ignitæ fierent, calami quoque ignei Scribæ Divini velociter scribentis in cordibus eorum, ac scribendum ignita eloquia Dei in cordibus credentium; ut per lingvas eorum omnis sermo Dei ignitus penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usq; ad divisionem animæ & spiritûs, compagum quoque ac medullarum, mentibus fidelium inscribe retur. (*Heb.* 4.) Ita equidem si Nahum Propheta (*c.* 2.) recen

instar exercitûs igniti,

set exercitum Assyriorum; quòd clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitûs in coccineis, igneæ habenæ, currus in die præparationis ejus, aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia: quidni exercitus Christi Apostolicus talibus instructus armis qui & coccineus sangvine Christi & suo purpuratus? Hi sunt

Principes populorum, Dij fortes terra, cardines terræ nubes & columbæ.

Principes populorum constituti super omnem terram, Dij fortes vehementer elevati, (*Ps* 46.) etiam per vehementiam ignis sursùm semper tendentis. Hi sunt cardines terræ, super quos posuit orbem. (1. *Reg.* 2.) Hi sunt ut nubes volantes & quasi columbæ ad fenestras suas, [*Is.* 60.] per illam cœlestem columbam tales effecti, prudentes sicut serpentes, simplices sicut columbæ (*Mat.* 10.) Jam igitur prout cæpi sic loquar ad Dominum me

Invocatio Spiritûs S. verbis D. Augustini

um (*Gen.* 18.) & Deum meum lingvâ igneâ Augustini. *O Divini amor Numinis, Patris omnipotentis Prolisq; beatissimæ sancta communicatio, omnipotens Paraclete Spiritus veni jam, veni benignissime dolentis animæ consolator, protegens in opportunitatibus, in tribulatione adjutor. Veni mundator scelerum, curator vulnerum, veni fortitudo fragilium, relevator labentium, humilium doctor, superborum destructor.* Loquar quoque ore aureo

D. Chrysost.

Chrysostomi. *Veni Sancte Spiritus, imaginis nostræ reformatio mentis*

tis perfectio, Spiritualis mentalium oculorum nostrorum sol, *Tituli Spiritûs sancti.*
rni nostri hominis lumen, lucifer in pectoris cœlo, copula uni-
nostræ in Christo, animarum exultatio, cordis tripudium, i-
, fons rorulentus, lugentium consolatio, mæstitiæ depositio, men-
requies, sapientiæ communicatio, prudentiæ innovatio, consci-
æ illustratio. Veni Pater pauperum, dulcis hospes animæ,
e refrigerium. *Beatus*, dicente Sole Doctorum, *qui te me-* **D. August.**
tur hospitari; quoniam per te Pater & Filius apud eum fa- *Effectus Spiritûs sancti.*
nt mansionem. Veni & cordis nostri penetralibus potenti illa-
virtute, & tenebrosa quæq; laris neglecti latibula corusci lu-
is fulgore pius habitator lætifica, tuiq; roris abundantiâ lon-
riditatis manentia squallore visitando fœcunda. Saucia in-
oris hominis arcana tui amoris jaculo, & torpentis medullas
ris, flammis salutaribus penetrando succende, sanctiq; furoris
illustrando intima mentis & corporis universa depasce. Pota
torrente voluptatis tuæ, (Ps. 35.) *ut nihil jam ex mundanis,*
il ex carnalibus, nihil ex terrestribus degustare libeat venena-
lulcedinis. Lingva tua tanquam ignis scribat velocissimè in
dibus nostris eloquia Dei ignita vehementer, (*Ps. 118.*) exu-
& consumat lingvas, ignes, universitates iniquitatis: (*Jac. 3.*)
mbinam simplicitatem, flagrantem amorem, zelum honoris
ini & salutis animarum stylo igneo mentibus nostris inscul-
, ut in omnibus statibus tam Ecclesiastico quàm Politico &
gulari, sigillatim Ordinis & Monasterij nostri vigeat donorum
virtutum tuarum operatio, vel maximè fructuum profectus,
sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas,
ganimitas, mansvetudo, fides, modestia, continentia, castitas;
(*Gal. 5.*) ut per illos ad ultimum æternæ mercedis fructum, ubi
lingva nostra perpetuus erit calamus laudis Divinæ te donante
pervenire valeamus.

Sermo in Festo SS. Trinitatis.

Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Re-
gi. Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. *Ps. 44.*

A. & O. Alpha & Omega, principium & finis, [*Apoc. 1.*]
A. A. A. Domine Deus, Pater, Fili, & Spiritus S. Unitrine *SS. Trinitas est ineffabilis.*
Deus, inconceptibilis, ineffabilis, incomprehensibilis, quid
dicam de Te? Ecce nescio loqui, (*Jer. 1.*) recessit à me sermo,
[*Dan. 2.*] non est sermo in lingva mea, (*Ps. 138.*) ablata sunt
à me eloquia, (*Job. 32.*) deficiam in verbis, etiamsi multa di-
cam. Quis enim sufficit enarrare opera tua? Quis investigabit
magnalia tua? Quantò magìs generationem tuã & processionem
quis enarrabit? Virtutẽ magnitudinis tuæ quis enuntiabit? aut quis
adjiciet enarrare misericordiã tuã? *Eccli. 18.* Cum Apostolo excla-
mare cogor: O altitudo divitiarũ sapientiæ & sciẽtiæ Dei, quàm

incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ eju[s] (*Rom.* 11) Illæ potissimùm viæ adintra generationis Filij ex [Pa]tre, processionis Spiritûs Sancti à Patre & Filio, in tribus per[so]nis unius Divinæ essentiæ. A A A Domine Deus, ecce nescio l[o]qui. (*Jer.* 1.) Cùm consummaverit homo, tunc incipiet, ait [Sy]racides cap. 18. Cùm omnia dixero, nihil dicam, quia vix dice[re] incipiam. Docet me tamen idem Sapiens, dicens cap. 43. Co[n]summatio autem sermonum ipse est in omnibus. Græcè legitu[r:] finis autem dictorum, ipse est omne. Tigurina verterunt: C[æ]terùm summa dictorum est, ipsum esse omnia; quod etiam D[o]ctor gentium (1. *Cor.* 15.) asserit, ut sit Deus omnia in omnibu[s].

Deus est omnia

Multa ergo dicam, quando asseram Deum esse omnia non fo[r]maliter sed virtualiter & eminenter, esse omnia causaliter & ef[fi]cienter. Ita est Deus omnia creans, conservans, & gubernans, e[t]

in omnibus.

transcendentaliter universum. Est in omnibus præsens, moven[s] & ordinans. Ipse est omnium principium, medium & finis. Ip[se] est omnium via, veritas & vita: (*Joan.* 14.) ex quo omnia, p[er] quem omnia, in quo omnia. [*Rom.* 11] Ipse est in omnibus a[t]tendendus, considerandus, admirandus & super omnia æstiman[dus,] amandus & laudandus.

Ad Deum omnia.

Ad Deum referenda sunt omnia qui est consummatio & rerum & sermonum, in manu enim i[l]lius, dicit Sapientia, (*Sap.* 7.) & nos & sermones nostri. Und[e] *omnis sermo noster* docente D. Thoma Aquinate, *sit cum Deo v[el] de Deo*, tam formaliter & explicitè, quàm virtualiter & impli[ci]citè. Si quis loquitur quasi sermones Dei, ait S. Petrus. (1. c. 4[.)] Deniq; omnium cogitationum, operum & sermonum nostro[rum] terminus ac centrum sit Deus.

Quomodo eructat cor Dei Patris Verbū?

Ecce eructat cor Dei Patris ver[bum] bonum, Filium suum. Filius, qui est Verbum non vacuum vel inane, sed Verbum activum, efficax, reale, substantiale, om[nia] operans, omnium opifex; dicit omnia opera sua Regi Patri ut Filius in Patre, & Pater in Filio esse cognoscatur.

Quomodo Filius dicat opera sua Regi Patri?

Quomodo Spiritus S. sit lingua & calamus Scribæ?

Sequitur S[.] Spiritus lingua, calamus scribæ velociter scribentis, author verb[i] prædicati & scripti in omnibus fidelibus. Et hi tres unum sunt [1. *Joan.* 5.] consummati in unum.

Deus est Ens omnimodè, à quo omnia.

Deus trinus & unus est En[s] à se, per se, in se, & propter se.: est Oceanus omnis essentiæ, a[by]byssus essendi & existendi, fons & origo, esse omnium: à quo s[o]lo fluunt & dependent omnia: ita ut si per impossibile non esse[t] Deus, omne quoque aliud ens esset impossibile. Deus est pri[mum] mum Ens essentiale, æternum, immensum, infinitum; à cujus es[se] se omnia entia temporalia & circumscripta & finita suum haben[t] esse, & ab eo dependent ut radij à sole, lumen & calor ab igne umbræ à corpore; magis in Divino quàm in suo esse subsistenti[a]. Et sic Deus est fundus & fundamentum, anima & spirit', imò quasi corpus rerum omnium ac totius universi; creaturas omne[s] velut umbras producens, conservans & sustentans; ita ut si Deu[s]

hunc

unc suum concursum ab ijs abstraheret, statim in suum nihilum
quo creatæ sunt, relaberentur. Unde sicut umbræ magis à
rpore quàm à seipsis dependent; ita omnia creata potiùs à
eo, quàm à semetipsis suam habent dependentiã. Hoc explicat *Nomen Dei quod?*
omen Dei tetragrammaton, id est, 4. literarum; ineffabile, Je-
ovah, significans, qui est; qui de se dicit: ego sum qui sum. (*Ex.*
) Ac primò Metaphysicè, Deus est ens entium, essentia essen- *Deus Metaphysicè quid?*
rum, actus rerum omnium, naturas & potentias actuans. Au-
amus S. Dionysium. *Deus est*, inquit, *omne principium*, *omnis* S. Dionys.
is, vita omnis, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis or-
, omnis concentus, omnis vis, omnis conservatio, omnis firmitas,
mis distributio, omnis intelligentia, ratio, sensus, habitus, o-
nis status & motus, omnis connexio, omnis temperatio, omnis
nicitia, omnis convenientia, omnis divisio, omnis terminus, cæ-
raq; omnia. Sic Theodidactus Dionysius. Deinde Physicè *Physicè?*
eus est natura naturans omnium naturarum, cuique suam na-
ram & dotes ac qualitates naturæ impertiens, omnia opera in
operans dicente Propheta: omnia enim opera nostra opera-
s es nobis. (*Is.* 26.) In ipso vivimus, movemur, & sumus. (*Act.*
) Ipse est tanquam anima mundi, juxta Philosophum Plato.
imans & vivificans omnia; & secundùm Poetam: Deus est
ritus & mens mundum regens.

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus,
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

inc aliter alter ait: *Jupiter est quodcunq; vides*; non quòd Lucanus.
eaturæ sint Creator Deus, sed quòd Deus sit earum substantia
subsistentia. Et alius: Jovis omnia plena, inquit. Ac demùm Idem.
athematicè Deus est omnia, omnes rerum numeros, species, *Mathematicè?*
adus, ordines, qualitates in se complectens; singulis ea omnia
mmunicans, ex mente Sapientis dicentis Deo: omnia in men-
ra, numero & pondere disposuisti. (*Sap.* 11.) Est omnia ubique
istens per essentiam, præsentiam, & potentiam; universa pe-
trans, permeans, & occupans omnia loca, & locata circum-
ns, & in se possidens tanquam sedes & fundus: & dicente S.
onysio, *in quo omnia firmantur & recumbunt.* Hoc ipsum S. Dionysius.
rius explicat dicens, *Omnipotens sive omnitenens, id est, Pan-*
rator dicitur, quòd sit omnium sedes: omnia continens & com-
plectens, & cuncta stabiliens fundans, atq; constringens, & uni-
rsum in se insolubile præstans, & ex se veluti ex omnitenente
dice cuncta producens, atq; ad se ut ad omnitenens fundum u-
niversa convertens & continens, ut omnium sedes omnicapax, o-
nia contenta unâ præcellenti connexione communiens, neq; si-
ns ea sibi excidere, ne tanquam exactissimo domicilio mota dis-
reant. Et sic præstantissimè asserit Deum esse centrum uni- *Deus centrum universi.*
rsi. Sicut enim centrum est basis circuli, sic Deus est basis or-

Ooo bis

bis universi; & sicut in centro omnes lineæ diametrales ex peri-
pheria provenientes in centro coeunt ac uniuntur, sic in Deo o-
mnes creaturæ suam reperiunt unionem & unitatem. Est igitur
Deus omnia in omnibus.
Deus omnia in omnibus, in cœlo, sole, luna, & stellis, lucens,
calefaciens, influens; in terra & mari, vegetans, germinans, flo-
rens, fructificans, generans, movens, ac producens: quidni in
homine, dùm anima ejus aliquid videt, audit, gustat, imagina-
tur, cogitat, intelligit, recordatur, ratiocinatur, vult & desiderat,
Deus est qui hæc omnia in homine operatur, exceptâ omni ma-
litiâ, quæ à prava voluntate procedit, quia Deus est summum
& omne bonum; & non potest nisi omnibus benè velle & omnia
S. Bernardus
benè facere. Mellifluus Pater noster egregiè nos docet, quomo-
dò Deum in omnibus speculari possimus ac debeamus. *Hi qui*
Quomodò Deus in omnibus considerandus?
soli Deo vacant, ait ille, *considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in Angelis, quid in seipso, quid in reprobis, contemplantur; quia Deus est mundi rector & gubernator, hominum liberator & adjutor, Angelorum sapor & decor, in seipso initium & finis, reproborum terror & horror: in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in Angelis desiderabilis, in seipso*
Idem.
incomprehensibilis, in reprobis intolerabilis. Alibi S. Pater inter-
Quid est Deus?
rogat: *Quid est Deus?* & respondet: *quod ad universum spectat, finis; quod ad electionem, salus: quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fæcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.* Tandem addit. *Quid est Deus? Non minùs pœna perversorum, quàm humilium gloria. Est enim rationabilis quædam æquitatis correctio, inconvertibilis atq; indeclinabilis, quippe attingens ubiq;, cui illisa omnis pravitas conturbetur necesse est.* Jam in fidelibus Deus est omnia quoad fidem, gratiam, virtutem, horum omnium origo & causa. Divisiones gratiarum sunt, ait Apostolus, (1. *Cor.* 12.) idem autem Spiritus. Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur
Christus D. sigillatim est author omnium rerum. Quomodò?
omnia in omnibus. Christum autem sigillatim voluit Deus esse omnium rerum authorem, reparatorem, & consummatorem; quia proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt; ut sit omnium principium, finis, corona, anacephalæosis, & compendium non tantùm legis & Prophetarum vel utriusque Testamenti, verùm etiam omnium Dei operum toti-

otiusque universi. Propter ipsum confirmatus est itineris, nimi-um creaturarum finis, & in sermone ejus composita sunt omnia, iquit Ecclesiasticus. c. 43. Omnia planè propter seipsum opera-us est Dominus. Deniq; Deus Sanctus Jos. 24 in cœlesti & æterna ta est omne bonum, omnis beatitudo, omnis gloria, omne audium. Habuerunt quoque aliquid luminis de Deo ipsi Gen-les, quando Deum Pan Græcè, id est, Omne vocârunt, sed idololatriam degenerârunt. Huic cornua in similitudinem so-s & lunæ affixerunt, faciem rubeam instar ætheris, pectus ne-ride stellatâ instar pantheræ tectum, ad repræsentationem cæli ellis referti, partem inferiorem hispidam propter arbores & vir-ulta terræ, pedes caprinos ob terræ firmitatem, septem calamo-um fistulam propter cœlorum & mundi harmoniam, septemq; scrimina vocum, baculum recurvum propter anni recursum, umque totius naturæ Deum appellârunt. *Pana voco*, ait Po-a, *magnum, qui totum continet orbem, qui mare, qui cœ-m, qui terras frugiferentes, æternumq; ignem: hæc Panos nt omnia membra.* Ex alia ratione alter Poëta sic dictum serit: *Panaq; dixerunt, quia cunctos juverit idem.* Umbra ec idololatrica figuram Dei referre videtur, qui verè solus est mnia in se, est omnia omnibus, est omnia in omnibus. (1. Cor. .) Hinc Historicus refert oraculum dixisse: magnus Pan ortuus est, quando Christus Dominus exspiravit, verè o-nium Dominus, omnium maximus. Cùm ergo Deus sit o-nia, quid est homo? Est Oudeis & Ouden, videlicet nullus & hil. Quàm pulchrè S. Justinianus dicere solebat: *veram scien um esse scire hæc duo, scilicet Deum esse omnia, & se esse nihil.* Propheta asserit de se: ego nihilum ante te. (*Psal.* 38.) Quo oc nihilum repleri debet? Omni. *Nihil est in rebus humanis*, S. Pater noster, *quod possit replere creaturam factam ad ima-nem Dei, nisi charitas Deus, qui major est illâ.* Fingitur à oëtis Pan cum amore luctatus, ab eoque victus, quia omnia ncit amor. Amore Deum vincere, vincire & devincire nobis ossumus & debemus: sic nihilum nostrum omni bono adim-letur, quia ex plenitudine Dei & Christi ejus accipiunt universi. (*Joan.* 1.) Sic igitur eructet cor nostrum verbum bonum agno-endo se nihilum, hoc tamen verbum non sit vanum, vacuum inane nihil agendo, sed sit activum & operosum, ut dicat o-ra sua Regi, à quo omnia bona procedunt, ei cuncta attribu-do, cùm omnia possimus in eo qui nos confortat. [*Phil.* 4.] & lingva calamus scribæ, & voce & scripto Deum laudando, in cordi suo & aliorum hoc verbum bonum eructatū inscri-endo, ut perennet; idque velociter scribendo, quia momentis ætervolantibus tempus vitæ celeriter prætercurrit, redimendo mpus quia dies mali sunt, (*Eph.* 5.) non procrastinando sed

Pan Deus Gentilium. Qualis?

Orpheus.

Plutarchus.

Deus est omnia; homo nihil.

S. Justinianus.

D. Bernar.

Amore Deus vincitur.

Huic verbum bonum è corde eructandum, & omnia opera dicenda.

Lingva fit calamus scribæ, quomodò? velociter scribendo.

continuè agendo, ut non cesset man⁹ nostra incessanter & cōsta-
ter operari. (*Eccl* 9.) Manus enim servit operibus quæ mittitur d
fortia; (*Pr.* 31.) utraque simul juncta velut una manus, per quan
dicuntur & dicantur opera Regi Deo: lingvâ, dico iterùm, n
minùs ad Dei laudem & gloriam propagandam semper inten
Hæc omnia cùm fecerimus, dicere tenemur: servi inutiles sumu
(*Luc.* 17.) Gloriantes sivè glorificantes, ait Jesus filius Sirac,
[*c.* 42.] ad quid valebimus? Ipse enim omnipotens super omn
opera sua; terribilis Dominus & magnus vehementer, & mir-
bilis potentia ipsius. Tamen cum S. Gregorio Nazianzeno
lum celebremus. *O viva Trinitas te unum canam Monarcham,*
(hoc est dicere opera sua Regi) *origo cui nulla est, versio nec u-
la: Excedit esse cujus sermonis omne robur, aciemq; cujus omnes
splendor fugit supremus:* Posuit tenebras latibulum suum. (*Ps.*
Certè hoc est Deus, ait idem Nazianzenus, *quod cùm dicitur no
potest dici, cùm æstimatur non potest æstimari, cùm definitur i
sâ definitione crescit, quē omnia nesciunt & metuendo sciunt.* Hc
etiam apud Job dicitur: Forsitan vestigia ejus comprehendes,
usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo e
& quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Long
or terrâ mensura ejus, & latior mari. (*Job* 11.) Deniqûe magnu
Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est fini
[*Ps.* 144.] Excitat ultra ad laudem Dei Siracides: (*c.* 43.) Glo
rificantes Dominum quantumcunq; poteritis, supervalebit enir
adhuc & admirabilis magnificentia ejus. S. Pater noster ait: *cau
sa diligendi Deum, Deus est: modus dilgendi Deum est, sinè mo
do diligere.* Convertamus hoc ad laudem Dei, quod ipse dixit d
amore. Causa laudandi Deum, Deus est: modus laudandi De
est, sinè modo laudare. Laudabilis nimis est *Deus*, quare? qui
magnitudinis ejus non est finis. *Ne fortè,* ait S. Augustinus, *inci
pias velle laudare, & putes te laudando posse finire, cujus magni
tudo finem non potest habere.* Ergo sicut ejus magnitudinis no
est finis, sic tuæ laudis non erit finis. Tandem ait præfatus Eccle
siasticus (*c.* 43.) Exaltantes eum replemini virtute; ne laboreti
vel ne lassescatis, nec enim comprehendetis. Hisce omnibus ad
hortationibus varios intensionis & extensionis in laude *Dei* gra-
dus videtur indicare. Et quidem corde, opere, ore, uti dixi lau
dandus *Deus* per eructationem ex corde verbi boni, operum no
strorum addictionem Regi, & lingvæ continuam scriptionem, u
sicut scriptura est permanens, ita lingvæ laus sit durans & perse
verans. Laudandus quoque per imitationem creaturarum, can-
tando cum tribus pueris: Benedicite omnia opera *Domini Do*
mino, laudate & superexaltate eum in sæcula. (*Dan.* 3.) Laudā
dus per conjunctionem laudis nostræ cum laudibus justorum hi
in terris viventium, necnon Angelorum & Sanctorum in cœli
glori

Deus superat omnes laudes nostras.

S. Gregori⁹ Nazianzen⁹.

Idem.

Quantumcunq; possumus, glorificandus Deus.

S. Bernard⁹.

D. August.

Laudandus per eructationem ex corde verbi boni, per imitationē creaturarum, per conjunctionem laudis nostræ cum laudibus Justorum & Sanctorum.

lorificantium Deum, quin cum ipsa Deipara Virgine magnifi-
ndus Deus, qui laude sua omnes hominum & cœlestium spi-
uum laudes magno excedit & excellit intervallo; & cum Chri-
o Domino, cujus humanitas jugiter glorificat Sanctissimam
rinitatem. Hisce omnibus laudibus jungamus & uniamus lau-
s nostras exemplo S. Ecclesiæ, cum Angelis & Seraphinis ad-
itti voces suas deprecantis in Missæ præfationibus. Postremò
m hæ laudes omnes sint finitæ, dignitas autem Dei sit infinita,
odus laudandi Deum adæquatus est, quo ipsa SS. Trinitas sei-
am contemplans & amans infinitè ab æterno & usque in æter-
m laudat & glorificat. Hæc est Ecclesiæ S. doxologia, per
oria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat in principio
nunc & semper & in sæcula sæculorum: per quam non crea-
, sed increata æterna & essentialis gloria intelligitur, quam De.
ipse habet in se, per seipsum, ex seipso, & quæ est Deus ipsemet,
am Deus alteri non dat, *Is.* 42. quâ Pater laudat Filium, Fili-
Patrem, Pater & Filius Spiritum Sanctum, & hic vice versâ
trem & Filium. Verùm teste Venerabili Beda, *opere meliùs
quàm verbis Deus laudatur & prædicatur.* Sancti Deum lau-
nt tripliciter, agendo, patiendo, & prædicando. Concludat
isque nostrûm cum S. Augustino dicendo: *Deus meus, Pater,
i, Spiritus Sancte, vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea,*
o ego cum S. Francisco, *Deus meus & omnia, dignare me lau-
re te.* Tibi omnis benedictio, tibi omnis claritas, tibi omnis
ientia, tibi omnis gratiarum actio, tibi omnis honor, tibi o-
nis virtus, tibi omnis fortitudo, tanquam Deo nostro in sæcu-
sæculorum. (*Ap.* 7.) *Da mihi lumen in corde, verbum in o-
lucernam in manu:* addo ego, ut cor meum meditetur glo-
m tuam, lingva mea totâ die cantet laudes tuas, liceat sub-
gere, manus mea operetur te laudantia. Sed quia non est
chra laus in ore peccatoris, (*Eccli.* 15.) & quia vir pollutus
is ego sum, (*Is.* 6.) A. A. A. Domine Deus, munda cor me-
& labia mea, ut possit eructare cor meum verbum bonum,
(*s.* 44.) eructent labia mea hymnum, (*Ps.* 118.) dicam opera
a tibi Regi, sicq; lingva mea sit calamus scribæ velociter scri-
tis: (*Ps.* 44.) ut mereatur nomen meum cum operibus &
tis inscribi in libro vitæ in cœlis. (*Phil.* 4.) Et quia te decet
nnus Deus in Syon, (*Ps.* 64.) quod S. Hieronymus vertit;
silentium laus Deus in Syon: non possum meliùs laudare te
& hymnum canere tibi, quàm taciturnitate venerabundâ colen-
te, quæ sapientium cogitationum mater est, adeòque in me-
itionis ac contemplationis silentio & spe erit fortitudo mea;
(*Is.* 30) cùm etiam cult⁹ justitiæ sit silentium, *Is.* 32 teque summum
bonum omnem vincens orationem [quia nullâ oratione potes
exprimi, & cùm te dixi esse Omnia, nihil dixi] bonum mihi erit

quin & cum ipsa Deipara, & Christo D. glorificanda SS. Trinitas.

V. Beda.

Quomodò Sancti Deum laudent?

S. August.

Aspiratio ad SS. Trinitatē.

Laudandus demùm Deus venerabundâ taciturnitate.

cum ſilentio, tuumque ſalutare præſtolari, (*Thr.* 3.) ut illud t[illegible] dem æternaliter, ubi tu eris omnia omnibus, cum omnibus, & [illegible] omnibus, adipiſcar.

Sermo in Feſto Corporis Chriſti.

Lingva mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. *Pſ.* 44.

SI lingvis hominum loquerer & Angelorum (1. *Cor.* 13.) e-
cellſa lingvæ magnalia, & opera ejus ingentia, ſive in bo[num]
ſive in malum velociter ſcribentia, haud poſſem deprædica[re]
vel publicare, PP. RR. FF. DD. Modicum quidem membrũ e[ſt],
molle, mobile, plicabile; ſed magna exaltat, (*Jac.* 3.) grandia p[er]-
Quid lingva mala? trat, immodica operatur. Si mala eſt, univerſitas eſt iniquitat[is];
Ib. ſi bona eſt, univerſitas eſt probitatis. Deniqúe mors & vit[a],
Quid bona? teſte Sapiente, (*Pr.* 18.) in manibus lingvæ. Si lingva man[us]
Opera lingvæ bona & malæ. habet, potens eſt; ſi longas poſſidet, rectrix eſt orbis. Ling[va]
dicit huic vade, & vadit, alij veni, & venit, & ſervo, fac hoc [&]
facit: (*Mat.* 8.) ita lingvæ imperanti obediunt omnia. Ling[va]
benedicit cùm eſt bona, maledicit cùm eſt mala; unde habet ſ[u]-
as virtutes, habet & ſua vitia. Argentum electum lingva juſta, li[n]-
gva placabilis lignum vitæ, lingva autem pravorum peribit. (*P[r.]*
10.) Mel & lac ſub lingva ſponſi, (*Can.* 4.) lex clementiæ ſub lin-
gva ejus; lingva verò inimici gladius acutus, exacutus ſicut ſe[r]-
pentis, (*Pſ.* 139.) ſub cuj' lingva labor & dolor, (*Pſ.* 9.) eſt lingv[a]
viperæ occidens, à cujus lingvæ flagello utinam abſcõdamur, *Jo[b]*
5. & à laqueo lingvæ ejus iniquæ utinam liberemur, (*Eccli.* 51.) n[e]
unquam lingvâ illius percutiamur. (*Jer.* 18.) Ah quàm percuſſ[a]
Lingva Evæ qualis? fuit prima mater per ſerpentis lingvam, venenum aſpidum fui[t]
ſub labijs ejus, (*Pſ* 139.) quando totum humani generis corpus i[n]
primis Parentibus letaliter concidit. Nonnè ipſa quoq; exinde pe[r]-
ſvaſum lingvæ colubrinæ, facta mulier à Deo & mandato Dei ex-
tranea & aliena, molliebat ſermones ſuos, (*Pſ.* 54.) verba ſua dul-
cia faciebat, laqueum ponens Adamo conjugi ſuo, & irretiens ei[m]
multis ſermonib⁹, *Pr.* 7. blanditijs labiorum protraxit & pertraxi[t]
illum, ut fructum mortis ſimul cum illa per lingvã guſtaret inter-
dictum? O lingva nequam! *Eccli.* 28. O lingva injuſta! (51.) O
lingva coinquinata! *Ib.* Poſt diſcurſum lingvæ ſerpentinæ & mu-
liebris ſecutus guſtus lingvarum utriusq;, & ſic dupliciter lingva
fuit damno homini, fuit perditioni. Verùm ecce Deo laus pe[r]
deſcenſum lingvæ igneæ Spiritûs ſancti ſuper primitivam Eccleſi-
Correctio lingvarum per deſcenſum lingvæ igneæ Spiritus S. am jam ſecuta lingvarum correctio, & melior uſus non in da-
mnationem ſed ſalvationem. Jam lingva humana facit omnia
in bonum, & quæ generaliter loquelæ ſervit, ſervit & guſtui; ci-
borum bajula, potûs miniſtra, ſaporum cenſuratrix, verborum
Linguæ operationes naturales & ſpirituales. diſpenſatrix, mentis præco, interpres cordis, jam ſpecialiter fit
verbi Divini prædicatrix, Evangelij annuntiatrix, hominum ad

Deum

[D]eum verum, & fidem ejus se convertentium thaumaturga, [m]iraculorum effectrix, scelerum & vitiorum extirpatrix, salutis [&] vitæ æternæ caduceatrix. O præstantissimum tam Verbi Di[vi]ni, quàm Spiritûs sancti instrumentum! Quid enim putamus, [li]ngvam humanam voces articulatas depromentem, esse rem [pa]rvam? Equidem res est maxima in homine, quâ homo ab o[m]ni genere bestiarum distingvitur. Habeant istæ voces suas, ha[be]ant & lingvas: nihilominùs & voces inconditæ, & lingvæ juxta [sp]ecies suas indistinctæ sunt & ratione carentes; sola lingva hu[m]ana profert voces rationabiles, verba ab intellectu promanan[ti]a, benè ordinata & distincta, rerum naturas & sensuum diffe[re]ntias exprimentia. Quid quòd ipse Deus author fuit multi[tu]dinis lingvarum in hominibus? Cùm enim vanitas, superbia, [&] præsumptio hominum Nembrodianorum post diluvium con[st]ituisset in terra Señaar ædificare turrim, cujus culmen pertinge[re]t ad cœlum, coactus fuit Deus descendere, ut videret civita[te]m & turrim quam ædificabant filij Adam. Descensus hic Dei [no]n fuit per mutationem loci qui ubique est, sed accessus quidã [pa]ntis Divinæ serius & lentus, & reflexio quædam exacta & [ma]tura super opera hominũ; sic enim antropopathos sacra Scri[ptu]ra loquitur de Deo ad normam hominum. Unde sequitur [q]uòd dixerit: venite igitur descendamus & confundamus ibi lin[gv]am eorum. [*Gen.* 11] Adventus hic Dei & descensus vicinior [a]d terram Sennaar pro confundenda lingva, per diversa idioma[ta] in plurali denotatur; ut sicut creatio hominis per verbum fa[ci]amus, ita lingvarum multiplicatio per verbum confundamus, [to]tius SS. Trinitatis opus agnosceretur. Quanta dignitas lin[gv]æ, quanta præeminentia per ipsum Unitrinum Deum confun[di], id est, dividi, separari, commisceri, & multiplicitate suâ totũ [te]rrarum orbem occupare? Confusio autem erat respectu ho[mi]num, divisio autem respectu lingvarum. *Sicut enim Deus [so]lus*, ex mente S. Chrysostomi, *per suam omnipotentiam, sapien[tia]m, & bonitatem menti humanæ illabitur; ita solus eidem men[ti] habitus scientiarum ac lingvarum potest indere atq; imprime[re].* Et sic cùm esset unus populus & unum labium omnibus; [er]at enim terra labij unius & sermonum eorundem, [*Gen.* 11.] [ni]mirùm lingvæ Hebrææ, factâ lingvarum confusione sublecuta [di]visio & dispersio populorum super faciem cunctarum regio[nu]m. Vocatum autem est nomen loci illius Babel, quia ibi con[fus]um est labium universæ terræ. (*Ib.*) Sed ecce quàm eleganter [ob]servat S. Gregorius: *quòd superbia illorum fabrorum quos me[ri]to, seu voce divisos vocare possumus, meruerit lingvarum di[vi]sionem, quarum unionem in Pentecoste meruit humilitas Apo[sto]lorum.* Ibi quoque descendit Deus Spiritus S. in forma lin[gv]arum dispertitarum tanquam ignis, effecitq; ut omnes loque-

Lingua præstãtissimum tum Verbi Divini, tum Spiritus S instrumentum.

Descensus Dei in terram sennaar quomodo accipiendus?

Linguæ per ipsum Deum cõfusæ dignitas.

S. Gregorius. *Superbia Fabrorum divisionem linguarum: humilitas Apostolorũ meruit unionẽ.*

rentur varijs lingvis magnalia Dei; (*Act.* 2.) & ſicut in Babel nus alterius lingvam haud intellexit, hîc è diverſo Apoſtoloru lingvas in Syon omnes gentes intelligere potuerunt, & ſic li gvas ſuas excellentiſſima verbi Divini ac Spiritûs S. inſtrumen præbuerunt. Jam conſideremus, quomodò lingva Progenit rum noſtrorum fuerit per malitiam præpoſteræ concupiſcenti vehiculum cibi à Deo prohibiti, nunc autem per ſingularem Di bonitatem eſt tramis & tranſvectio cibi ſupercœleſtis, imò ipſius Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ confectio & conſec tio.

Lingva neceſſaria eſt ad omnium Sacramentorum inſtitutionem.

Cùm enim lingva ſit neceſſaria ad omnium Sacrament rum inſtitutionem, ita ut ſicut ſinè lingvæ prolocutione, ego baptizo, nullus baptiſmus; ſinè lingvæ prolatione, ego te conf mo chriſmate ſalutis, nulla confirmatio; ſinè lingvæ diſpenſati ne, ego te abſolvo, nullus pœnitentiæ effect⁹, & nulla peccat rum remiſſio: ita ſinè diſtincta verborum per lingvam expreſſi ne juxta formam à Chriſto D. & S. Eccleſia inſtitutam, nulla E chariſtiæ Corporis & Sangvinis Dominici ex pane ac vino tran ſubſtantiatio poteſt perfici & abſolvi. Idem dicendum de c teris Sacramentis, quæ abſque lingvæ uſu & miniſterio mini poſſunt peragi & expediri.

Potentia lingvæ in Miſſæ ſacrificio,

Quanta hîc potentia lingvæ in tr mendo Miſſæ ſacrificio, Filium Dei è cœlis evocare ab ipſa Patr dextera, & intra parvulas ſpecies panis & vini Deum & hom nem cum corpore, anima & ſangvine concludere ac conſtri gere?

& felicitas.

Quanta felicitas lingvæ, eundem recipere & intra viſcer corporis, ſed magìs ad abdita cordis & animæ interiora trans mittere? Quis tanta magnalia lingvæ poterit explicare? Et ſi lingvæ obſequio maxima fidei myſteria, & ſumma ſalutis Sacra menta in Eccleſia Dei perficiuntur.

Neceſſitas lingvæ, ad fidem,

Eſtnè fides neceſſaria a ſalutem? Ita omninò. Sed fides non eſt niſi ex auditu, auditu autem per verbum Chriſti; [*Rom.* 10.] ergo lingva requiritu

ad prædicationem,

ad prædicationem verbi. Quomodò enim audient ſinè prædi cante lingva? (*Ib.*) Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & le gem Dei requirent ab ore ejus. (*Mal.* 2.)

ad confeſſionē, ad pſallendum.

Jam nonne ore con feſſio fit ad ſalutem? (*Rom.* 10.) Aſt hæc nonniſi lingvâ fie poteſt. Deinde nunquid non pſallendum Deo lingvâ, pſallen dum eſt & mente? (*1. Cor.* 14.) Cantus in Eccleſia, laus Dei i terra & in cœlo per lingvæ beneficium exercetur.

Lingua univerſitas operũ in Eccleſia Dei.

Quidni lingv univerſitas eſt operum ferme omnium in Eccleſia Dei? Und nonnè legitimè eſt cuſtodienda, & in bono regimine conſer vanda? Benè docet Sapiens in Proverbijs: [*c.* 13.] qui cuſtodi os ſuum & lingvam ſuam, cuſtodit ab anguſtijs animam ſuam ab anguſtijs planè temporalibus & æternis. Nunquam enim ma gìs anguſtiatur anima, quàm quando lingva evagatur & ambu lat extra ſe. Et quomodò non anguſtiaretur, quando omne ver bum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem

de

o in die judicij, ipso Judice asserente? [*Matt.* 12.] Antepo- Deus lingvæ duplicem munitionem, osseam dentium, car- m labiorum, ut sic tanquam in castro vel carcere permane- & ut priusquàm verbum proferret, dentibus illud masticaret ibijs premeret, ne absque hac præcautione evolaret. Si quis erbo non offendit, teste Jacobo Apostolo, (*c.* 3.) hic perfe- est vir: sed talis vir vix invenitur. Quis est enim, qui non querit in lingva sua? interrogat Ecclesiasticus, [*c.* 25.] qui labatur lingvâ? quandoquidem lingvam nullus hominum nare potest. (*Jac* 3.) Nihilominùs & custodienda est & do- nda. Quis est homo qui vult vitam, quærit Rex Vatum, (*P*[*s*]. 33.) diligit dies videre bonos? & respondet: prohibe lin- m tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Loquen- dolum etiam sunt, qui dilexerunt Deum in ore suo, & lingvâ mentiti sunt ei. (*Ps.* 77.) Alloquitur Deus peccatorem in mo 49. Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamen- meum per os tuum? Tu canis Psalmos in choro, prædicas um meum ex cathedra, orationes fundis in publico, testa- tum Corporis & Sangvinis mei recipis & sumis ore tuo: tu odîsti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsùm; traria agis ijs quæ dicis: si videbas furem currebas cum eo, i temporalia & fugitiva per concupiscentiam avaritiæ sectan- & cum adulteris portionem tuam ponebas, voluptates cor- s per concupiscentiam luxuriæ adimplendo: os tuum abun- t malitiâ, & lingva tua concinnabat dolos, illa lingva quæ n Dei veritatem & sanctitatem sacramentaliter recipiebat. m terribilia sunt sequentia! Arguã te & statuam contra faciem , dicit Deus. Hinc ritè monet Propheta: (*Ps.* 49.) intelli- hæc qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat & non sit ripiat. Verè enim obliviscuntur Dei, qui frequenter Deum e & lingva circumferentes & recipientes, tam facilè ad pec- Deo contraria declinant & delabuntur. Sed ecce ex sensu D. Augustini, *duas in toto mundo civitates faciunt duo amores, Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor seculi. Inter- rog ergo quisq; se, & inveniet unde sit civis.* Quid mirùm , in Babylonia malas, in Jerusalem bonas reperiri lingvas, ex corde juxta inclinationem voluntatis proveniunt. Ex a- bundantia enim cordis os loquitur. [*Luc.* 6.] Si proinde in cor- int cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, , falsa testimonia, blasphemiæ, & his similia, (*Mar.* 7.) dubiè per os velut portam ductu lingvæ loquentis hæc o- prodeunt in apricum, signumque est Babylonicæ confusi- & divisionis. Si cor repletum est bonis cogitationibus hu- atis, castitatis, paupertatis, misericordiæ, veritatis, pietatis, iæ, & ejusmodi alijs, utique & os manifestabit universa hæc

Duplex lingvæ munitio posita. Quare?

Lingva peccatoris dolosa in choro, in cathedra, orationibus, & sumptione SS. Sacramenti.

D. August.

Lingva cogitationes cordis malas prodens signum est Babylonicæ confusionis;

manifestans bonas,

signum est Hierosolymiticæ unionis.

Ubi SS. Sacramenti institutio facta, ibi fuit & descēsus Spiritus S. in lingvis igneis.

Quare?

Lingva Luciferi, causa rebellionis in Angelis.

Lingva impiorum instar ignis alios accendens.

per lingvæ loquelam, eritque signum Jerosolymiticæ concor[dia] & unionis. Hoc notandum, quòd in eodem cænaculo, ubi [in]stitutio facta fuit sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti Jerosoly[mis] in monte Syon, ibidem fuit descensus Spiritûs S. in lingvis ig[ne]is, (*Act.* 2.) ut constaret lingvas humanas habilitari & purifi[cari] solâ lingvâ Divinâ, ad condignè celebrāda & recipienda Eccle[siæ] sanctæ Sacramenta: ita equidem veluti per spiritum malign[um] ad omne malum lingvæ hominum disponuntur. Nonnè ling[va] Luciferi in cœlo causavit rebellionem in Angelis & apostasi[am] à Deo, dùm proclamâsset: in cœlum conscendam, super a[stra] exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, & simi[lis] ero Altissimo? (*Is.* 14.) Nonnè impiorum lingva transit in t[er]ra, quando ponunt in cœlum os suum per maledictiones? [*Ps.* 72.) Transit quia instar ignis alios accendit, & serpit progre[di]endo, rixasque, perjuria & bella, cæteraq; mala inducit. Non[nè] infernum damnatorum lingvæ blasphemijs, maledictionibus, [&] injurijs replent infinitis? Inde patescit quòd sit universitas iniq[ui]tatis, (*Jac.* 3.) mundum totum ex cœlo, terra, inferno composi[tu]m inficiens & pessundans. Multi ceciderunt in ore gladij, ait E[c]clesiasticus, (*c.* 28.) sed non sic quasi qui interierunt per lingvam suam. Unde beatificat eos, qui liberi sunt à lapsu lingvæ. Bea[tus], ait ibidem, qui tectus est à lingva nequam, qui in iracundia[m] illius non transivit, & qui non attraxit jugum illius, & in vinc[u]lis ejus non est ligatus. Quid quòd ipse traditor per lingvam i[n]cepit & consummavit traditionem suam. Incepit malitiosè [di]cens: quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? (*Mat.* 26.) Finivit hypocriticè salutans: ave Rabbi. Inde justè post bu[c]cellam, quam lingva proditoria sumpsit indignissimè, & prom[o]vit ad deglutiendum, intravit in eum satanas, (*Joan.* 13) prim[a]rius ejus consiliarius: & ritè gulā sibi præclusit laqueo se suspe[n]dens, (*Mat.* 27.) per quam sanctissimum Sacramentum ind[i]gnè percepit, & verba supplantationis Domini & Magistri sui [à] lingvā produxit. Vultis scire quos ejusmodi perniciosa lingva i[n]flamata à gehenna invadit? Audite Siracidem: *c.* 28. qui relinqu[unt] Deum, Dei desertores & apostatæ, incident in eam, & exard[e]bit in illis, & non extingvetur, & immittetur in eos quasi leo, [&] quasi pardus lædet illos: deniq; satanas tales lingvosos occupa[t] qui in Babylone dominatur. Nos quorum Jerusalem est vis[io] pacis, in lingvis nostris, qui non relinquimus sed requirimus D[e]um, eligamus vitam non mortem ex manibus lingvæ. (*Pr.* 18) Si ex ipso ore procedit benedictio & maledictio, (*Jac.* 3.) uti[que] per lingvam eligamus benedictionem præ maledictione. S[it] lingva nostra calamus scribæ Spiritûs Sancti, ductum ipsius s[e]quens, ipsi obsequens in scribendo velociter: sit verbi Divi[ni] promaconda: apertio oris non fiat nisi à Deo pro Deo, orand[o]

Judas per lingvam cepit & consummavit traditionem.

Dei desertores gladio lingvæ subjecti.

Lingva nostra sit calamus scribæ Spiritûs Sancti.

Deu[m]

Dum cum Propheta: Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. (*Ps.* 50.) Repleatur os meum laude, ut cantem gloriâ tuam. (*Ps.* 70.) Tribue sermonem benè compositum in ore meo. (*Est.* 14.) Cumq; Sancto Ephrem Spiritû S. dextræ Dei digitum invocemus. *Digitus gratiæ tuæ Domine moveat lingvam meam, tanquam nervum citharæ ad gloriam tuam.* Fiat lingva mea velut cithara ad resonandum jugiter laudes tuas. Sit velut navis institoris de longè, quia de cœlo portans panem suum, [*Pr.* 31.] pro quo orat, quotidianum, ad confirmandum cor meum in bono, ut eum otiosus non comedam, (*Ib.*) sed in sudore vultus, (*Gen.* 3.) in luctu pœnitentiæ & ut non delinquam in lingva mea, (*Ps.* 38,) pone tu Custos noster vigilantissime custodiam ori meo. [*Psal.* 140] Fac me continuò loqui in lingva mea, ut notum facias mihi finem meum, (*Ps.* 38.) in hac peregrinatione mea, finem salutis meæ ad quem tendam per sumptionem frequentem cœlestis cibi & in fine hoc fruar viatico, donec in Patria adipe hujus frumenti electorum, (*Zach.* 9.) id est, te ipso me satiabis, ubi exultabit lingva mea justitiam tuam, (*Ps.* 50.) cum omnibus lingvis Angelicis & humanis in omnem æternitatem.

S. Ephrem.

Fiat velut cythara, & quasi navis institoris.

Sermo in Festo S. Joannis Baptistæ.

Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. *Ps.* 44.

SAnctum Joannem Baptistam & Præcursorem Domini vocẽ fuisse clamantis, (*Luc.* 3.) tam clarum sacræ Scripturæ testimonium, quàm evidens ipsiusmet confessio manifestat. Hic est, inquit, primus Christi Cancellarius, qui dictus est per Isaiam Prophetam, (*c.* 40.) Vox clamantis in deserto. Idem alij referunt Evangelistæ. Ipsemet autem interrogatus, tu quis es? Confessus est: ego vox clamantis in deserto. (*Joan.* 1.) Sed quem arbitramur vocem fuisse Joannem? Num simplicem & indistinctam, an articulatam? Divi Epiphanij sententia est, Divum Joannem fuisse vocem imperfectam & inarticulatam, ex eo quòd instar præconis præcesserit, & quasi attentionem populis indicens eos ad sequentem Christi prædicationem disposuerit audiendam. Sit ita sanè in eo sensu, alio tamen respectu Sanctum Joannem vocem fuisse perfectam censuerim & articulatam. Vox enim fuit Verbi Divini in ipso & per ipsum clamantis. Quænam hæc vox fuerit, quid putamus? non aliam reperio nisi illam. Pœnitentiam agite. (*Mat.* 3.) Hæc vox resonabat in Joannis vita, hæc vox per lingvam Joannis in publicum proclamabatur. Et quænam vox fuit ipsius Verbi Divini? Haud alia equidem nisi eadem teste Matthæo Evangelista dicente: (*c.* 4.) cæpit Jesus prædicare & dicere: pœnitentiam agite. Hoc præco nuntiat quod postea Veritas, inquit glossa. Quis jam hanc vo-

D. Joannes vox clamantis in deserto.

Inarticulata

& articulata

Quæ vox illius?

Quæ vox verbi Divini?

cem non judicabit articulatam esse? Verè articulata vox, q primarium salutis nostræ continet articulum. Si non est hom qui non peccet, etiam in iniquitatibus conceptus & in pecca natus, (*Ps.* 50.) non erit homo qui non pœnitentiam agere neatur. Jam verò Joannem in se fuisse vocem talem quis ami-

Joannes exēplar pænitentiæ. get? Joannes per totam vitam suam speculum & exemplar pœnitentiæ, & juxta Tertullianum, *vociferator in solitudine,*

Tertullian 9. *præparator viarum Dominicarum per denuntiationem & laud-*

D. Ambros. *tionem pœnitentiæ*, teste D. Ambrosio, *etiam hodie clamat exem-plo & verbo, & vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concor-peccatorum.* Quidni Joannis lingva fuit calamus scribæ velocit-

Quid vox sinè lingva, quid cum lingva? scribentis? (*Ps.* 44.) Vox sinè lingva est sonus indistinctus, vox cum lingva est elocutio articulata & distincta, talis vox Joannis erat, eratq; instar calami scribentis pœnitentiam in cordibus pec-catorum. Spiritum S. scribam esse peritum, expeditum, & exer-citatum adeòque velociter scribentem nemo non fatebitur, qui

D. Ambros. scit *Spiritûs Sancti gratiam*, ex mente D. Ambrosij, *tarda n-scire molimina.* Atqui Joannes Spiritu Sancto repletus adhuc e utero Matris suæ, (*Luc.* 1.) & in se expertus erat efficaciam D-vini Scribæ, quando per vocem salutationis Mariæ, quam supe-veniens Spiritus S. repleverat, & per præsentiam Jesu quem Sp-ritus S. unxerat, sanctificatus in utero exultavit. Sed & in

Quomodò D. Joannes Spiri. tu S. plenus, calamo lingvæ pænitentiam cordibus inscripsit? Scribam hunc retinuit, adeòque ductu illius, calamo lingvæ præ-dicantis omnium ad se venientium corda stylo pœnitentiæ in scribebat. Testatur id D. Marcus: [*c.* 1.] quòd egrediebatur a eum omnis Judææ regio, & Jerosolymitæ universi, & baptiza-bantur ab eo in Jordanis flumine confitentes peccata sua. O po-tens lingva! O efficax calamus! O scriptio fructuosa! Sed ecc idem Evangelista refert, (*Ib.*) quòd fuerit Joannes in deserto ba ptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem pec catorum. Ergo Joannes juxta Regium Vatem, fuit vox Dom

Joannes vox Domini super aquas. ni super aquas, (*Ps.* 28.) aquas nimirùm baptismatis; inde mer tò vocatus Baptista baptizans in aqua. (*Joan.* 1.) Sed post hanc vocem De⁹ Majestatis intonuit, (*Ps.* 28) ipsum Verbū Divinū ven baptizans in spiritu & igne: (*Mat.* 3.) ibi ipse Domin⁹ super aqu

Quæ quales? multas. *Ps.* 28 Quænam verò hæ aquæ? Declarat nobis Apocaly psis (*c.*17.) dicens: aquæ populi sunt & gentes & lingvæ. Supe has aquas sed pauciores vox Joannis insonuit: super has se multas ipse Dominus tam per se quàm per Apostolos intonui Dubitaverit fortassè aliquis aquarum similitudinem populis con

Similitudo aquarum cum populis. venire? Equidem nihil ipsis similius est & convenientius. Nul in aquis firmitas, soliditas, & stabilitas; nulla & in populis, con tinuus fluxus, refluxus, & defluxus. Pulchrè aureum os. *Assidu* ait, *perpende rerum humanarum naturam, quæ nihilo melius ha bet, quàm amnium defluxus, & fumo in áerem evanescente fu*

gaci

cior est, & umbrâ prætercurrente inanior. Sed clariùs Isaias (c. 17.) contra Damascenos populos, Væ multitudini populorũ multorum, ut multitudo maris sonantis, & tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium, & increpabit eos & fugiet procul, & rapietur sicut pulvis montium à facie venti, & sicut turbo coram tempestate. Ita planè secundùm Sanctum Petrum Damianum, *mundus undiq; fremit, undiq; velut maximum pelagus intumescentibus procellis se attollit. Nonnè fluctus fluctum impellit in aquis, neq; patitur eum in uno subsistere loco, quin cogit festinare in interitum? Sic dies diem trudit, & ad continuum propellit cursum usq; ad mortem.* Testatur id S. Augustinus. *Nonne vita ista morti similis est? Dies autem ipsi properantes transeunt, quia hodiernus dies hesternum excludit, crastinus ideo nascitur, ut excludat hodiernum.* Quin etiam dicente S. Gregorio Nazianzeno, *neq; prosperitas neq; adversitas nobis constat, sed quàm ocyssimè in diversum mutatur ac transit; adeo, ut aquis ac literis quæ inscriptis fidere liceat citiùs, quàm humanæ felicitati. Et sicut res humanæ fluctuanti comparantur aquæ, ita & mentes. Mens tua,* ait Richardus à S Victore, *valde levis, vaga & profuga, ubiq; se variat, undiq; fluctuat, quia vult & non vult semper, consilia mutat; voluntates alternat, similis fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur.* Nonne omnia flumina intrant in mare, & ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterùm fluant? (*Eccli.* 1.) Nonne homo in sudore vultûs sui vescitur pane suo, donec revertatur in terram de qua sumptus est, quia cinis est & in cinerem revertetur? (*Gen.* 3.) Nonne sicut aquæ aquis succedunt, sic generatio præterit & generatio advenit, (*Eccles.* 1.) denique omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertentur? (2. *Reg.* 14.) Benè proinde dicitur: aquæ multæ populi multi. Felices aquæ, felices populi, quia & spiritus Domini ferebatur super aquas, [*Gen.* 1.] & vox Domini super aquas, & ipse Dominus super aquas multas. (*Ps.* 28.) Sed & ipsum lavacrum populorum, aqua est baptismi in remissionem peccatorum. *O aqua,* exclamat melleus Ambrosius, *quæ Sacramentum esse meruisti, quæ lavas omnia nec lavaris! Tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria. A te principium, in te finis, vel potiùs tu facis ut finem nesciamus. Tu nomen Prophetis & Apostolis, tu nomen Salvatori dedisti; illi nubes cœli,* (Is. 60.) *isti sal mundi,* (Mat. 5.) *hic fons vitæ est.* [Eccli. 21.] Et paulò infra. *Te Prophetico percussa tactu, ut sitientium rigares corda populorum, vomuit petra. Te cùm de latere Salvatoris erumperes, percussores viderunt & crediderunt: & ideò regenerationis nostræ de tribus una est testibus; tres enim testes sunt: aqua, sangvis, & Spiritus.* (1. Joan. 5)

D. Petrus Damianus.

D. August.

S. Gregoriꝰ Nazianzenꝰ

Richardus à S. Victore.

Populorum lavacrum, aqua baptismi. S. Ambros.

Idem.

Aqua ad lavacrum, ſangvis ad pretium, ſpiritus ad reſurrec-
nem. Hæc melleo eloquio Ambroſius. Cæterùm Domini vo
Joannis fuit vox ſuper aquas pœnitentiæ, ſuper quas equid
fertur Spiritus S. Triplicem in Chriſto aquam fuiſſe conſide
Doctor noſter mellifluus, applicando ad aquam, ſangvinem
ſpiritum. *Accipe*, ait, *triplicem aquam, quam tibi Salvator*
ponit. Plorat ſuper Lazarum, (Joan. 11.) & *ſuper civitat*
Jeruſalem, [Luc. 19.] & *hæc eſt aqua prima. Sudavit jam i*-
minente paſſionis horâ, & *hæc eſt aqua ſecunda, non ab ocu*
tantùm, ſed ex toto corpore manans; hæc autem rubea eſt ſang-
neiq́ coloris. Jam verò tertia eſt aqua, quæ de latere ejus u
cum ſangvine emanavit. (Joan. 19.) Uſum harum aquarum e
plicat conſequenter. *Et tu ergò primam quidem habes, ſi rig*
lachrymis tuis conſcientiæ tuæ ſtratum, & dolore compunctio
præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam h-
bes, ſi in ſudore vultûs tui veſceris pane tuo, (Gen. 3.) & *labo*
pœnitentiæ corpus tuum caſtigas, ac reſtringis concupiſcentiæ flam-
mam. Eſt autem ſangvinei coloris ſive propter laborem, ſeu etia
propter ipſum quem extingvit concupiſcentiæ ignem. Jam ve
ſi proficere potes usq́ ad devotionis gratiam, potaberis aquâ ſap-
entiæ ſalutaris, (Eccli. 15.) & *Spiritus Chriſti qui ſuper mel du*
cis eſt, (Eccli. 24.) *fiet in te fons aquæ ſalientis in vitam æte*
nam. [Joan. 4.] *Et memento hanc eſſe aquam, quæ procedit*
latere dormientis, & *ſinè omni moleſtia fluit. Oportet enim ja*
mortuum eſſe mundo, qui in hac voluerit gratia delectari. Erg
ut breviter repetam, prima quidem à præteritis delictis ablu
conſcientiam: ſecunda ut futura caveas extingvit concupiſcent
am: tertia ſi ad eam pervenire merueris, potat animam ſitienten
Hæc mellifluo ore ſuo S. Pater noſter. O aquæ neceſſarijſſima
aquæ ſalutiferæ, aquæ ſalutares hauſtæ de fontibus Salvatoris
(*Iſ.* 12.) in his ſalus vita & redemptio noſtra. O *magnæ aquæ fe*
licitas! quæ montibus preſſa non clauderis, ait S. Ambroſius, *qu*
ſcopulis illiſa non frangeris, quæ terris infuſa non deficis. Tem
pore naturæ ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. (*Gen.* 1.
Tempore legis Moſaicæ virtus Dei maxima enituit, quando ſte
tit unda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari, Phara
cum ſuis ſubmerſus eſt quaſi plumbum in aquis vehementibus
filij autem Iſraël ambulaverunt per ſiccum in medio ejus. (*E*
15.) Tempore legis gratiæ, tota ſe Sanctiſſima Trinitas in ba
ptiſmo Chriſti manifeſtavit; vox Patris audita eſt de cœlis dicen
hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: [*Mat.* 3.
Spiritus S. deſcendit ſicut columba in ipſum, & manſit ſuper e
um, dùm à Joanne aquis Jordanis Filius Dei & hominis bapti
zaretur. O magna aquarum utilitas! Per aquam lavantur ſo
des, abluuntur omnes homines & purificantur. Nec infecti tan
tùm

Triplex aqua in Chriſto. D. D. Bernar.

I. II. III.

Uſus harum aquarum.

In his aquis ſalus, vita, & redemptio noſtra.

D. Ambros. *Mirabilia aquarum tempore naturæ, legis Mos.*

& legis gratiæ.

Utilitas aquarum,

in ministerio fruuntur aquarum, etiam sitientes veniunt ad aquas ut bibant; ignis quoque incendia, aquarum beneficio restingvuntur. Quin sicut sinè aqua non fit corporalis genitura, nec spiritualis: imò nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. (*Joan. 3.*) Meritò igitur vox Domini super aquas, (*Ps. 28.*) meritò venit Joannes in aqua baptizans, (*Joan. 1.*) pro remissione peccatorum figuranda per baptismum pœnitentiæ. Cur tamen Joannes vox clamantis? Cur non sufficiebat evangelizantis bonum, annunciantis pacem? (*Nahum. 1.*) Clamor ut plurimùm fit vel super surdos, vel super remotos. Et quis surdior peccatoribus? Post sibilum serpentis admissum, & post verbum Dei proscriptum, humanum genus surdum factum est, habens aures & non audiens, (*Ps. 113.*) imò audiens non audiens, multò minùs obaudiens vel obtemperans. Quis ijsdem remotior? Longè à peccatoribus salus, ait Propheta, (*Ps. 118.*) ergo & Salvator Deus. Elongatio hæc post peccatum patuit, quòd eum cogeretur vocare Deus, Adam ubi es? (*Gen. 3.*) tanquam remotum & deperditum. Clamor igitur erat summè necessarius pro revocando homine ad Deum, ad resipiscentiam, ad pœnitentiam. Et hic clamor in Joanne fuit vocis benè distinctæ & articulatæ ac intelligentis, cum increpatione, genimina viperarum: cum comminatione venturæ iræ, securis ad radicē arboris positæ, arboris non facientis fructū bonum, exscindendæ & in ignem mittendæ: cum exhortatione, facite fructus dignos pœnitentiæ: cum instructione, veniet fortior me post me: cum humiliatione sui, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere: (*Mat. 3.*) cum consolatione, ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. [*Joan. 1.*] Quis hanc vocem dicet fuisse simplicem & inconditam? Quis negabit fuisse benè articulatam, multisq; virtutum articulis resonantem? Nemo equidem: quinimò agnoscet in hac voce Joannis lingvam benè eruditam, benè disertam, illamque fuisse velut calamum Scribæ cœlestis, digiti Dei velociter scribentis, (*Ps. 44.*) in terra, in cordibus ut terra obduratis, quando properabant undique plurimi ad eum agnoscentes & confitentes peccata sua, fortè & plangentes, (*Mat 3.*) ut baptismo aquæ jungerent baptismum lacrymarum. O utinam in nobis hæc vox clamaret efficaciter, resonaret salubriter, doceret nos articulatè, quatenùs pœnitentia nostra illi exactè corresponderet, condignè prodiret, subesset effectuosè, ad baptismum totalem in remissionem peccatorum consequendum. Impetret hanc gratiam nobis Sanctus Joannes, qui est gratia Dei, quatenùs in vita moribus, & operibus nostris simus ad exemplum ipsius nos quoque articulatæ voces: increpationes ejus, comminationes, exhortationes, instructiones, humiliationes, & consolationes calamo lingvæ

Sinè quibus sicut non fit corporalis, ita nec spiritualis genitura.

Quare Joannes vox clamantis?

Pro revocando ad Deum homine.

Clamor vocis illius qualis?

Lingva Joannis calamus Scribæ cœlestis.

Clamet & in nobis vox hæc ad agendam pœnitentiam.

gvæ ejus exaratas, cordi noſtro inſcriptas habentes, ijs co-
formemur, quatenùs in articulo vitæ noſtræ non cum paleis i-
inextingvibili adſcribamur comburendi, ſed cum frumento i-
horreum Domini unà cum S. Joanne congregemur. *Luc.* 3.

Sermo in Feſto SS. Petri & Pauli.

Lingva mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. *Pſ.* 44.

Lingva primaria eſt prædicationis miniſtra.

PRimaria verbi Divini prædicandi miniſtra lingva eſt. P.
RR. FF. DD. Quæ in Apoſtolis licèt una fuerit inſtrume-
taliter operans, multiplex tamen imò omnigena fuit prin-
paliter efficiens, per quam diverſa nationum idiomata in uni-
nem Eccleſiæ & fidei unitatem prædicatione Apoſtolicâ ſu-
conjuncta. Hujus lingvæ miniſterio in omnem terram exi-
ſonus (*Pſ.* 18.) evangelizantium bona, (*Rom.* 10.) & in fin-
orbis terræ verba eorum; (*Pſ.* 18.) ut ex omnibus tribubus, p-
pulis & gentibus per diverſitatem lingvarum cunctarum un-
Chriſti in terris formaretur Eccleſia. Supra omnes tamen Ap-
ſtolos hodiernorum Principum Apoſtolicorum Petri & Pauli li-
gvæ fuerunt generaliter ac omnimodè operoſæ, & calami ef-
caciter ſcribentes, per totum univerſum doctrinæ Chriſtianæ d-
cumenta publicantes, ad jacienda Catholicæ id eſt univerſalis E-
cleſiæ fundamenta. Lingvæ erant Verbi Divini, calami era-
Spiritûs ſancti Scribæ velociter ſcribentis. Placet ſcire celerita-
tem lingvæ loquentis & calami ſcribentis in D. Petro Apoſtolo-
rum & Eccleſiæ Capite? Audite primam ejus poſt lingvæ cœ-
leſtis tanquam ignis apparitionem & influxum, habitâ in mon-
te Syon concionem? Appoſita ſunt in die illa animæ circite-
3000. (*Act.* 2.) Quàm velox & efficax fuit lingvæ ejus opera-
tio, & fidei in corda hominum inſcriptio? Attendite ad alteram
ejus, poſt claudi redintegrationem, circa templum prædicatio-
nem: & ecce multi eorum qui audierunt crediderunt, & factu-
eſt numerus virorum 5000. Quàm benè dicitur virorum, tale-
enim ad fidem Chriſti percipiendam requiruntur. Quem do-
cebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Vultis ſci-
re, interrogat Iſaias Propheta, (*c.* 28.) & reſpondet: ablactato-
à lacte, avulſos ab uberibus. Non infantes, non pueros, ſe-
viros. Inde monet Apoſtolus: (1. *Cor.* 14.) nolite pueri effic-
ſenſibus, ſed malitiâ parvuli eſtote, ſenſibus autem perfecti eſto-
te. Omnis enim qui lactis eſt particeps, ait idem Doctor Gen-
tium, [*Heb.* 5.] expers eſt ſermonum juſtitiæ. Viri ablactati à
puerilib⁹ delicijs, avulſi à vita carnali & imperfecta, ſolidi cibi, id
eſt, veræ ſcientiæ Chriſtianæ capaces, ad audiendũ & intelligendũ
verbum Dei, ad ſciendas ſemitas juſtitiæ ſunt neceſſarij. *Deus
enim*, teſte Cyrillo, *Sanctos & vocat & docet, qui ablactati à la-
cte & uberibus legis veteris*, (quæ utique carnalis erat) *provecti
ſunt*

Huius miniſterio in omnem terram exivit ſonus evangelizantium bona.

Lingvæ SS. Petri & Pauli ſupra omnes Apoſtolos operoſæ.

Celeritas lingvæ loquentis, & calami ſcribentis in Divo Petro.

Ad percipiendã Chriſti fidem, viri requiruntur.

Cyrillus.

virum perfectum, ut pro eo fortiter omne discrimen subeant.
Talis, ait S. Ambrosius, *ablactatus fuit Isaac, qui gladium Pa-* S. Ambros.
tris non exhorruit. Hinc teste D. Hieronymo, S. Paula juxta
versionem LXX. Interpretum, dùm tribularetur replicabat textũ
illud Isaiæ. c. 28 Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab ubere,
tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem,
adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter lingvam
malignam: Ablactatorum ajebat esse, eorum scilicet qui ad viri- *Ablactati qui?*
lem ætatem pervenissent, tribulationem super tribulationem su-
stinere, ut spem super spem mereantur accipere; scientes quòd
tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem;
probatio verò spem, spes autem non confundit. (*Rom.* 5.) Pri-
mi ergo credentes, Apostolicâ lingvâ conversi, viri erant, virili-
ter agentes, spe gaudentes, in tribulatione patientes. [*Rom.* 12.]
Quidni & D. Paulus in sua reputatione minimus, sed re ipsâ u- *D. Paulus u-*
nus ex maximis Apostolis, licèt ultimus numero, non tamen *nus ex maxi-*
postremus labore, quia abundantiùs omnibus laboravit; [1. *mis Apostolis*
Cor. 15.] lingvâ suâ per Asiæ & Europæ regiones altitonante;
celerique sermonum & scriptionum epistolarium cursu Ecclesiæ
sanctæ plurimas hominum myriades velociter aggregavit. Et *plurimas homi-*
qualium? Haud dubiè virorum, quos exhortabatur in Actibus *num myriades*
Apostolorum (*c.* 14.) ut permanerent in fide; & quoniam per *S. Ecclesiæ*
multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Unde *aggregavit.*
& modus alloquendi Apostolicus non fuit alius, nisi: Viri fratres
audite. (*Act.* 15.) Sed quis non admiretur potentiam lingvarum *Potentia lin-*
Apostolicarum efficacissimam? Dicit Petrus claudo in spiritu ve- *gvarum Apo-*
ritatis & gratiæ: surge & ambula, & ecce consolidatæ sunt bases *stolicarum:*
ejus & plantæ, & exiliens stetit & ambulabat. (*Act.* 3.) Dicit *D. Petri in*
Ananiæ in spiritu fervoris & indignationis: Anania, cur tentavit *claudo,*
Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus *Anania,*
hominibus sed Deo. Ananias audiens hæc verba cecidit & exspi-
ravit. Dicit Saphiræ: Quid utique convenit vobis tentare spiri- *& Saphira:*
tum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad
ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes ejus & ex-
spiravit. (*Act.* 5.) Quis non videt lingvæ tanquam ignis, tan-
quam fulminis, tanquam scribæ velociter scribentis efficaciã? Vix
imperat Petrus, & ecce surgit & ambulat claudus; vix comminatur,
& ecce cadit & moritur vivus. Idem facit D. Paulus Philippis, *D. Pauli in*
Spiritui nimirùm pythoni puellam quandam obsidenti dixit: præ- *puella à spiri-*
cipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exijt eâdem ho- *tu pythone*
ra (*Act.* 16.) Rursùs repletus Spiritu sancto, scribam habens in *obsessa,*
lingva sua velociter scribentem, alloquitur Elymam Magum: *in Elyma Ma-*
ecce manus Domini super te, & eris cœcus non videns solem *go.*
usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ.
(*Act.* 13.) Velociter currit sermo Dei (*Ps.* 147.) per lingvã Apo-

ſtolicam, verbumq́ue ejus quod egreditur de ore Dei, obſe
lingvæ Apoſtolicæ non revertitur vacuum, ſed facit quæcun
voluit, & proſperatur in his ad quæ miſit illud, ad arguend
obſecrandum, & increpandum, ad evellendum, deſtruend
diſperdendum, & diſſipandum, ad ædificandum & planta

Munia lingvarum Apoſtolicarum.

(*Iſ.* 55.) Hæc ſunt munia lingvarum Apoſtolicarum, hæ ac
nes, & dicto & ſcripto verbum Dei annuntiare, annuntiare i
gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. (*Pſ.*
Quid tamen eſt, quòd longè majora prædicat Sancta Mater
cleſia de Principibus Apoſtolorum, & de lingvis eorum? C

Poteſtas earum

tat enim. Habent poteſtatem claudere cœlum nubibus, & a
rire portas ejus. *Ap.* 11. Num more Eliæ, de quo D. Iac. (*c.*
qui oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & non p
annos tres & menſes ſex, adeoq́ue cœlum clauſit. Et rursùm
ravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum &
ita cœlum aperuit. Et hoc quidem, ſed longè ſublimiùs clu-
dere & aperire cœlum poſſunt Apoſtoli. Quare? Quia ling
eorum claves cœli factæ ſunt, inquit S. Mater Eccleſia. C

Claves cœli datæ Apoſtolis SS. à Chriſto Domino,

ves Sanctis Apoſtolis eorumq́ue ſucceſſoribus ad regnum cœ-
rum tam terreſtre quàm ſupernum, ſive claudendum ſive ap-
endum, datas eſſe à Chriſto Domino velut Capite & ſupre
Eccleſiæ Rectore ac ſummo Pontifice, nemo ambigit Chri-

poſt reſurrectionem, per inſufflationem Spiritûs S. Quare?

anus. Quod poſt Reſurrectionem accidit, quando Chriſtus D-
minus inſufflavit in Apoſtolos dicens: accipite Spiritum S-
ctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quoru
retinueritis, retenta ſunt. (*Joan.* 20.) Inſufflavit non ſinè myſ-
I. rio ad demonſtrandum Spiritum S. eſſe flatum Divinum, &
ſpiratione Patris & Filij procedentem, eſſeque ejusdem ſubſta-
II. tiæ, prout halitus per inſufflationem emiſſus, eſt conſubſtantia
ſpiritui emittentis & exſufflantis: tum etiam quòd ille qui inſ-
ravit in faciem Adæ ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in a-
mam viventem, (*Gen.* 2.) ille ipſe inſufflando dedit Spiritu
Sanctum ad producendam in illis vitam ſupernaturalem & D-

S. Cyrillus

vinam. Teſtatur id S. Cyrillus dicens. *Primò per verbum D*
factus eſt homo, & inſpiravit Deus in eum ſpiraculum vitæ
ſui ſpiritûs participatione eum munivit. Verùm quoniam p
inobedientiam decidit & priſtinum decus amiſit, formavit eu
rursùs Deus Pater, & in novam reduxit vitam per Filium.
ergo ipſum eſſe diſcamus, qui initio naturam noſtram creavit
Spiritu Sancto ſignavit, rursùs in initio renovandæ naturæ ſ-
flatione Spiritum diſcipulis largitur, ut ſicut creati ab initio ſ-

Inſtitutio Sacramenti pœnitentiæ facta per collationē Spiritûs S.

mus, ſic etiam renovemur. Ita S. Cyrillus. Ubi ſciendum p
hanc collationem Spiritûs Sancti Chriſtum Dominum inſtitu
Sacramentum pœnitentiæ, in quo Sacerdos judiciariam exerc
poteſtatem, remittendo & retinendo peccata; ideoque & co
ſeſſ

essio sacramentalis hìc est sancita, & jure Divino præcepta, coram hoc tribunali pænitentiæ. Hìc usui veniunt claves Ecclesiæ, quæ est regnum cœlorum spirituale, potestas remittendi peccata per Spiritum S. videlicet ex bonitate & amore Dei, quæ Spiritui Sancto appropriantur, sicut Patri potentia, & Filio sapientia. Apostoli igitur qui haud dubiè baptizati à Domino in baptismo & S. Synaxi Spiritum Sanctum pro se acceperunt, ut justificarentur & sanctificarentur, tunc iteratò acceperunt Spiritum Sanctum pro alijs ad remittenda peccata, juxta Prophetiam Isaiæ: *(c. 27.)* iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum; quod Christus Dominus promisit Apostolis: amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram erunt soluta & in cœlo. Super quo pulchrè S. Gregorius. *Principatum Divini judicij sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.* Nihilominùs Sancto Petro Apostolorum Principi sigillatim velut suo immediato Vicario Christus Dominus pollicitus est: tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. *(Mat. 16.)* Ipsimet autem Christo Domino data est clavis domûs David, quæ est Ecclesia fidelium juxta testimonium Isaiæ: (*c.* 22.) & aperiet & non erit qui claudat; & claudet & non erit qui aperiat. Claves porrò datæ Divo Petro à Christo Domino, est potestas tum ordinis, tum jurisdictionis in totam Ecclesiam. Est jus regendi Ecclesiam per prædicationem Evangelij, per administrationem Sacramentorum, per ordinationem Sacerdotij, per absolutionem peccatorum, per excommunicationem rebellium, per interpretationem Scripturarum. Et hæc praxis est communis, quod & Principibus advenientibus ad urbes, claves earum præsententur in signum subjectionis, & Dominis qui ad possessionem domorum & arcium intromittuntur, in signum dominij & gubernationis. Claves has percepit tota Ecclesia, cujus ex sensu S. Augustini, *Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui primatum gerebat figuratâ generalitate personam: dignus*, teste S. Leone, *qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentandum, clavis ad regnum. O beatus cœli janitor*, inquit S. Hilarius, *cujus arbitrio claves æterni aditûs traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo.* Quid tamen est, quòd singulariter Ecclesia canat lingvas Apostolicas esse cœli claves factas? Sunt equidem, quandoquidem per lingvam (quæ eadem est aliquando calamus scribens, quando non tantùm dicto sed & scripto fertur sententia) fit absolutio peccatorum, excommunicatio personarum, collatio ordinum, administratio Sacramentorum, Evangelij promulgatio, sacræ

Spiritus S. datus Apostolis ad remittendâ peccata.

S. Gregorius

Sigillatim D. Petro.

Huic claves datæ à Christô Domino quid denotent?

S. August.

S. Leo.

S. Hilarius.

Quare lingvâ Apostolorum claves cæli factæ sunt?

Scripturæ interpretatio, per quæ & Regnum cœlorum Ecclesiæ Militantis, & regnum cœlorum Ecclesiæ Triumphantis vel clauditur vel aperitur. Hæc omnia solius lingvæ ministerio peraguntur. O magna necessitas lingvæ Apostolicæ in Ecclesia DEI! O ingens utilitas! O felix usus, cujus regimine omnia reguntur, à qua dependet salus hominum, atque æterna beatitudo. In hanc Divorum Apostolorum Petri & Pauli lingvam in gremium Ecclesiæ Sanctæ omnes lingvæ sunt introductæ. Sed quomodo? Virtute humilitatis. Audiamus Divum Augustinum. *Per superbos homines divisæ sunt lingvæ, per humiles Apostolos congregatæ sunt lingvæ. Spiritus superbiæ dispersit lingvas, Spiritus Sanctus congregavit lingvas. Quando enim Spiritus Sanctus venit super discipulos, omnium lingvis locuti sunt,* (Act. 2.) *ab omnibus intellecti sunt, lingvæ dispersæ in unum congregatæ sunt.* Pulchrè Sol Doctorum post hoc infert. *Ergo si adhuc sæviunt & Gentiles sunt, expedit eis divisas habere lingvas. Volunt unam lingvam, veniant ad Ecclesiam.* Sed quomodò una lingva in Ecclesia Sancte Doctor? *Quia,* respondet, *& in diversitate lingvarum carnis, una est lingva in fide cordis.* O quanta felicitas Ecclesiæ, quòd habet fideles ab Apostolis congregatos ex diversis lingvis unius moris in domo, unius cordis, unius oris, unius labij, unius lingvæ, in unitate fidei, in concordia spei, in unione charitatis. Benedictæ sint lingvæ Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quarum sonus in omnem terram exivit, & quorum verba in fines orbis terræ penetrârunt. (Ps. 18.) Quin etiam hoc quod lingvâ prædicârunt, scripto expresserunt, ut verè lingvæ eorum essent calami Scribæ Divini scribentis velociter per illos, quando ut nubes volabant (*Isai.* 60.) in orbe terrarum, rorem verbi Divini super corda populorum spargentes, & pluviam illam voluntariam quam segregavit Deus hæreditati suæ, fundentes; (*Ps.* 67.) sed & illum, qui descendit ut pluvia in vellus per Incarnationem, & sicut stillicidia stillantia super terram [*Ps.* 71.] per prædicationem, orbi per epistolas suas evangelizantes. O si daretur nobis gratia hæc lingvæ, verbum Divinum prædicantis, ut tam dictis quàm factis & scriptis illud in nobis elucere manifestemus! Rogemus hanc à Largitore gratiarum per merita Apostolorum, ut ipsis aliqualiter conformari mereamur.

Per lingvas Apostolicas omnes lingvæ in Ecclesiam sunt introductæ.

D. August.

Idem.

In Ecclesia multæ lingvæ & una lingva.

Sermo in Festo Visitationis B. M. V.

Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. *Ps.* 44.

PEr lingvam Evæ primæ Matris mortalium venit maledictio super totum genus humanum. PP. RR. FF. DD. Per lingvam Mariæ secundæ Matris hominum in prosapiam ceterum universam benedictio supervenit. Illa cum serpente collo-

Per lingvam Evæ maledictio, per lingvam Mariæ benedictio.

qua miscens lingvæ famulatu se suamque per maledictum Dei perdidit posteritatem. Hæc cum Angelo sermonem habens, Evæ beneficio se & omnem humanam generationem per Dei benedictionem restauravit. Quidni enim Eva audito ab Adamo DEI præcepto sub mortis interminatione, cucurrit curiosa ad videndam arborem interdictam; ubi per assensum suum in laqueum incidit serpentis, ab eoque per peccatum fuit captivata? Non sic Maria; quæ non tantùm perceptâ per Angelum Divinâ voluntate de vitâ hominib⁹ restituendâ, sed & acceptatâ per consensum proprium Divini Verbi in se incarnati dignatione, non ex curiositate sed necessitate, non ex motivo incredulitatis sed fidei ac pietatis, abijt in montana cum festinatione, (*Luc.* 1.) voceque salutationis captivum à jugo serpentis Joannem liberavit. O maledictum colloquium Evæ! O benedictum eloquium Mariæ! Nonne lingva Evæ fuit calamus scribæ infernalis velociter scribentis perditionem nostram? Nonne lingva Mariæ fuit calamus Scribæ cœlestis velociter scribentis salvationem nostram? Nunquid non Eva conscripsit chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, (*Col.* 2.) lingvâ suâ serpenti se jungens, & fructum prohibitione Dei maledictum manducans? Nunquid non Maria delevit, quod adversùm nos erat decretum chirographi, (*Ib.*) Angeli alloquio credens, & suscipiens ex Dei miseratione fructum ventris sui benedictum? Submisit Eva caput suum; suam nimirùm & viri sui, qui caput est mulieris, (*Eph.* 5.) innocentiam jugo diaboli. Præcidit Maria & contrivit caput serpentis antiqui (*Gen.* 3.) in Joanne, eique sublato peccati jugo primævam capitalem restituit innocentiam. Equidem si Judith abscindens caput Holofernis, benedicta erat à Domino Deo Excelso præ omnibus mulieribus super terram: (*Judith.* 13.) quantò magìs Maria hodie caput Principis tenebrarum infernalis, quod est originale peccatum in Joanne amputans, justissimè à Matre ejus Elisabeth benedicta inter mulieres prædicatur: (*Luc.* 1) imò beatam illam dicunt omnes generationes? [*Ib.*] Si benedicta inter mulieres Jahel, ut benedicatur in tabernaculo suo, clavo ejusdem tabernaculi tempus capitis Sisaræ perforans, & transfigens usque ad mortem, meruitque Deboræ benedictionem; (*Judic.* 5.) multò satiùs benedicta Maria in mulieribus, (*Luc.* 1.) lingvâ salutationis suæ configens Sisaræ avernalis caput, condignè ab Elisabeth de benedictione sua Fructûsque sui celebratur: voxque resonat exultationis & jubilationis non tantùm in tabernaculis justorum, (*Ps.* 117.) sed in universa terra gloria ejus, (*Ps.* 8.) quandoquidem per ipsam benedixit Dominus terram suam, avertit captivitatem Joannis, (*Ps.* 84.) cæterorumque fidelium, ac remisit iniquitatem plebis suæ (*Ib.*) Sed libeat ad trutinam tam Evæ quàm Mariæ verba

Maledictum colloquium Evæ: Benedictum eloquium Mariæ.

Maria benedicta inter omnes mulieres

Duo verba Evæ maledictionem inducentia.

assumere; & in utriusq; lingva tam maledictionem quàm be-nedictionem ruminare. Potuisset Eva cum Job dicere Deo, Quæ leviter locuta sum, respondere quid possum? Manum me-am ponam super os meum. (*Job.* 39.) Utinam posuisset & ta-cuisset, nec leviter locuta fuisset. Unum locuta est, quod utinam non dixisset, discurrendo cum serpente super Divino præcepto, exaggerando illud, quasi Deus præcepisset non tantùm non co-

Primum verbum, dubitando de decreto Dei,

medere sed nec tangere, dubitando de decreto Dei, ac dicens: ne fortè moriamur, cùm Deus non dubiè sed assertivè declarâs-set, morte moriemini, (*Gen.* 3.) non fortè: deniq́ue mentiendo & affirmando lignum scientiæ boni & mali fuisse in medio pa-radisi, cùm Scriptura dicat lignum vitæ fuisse in medio paradisi.

Alterum verbum, excusãdo peccatum.

[*Gen.* 2.] Locuta est & alterum verbum: serpens decepit me & comedi, (*Gen.* 3.) ad excusandas excusationes in peccati, (*Ps.* 140) quibus ultra addere non erat necessarium, quia in his duobus lingvæ sermonibus omnia conclusit peccata. Ubi nan-q́ue incredulitas & diffidentia erga Deum, credulitas & confiden-tia erga diabolum, mandatorum Dei exaggeratio, dubitatio de verbo Dei, ac demùm prævaricatio præcepti Divini per gulam ex motivo concupiscentiæ & superbiæ, peccati non agnitio, nec confessio culpæ suæ, sed in alium translatio, quid ampliùs desi-deratur peccatorum? In duobus verbis Evæ pessimæ Matris u-niversa legis nostræ transgressio pendet ac malitia, adeoq́ue ri-

Sex verba Mariæ benedictionem adferentia.

secuta est super ea maledictio. Jam Maria melior Mater nostra quid & quoties locuta est in lingva sua? Sex verba dixisse in E-vangelio reperimus, in quibus consummata virtutum omnium

Primum puritatis Virgineæ,

forma ac perfectio clarè demonstratur. Ac primum verbum e-jus, verbum summæ prudentiæ, intactæ pudicitiæ, puritatis Vir-gineæ, patet in responso ad Angelum, conceptum & partum Filij Dei anuntiantem dato: Quomodò fiet istud, inquit, quo-niam virum non cognosco? (*Luc.* 1.) Non discredidit, non du-bitavit, sed modum scire voluit, qualiter salvo Virginitatis suæ voto absq́ue corruptione sui posset generare: sciens quòd incor-

secundum humilitatis & obedientiæ,

ruptio faciat proximum esse Deo. (*Sap.* 6.) Secundum verbum fuit humilitatis, modestiæ, obedientiæ, ac resignationis ad be-neplacitum verbi Divini, verbum fidei, & consensûs ad volun-tatem Dei dicendo: ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum. (*Luc.* 1.) O potentissima lingvæ Marianæ pro-locutio! Per verbum Dei fiat, creatus est mundus; per verbum

tertium laudis Divinæ,

Mariæ fiat, recreatus est. Tertium Mariæ verbum fuit canti-cum excellentissimum laudis & amoris Divini, gratitudinis Ma-riæ, & gratiarum actionis pro beneficio redemptionis, Magnifi-

quartum requisitionis perditi Jesu,

cat; de quo aliàs. Quartum verbum erat sollicitudinis, requi-sitionis Jesu, desiderij ejus præsentiæ, cùm interrogaret illum: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quæ-

rebamu

amus te. (*Luc.* 2.) Quintum verbum patefacit viſcera cha- atis, bonitatis, & miſericordiæ Maternæ erga indigentes, cùm teret à Filio vini ſupplementum pro Neoſponſis, breviſſimè ntaxat neceſſitatem exponendo: vinum non habent. [*Joan.* 2.] Sextum & ultimum verbum ad miniſtros: quodcunque di- xrit vobis, videlicet Jeſus, facite, (*Ib.*) in quo doctrinæ Evan- glicæ & beatitudinis veræ compendium manifeſtavit, quod eſt adire verbum Dei & cuſtodire illud, [*Luc.* 11.] quod ipſamet Vrgo Deipara exactiſſimè adimplevit. Quis in his ſex verbis lingvâ Mariæ prolatis non agnoſcit virtutum omnium perfecti- onem & conſummationem? Verè in his lingva ejus fuit calam' Scribæ Spiritûs Sancti velociter ſcribentis [*Pſ.* 44.] ſalutis no- ſtræ anacephalæoſin: & ſicut ſex diebus per verbum Divinum creatio mundi peracta eſt, ita ſex verbis Mariæ virtuoſiſſimis & efficaciſſimis ſicut dies lucentibus; ita ut dies verborum Mariæ dei virtutum congruè eructaret verbum benedictionis, ſalus & recreatio mundi eſt abſoluta, benedictionibusque cœli & terræ coronata. Perpendamus paululùm ſacratiſſima ejus verba; & lingvam Mariæ lacte & melle manantem in eloquijs ſuis de- gustemus. Cernite quantam primæ & primariæ virtutis curam habeat, quæ eſt mundities cordis Angelica, ac puritas corporis Virginea; & exinde ſequens intaminata pudicitiæ verecundia. Proferat nobis diſcurſum ſuum S. Gregorius Nyſſenus. *Audi*, inquit, *pudicam Virginis vocem. Angelus partum nuntiat, & illa Virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtratio- ni ecce concipies & paries Filium, anteponendam judicat. Nonne hîc etiam Maternitatem Dei quâ nihil ſublimiùs poſt De- um poſtponit Virgineæ incorruptioni? Nec Mater Dei vult fie- ri abſq; integritate ſui.* Unde præſtantiſſimè rurſùs idem Divus Gregorius ait. *Verùm, quia carnem Deo conſecratam tanquam ſacrum aliquod oblatum munus, oportebat intactam integramq; praeſtare; idcircò licet, inquit, Angelus ſis, licet id quod oſtendi- tu naturam ſuperet humanam, tamen me virum cognoſcere ne- faſ eſt. Quomodò ſinè Viro Mater ero? Joſeph enim Sponſum novi, ſed virum non cognoſco.* Quantæ prudentiæ inter- rogatio? Quantæ ſapientiæ judicium? Hìc deſideroſa concipi- endi Filij Dei; ibi timoroſa perdendæ Virginitatis, adeòque ſol- licita de voto Caſtitatis ſuæ ſervando, utrumque promeruit, ut eſſet & Mater Dei & Virgo: imò utì ait D. Albertus Magnus, *Beatiſſima Virgo eſt Mater omnium in Virginitate, quæ prima ſine præcepto, ſinè conſilio, ſinè exemplo Virginitatis munus Deo obtulit, quo omnes Virgines genuit per imitationem Virginitatis.* Fuerint ſanè viri, utì Elias, Eliſæus, Jeremias, & Eſſeni Virgini- tatem colentes, ſed prima eſt Maria, quæ Deo ſuam per votum devovit Virginitatem, & licèt acceptaverit Sponſum Joſephum,

Quintum charitatis & miſericordiæ.

Sextum conſummatæ doctrinæ.

In his ſex Mariæ verbis omnium virtutum ſtat perfectio.

Cura Mariæ circa Angelicã puritatem.

S. Gregori9 Nyſſenus.

Idem.

D. Alber. M.

Beatiſſima V. prima per votum Virginitatis ſe Deo conſecravit.

scivit tamen hunc quoque primum Virgineæ castitatis fuisse cu-
torem, & futurum suæ puritatis custodem. *Desponsata est V-*
D. August. *ro justo*, ait Sanctus Augustinus, *non violenter ablaturo, sed po-*
tiùs contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. Nam
S. Gregorius Nyssenus. dicente S. Gregorio Nysseno, *Deo dicatam & consecratam car-*
nem velut sanctum quoddam donarium intactam conservari o-
portebat. O utinam & nos pro castitatis nostræ per votum Deo
oblatæ conservatione, non tantùm prima sed omnia verba fa-
ciamus, lingvamque nostram in illa Regij Vatis sententia conti-
Quare ex Virgine Deus natus? I. nuò proferenda erudiamus: Fiat cor meum & corpus meum
immaculatum, ut non confundar. (*Ps.* 118.) Cogitemus quàm
grata sit Deo Virginitas, ut eam pro generatione sui, ipse Deus
eligeret & fæcundaret. *Decebat enim DEUM*, ait melli-
D. Bernar. fluus Pater noster, *nova, insolita, propria, & sublimis generatio,*
II *talis autem est ex Virgine.* Deinde teste Theodoro Episcopo
Theodorus Episcopus Ancyrensis. Ancyrensi in Concilio Ephesino; *Incorruptionis largitor corrupti-*
onem non induit, nihilq; incorruptionis author corrumpit. Quid
III. *Ipsa SS. Trinitas Virgo est.* quòd ipsa SS. Trinitas Deus noster, dicente S. Gregorio Nazian-
zeno, Virgo est? *Virgo Pater, mente generat Virginem Filium*
S. Gregorius Nazianz. *uterq; spirat Virginem Spiritum Sanctum*: unde expediebat, ut
Virgo Filius velut Melchisedech in Divinitate sinè matre, in hu-
IV. manitate sinè Patre ex Virgine nasceretur. Super omnia autem
opus erat, ut vi originis suæ excluderet à se peccatum originale
quod ex Adamo carnali copulâ nati contrahunt, non ex Virgi-
V. ne generati. Quin concupiscentiæ & peccati victor debebat
VI. sinè concupiscentia peccati & concipi & gigni. Purificator &
sanctificator hominum illos effecturus Angelos qui non nubunt
neque nubentur, (*Mat.* 22.) omni puritate præcellere teneba-
tur. Denique productioni Evæ è costa Adami, insolita secundi
VII. Adæ ex purissimæ Virginis utero generatio optimè correspon-
S. Cyrillus. det. *Reddidit Maria*, ait S. Cyrillus, *gratiæ hujus mutuum*
officium, & non ex viro sed ex ipsa sola impollutè, ex Spiritu S.
virtuteq; Dei peperit. De secundo ejus verbo per quod refecta
sunt omnia, quando per consensum fiat, facta fuit Filij Dei ex
purissimo ejus sangvine Incarnatio, quid dicam? Deficiunt ver-
Virtutes Mariæ inexplicabiles. ba in verbo fidei, spei, charitatis Mariæ, verbo humilitatis, mo-
destiæ, obedientiæ, resignationis, cæterarumque virtutum expli-
cando? De quo S. Pater noster præclarissimè alloquitur Virgi-
nem Sacram. *O Domina responde verbum, quod terra, quod*
inferi, quod expectant & Superi. Ipse quoq; omnium Rex &
Dominus quantùm concupivit decorem tuum, tantum desiderat
& responsionis assensum, in qua nimirùm proposuit salvare mun-
dum. Utiq; beata quæ credidit, fide concepit, ait idem S. Ber-
nardus. *spei & fiduciæ plena, promissum Angelicum & Divinum*
munus, suum in ipsa sortitur effectum; amore ardens illius, quem
conce-

conceptura erat, quando ipse *Amor essentialis Spiritus Sanctus* in eam supervenit. Jam dùm esset Rex in accubitu suo, nardus humilitatis & modestiæ dedit odorem suum. (*Cant.* 1.) Audivit Filia Dei & vidit, & inclinavit aurem suam (*Ps.* 44.) obedientiâ & resignatione, Filiumque Dei mox castis concepit visceribus. Quantæ hìc virtutes in hoc secundo verè fœcundissimo & felicissimo Mariæ verbo elucent! Sed & dignitas quanta! Quāta merita! Edisserit S. Bernardinus Senensis. S. Bernardin Senensis. *Mariæ dignitas,* *Oportuit, ut sic dicam, fœminam elevari ad quandam æqualitatem Divinam per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum, quam æqualitatem nulla creatura experta est. Unde ut credo, ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritûs Sancti, quæ in Beatissimam Virginem descenderunt in hora Divinæ Conceptionis, intellectus humanus vel Angelicus nunquam potuerunt pertingere* Hæc de dignitate, de meritis autem sic inquit. Idem. *Merita.* *Ex his colligi potest, Virginem Beatissimam in Conceptionis Filij Dei consensu plùs meruisse, quàm omnes creaturæ, tam Angeli quàm homines in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus suis: nempe omnes qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundùm varios status & gradus gloriam sempiternam: hæc autem Virgo in illo admirando consensu, meruit totalem fomitis extinctionem, dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarū, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritûs, cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, spiritus Prophetiæ, discretiones spirituum, operationes virtutum. Meruit fœcunditatem in Virginitate, Maternitatem Filij Dei; meruit quòd sit stella maris, porta cœli: & super omnia, quòd Regina misericordiæ nuncupetur, ac talis nominis consequatur effectum. Unde meritò Proverbiorum ultimò de ipsa B. Virgine Salomon ait: multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Hæc elegantissimè S. Bernardinus Senensis de Magna Virgine Matre Dei. Notandum tamen est super omnia humilitas Virginis. *Summa humilitas.* Matrem Dei salutat Angelus, ipsa se nominat Domini ancillam. Hæc praxis est Sanctorum, quò altiùs elevantur, eò profundiùs se demittunt, & nihilum suum fatentur. Abraham à Deo in personis tribus visitatur, promisso filij futuri exaltatur, familiaritate DEI arcanorum futurorum recipit revelationem, & ecce se pulverem & cinerem agnoscit. *Exempla humiliationis ex S Scriptura.* (*Gen.* 18.) Moyses post visionem Dei in rubo ardenti, lingvam sibi impeditiorem esse manifestabat. (*Ex.* 3.) Job post discursum Divinum, in favilla & cinere sese reprehendit. [*Job.* 30.] Isaias post auditam Seraphici concentûs melodiam, pollutum se labijs affirmavit. (*Isai.* 6.) Hoc est quod præcipit Sapiens: quò major es, humilia te in omnibus, & invenies gratiam. (*Eccli.* 3.) Hanc Maria invenit super omnes, quia

se infra omnes demisit. Post hæc duo verba admiranda Mari occurrit nobis vox salutationis ejus hodierna; quidni & hæc ve bis apud Hebræos solitis constans, qui salutantes se invicem di cere solent: pax tibi. Quia tamen Scriptura sacra nulla nob verba expressa indigitat, sufficit nobis in Maria non tantùm ve ba fuisse admirationis plena, sed & ipsam vocem miraculosam utpotè quæ & Joannem infantem fecit exultare, & Matren prophetizare. (*Luc. 1.*) *Sanctorum non tantùm verba*, ait San ctus Chrysostomus, *sed & ipsi aspectus spirituali gratiâ pleni sun quidni Mariæ præsentia & vox?* Ac quidem licèt primariò ju xta Theophylactum, *vox Virginis, vox erat Incarnati in ill Dei*; & secundùm Euthymium, *Christus locutus est per os Ma tris suæ*: Joannes autem audivit per aures Matris suæ, & agnit supernaturaliter Domino suo, per exultationem illum prædica vit. Nihilominùs vox salutationis Mariæ fuit incentivum exulta tionis infantilis, & motivum gaudij Materni per repletionen Spiritûs Sancti. Quinimò hoc ipsum summum est, loquent Mariâ loqui Christum, Spiritum Sanctum repletione suâ subse qui vocem Mariæ, ita ut lingva Mariæ loquens, sit lingva Verb Divini, sit lingva Spiritûs Sancti. Jam concludamus sensu V Bedæ. *Quis dicere, quis æstimare sufficiat, quæ tunc gratia* [nimirùm in Conceptione Filij Dei] *Spiritum Dei Genitrici replevit, cùm tanta in Matre Præcursoris, lux doni cœlestis emicu it?* Satis est, quòd plenitudo gratiæ Divinæ per Incarnationem Filij Dei in Maria, aucta per lingvam ejus salutantem adeò su perefluit, quòd & infantem saltu fantem, & Matrem voce magnâ exclamantem fecerit ac prophetantem, adeòque lingva ejus verè fuerit in omnibus fons omnis benedictionis, sicut lingva Evæ fuit fons omnis maledictionis. Eja quæso, recordare Domina Mater Dei & Virgo, quæ es benedicta non tantùm inter omnes mulieres, sed etiam super omnes creaturas, ut loquaris pro nobis bona, ut virtutibus tuis ac meritis non tantùm avertas à nobis omnem Evæ maledictionem, sed inducas super nos omnem tuam benedictionem; ut & lingvâ nostrâ, & factis nostris instar lingvæ loquentibus tuarum virtutum & gratiarum magnalia deprædicemus. Sit quoque sacratissimi eloquij tui per intercessionem apud Deum benedictio super omnes Status Ecclesiasticum & Politicum, atq; super animas agonizantes & purgantes copiosa & fructuosa, ut omnes experti per te salutis fructus, benedicant te hìc & in æternum.

Salutatio Hebræorum qualis?

Effectus salutationis Mariæ in Joanne & Matre illius.

S. Chrysost.

Theophyl.

Euthymius.

V. Beda.

Lingva Mariæ fons benedictionis.

Sermo in Festo S. Stephani III. Abbatis Cistercij.

Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. *Ps.* 44.

Terna lingvæ felicitas.

Felix lingva quæ loquitur bona, felicior loquens talia quæ etiam calamo conscribi merentur, felicissima factis loquens, & opere demonstrans ea quæ proponit tam dicto

Lingva S. Stephani & factis & scriptis Charitatem promulgat.

quam scripto facienda. Talem Sancti Patris nostri Stephani linguam fuisse nemo negabit, qui sciet illum bona locutum fuisse in novo Ordine Cisterciensi à se propagato, quia de charitate, quæ est omnium bonorum optima; quinimò eandem per Cartam charitatis conscriptam Ordini promulgâsse, quidni antè omnia illam quoque operibus præsetulisse, adeòque verè linguam ejus extitisse calamum scribæ velociter scribentis, qui est Spiritus Sanctus, & est Deus charitas. (1. *Joan.* 4.) Agnoscitisne PP. RR. FF. DD. quàm insignem & specialem nobis cum Regula Sancti Benedicti charitatis regulam præscripserit? Quid meliùs eloqui, quid digniùs exarare, quid fructuosiùs agere possumus, quàm ea quæ sunt charitatis? Certè juxta Ecclesiasticum, (*c.* 6.) lingva eucharis, id est, gratiosa in bono homine abundat, estq; signum boni hominis. Verbum dulce, ait idem, (*Ib.*) multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Et hoc verbum dulce fuit charitatis, quod Ordinem Sacrum multiplicavit, & quod clausit ora malignantium & persequentium novitatem reformationis ejus.

Lingva eucharis signum boni hominis.

Lingva Sancti Joannis, Discipuli quem diligebat Jesus, (*Joan.* 21.) per totam vitam non erat alia, nisi planè Joannis, id est gratiosa, nihil per singulas collectas proferens, nisi: Filioli diligite alterutrum. Calamus Sancti Joannis nihil scripsit, nisi ea quæ sunt omnigenæ charitatis. Opera ejus omnia fuêre similia, quando ex pectore Domini velut abysso charitatis, in quo recubuit, (*Joan.* 21.) hausit profluvium amoris & quando accipiens Matrem Domini sui in sua, (*Joan.* 19.) ex illa continua cum Matre pulchræ dilectionis [*Eccli.* 24.] conversatione, non minùs accepit infinita amoris incentiva, quæ in actionibus vitæ suæ Orbi propalavit.

Lingva S. Joannis Apost. tota gratiosa.

Calamus ejus nil nisi quæ charitatis sunt scripsit.

Opera ejus omnia in charitate.

Quid censetis Sanctum Stephanum Patriarcham nostrum Apostolico exemplo firmatum, & lingvâ, & calamo, & opere eum certè spirâsse amorem, quem in corde fundans, tam ex illa attenta Divini operis persolutione & omnibus exclusis soli Deo adhæsione, quàm ex illa intensa erga Virginem Deiparam, cui summè devotus erat, & novellam Cistercij plantationem ipsius clientelæ singulari addixit devotione, poterat ingentia depromere multimodæ charitatis specimina.

S. Stephanus & lingvâ, & calamo, & opere spiravit amorem.

Sed ad cognoscendam meliùs lingvam eucharin vel gratiosam, charitatis plenam, examinemus paululùm lingvas ipsi adversantes, ut sic contraria juxta se posita magis elucescant. Et quia duplex est charitas, Dei & proximi, utrasque oppositas lingvas trutinemus. Sic igitur Divinæ charitati contrariantur lingvæ juratoriæ, blasphemæ, mendaces, hypocriticæ, vanam gloriam aucupantes, & excusatoriæ peccatorum.

Lingva Divinæ charitati contrariæ.

Ac primùm nihil frequentiùs apud homines quàm jurare, juramento Deum testem adhibere, & quandoque ipsum mendacium juramento firmare; quantumvis supremus Judex prohibeat dicens: ego

Primò juramentum, quo nihil apud homines frequentiùs.

autem dico vobis, non jurare omnino; sit autem sermo ve
est, est, non, non. (*Mat.* 5.) Quod autem his abundantiùs
à malo est. Hinc pulchrè D. Augustinus, *Falsa juratio exiti
est, vera juratio periculosa, nulla juratio secura est.* Porrò
clesiasticus sigillatim monet. (*c.* 23.) Jurationi non assvescat
tuum, multi enim casus in illa. Certè si non alius esset ca
præterquam perjurij, sufficeret. Hinc Divus Chrysostom
*Ceßet ignis & incendium non fit, subtrahe gladium, & homi
dium non committitur. Sic tolle juramentum, & perjurium n
fit.* Ac proinde jure meritò consulit idem aureum Os: *Nisi
ramentum, videlicet frequens & temerarium interdicatur, n
possunt amputari perjuria. Ex juratione enim perjurium ge
ratur. Nemo est qui frequenter jurat, ut non aliquando per
ret.* Ubi post pauca de consvetudine peccandi eleganter loq
tur. *Nam omnium rerum consvetudinem quando voluerim
tunc facimus, sed non quando facimus tunc repellimus ea*
Porrò de frequenti juramento quantùm noceat, ait Syracid
(*c.* 23.) Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non disc
det à domo illius plaga; (Syrus legit, seditio & colaphizatio) &
in vanũ juraverit, non justificabitur; replebitur enim retributio
domus illius. Quod alij sic legunt: quodsi inaniter juraverit, no
evadet pœnam; replebitur enim domus ejus calamitatibus.
magis exaggerat D. Chrysostomus. *Non ita pungit ensis, sic
juramenti natura. Non sic occidit gladius, sicut juramenti plag*
Acsi diceret, pejus esse jurare quàm occidere. Tunc tamen ju
ramentum exitiosissimum est Deoque injuriosissimum, quand
cum illo assumitur nomen Dei in vanum, vel Deus ad mendac
um testis advocatur. Et hoc monet idem Ecclesiasticus: (*c.* 23
Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibu
Sanctorum ne admiscearis, quoniam non eris immunis ab ei
Hoc & Moyses (*Ex.* 20.) præcavet: non enim habebit Dom
nus insontem eum, qui assumpserit nomen Domini Dei frustr
Secundum, quod est blasphemia in Deum vel Sanctos, proh do
lor! in aliquibus invaluit regionibus, quam Jesus Filius Syrac
nec ausus nominare, sed illam innuit in abstracto dicens: est &
alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Ja
cob: (*Eccli.* 23.) adeò hanc loquelam execratur. Sed videtu
contradictio in terminis. Loquela contraria morti non invenia
tur. Imò quis hanc non optaret? inveniatur. Verùm sciendum
est stylum Scripturæ esse de blasphemia, quòd eam non apelle
maledictionem, sed benedictionem. Ita uxor Jobo imperat
benedic Deo, id est, maledic & morere. (*Job.* 2.) Sic de Nabot
dicitur: benedixit Naboth Deũ & Regẽ, 3. *Reg.* 21. scilicet maledi
xit. Pulchrè Palatius. *Blasphemia*, inquit, *ut per antichresim &
per contrarium vocatur benedicere, ita per contrarium vocatu
contrari*

D. August. — D. Chrysost. — Idem. — Idem. — *Frequentioris juramenti incommoda.* — S. Chrysost. — *Exitiosissimũ tunc juramentum, quando cum illo nomen Dei in vanum assumitur.* — *Secundò, blasphemia in Deum vel Sanctos.* — Palatius.

ontraria morti, cùm tamen sit penitùs mortifera. Certè benedi- ctio Dei est contraria morti. Uti ergo blasphemia vocata est benedictio, ita vocatur contraria morti. Cæterùm Deus in blas- phemum tulit sententiam mortis. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidet eum populus universus. (*Lev.* 24.) Tertium Divinæ veritati repugnans, est mendacium, de quo quidem Propheta dicit, quòd omnis homo sit mendax; (*Ps.* 115.) sic tamen intelligendum est: mendax potentiâ non actu. *Mendacium*, teste D. Basilio, *est diaboli fœtus*; & ritè, quia dicente ipsâ æternâ Veritate, diabolus mendax est & Pater eius, (*Joan.* 8.) id est mendacij, tanquam illius inventor, qui primus mentitus artem mentiendi & fallendi adinvenit, eamq; homines docuit. Ipse gignit & fingit mendacia. Unde Orige- nes. *Diabolus mendacium genuit, seductus à seipso. In hoc de- terior, quòd alij ab eo falluntur, ipse sibi deceptionis est author.* Nec minùs S. August. *Non omnis qui mentitur est pater menda- cij, sed qui aliunde mendacium non accepit, utì diabolus.* Effe- ctum mendacij aperit Sapientia (*c.* 1.) dicens: os quod menti- tur, occidit animam; dat causam Cæsarius Arelatensis: *quia in se admittit diabolum, qui animæ est interfector.* Mercedem mendaciûm manifestat Apocalypsis: (*c.* 21) omnibus menda- cibus pars illorum in stagno ardenti igne & sulfure, quod est mors secunda. Hinc jure Siracides (*c.* 7.) non tantùm men- dacium prohibet, sed etiam voluntatem mendacij dicens: noli velle mentiri omne mendacium, assiduitas enim illius non est bona; quinimò Propheta [*Ps.* 5.] Deum alloquens ait: perdes omnes qui loquuntur mendacium. Et sanè licèt vel minimo etiam jocoso mendacio totus mundus salvari posset, mendaciũ non esset committendum, tanquam repugnans æternæ veritati, quæ Deus est. Unde veritatem post Deum colendam esse Py- thagoras docet, utpotè quæ homines Deo proximos facit. Re- perio in Ecclesiastico (*c.* 7.) duas sententias satis perplexas de mendacio, quas libet hìc elucidare. Noli arare mendacium ad- versùs fratrem tuum. Quid arationi cum mendacio? Multùm quidem; lingva enim loquendo censetur arare. Primò sicut arator arando terram, ita lingvator loquendo lingvam exercet. Secundò, sicut arator glebam, ita loquax loquendo famam ali- orum proscindit. Tertiò, sicut arator arat in campo vel puro vel spinoso, & ex illo puram messem, ex isto spinosam colligit; sic lingva campum purum habet veritatis, & spinosum menda- cij & ex illo metit fruges justitiæ, ex isto colligit manipulos i- niquitatis. Altera sententia est. Potior fur quàm assiduitas viri mendacis, perditionem autem ambo hæreditabunt. (*Eccli.* 20.) Mendax pejor est fure, quia hìc opes, ille famam, & quandoq; vitam eripit: hic ex egestate & fame furatur, iste ex petulantia

Tertiò, mendacium,

quod est fœtus diaboli,

gignentis & fingentis illud.

Origenes.

D. August.

Cæsarius Arelatensis.

Quàm solicitè sit cavendũ mendacium.

Lingva loquẽdo mendaciunĩ arat.

Quomodò? I. II. III.

Mendax pejor fure.

& malitia mentitur; iste etiam integras domos, urbes, Regn evertit, rixas, bella, cædes, & odia immortalia inducendo, quod non facit fur. Deinde furi præter opes potes cætera fidere mendaci nihil. Demùm esto unum furtum esse pejus menda cio uno, quia illud morte punitur, hoc non; nihilominùs assidu itas mentiendi multas parit culpas & noxas furto graviores

Mendaci nec veritas creditur.

Mendaci nec veritas creditur, quia mores hominum mendaciûm sinè honore, ait idem Ecclesiasticus, (*c.* 20.) & confusio illorum cum ipsis sinè intermissione. Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit. Menda

Quartò, hypocrisis, quæ est vicina mendacio.

cio vicina hypocrisis falsitatem præferens, de qua Veritas incre ata monet: attendite à fermento Pharisæorum quod est hypo crisis, forinsecùs in vestimentis ovium, intrinsecùs sunt lupi ra paces. (*Luc.* 12.) Non veniet in conspectu Salvatoris omnis hy pocrita, dicitur apud Job, (*c.* 13.) & innocens contra hypocri tam suscitabitur. (*Job.* 17.) Congregatio hypocritæ sterilis, (*Job* 14.) gaudium hypocritæ adinstar puncti: (*Job.* 20.) posside tremor hypocritas, (*Is.* 33.) & spes hypocritæ peribit. (*Job.* 8.) Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, hortatur Ecclesia sticus, (*c.* 1.) & ne scandalizeris in labijs tuis, per jactantiam ni mirùm vel ostentationem. Minatur idem (*c.* 2.) hypocritis di

Hypocrita corde & corde loquitur.

cens: væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malè faci entibus, (en triplex duplicitas, cordis, oris, & operis) & pec catori terram ingredienti duabus vijs. Hic est hypocrita bicors

S. August.

corde, & corde loquens, qui juxta S. Augustinum, *partem cordis dat Deo, partem diabolo, servire vult Deo & mam monæ*; de quibus Deus cardiognostes apud Sophoniam: (*c.* 1.) disperdam eos qui jurant in Dño, & jurant in Melchom; ita fane divisum est cor eorum, nunc interibunt. *Os.* 10. Affabrè naturam hypocritarum describit mellifluus Doctor noster. *Hypocritæ*

S. Bernar.

Natura hypocritarum.

ait, oves sunt habitu, astutiâ vulpes, actu & crudelitate lupi Hi sunt qui boni videri non esse, mali non videri sed esse volunt Mali sunt & boni videri volunt, ne soli sint mali; mali videri timent, ne parùm sint mali. Ita ergo in malum bonorum bon apparere student, mali nolunt ut plùs liceat malignari. Jam

Quintò, vana gloria.

sequitur vana gloria Deo inimica, quia soli Deo gloria, [1. *Tim* 1.] de qua ipse Deus: gloriam meam alteri non dabo. [*Is.* 42.] De hac præstanter D. Chrysostomus. *Omnia mala habent con*

S. Chrysost.

traria bona, per quæ superentur, demptâ vanâ gloriâ. Ideo quantavis bona feceris compescens vanam gloriam, tantò magis excitas eam. Et causa est ista, quia omne malum ex malo na scitur, sola vana gloria de bono procedit, ideo non extingvitur per bonum, sed magìs nutritur. Ultima lingva Divino amori

Sextò, lingva excusans peccata.

contraria est illa, quæ peccata sua non accusat sed excusat, Di vinam invertens scientiam, & bonitatem excludens; ab hac li berat

brari se orat Psaltes: (*Ps.* 140.) non declinet cor meum in verbis malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Excusare excusationes, est vehementer & obstinatè se excusare, varijs prætextibus se involvere, in alium culpam reijcere, uti fecêre Protoparentes. Hic dicens: mulier decepit me; hæc asserens: serpens decepit me. [*Gen.* 3.] *Si Adam se non excusâsset*, ait S. Augustinus, *paradiso non exulâsset. Hæc est præcipua via interitus*, ait D. Chrysostomus, *quando anima quæ peccavit, excusso timore excogitat excusationes & prætextus quosdam ad ignavum.* Hæc sunt potissima arma diaboli. Post has lingvas Divinam charitatem exterminantes sunt plurimæ charitatem proximi pessundantes, quas libeat carptim percurrere. Idque primum occurrit lingva detrahens alijs, quam Ecclesiasticus nominat lingvam tertiam dicens: (*c.* 28.) lingva tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem, civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit. Sed cur dicitur lingva tertia sive triplex? prout dicit Syrus textus: dat rationem mellifluus Pater. *Lingva maledica*, inquit, *quòd in se est*, *& illius percutiens conscientiam*, *& istius vulnerans charitatem*, *secum pariter utrumq́ perimit. Nunquid non vipera est lingva ista? Ferocissima planè, nimirùm quæ tam letaliter tres inficiat flatu uno. Nunquid non lancea est ista lingva? Profectò & acutissima, quæ tres perimat ictu uno.* Lingva, ait, eorũ gladius acutus; (*Ps.* 56.) gladius equidem anceps, imo triplex est lingva detractoris. Est lingva serpentina, quæ dicitur esse trisulca. Cum detractore convenit susurro & bilingvis, qui juxta Ecclesiasticum, (*c.* 28.) est maledictus, multos enim turbavit pacem habentes. Hos ponè sequitur calumniator, quod nomen est satanæ ipsius ex Græco promanans, nimirùm diabolus. Detractio est constupratio justitiæ; calumnia est stuprum innocentiæ, cujus morsui nullum est remedium, vel ad minus relinquit post se cicatricem. Non frustra Regius Propheta aliquoties Deum exorat: (*Ps.* 118.) suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi; feci judicium & justitiam, non tradas me calumniantibus me: demùm, redime me à calumnijs hominum, ut custodiam mandata tua. Calumnia enim conturbat sapientem, dicente Salomone: (*Eccles.* 7.) & perdet robur cordis illius. Lingva hæc calumniatrix, vocatur lingva coinquinata sive impura, idque dupliciter: in se ex ira, rancore, odio, invidiâ, alioque sordido affectu procedens: extra se, omnes sordes, id est peccata proximi & defectus evomens. Accedit ad hæc lingva iracunda & litigiosa. Pulchrè sæpiùs citatus Siracides. (*Eccli.* 7.) Anima calida quasi ignis ardens non extingvitur, donec aliquid glutiat; & homo nequam in ore carnis

Excusare excusationes, quid?

Has lingvas sequuntur aliæ Divinæ itidẽ voluntati contrariæ, ut: lingva detrahens,

quæ dicitur triplex, Quare?
S. Bernar.

Cum detractore convenit susurro.
Hos sequitur calumniator.
Quid detractio? quid calumnia?

Ad has lingvas accedit iracunda & litigiosa.

Per animam calidam intelligitur avara, D. Ambros.

ſuæ non deſinet donec incendat ignem. Per animam calida[m] poſſumus intelligere avaram, cupiditatis igne ſuccenſam. Sæv[i]or *ignibus Æthnæ*, ait Boëtius, *ardet amor habendi.* S. Ambr[o]ſius avaritiam vocat *æris libidinem, quæ quò plura abſtulerit, magìs inopem ſe eſſe credit.* Nullus rapiendi modus, ubi nul[la] menſura accipiendi. Sic inflammat, ſic igne ſuo paſcit animam[,]

hæc à luxuria per[a]quid differt.

ut hoc ſolo à luxuria diſtet, quòd hæc formarum ſit adulter[a,] illa terrarum. Unde anima quoq́ue calida eſt libidinis igne æ[ſ]ſtuans, ſed & bile ac irâ efferbeſcens, quin etiam quovis prav[o] æſtu ſuperbiæ, ambitionis, invidiæ, & gulæ exardeſcens, [de] quo generaliter Iſaias: (*c.* 57.) impij quaſi mare fervens, quo[d] quieſcere non poteſt. Ecce vos omnes accendentes ignem, a[c]cincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flamm[is] quas ſuccendiſtis. Lingvâ igitur his vitijs accensâ, non min[us] igneæ lingvæ, mordaces, punctoriæ, contumelioſæ, maledica[e,] imprecatoriæ & injurioſæ, ex zelo amaro prodeuntes, quas h[ic] non vacat explicare; univerſæ Chriſtianam & planè fraternam lædunt charitatem.

Demùm lingva improperans.

Obſervat adhuc Eccleſiaſticus (*c.* 23.) lingvam improperantem, de qua ait: homo aſſvetus in verb[is] improperij, in omnibus diebus ſuis non erudietur; quod Palati[-]

Palatius.

us ſic interpretatur. *Cave ne lingva aſſveſcat jacere in alios contumelias, nam id ſignum æternæ reprobationis eſt, non enim tales homines à Deo erudiuntur.* Nam utì beatus eſt quem tu erudieris Domine; (*Pſ.* 93.) ita reprobus ac ideò omni infelicitate infelicior, quem tu non erudieris. De lingva doloſa & fraudulenta, à qua animam liberari poſtulat Propheta, nolo me diffundere utì & de lingva nugace & ridicula, de qua S. Pater no-

D. Bernar.

ſter ait: *quòd nugæ in ore ſæcularis ſunt nugæ, in ore Religioſi ſunt blaſphemiæ.*

Item garrula & loquax.

Neq́ue de garrulitate aut loquacitate quidquam ſubnectam, ſatis quod Regius Vates dicat: vir lingvoſus id eſt, qui nihil habet præter lingvam, locutulejus, non dirigetur ſuper terram. (*Pſ.* 139.) Chaldæus vertit: vir delator lingvâ triplici, (quaſi idem ſit eſſe lingvoſum quod detractorem) nequaquam poteſt dirigi in terra viventium. De hoc Sapiens in Proverbijs: (*c.* 29.) vidiſti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magìs ſperanda quàm illius correptio.

Omnes hæ lingvæ ſunt indiſciplinatæ.

Omnes hæ lingvæ indiſciplinatæ, de quibus Siracides: (*c.* 23.) indiſciplinatæ loquelæ non aſſveſcat os tuum, eſt enim in illa verbum peccati; id eſt, ne aſſveſcas loqui quod libet, quod in buccam venerit, habeto diſciplinam in ore tuo, loquere quod juſtum eſt; alioquin ſi temerè loquaris, aderit ſtatim peccatum. Sed quàm terribiles ſunt hæ lingvæ, explicat Jeſus filius Sirach (*Eccli.* 28.) omnes ſub lingva nequam concludendo.

Beatus qui ab his lingvis eſt ſolutus.

Beatus, ait, qui tutus eſt à lingva nequam, qui in iracundiam illius non tranſivit, & qui non attraxit jugum illius, & in vinculis ejus non eſt ligatus.

Jugum

igum enim illius, jugum ferreum est, vinculum æreum est. llors illius, mors nequissima, & utilis potiùs infernus quàm il- l. O mi Deus! Itane est res execranda, lingva nequam, in ju- um ferreum & vincula trahens homines; imò pejor morte & iferno? Quomodò id sit, dabitur alia occasio desuper discur- ndi. Nunc quis non fatebitur lingvam tam Divinæ quàm roximi charitatis adversariã, esse universitatem iniquitatis? *Jac.* 3. los equidem quibus non tantùm lex Divina & ipsum novum hristi mandatum, sed etiam specialis S. Stephani Regula grati- um charitatis præceptum ordinavit, & quas maximè abomi- abilis harum pessimarum lingvarum colluvies dedecet; quia tremè dehonestat; quantò magìs ideo, quòd sint lingvæ in æ- rnum perniciosæ? Et quod ampliùs, quandoquidem vi Regu- l Sanctæ ad perpetuam silentij regularis custodiam obligamur, nde etiam probatissimum nobis adest remedium ab omnibus usmodi lingvis abstinendi. Sequamur consilium Ecclesia- ci qui unicuique nostrûm hanc exponit doctrinam. Aurum tum & argentum tuum confla. Ad quid? Et verbis tuis faci- t stateram, & frenos ori tuo rectos. (*Eccli.* 28.) Omnes the- uri eò impendendi, ut lingva & os in chamo & fræno onstringantur. (*Ps.* 31.) Attende, inquit, ne fortè labaris in lin- va, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, diabo- lrum certè; & sit casus tuus insanabilis in mortem. (*Eccli.* 28.) S: igitur cordi nostro insculpta charitas Dei & proximi, ut lin- ga nostra non loquatur nisi bona, operibus ea declarans, nimi- m eructet cor nostrum ad exemplum S. Patris nostri Stepha- i verbum bonum, verbum Charitatis, & dicamus opera nostra l:gi Deo. Sit denique lingva nostra calamus Scribæ velociter l ibentis amorem, videlicet ipsius Scribæ Spiritûs Sancti, lingva charis gratiosa, lingva Joannis, lingva Stephani semper expor- rigens & exponens omnibus chartam Charitatis.

Lingva nequam pejor morte & inferno.

Silentium tollit omnis lingvæ vitia.

Sermo in Festo Assumptionis B. M. V.

Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. *Ps.* 44.

QVæ vox quæ poterit lingva retexere? quæ Deus Matri suæ Virgini ad se venienti, & æternas sedes ac mansiones capienti, gaudia, triumphos & applausus exhibuerit. Quantâ totius curiæ cœlestis solennitate illam exceperit; quàm altissimum supra omnes creaturas penes se immortalitatis thro- num ipsi præsentaverit & constituerit: quæ vox quæ poterit lingva retexere? Non est nostræ imbecillitatis opus hæc proferre, non nostræ lingvæ facũdia hæc enarrare, imò nec nostri intellectûs capacitas hæc apprehendere, non dico comprehendere. Virgo prima hospes cœlorum, advena supernarum regionum, sed non peregrina, imò civis & domestica Dei *Eph.* 2. cũ anima & corpore,

Applausus & triumphi à Deo B. V. Assumptæ instaurati, indicibiles.

 sola

sola prima sequens Filium suum ascendentem itidem cu[m]
Cælestium Spirituum, ascendenti Virgini obviam euntium, salutatio.
anima & corpore, cum quanta gloria assumpta sit & exalta-
ta, quis adumbrabit? Omnes illi cœlestes spiritus, omnes ani-
mæ humanæ, omnes & illorum & istarum hierarchiæ cum ip[so]
Filio Dei obviam euntes & salutantes, cum quantis exultatio-
num vocibus, cum quantis melodiarum applausibus, cum quan-
ta jubilationum harmonia sese effuderint Matri Dei ascendenti
quis concentum cœli audire faciet, imò vel minimum echo re-
B. Virgo à primo Conceptionis momēto Regni cælestis inquilina, cæli fenestra.
sonare? Sed quid dixi, hospes & advena cœli Maria? Quæ utiq[ue]
etiam in terris existens jam fuit cœli fenestra, vel janua & por[ta]
paradisi. Venit ergo in domum suam Domina, cujus à prim[o]
conceptionis suæ momento fuit inquilina: venit accipere Regn[um]
suum, (*Luc.* 19.) capere possessionem regni Regina cœli &
Quomodò honoratur ab Angelis?
terræ, Imperatrix universi. Ecce Angeli substraverunt se pedi-
bus ipsius, missi in ministerium eorum qui hæreditatem capiun[t]
salutis; (*Heb.* 1.) quidni illius, quæ toti orbi salutis hæreditatem
Archangelis,
generavit? Hic Archangeli prærogativam superioritatis suæ sub-
jecerunt illi, quæ supremam nuntiaturæ sive annuntiationis Di-
Virtutibus,
vinæ recepit propositionem. Hic Virtutes cum suis se præsentâ-
runt decoribus, illam omnium virtutum speculum & exempla[r]
Potestatibus,
confitentes. Quid Potestates cum omni sua potentia, nisi sum-
mam & omnem potestatem in ea agnoverunt, quæ Genitrix
est ejus, cui data est à Patre omnis potestas in cœlo & in terra?
Principatibus,
(*Matt.* 28) Quid Principatus cum omni præeminentia sua e-
gerunt, nisi submittere se illi, quæ prima Primiceria & Princeps
est omnium Primorum, per quam Principes imperant, & po-
tentes decernunt justitiam, imò quæ est Mater illius, qui est
Dominationibus,
Princeps Regum terræ. (*Pr.* 8) Quid Dominationes cum o-
mnibus dominijs suis exequi potuerunt, nisi Mariæ, id est, Do-
minæ, re & nomine se subditas declarare; quæ Dominum genu-
S. Joannes Damascen.
it universorum, quin etiam quæ dicente S. Joanne Damasceno,
rerum omniū conditarum Domina facta, cùm Mater extitit Cre-
Thronis,
atoris? Jam Throni nonne respiciunt Mariam Thronum Divi-
nitatis in sæculum sæculi, Thronum sicut dies cœli, videlicet
Thronum Regis Domini, qui sicut sol in conspectu Dei, & si-
cut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis (*Ps.* 88.)
Cherubinis,
adinstar iridis pulcherrimæ? Cherubini illuminati, nonne Mari-
am Illuminatricem etymologicè, stellam matutinam, stellam
maris, imò progredientem velut aurora consurgens, pulchram
ut luna plena, electam ut sol, terribilem ut castrorum acies or-
dinata, (*Can.* 6.) omnis videlicet species cœli stellarum in ordi-
ne suo consistentium; & quod ulteriùs, amictam sole, coronâ 12.
stellarum singularium privilegiorum redimitam, lunam terrenæ
mutationis calcantem; (*Ap.* 12.) luminis sui obsequio circum-
& Seraphinis.
dederunt? Seraphim denique accensi vel ardentes, nonne Mari-
am

tam rubum ardentem incombustum, (*Ex.* 3.) Deum qui ignis consumens est, (*Deut.* 4.) in sinu suo possessum ac gerentem, ignium suorum accensionibus exceperunt, & ardoribus charitatis complexi sunt? Et sic omnes illæ Hierarchiæ cœlestes Dominam Hierarcham orbis cœlestis & terrestris, Reginamque omnium Angelorum benè venire in domum Dei, in locum tabernaculi admirabilis (*Ps.* 41.) suis operationibus demonstrârunt. Sed quomodò majestatem tantæ Matris jam glorificatæ cœlestes incolæ non admirarentur & venerarentur? quando S. Dionysius Areopagita terrestris habitator, sed jam Theodidactus ipsam sibi in terris constitutam cernens, Deum credidisset, nisi fides sancta illum aliter docuisset. His omnibus quantò magìs omnes Sancti ex hominibus ad cœlum meritis Filij ejus & ipsius mediatione subvecti, succollantes ipsi se stiterunt acclamantes? Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri: [*Judith.* 15.] beatam te dicunt omnes generationes, (*Luc.* 1.) erisque benedicta in æternum. (*Judith.* 15.) Ibi Patriarchæ, & inter eos primi Parentes Adam & Eva, quorum multæ filiæ congregaverunt sibi divitias, illam Filiam suam, quæ supergressa est universas, (*Pr.* 31.) ipse quoq; Sponsus ejus Joseph novi Testamenti Patriarcha, tanquam Reginam Patriarcharum salutaverunt. Ibi Prophetæ omnium vaticiniorum suorum coronidem, Reginamque Prophetarum publicârunt. Ibi parvus quidem sed inclytus Martyrum Infantium exercitus, cum Machabæis & Protomartyre Stephano Reginam Martyrum, cujus animam gladius pertransivit, (*Luc.* 2.) exultabundus cum palmis & laureis suis proclamavit. Demùm illic omnes Sancti & Electi Confessores utriusque sexûs, ipsam Reginam Confessorum, Virginum, Viduarum, & Conjugatarum, adeoque Reginam omnium Sanctorum debiti cultûs veneratione prosecuti sunt tanquam Sanctam Sanctorum, [*Dan.* 3.] Matrem solius Sanctissimi omnium Sanctorum. Quid jam arbitramur in tanto triumpho Virginis Deiparæ in cœlum ascendentis, terrestres Apostolos cum discipulis & sanctis mulieribus cordibus suis & brevis proclamâsse? Nonne hæc & similia verba eructârunt? Exurge gloria nostra, exurge psalterium & cythara Dei, (*Psal.* 56.) surge Domina in requiem tuam, tu quæ es arca sanctificationis Dei, (*Ps.* 131.) ascende in altum, progredere prospere, procede & regna (*Ps.* 44.) nostri haud immemor, velut mediatrix nostra, Domina nostra, Advocata nostra, Deo & tuo Filio nos repræsentans, nos reconcilians, nos recommendans. Ipsamet porrò Mater Dei gloriosa quanto perfusa gaudio, quantâ repleta exultatione, quanto tripudians jubilo, sursùm progressa est ad thronum Divinitatis, ad empyreum thalamum, ad solium gloriæ Dei, quis vel minimo cogitationis attinget ictu?

Majestas Mariæ jam glorificatæ admiranda.

Sancti ex hominib9 assumpti quomodo illi acclamârunt?

Patriarchæ,

Prophetæ,

Martyres,

Confessores, Virgines, Viduæ & Conjugatæ.

SS. Apostolorũ in ejus assumptione jubilus.

Gaudium & exultatio ipsius etiam Matris Virginis assumptæ.

Cum quantis progressa est suavitatibus tanquam virgula fumi aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmenta (*Can.* 3.) emissionib⁹ velut paradisus, (*Can.* 4.) speciosa in d cijs, *Can.* 2. cujus inæstimabilis odor erat nimis, & quam sicut verni circumdabant flores rosarum & lilia convallium, trah omnes in odorem ungventorum suorum, (*Can.* 1.) quibus vinitùs uncta fuit ab eo, quem Deus unxit oleo lætitiæ & ex tationis præ participibus suis? (*Ps.* 44.) Quantas cecinit D laudes, benedictiones, & gratiarum actiones? Quantas benev lentiæ & beneficentiæ suæ demonstrationes ac profusiones mnibus exhibuerit salutatoribus? Quis non dicet illam suo ca ticò, quod superans omnia cantica sacræ Scripturæ tam Moy Ezechiæ, trium puerorum, Zachariæ, Simeonis, quàm Mari Deboræ, Annæ & Judithæ, meritò Canticum Canticorum bet nominari; illo, inquam, cantico, tunc eructâsse verbum b num, dicendo opera sua Regi, & lingvam suam velut ca mum scribæ velociter scribentis produxisse & exarâsse per illu & exaltâsse laudem Dei, gloriam & honorem? Credendum mnino est, Mariam perfectiùs & eminentiùs tunc Deum cantico glorificâsse, & hoc est tertium verbum Mariæ qu assumpsi explanandum. Sed interrogabit fortâsse aliquis qu nam hujus cantici est structura? Respondeo breviter in eo ena rari & deprædicari à Matre Dei Virgine beneficia per Incarnat onem Filij Dei impensa primùm ipsi, deinde populo Israëlitic in veteri Testamento, ac demùm per novum Testamentum e dem populo in ipsa manifestata. Magnificat, inquit, anima me Dominum, quod paraphrasticè V. Beda sic exponit. *Tanto m Dominus tamq; inaudito munere sublimavit, quòd non ullo off cio lingvæ, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat compr hendi, & ideò totas animæ meæ vires in agendis gratiarum la dibus offero, totum in contemplanda magnitudine ejus cui non e finis, quidquid vivo, sentio, discerno, gratulanter impendo.* Ma gnificat anima Mariæ Dominum, quia magni facit, summè æ stimat Deum, ac magna facit pro Deo, quæ nullus fecit: vo vendo ipsi virginitatem suam, qui ipsi magna fecit, eligend illam in Matrem suam. Magna facit quoque humiliando se qui enim se parvi facit ac humiliat, exaltabitur (*Luc.* 14.) & magnificabitur. Elevata est magnificentia tua super cœlos, ai Regius Vates, de quo Euthymius. *Magnificentiam hoc in loc Dei humanationem appellat, quæ est magna & omnium exupe rans intellectum. Elevata enim est & transcendit illas etiam po testates, quæ super cœlos sunt, eò quòd etiam ab illis comprehen di non possit.* Et quis hanc magnificentiam sic expertus e quàm Maria? Magnificata proinde est, quando facta est no tantùm Filij Dei Incarnati sanctuarium, sed totius Sanctissima Trini

Benevolentiæ illius demonstratio erga salutatores;

& Canticum super omnia S. Scripturæ cantica.

Quod est tertium verbum Mariæ.

Structura hujus cantici.

V. Beda.

Euthymius.

Magnificentia Mariæ.

Trinitatis domicilium. *Imago Dei Christus est*, inquit S. Ambrosius, *& ideo si quid justum religiosumq; fecerit anima, illam imaginem Dei, ad cujus similitudinem creata est, magnificat.* Et ideo dùm magnificat eam, magnitudinis ejus quâdam participatione sublimior fit, ut illam imaginem splendido bonorum colore factorum, etiam quâdam æmulatione virtutis in se videatur exprimere. Et quis imaginem Dei expressit quàm Maria, quæ Christo simillima ipsum in se recepit, ex se produxit, & secum semper possedit, ipsumque in omnibus est imitata? *Magnificat Dominum is*, inquit S. Basilius, *qui magno mentis proposito celsoq; animo & erecto pro pietate tentationes tolerat, deinde verò is etiam qui non mediocri intellectu, sed sublimiori animi speculatione rerum conditarum multimodam magnitudinem considerat, ut ex earum magnitudine juxta ac pulchritudine tantarum rerum opificem contempletur.* Quantò magis magnificat qui ipsam Dei magnitudinem considerat, & magnificentiam gloriæ sanctitatis Dei loquitur? (*Ps.* 144.) & qui secundùm Theophylactum, *dignè juxta Deum ambulans, vocatus Christianus non attenuans nomen & dignitatem Christi, faciendo quod non oportet, sed magnificans est, operando magna cœlestiaq; opera, heroica planè facinora exercendo, quæ etiam in hac magnificatione Dei Maria patefecit.* Quid enim? *Magna præconia fuere*, nimirùm Elisabethæ, ait mellifluus S. Pater, *sed & devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magìs universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur. Tu*, inquit, *magnificas Matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea perhibes filium exultâsse, sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Et ipse quoq; tanquam amicus Sponsi gaudet ad vocem Sponsi.* (Joan. 3.) *Beatam esse dicis, quæ credidissem,* (Luc. 1.) *sed credulitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magìs beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus.* Hæc mellifluè S. Pater noster. Magnificat, ait Maria, anima mea Dominum. [*Luc.* 1.] Anima mea videlicet, ita ut omnibus suis potentijs eum exaltet, memoriâ, nihil præter ipsum cogitando, intellectu, ipsum solum considerando, voluntate, ipsum unicum desiderando & amando, phantasiâ, illum semper ruminando, lingvâ, eum duntaxat deprædicando ac in ore gestando, corde, verba bona continuò eructando, manibus, opera ipsi soli veluti Regi addicendo, pedibus in solum ejus obsequium viam mandatorum ipsius currendo, (*Ps.* 118.) & ad illius nutum stando directo. (*Ps.* 25.) Hæc est anima mea, quæ semper est in manibus meis, (*Ps.* 118.) quæ ipsi totaliter consignata, quæ fide spe & dilectione Deum magnificat, Deum Patrem qui me ad generationis Filij sui consortium dignatus est extollere, ut ejusdem

S. Ambros.

Maria Dei imago.

S. Basilius.

Deum super omnes magnificat,

Theophilact.

S. Bernar.

omnibus potẽtijs suis.

Canticum Mariæ.

dem Filij cujus ipſe Pater, ego ſim Mater: Deum Filium qui meo ſangvine homo fieri voluit, & meus Filius eſſe: Deum Spiritum Sanctum qui me ſuâ ſanctitate replere, ac tantum Verbi incarnandi opus in me ſola elegit operari. Hoc proculdubio Canticum Virgo Deipara in ſua ad cœlum aſſumptione ſic intonavit, ſuam Divinæ communicationi reddendo gratitudinem, quod ſucceſſivè Deo volente, prout feret occaſio, conabimur enucleare. Nunc quid nos facere expedit? Nonne cum Angelica curia, cum humana congregatione Matri Dei cœlum petenti congratulari & applaudere decet, cum omnibus jubilare in voce exultationis, (*Pſ. 46.*) Deumque omnipotentem magnificare, qui ipſi magna fecit, (*Luc.* 1.) ejusque puritatem cum humilitate imitari? Sed quis vel minima Mariæ poterit ſequi veſtigia? Sequendum tamen, in quo conſilium magni audiamus Auguſtini. *Quæcunq;*, id eſt quælibet, *anima ſancta, verbum concipere poteſt credendo, parere prædicando, magnificare amando.* En ſequela Matris Dei, ut fiat conceptus in corde per fidem, partus per manûs operationem & lingvæ prædicationem, magnificatio per amorem & laudationem. Gloſſa quoq; dicit: Deus magnificatur in nobis, dùm Chriſto per juſtitiam conformamur, quidni etiam, ſi Mariæ Chriſtiformi per hanc ſequelam aliqualiter aſſimilamur? Jam Sol Doctorum inquit. *Duo ſunt quæ Angelorum & hominum beati ſpiritus in illo fonte boni æternâ contemplatione hauriunt: incomprehenſibilis ſcilicet Majeſtas Dei, & ineffabilis bonitas, quorum alterum caſtum timorem gerit, alterum dilectionem parit.* Pro majeſtate venerantur Deum & pro bonitate amant, ne vel dilectio ſinè reverentia diſſoluta ſit, vel reverentia ſinè dilectione pænalis. Admirantes enim diligunt & diligentes admirantur, ut inextingvibiliter per admirationem ardeat dilectio, & ſvaviter in dilectione ardeat admiratio. De utroque alloquitur Matrem Dei S. Auguſtinus. *Vidiſti Majeſtatem, guſtâſti ſvavitatem, ideò quod intùs hauſeras, forâs propinâſti, & in juſtitia ejus exultâſti, quia exultavit ſpiritus meus, ait.* (Luc. 1.) *Anima magnificat, ſpiritus exultat.* Et iterùm *in Deo ſalutari meo, inquit: Deus potentiam, ſalutaris miſericordiam notat.* Ita Divus Auguſtinus. Si in conceptione Filij Dei vidit Mater Dei majeſtatem & guſtavit ſvavitatem, quantò magìs in glorificatione ſui id experta. Unde etiam ſummè magnificavit Majeſtatem Dei, & maximè exultavit in ejus ſvavitate, adeòque & reverentiam amabilem & amorem reverentialem Divinæ exhibuit dignitati. Et hoc quoq; opus noſtrum eſſe debet in hac peregrinatione, quod in patria perficitur, caſto timore Deum venerari, & ſancto amore eundem complecti. Interea quod facit anima, quod exercet ſpiritus, hoc exprimat lingva continuò canticum Matris Divinæ ingeminando ut

Cui cœlum petenti, & à nobis unà cum Angelis applaudendum, ejusq; puritas cum humilitate imitanda.

S. Auguſtin.

Quomodo?

Idem.

Idem.

Ingeminandū Mariæ Canticum

[ca]tum omnibus cœlitum & cœtuum Angelicorum, necnon [h]orum terrestrium acclamationibus, supremam ipsi super o-[mne]s cœlos gloriam aggratulando. Dicat unusquisque ex no-[bi]s magnificat anima mea Dominum (*Luc. 1.*) pro summa [mag]nificentia Virgini Deiparæ impertita, exultavit spiritus meus [in D]eo salutari Mariæ, qui fecit ipsi magna, (*Ib.*) & magnifi-[cavit] eam super omnes creaturas, ita ut nulla major Mariâ pos-[set fie]ri vel creari. Dicant Mariam cordibus & lingvis benedi-[ctam] & beatam esse, omnes generationes Angelorum, Patriar-[char]um, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confesso-[rum], Virginum, Viduarum, & Conjugatarum; omnes genera-[tion]es cœli & terræ: eamque agnoscant, confiteantur, prædicent [o]mniũ esse Dominam, omnium in cœlo & terra Reginam, nunc [supe]r omnia exaltatam, coronatam, & in solio gloriæ penes Fi-[lium] suum inauguratam in æternum. Benedic nobis & omni-[bus] Statibus, Ordinibus ac animabus, ex throno majestatis tuæ ô [B]enedicta, beatifica nos ô Beata, purifica nos ô Immaculata Vi[r]go, sanctifica ô sanctissima Mater Dei, ut à Tua laude nun-[q]uam cessemus, Deumque in Te magnificare & exaltare non intermittamus.

cum cœlitibus & terrigenis

Quomodo?

Sermo in Festo S. Bernardi.

Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. *Ps 44.*

MIrabilis est Divinæ sapientiæ per hunc orbem in diversis creaturis, sigillatim vivente animali dispositio; PP. RR. FF. DD. ita ut in quibusvis & singulis magna na-tu[r]arum diversitas reperiatur. Nec minùs mirabilis est ejusdem m[u]ltiplicis sapientiæ adinventio, quòd animalium figuras etiam ho[m]inibus voluerit adaptare, ac per illa singulares hominum qu[a]litates repræsentare. Quid quòd ipsi Filio Dei incarnato si[mi]litudo jam ovis vel agni quoad innocentiam & mansvetudi-ne[m], jam leonis quoad fortitudinem & magnanimitatem con-ve[n]iat, & juxta differentiam actionum illius applicetur: ipsique Sp[ir]itui S. forma columbæ sit appropriata? Apostoli quoq; jam ve[lu]t agni mites inter lupos, jam prudentes sicut serpentes, & si[m]plices sicut columbæ ordinantur. (*Mat. 10.*) In malis quoq; H[er]odes vulpes, & Pharisæi genimina viperarum appellantur. [*L*]*uc. 3.*] Inde accidit quòd illiusmet Divinæ Sapientiæ præor-di[n]atio in Sanctis quoque viris utero materno adhuc conclusis a[ni]malium præsagio, virtutum quibus in Ecclesia Dei excellere de[b]ebant, specimina figurabat. Et quidem Sancti Patris nostri B[er]nardi pijssima Genitrix, dùm ipsum adhuc in uteri angustijs co[m]plecteretur, vidit catellum totum candidum in dorso sub-ru[fu]m & latrantem se gestare; quod apprimè vir quidam Reli-gi[o]sus interpretatus est dicens Matri ejus: optimi catuli Mater eris,

Diversitas naturarum in viventibus.

Assimilatio Christi cum Agno.

Spiritûs S. cum columba.
Apostolorum cum agnis & serpentibus.
Herodis cum vulpe.
Pharisæorum cum viperis.

Virtutum D. Bernardi per catulum totũ candidum, in dorso subrufũ & latrantem præfiguratio.

eris, qui domûs Dei custos futurus magnos pro ea contra micos editurus est latratus. Erit enim egregius Prædicator tanquam bonus canis, gratiâ lingvæ medicinalis in multis tos curaturus est morbos animorum. Præstantissima inter tatio! Veracissimum præsagium! Exactissima repræsentatio cialium virtutum Divi Bernardi Ecclesiæ Doctoris & prædica ris. Sic non minùs S. Dominicus Fundator Ordinis Præd torum per figuram canis faculam in ore gerentis ac orbem cendentis, in utero quoque Materno fuit prognosticatus, ad dentissimam verbi Divini in mundo prædicationem per faciendam. Singula si placet prophetiæ hujus de S. Patre stro verba ad trutinam assumamus. Videt Mater catulum tum candidum, quidni per hoc puritas, innocentia, castitas planè innatus animi ejus candor declaratur? Ita omninò hæ tutes in Beatissimo Patre Bernardo fuêre excellentes, prout tet ex vita ipsius, sed & candor Ordinis Cisterciensis quoad bitum candidum exinde potuit indigitari. Videt in dorso rufum: color hic accensus ardentem Sancti Patris designat c ritatem, quæ quantùm in ipso tam erga Deum quàm erga mines effulserit, cunctis est in aperto. Videt demùm catul latrantem? Ad quid? Pro domo Dei. Ad quid? Contra ho Ecclesiæ. Equidem non mutum qui non valeat latrare consp xit, ac ideo meritò ab illo spirituali viro Custos domûs Dei turus est prædictus; proprium enim canum est ædium hab custodiam, & contra insultus advenientium illas tueri. Qu tam S. Pater & pro Ecclesia Dei, & in Ecclesia Dei tenuerit c stodiam, quantas vigilias peregerit, quibus latratibus defende quantos lingvæ mellifluæ ediderit clamores, Pontificatus def sus, schismata sopita, hæreses confutatæ, rebelles in gremiu Ecclesiæ reducti, infideles ad fidem & Religionem conversi, p catores ad pœnitentiam revocati, Religiosi ad strictiorem R gularis observantiæ normam obligati, satis superque manifesta Verè lingva prædicatoria D. Bernardi fuit calamus scribæ vel citer scribentis, quando Spiritus Sanctus mirabiles celerrimis bonum mutationibus operationes in cordibus hominum per li gvam ejus exarabat. Ac licèt abundantissimè & verbis & sc ptis Divinæ doctrinæ fluenta Fratribus suis propinaret, eade nihilominùs in universam Ecclesiæ Sanctæ superficiem diffun bat juxta monitum Sapientis: bibe aquam de cisterna tua; (5.) ex Cistercio primùm sapientiæ sumens haustum, & fluen putei tui in Claravalle fundati. Deriventur fontes tui forâs plurimas orbis plagas, (*Ib.*) colonias filiationum suarum dispe sando; & in plateis aquas tuas divide, (*Ib.*) verba prædicati nis non tantùm in basilicis, sed & in vicis dispertiendo, necn summis Pontificibus, Regibus & Principibus monita saluris per

S. Dominicus per figuram canis faculam in ore gerentis Fundator Ordinis Prædicatorum prognosticatus.

Quid catulus totus candidus?

Quid in dorso subrufus?

Quid latrans?

S. Patris pro Ecclesia Dei labor.

Ex Cistercio hausit sapientiam.

endo. Quid ultra? Si fidelitas in canibus laudabilis, quis ior custos Sancto Bernardo? qui in veræ & sanctæ fidei observatione, in veri & legitimi Pastoris Innocentij secundi de- one, in Ordinis sacri & gregis sibi commissi custodia maxi- monstravit fidelitatem. Si sagacitas canum prædicatur, qui Doctore mellifluo sagacior? qui eâ quâ pollebat ingenij eritate, prudentiæ industriâ, animi moderatione, judicij so- te, morum compositione, conversationis modestiâ, lingvæ diâ, melliflui oris eloquio, svavissimo calami stylo, omnia estigabat, cuncta penetrabat, universorum corda ad se ra- bat. Si humilitas & patientia in canibus reperitur, quis San- Patre humilior & patientior? qui & in vita hasce virtutes exemplarissimè practicavit, & illas successoribus suis testamento legavit. Sed medicinalis lingvæ ejus effectus quis poterit enar- ? Verè sicut Sponsus alloquitur Sponsam dicens: mel & lac sub lingva tua; (*Can.* 4.) ita Christus Dominus justissimè po- Divo Patri, fidelissimo custodi Sponsæ suæ dicere: mel & lac sub lingva tua. Congregavit Sanctus Bernardus velut apis argumentosa ex omnibus Sanctæ Scripturæ floribus dulcissimum fructuosissimæ doctrinæ mel; quod tam ore quàm calamo di- sperans, in alvearijs librorum suorum nobis dereliquit. Brevis in volatibus apis, & initium sive principatum & consummatio- nem dulcoris habet fructus illius, ait Siracides. (*c.* 11.) Brevis est stylus Sancti Doctoris, sed dulcis & delectabilis. Favus distil- lans erant labia illius, & eloquium ipsius dulce, (*Cant.* 4.) quia in carnis fragilitate sapientiam Dei tanquam mel in cera possi- debat, quam prædicando alijs distillabat. Christo Domino à mortuis resuscitato favus mellis oblatus fuit ad comedendum; [*Lc.* 24.] qui ipsummet Dominum figurabat, in quo huma- nitas instar ceræ, mel verò intra ceram Divinitatis, dulcedo in carne gustabatur. Sed & Sanctus Pater favus mellis per imitati- onem dici potest, cujus corpus velut cera mollis obediens erat spiritui, & cor illius tanquam cera liquescens in medio ventris ejus (*Ps.* 21.) id est diffluens præ amore Dei in visceribus illius, liquescens ex meditatione Jesu Crucifixi ejusque passionis com- passione, unde ab ipso complecti meruit, & sugendo mel de pe- tra, (*Deut.* 32.) sangvinis ex latere atque corde profluentis dul- cedine satiari. Anima verò tanquam mel dulcis fuit, quia erat Divinæ sapientiæ svavitate repleta. *Mel sapientia est*, teste D. Augustino, *primatum dulcoris tenens in escis cordis.* Hæc dul- cissima anima ejus, continuò versabat judicia Domini dulciora super mel & favum; (*Ps.* 18.) nihil enim dulcius dicente Eccle- siastico: (*c.* 23.) quàm respicere in mandatis Domini. Omnis cogitatus illi⁹ fuit in præceptis Altissimi. *Eccli.* 9. Sapientia Dei de se dicit: (*Eccli.* 24.) spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas

S. Bernardus quomodò fidelis custos more canum?

Quomodò sagax?

Quomodò humilis & patiens?

Lingva ejus medicinalis;

velut apis mel colligens.

Favus distillans labia ejus;

S. Bernardus; favus mellis. Quomodò?

Devotio ejus erga Jesum Crucifixum; è cujus vulnere mel suxit.

D. August;

S. Bernard.

mea super mel & favum: de quo ipsemet Sanctus Pater. I*spiritus sapientiæ & intellectus, qui instar apis ceram portan& mel, habet omnia & unde accendat ad lumen scientiæ, unde infundat saporem gratiæ.* Hoc spiritu sapientiæ Sanct superabundabat, illumque ex Scriptura sacra quæ instar favi ceram in sensu literali, vel in sensu mystico gerens, colligeb

Favus mellis in ore leonis.

Favus mellis in ore leonis repertus, (*Judic.* 14.) quia catul noster interdùm contra hostes Ecclesiæ tanquam leo in bonu rugiens, confessionem fidei ac doctrinam Evangelij mellitissi in ore præferebat.

Lac sub lingva ejus, quod ex ubere suxit.

Jam verò lac sub lingva ejus inveniebatu quod haud dubiè suxit ex ubere Matris Virginis; adeoque sic terra promissionis propter gratissimam omnium rerum abu dantiam lacte & melle manans dicitur, [*Deut.* 6.] ita ling Sancti Patris & melleum & lacteum saporem Divinæ gratiæ perefluentissimâ eloquij profusione omnibus ministrabat. S

Mel sapientiæ, lac innocentiæ symbolum.

cut mel sapientiæ, sic lac innocentiæ symbola sunt, quæ in Sa cto Bernardo potissimùm regnabant. Cibus Emmanuelis dic tur: butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & e gere bonum: (*Is.* 7.) à lacte serum, à favo ceram separand Videte electionem Emmanuelis, Matrem sibi Virginem assum psit: in Matre lac, in Virgine mel prælegit, lac fæcundita Maternæ, mel Virgineæ puritatis sibi adoptando. Hoc cibo

Quæ S. Bernardi devotio, occupatio, elocutio, scriptio,

Pater quoque vescebatur. Quæ enim major ejus devotio, qu occupatio frequentior, quæ elocutio aut scriptio gratior, quà de Matre Dei Virgine? Inde proculdubiò ab ipsa in filium a sumptus, etiam ubere Virgineo pastus, Christi Emmanuelis fa ctus fuit collactaneus. Et cujus major amor potuit esse in o be, quàm Christi Domini tanquam filij erga Matrem suam Ma

& amor ejus erga Deiparã.

riam? Quantus Divi Bernardi amor fuit erga eandem planè f lialis, licet ex lingva ejus calamo expressa colligere, quando quo faciebat hoc docebat, *ut & nos cum ipso totis medullis cordium totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam han veneremur & invocemus*, utique & amemus, *qui totum n* non per aliam viam *voluit habere*, nisi *per* solam *Mariam.* Si ergo instructa lingva Sancti Bernardi, & melle à vulnere, & la cte ab ubere erudita, quidni omnibus quos lingebat, fuit sum

Lingva illius summè medicinalis.

mè medicinalis, verè tanquam canis spiritualis? Ulcera Laza pauperis lingebant canes: quot peccatorum carcinomata San ctus Doctor lingvæ suæ amuleto linxit & sanavit? Lingva can tuorum ex inimicis, ait Regius Vates: (*Ps.* 67.) quia ex Judæ & Gentilibus Dei inimicis plurimi conversi, facti prædicatores velut canes fideles & amici Dei lingvam salutiferam pro Chri

Plurimos Ecclesiæ hostes Deo reconciliavit.

sto & Ecclesia ejus exporrigebant. Quot hostes Ecclesiæ, inte quos singularis fuit Gvilelmus Dux Aquitaniæ, Deo reconcili avit, magnosque in Ecclesia Dei effecit virtutum viros, sibiqu

simile

similes canes! Trecenti Gedeonis viri selecti præ alijs fuere, qui curvatis genibus biberunt, ideo quòd lingvâ lambuerint aquas, (*Judic. 7.*) sicut solent canes lambere, in quibus victoria stetit, quid designant? Explicat Origenes. *Ille probabilis, ille electus qui posteaquàm ad aquas baptismi ventum est, flecti ad necessitates terrenas & corporeas nescit, qui vitijs non indulget, neque ob peccati sitim sternitur pronus.* Exponit & D. Gregorius: *Aquis doctrina sapientiæ, stante autem genu recta operatio designatur. Qui ergo dùm aquas bibunt genu flexisse perhibentur; à bellorum certamine prohibiti recesserunt; quia cum illis Christus contra hostes fidei pergit ad prælium, qui cùm doctrinæ fluenta hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt.* In hoc erant similes canibus, quòd sicut isti lingvâ aquam in os injiciunt sic isti manu. *Manu*, inquit S. Augustinus, *aquam raptam in os projiciebant, & hoc erat simile bibentibus canibus, qui non ore apposito sicut boves, sed lingvâ in os rapiunt.* Sicut etiam isti intelliguntur fecisse, cùm manu aquam in os injicerent quam lingvâ exciperent; nimirùm & manu & lingvâ operarios eligit Deus, qui docenda faciant & facienda doceant. Hoc advertit Origenes dicens. *Sed & quòd dicit eos manu vel lingvâ aquam lambere, non absq; sacramenti quadam significatione hoc mihi videtur scriptum, scilicet quòd & manu & lingvâ operari debent milites Christi; hoc est, opere & verbo, quia qui docet & facit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* (*Matt. 5.*) Deniq; eleganter observat idem Origenes asserens. *Quod autem etiam similitudinem canis lambentis Scriptura posuit videtur mihi istud animal hoc in loco propterea nominatum, quòd super omnia cætera animalia amorem dicitur proprij Domini servare, nec tempore, nec injurijs obliterari in eo fertur affectus.* Omnia hæc sunt præstantissima symbola Divi Patris nostri Bernardi, qui & aquâ sapientiæ potatus, (*Eccli. 15.*) & rectitudine operationis evectus, potens in opere & sermone, (*Luc. 24.*) fidelissimus in amore Domini sui permansit usque ad mortem. Quidsi instar canum bibentes, sint contemptibiles mundi, nos ad hostes fidei vincendos eligit Deus? Et hi qui sunt nisi Monachi, mundi contemptores & à mundo contempti, quorum maximus antesignanus fuit Divus Bernardus? Hos elegit Dominus, ut confundat fortia mundi: (*1. Cor. 1.*) hi facti Episcopi & summi Pontifices ipso adhuc vivente, uti Sanctus Petrus Archiepiscopus Tarantasiensis, & Eugenius III. Christi Vicarius: & alij rexerunt & propugnârunt Ecclesiam exemplo Sancti Patris optimè instructi, qui verè summus Ecclesiæ Christi fuit defensor, hyperaspistes ac propugnator. O utinam possemus & nos virtutes hasce maximas imitari, quæ ex similitudine catuli promanant! O utinam esset in nobis ille Bernardinus candor in-

Quid trecenti viri Gedeonis curvatis genibus bibentes? Origenes.

D. Gregor.

Quomodò similes canibus? D. August.

Origenes.

Idem.

Instar canum bibentes, sunt mundi contemptores, quorum antesignanus D. Bernardus. Deinde & alij exemplo illius instructi.

Imitandæ & nobis virtutes illius.

nocentiæ, puritatis & caſtitatis; & ſubrufus vel ſatiùs rub
color amoris Divini & fraterni! O ſi bearemur illâ ſi lelt
ſagacitate, humilitate & patientia, quam Divus Præſul pr
tulit, tanquam hæredes teſtamenti ſui! O ſi ineſſet nobis
vigilans cuſtodia ſuper greges noſtrarum cogitationum, affe
onum, locutionum, operationum, paſſionum, potentiarum
ſenſuum noſtrorum! Nam mel & lac ſub lingva geſtare po
mus per ſingularem ad Jeſum Crucifixum & Virginem De
ram devotionem; medicinam non venenum ſub labijs no
per rectam in præceptis Dei enarrationem portabimus, loq
do quaſi ſermones Dei, (1. *Pet.* 4.) ad ædificationem alio
non deſtructionem. Poſtremò & manu & lingvâ præcelle
erimus, ſi non tantùm prædicatores, ſed & factores verbi Di
extiterimus, (*Jac.* 1.) & ſic veri Divi Bernardi Patris & Pat
noſtri imitatores conſtituemur ſicut filij chariſſimi, gratiæq
gloriæ ejus participes efficiemur. Fac ô Sancte Pater me
precibusque tuis, ut Oliva tuo patrocinio quoque dicata in
vicinia hoſtium Eccleſiæ vigil ſit in cuſtodia ſui, & in tutela
mûs Dei caninas virtutum tuarum præferens excellentias, &
gvâ ad bonum Dei eloquium exercitatâ, & manu bonorum
perum exemplis probatâ monſtret ſe eſſe verè Bernardinam,
nimirùm nominis, actionis, & prædicationis hæredem ac p
pagatricem. Fiat fiat.

Mel & lac ſub lingva noſtra geſtandum Quomodò?

Sermo in Feſto Dedicationis Eccleſiæ.

Lingva mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. *Pſ.* 44.

Templa Dei ſunt æſtimanda, veneranda, & decoranda.

QVanti æſtimanda, quantùm veneranda, quantò decor
da ſint templa Dei, honori ejus & laudi dedicata, vel
inde patet, quòd ſint domus Dei & locus habitatio
ejus. PP. RR. FF. DD. Nonne ſublimitas Dei æſtimatione
majeſtas Dei venerationem, dignitas Dei decorationem mer
tur? Tantò magìs, quòd hic nobiſcum in ejuſmodi templis D
minus immenſæ ſublimitatis, infinitæ majeſtatis, ſummæ dig
tatis elegerit habitare. Quis non æſtimet templum Dei ſanctu
mirabile in æquitate? (*Pſ.* 64.) Quis non veneretur domu
Dei, quam decet ſanctitudo in longitudinem dierum? (*Pſ.* 9
Quis non cum Regio Vate diligat decorem domûs Dei, (*Pſ.*
24.) & cum Machabæis exornet faciem templi coronis aure
(1. *Mach.* 4.) Sciendum interim eſt, quadruplex templum D
in hoc mundo reperiri; ſuperius quod eſt cœlum, de quo Pſa
miſta: (*Pſ.* 10.) Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus
cœlo ſedes ejus. (*Ib.*) Et hæc eſt Eccleſia Dei triumphans; A
gelorum & Sanctorum Deum laudantium cœtus. Inferius ten
plum eſt, Eccleſia Dei militans hic in terris, hominum fideliu
Deo ſervientium congregatio. Interius templum eſt anima

Templum Dei quadruplex.

I. Eccleſia triumphans.
II. Militans.
III. Anima juſti.

e quo Apostolus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.. (1. *Cor.* 3.) Denique exterius templum sunt fabricæ & Basilicæ manufactæ, in quibus colitur & laudatur Deus; de quo Salvator: semper docui in synagoga & in templo, quò omnes Judæi conveniunt. [*Joan.* 18.] Tale templum est quoq; nostra, SS. Trinitatis honori consecrata, cujus hodie Dedicationem celebramus. Quid est quod in hoc templo peragimus? Canimus laudes Dei, sacras legimus Scripturas, verbum Dei prædicamus, Ecclesiæ Sacramenta administramus. Ad hoc autem quo maximè egemus adminiculo vel instrumento? non alio præter lingvam, quæ tamen eructante corde verbum bonum, operibus Regi Deo addictis, sit calamus scribæ velociter scribentis, nimirùm Spiritûs Sancti organum promptissimum. In hisce omnibus primarium & principale est lingvæ exercitium, quæ sicut in hoc materiali templo meditatur & exaltat justitiam Dei, totâ die laudem ejus, (*Ps.* 34.) ita & in mystico, terreno, ac cœlesti maximam habet suam operationem. Porrò modus accedendi ad templum Dei hoc manufactum, & rasendi in illo exprimitur à Rege Prophetarum: Ego autem, Domine, in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. (*Ps.* 5.) In multitudine misericordiæ Divinæ intratur, quia spes & fiducia nostra in multiplici misericordia Dei stabilitur, cum qua spe misericordiam Dei pro fundamento habentes accedimus Deum, vel propitiationem pro peccatis postulando, vel gratiæ Divinæ adjutorium exposcendo, vel necessitatibus nostris succursum expetendo, adeòq; acceptabile fore nostrum sacrificium tam spiritûs contribulati, quàm laudis & justitiæ, (*Ps.* 50.) orationemque nostram exaudiendam iri confidendo. Omnia hæc basin & radicem suam habent in misericordia DEI infinita. Sed & qui misericordiam hanc requirit, misericordiam quoque præstet necesse est, proximis indigentibus, qui ut plurimùm solent foribus & atrijs templorum adstare. Facite vobis, dicit nobis ipsa Bonitas Divina, (*Luc.* 16.) amicos de mammona iniquitatis, eleemosynam pauperibus elargiendo, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Hi janitores templorum terrestrium aperiunt fontes misericordiæ Divinæ peccatoribus, qui eleemosynis peccata redimere jubentur. (*Dan.* 4.) De tali in templum ingressu dico ijs, quibus est potestas & occasio eleemosynas dispensandi. Jam in ipso templo adoratio in timore Dei, & confessio nomini ejus est facienda. Adoratio duplex est. Prima & primaria est interior mentis devotio, quâ quis Deo exhibet cultum latriæ, & servitutis ac subjectionis, soli ipsi convenientem velut Domino omnium Creatori & Gubernatori. Altera & secundaria est exterior corporis

IV. Basilicæ manufactæ.

In quibus Deus laudatur, S. Scripturæ leguntur &c.

lingvæ adminiculo.

Quomodò in multitudine misericordiæ templum Dei intratur?

In ipso templo quid faciendum? Adoratio duplex. I.

II.

humiliatio interiorem cultum latriæ manifestans. Cæterùm

Variè sumitur.

I. adoratio in sacro Codice sumitur genericè pro quacunque veneratione facta Deo, Angelis vel hominibus: uti Abraham tres viros qui erant Angeli, (*Gen.* 18.) & Loth duos Angelos adoraverunt. (*Gen.* 19) II. Sumitur etiam generaliter pro quocunque actu Religionis interno vel externo, quo Divinus honor Deo defertur, ut Deus prohibet Israëli: [*Ex.* 23.] non adorabis Deos eorum, id est Chananæorum, nec coles eos; & Angelis præcipitur: adorate eum omnes Angeli ejus; (*Heb.* 1.) de quo etiam hominibus imperatur: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, (*Mat.* 4.) qui est cultus latriæ & servitutis, soli Deo tanquam omnium rerum Domino debitus & exhibendus. III. Demùm sumitur propriè & speciatim pro actu externo Religionis quo per humiliationem nostri totiusque corporis incurvationem & prostrationem, nostram erga Deum subjectionem protestamur, Deoque honorem tribuimus Divinum, quod satan tentator affectavit dicens: si procidens adoraveris me. (*Ib.*) Cùm enim & animo & corpore constemus, juremeritò utrumque Deo subijcimus, quin per exteriorem hunc cultum multùm interior promovetur, teste *D.* Augustino.

S. Augustin. *Nescio quo pacto*, ait, *cùm hi motus corporis non possint nisi motu animi præcedente fieri, eisdem exteriùs visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia facta sunt, crescit.*

D. Hieron. S. Hieronymus porrò ait: *quòd qui adorant, solent deosculari manum & capita submittere*; de quo Job etiam innuit: (*c.* 31.) si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & osculatus sum manum meam; quæ est iniquitas maxima, videlicet adoratio creaturæ.

Cœlestes adorant Deum, cur non terrestres. Sed cur terrestres non faciunt hunc adorationis cultum? quando & ipsi cœlestes Seniores eundem exercent coram Deo, de quo Apocalypsis: (*c.* 5.) etenim in illo templo cœlesti, dum quatuor animalia qui quatuor Angeli consendi sunt, darent gloriam & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, & viventi in secula seculorum, procidebant 24. Seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.

Religiositas Ethnicorum, fana ingredientium. Equidem ad confusionem Christianorum adduci potest, cum quanta reverentia Ethnici teste S. Justino, fana ingredientes calceos deponant, & cultores eorundem idem facere jubent. *Saracenorum,* Quod etiam Saraceni faciunt, additis non minùs more Hebræorum lotionibus corporis atque lustrationibus. *Paganorum.* Quanta in Paganis corporis modesti fuerit compositio, explicat Seneca: Seneca. *Intramus templa compositi, ad sacrificium accessuri velum submittimus, togam adducimus, in omne argumentum modestiæ fingimur.* Nonne ad ruborem Christianorum, qui frequenter cum immodestia & irreverentia accedunt

dunt templa, ipsiusq; tremendo Missæ assistunt sacrificio. Benè addidit Propheta: (*Ps. 5.*) adorabo in timore tuo; super quo Venerabilis Beda: *Adorabo non in elatione sed in timore, non servili sed tuo*, id est filiali, pertinente scilicet ad custodiam sanctitatis. Quis effectus sit hujus timoris, explicat S. Chrysostomus: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo, non sicut multi qui orant fricantes, biantes, torpescentes, sed cum metu & tremore. Qui enim sic orat, omne vitium deponit, ad omnem virtutem veluti manuducitur, & Deum sibi reddit propitium.* Quidni timeatur in Ecclesia? quando dicente Jacobo Patriarcha, terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli, (*Gen.* 28.) quod Chaldæus sic vertit: non est locus communis, sed locus in quo beneplacitum est coram Deo, & è regione loci hujus est porta cœli, quod erat Bethel interpretatum domus Dei, figura Ecclesiæ & templorum Dei. En motiva ad æstimationem templorum, ad reverentiam, modestiam & timorem, cum spe tamen misericordiæ Divinæ. Terribilis est locus, (*Gen.* 28.) quia qui templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. (*1. Cor. 3.*) Pulchrè S. Chrysostomus. *Non tonstrina aut ungventaria taberna est Ecclesia, aut officina forensis, sed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia Dei sola, cœlum Dei ipsum.* Non minùs extollit templum S. Ambrosius dicens: *quòd sit sacrarium Trinitatis, sanctitatis domicilium, Ecclesia Sancta in qua refulgent aulæa cœlestia.* Ac ideo monet prædictus S. Chrysostomus. *Et tu igitur ante illud templum animo tremisce, animo commovere, priusquàm vela reducta, & chorum Angelorum progressum vides, in ipsum ultrò cœlum ascende.* Dubitamus de Angelorum præsentia? asserit illam Psaltes: (*Ps.* 137.) in conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus & repetit priùs: adorabo ad templum sanctum tuum; & super addit: & confitebor nomini tuo. De Angelorum assistentia in oratione eleganter Origenes. *Hominibus bonæ voluntatis precantibus ultrò se adjungunt innumera SS. Angelorum millia, & intercedunt pro mortali nostro genere, & ut ita loquar, laborant mixscum in certamine.* Confessio demùm nominis Dei, est agnitio potestatis & sanctitatis & bonitatis illius, est confessio fidei quæ ore fit, utique per lingvam ad salutem; (*Rom.* 10.) est confessio peccatorum pro indulgentia impetranda: hæc omnia in templis Dei absolvuntur. Interea sciendum est templum debere esse mundum & liberum ab omni inquinamento. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, conqueritur Propheta, (*Ps. 78.*) polluerunt templum sanctum tuum. Quæ gentes? Non aliæ nisi cultores non Dei sed idolorum. Habet enim & diabolus hostis Dei, templa sua in quibus colitur tanquam idolum, & adoratur. Septem idola, septemque eorum templa reperio

In timore Deus adorandus.
V. Beda.
S. Chrysost.
Idem.
Quid est templum?
S. Ambrosius
D. Chrysost.
Angelorum in templo præsentia,
& assistentia in oratione.
Origenes.
Confessio nominis Dei quid?
Templum oportet esse mundum.
Septem diabolorum idola & templa,

7. peccatis capitalib9 correſpondentia.

perio in ſacrâ Scripturâ, quæ ſeptem peccâtis capitalibus correſpondent. Eſt Baal templum & idolum, (3. *Reg.* 16.) quod

I. Templum & idolum Baal, ſuperbiæ.

ſuperbiæ attribuendum, quia Baal dominans, ſubijciens, poſſidens interpretatur, quæ ſunt opera ſuperbiæ. Templum & idolum Aſtaroth (1. *Reg.* 31.) avaritiæ ſervit, quia greges & divitias, utique velut greges congregatas, ſignificat. Dagon piſcem

II. Aſtaroth, avaritiæ.

III. Dagon, iræ.

denotans iræ ſervire poteſt, cùm majores piſces devorent minores, ira quoque ſit aliorum devoratrix; unde jure Jonathas incendit zoto templum Dagon & omnes qui fugerunt in illud ſuccendit igni, (1. *Mach.* 10.) nam iracundia ignis eſt, & per quæ quis

IV. Diana, luxuriæ.

peccat, per eadem punitur. (*Sap.* 11.) Diana luxuriæ comparari poteſt, quæ eſt nocturna Dea Luna, nocturnis illuſtris cubilibus

V. Belus, invidiæ.

& impudicitijs, venatrix hominum retibus voluptatis. Belus [*Dan.* 14.] verò qui apud Babylonios colebatur, invidiæ ſimulacrum ſit, quia in Babylone ad invidiam Dei turris altiſſima extrui tentabatur, cujus idolum æreum deauratum hypocritos formam gerere æſtimandum, quæ etiam ab invidis in cordeli-

VI. Remmon, gulæ.

vorem celantibus practicatur. Porrò Remmon (4. *Reg.* .) malogranatum indigitantis templum & idolum gulæ applicandum, eò quòd repletione granorum turgeat hic fructus, utriborum oppletione abdomen apud illos, quorum De9 venter eſt.

VII. Neſroch, acediæ.

(*Phil.* 3.) Denique Neſroch, in cujus templo Sennacherib orans fuit interfectus, (*Iſ.* 37.) cùm tentationem teneram vel delicatam deſignet, ritè acediæ poteſt convenire. Hæc abominanda

In his dæmon colitur.

fana & templa, quibus & in quibus colitur dœmon malignus, procul abſint à ſancto & immaculato Dei templo. Quis enim conſenſus templo Dei cum idolis? Quoniam in templo ejus omnes dicent gloriam (*Pſ.* 28.) incorruptibilis Dei, quam idololatræ mutaverunt in gloriam imaginis corruptibilis, hominum & cæterarum creaturarum. Poſtremò templum Dei ita mundum

Templum Dei decet omnis decor.

& ſanctum decet omnis decor & exornatio, de qua ſatis ſit dictum; quòd velut in templo à Salomone conſtructo nihil erat quod non auro tegeretur vel aureum eſſet, (3 *Reg.* 16) tam in noſtris templis ſpiritualibus ſit omnis decor puritatis & ſanctitatis, auro charitatis excellens. Et ideo quoque Sacerdotes, poſ-

Sanctitas & puritas in Sacerdotibus neceſſaria.

ſimùm intrantes templum, ſancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus. (*Lev.* 21.) De S. Zacharia Divi Joannis Pare

S. Chryſol.

Sanctus Chryſologus aſſerit. *Ipſe erat Deo familiarius templum portans in ſui pectoris puritate, tota legis arcana ita ponens, ut tam thuris quàm puræ ſupplicationis incenſum. Gratiùs nardi Deus in ſuo quàm in hominis opere requieſcit, & non tam libenter odoratur Arabicæ arboris guttam, quàm ſinceri cordis & electoris ſanctitatem.* Tale templum poſſumus eſſe omnes, ſi virtutibus polleamus. Senſus hic eſt Origenis. *Præclara virtutis*

Origenes.

conditio eſt ſancta vita, domus Dei eſt, quam quidem virtutum

i possident, cum fiducia & libertate magna loquuntur. Lin-
a eorum planè est calamus scribæ velociter scribentis virtutem,
am in cordibus aliorum. Simus ergo templum Dei vivi jux-
Apost., (2. *Cor.* 6.) sicut dicit Deus: [*Ap.* 21.] quoniam
habitabo in illis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi
int mihi populus. Simus solliciti cum Davide, (*Ps.* 13.) non
roeuntes in tabernaculum domûs nostræ, non ascendentes su-
r lectum stratorum nostrorum, non dantes somnum oculis &
lpebris nostris dormitationem, & requiem temporibus nostris,
nec inveniamus in nobis locum Domino, tabernaculum Deo
cob, ipsiq; in Deo habitemus, ut Deus sit domus nostra jux-
sensum S. Gregorij Thaumaturgi nos exhortantis. *Quid
dubitatis, tanquam sitis extra Dei tegumentum, ubinam
mbra vestra quieti daturi sitis? Vobisne parva domus vide-
r esse Deus? Siquidem in ipso vivimus, movemur, & sumus.*
ct. 17.) *An angustum dicitis cœli tegumentum, & ab eo quæ-
is aliud diversorium? Sit vobis studio una domus, nempe sua
icuiq; vita, quæ per virtutes ædificatur & in altum erigitur.
c solùm vobis sit curæ, ne tale habitaculum nobis sit impara-
n. Terrestrium enim murorum ambitus non afferunt lucrum
qui viv unt in virtute, potiùs autem ab ijs, qui vitio in-
inantur, parietum usus jure requiratur, quoniam occultorum
brorum domus sæpè est in operculum. Qui autem ex virtute
ā gerunt, non habent parietes, quod domi occultent.* Efficiamur
ur templum Dei per virtutes fidei, spei, & charitatis, ut ha-
et in nobis, simus in templo ejus quod est Ecclesia, in congre-
ione fidelium fideles in servitio Dei; frequentemus templa
, & in ijs tanquam domo Dei geramus nos ut domesticos
cum omni æstimatione & veneratione Majestatis, diligentes
orem domûs ejus, (*Ps.* 25.) ut demùm illuc in templum san-
m gloriæ ipsius, (*Dan.* 3.) ubi eructabunt labia nostra hy-
um, (*Ps.* 83.) eructabit lingva nostra eloquium Dei, ubi eâ-
n lingvâ in secula seculorum laudabimus Deum, (*Ps.* 64.)
mereamur introduci.

Simus & nos templum Dei vivi.

S. Greg Thaumat.

per virtutes fidei, spei & charitatis.

Sermo in Festo Nativitatis B. M. V.

Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. *Ps.* 44.

ADmiranda Virgineæ Dei Matris magnalia per interrogati-
ones Spiritus Sanctus in Scripturis sacris videtur expressis-
ie PP. RR. FF. DD. Et quidem in epithalamio triplicem
ea reperimus interrogationem. Semel inquirit: Quæ
sta quæ ascendit per desertum quasi virgula fumi ex aroma-
s myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarij? (*Cant.*
quod Immaculatæ ejus Conceptionis & sanctæ Nativitatis
js potest adaptari. Iterum interrogat: Quæ est ista quæ pro-

Admiranda Deipara magnalia, triplici in Canticu interrogatione expressa.

Prima.

Secunda.

greditur ſicut aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? [*Cant.* 6.] Poſt conſide-rationem ejus aſcenſûs in Conceptione & Nativitate per deſerti hujus mundi, ortûs nimirùm illius adinſtar virgulæ fumi, iſta nebulæ tegentis omnem terram, (*Eccli.* 24.) in qua ut habita-ret, (3. *Reg.* 8.) dixit Dominus: explicat illam jam luminoſam & per gradus luminis ipſius declarat incrementa illius, ut ortum per quam aſpiravit dies gratiæ, & inclinatæ ſunt umbræ pecca-torum; (*Cant.* 2.) quæ fecit ut oriretur in cœlis lumen indeficiens *Eccli.* 24. ex qua ort⁹ eſt Sol juſtitiæ. (*Mal.* 4.) In Conceptione proinde Nativitate & Præſentatione ſimul cum virgula fumi mi-ratur illam progredi ſicut auroram conſurgentem, & pulchram ut lunam, (*Cant.* 6.) haud dubiè plenam: (*Eccli.* 50.) in decurſu verò vitæ toti⁹, ac ſigillatim in Añuntiatione, ubi Conceptio ac generatio Filij *D*ei electã ut ſol, imò planè amictã ſole: circa mor-tem & reſurrectionem ipſius, ac poſtremò in cœlum Aſſumptio-nem advertit terribilem ſive mirabilem, ut caſtrorum aciem ordi-natam, totius cœleſtis aſtriferæ militiæ decorem & ſocietatem in

Tertia.

ea contemplans. Ibi Tertia ſubinfertur cum ſtupore admira-tio: Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, inni-xa ſuper dilectum ſuum? (*Cant.* 8.) Jam agnoſcuntur aromata myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarij in delicias com-mutata, quando ſpecioſa facta fuit & ſvavis, quin & glorioſa in delicijs ſuis Virgo *D*eipara. Incipiamus nos aſcenſum Nativi-

Mundus & amatores ejus, ſunt deſertum.

tatis ejus per deſertum quaſi virgulæ fumi ſpeculari. *D*eſertum eſſe mundum hunc ſterilem & aridum, fructu benedicto caren-tem, videlicet cognitione veræ fidei per Chriſtum & in Chriſto, atque ab irroratione Spiritûs Sancti alienum ac derelictum ſat ſuperque notum eſt; amatoresque mundi deſertum eſſe un-quam deſertores *D*ei & deſertos à *D*eo, quos etiam mundus i-pſe in ſe deficiens & in figura ſua tranſiens continuò cernitur deſerere, nemo ibit inficias. In hoc deſerto ſolitaria eſt Maria, unica & prima hodie nec ſimilem viſa eſt habere, nec ſequen-

Per hoc aſcēdit B. Virgo, quaſi fumi virgula. Quare non virga?

tem. Per hoc deſertum aſcenſum ſuum facit naſcens Virgun-cula Maria quaſi virgula fumi, non virgæ magnæ ſed virgulæ parvæ comparata, quia primitias virtutum ſuarum poſſidens in humilitate. Nam primitiæ vitiorum & initium omnium malorũ eſt ſuperbia. *Eccli.* 10. Nonne ex ſenſu Eccleſiæ cùm eſſet parvula, placuit Altiſſimo? Nonne ex ſententia melliflui Patris, *humili-*

S. Bernard.

tate placuit, quæ Virginitate concepit? Nonne ex ipſiuſmet con-feſſione primum, quod erat gratum aſpectui Divino, fuit humi-litas? Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, (*Luc.* 1.) fatetur

Richardus à S. Victore. *Quid virgula fumi?*

ipſamet in cantico ſuo excellentiſſimo. Ita quoque Richardus à S. Victore cenſet *per virgulam fumi humilitatem accipi, quæ aſcendit, quia ſola ſui cultores exaltat.* Virgula ergo Maria egreſſa

ressa ex radice Jesse (*Is.* 11.) cernitur hodie nascens, sed ut
gula fumi. Fumus unde? Utiq; ab igne venit. Et ignis unde? *Fumus ab igne*
eus noster ignis consumens est. (*Heb.* 12.) Ascendit Maria ple-
gratiâ Dei, ut virgula fumi ab igne Dei. Deus charitas est. (1 *Maria à Deo, qui est ignis*
an. 4.) Sic Deus dilexit mundum, hunc mundũ desertum, ut *consumens.*
nigenitum suum daret, (*Joan.* 3.) ut Unigenito Matrem hodie
ovideret. Amor Dei erga hominem, dedit homini Filium
ei per Matrem Dei. Amor ignis est, ex igne fumus generatur.
mor per gratiam se manifestat. Anna gratia Mariam generat
amore Dei datam, velut virgulam fumi. Optimus ignis
atia, Divini amoris stirps, virgulam fumi odoratissimam pro-
icens. *Fumum lego*, inquit Gilbertus post Sanctum Patrem Gilbertus.
strum Cantici Canticorum explanator, *qui de Behe-*
oth naribus procedit. (*Job.* 41.) Et item: *fumum de puteo a-*
ssi prodeuntem, (Ap. 9.) *sed non ibi virgulam, non aromata*
o. Nostra virgula est fumi, idq; ex aromatibus diversis imò *B. Virgo, virgula fumi ex*
iversis. Prosequitur Gilbertus. *De hoc fumo impij dixisse* *aromatibus.*
untur: [Sap. 7.] *fumus afflatus est in naribus nostris, & ser-*
scintillæ ad commovendum cor nostrum. Meis, utinam Je-
bone, naribus fumus affletur, quem tuus ignis agit; & de ca-
no tuo sermo scintillæ ad movendum, imò ad commutandum
meum. Ignis tuus ignis consumens est. Vitia si invenit con-
nit, & confessionis fumum emittit. Sed non est iste fumus ex
omatibus. Verè non est hic fumus nostræ virgulæ, ubi nul-
ullius vitij propago, ubi teste D. Ambrosio, *nec nodus origi-* S. Ambrosius.
lis, nec cortex actualis culpæ reperitur. Continuat Gilbertus. Gilbertus.
ui tangit montes & fumigant. Bonus ignis qui tumores exte-
at animorum, & attactu suo elationes terrenas per emissos pœ-
entiæ fumos evanescere facit Nec hoc Virgulæ nostræ servit,
i nihil de innata primorum Parentum elatione, totũ ex pro-
a humilitatis demissione est compositum. *Alterius odoris*
gratiæ fumus est, quem aromata virtutum cremata refun-
nt, ait idem Gilbertus. Fumus Virgulæ nostræ teneræ & de- *Fumus illius*
atæ est odoriferus, est sicut fumus incensorum in cœlo, est *odoriferus, ex*
nus ex aromatibus myrrhæ & thuris. Myrrha est amara ar- *aromatibus myrrhæ &*
ris humilis lachryma, & ipsa quoque humilitatem Virginis *thuris.*
præsentans; thus verò est etiam lachryma ex incisione arboris *Quid myrrha? Quid thus?*
fluens, Deo sigillatim sacra, devotionem denotans Virginita-
En duo præstantissimi fumantis virgulæ igne amoris Di- *Duo odores*
i succensæ odores, per quos Maria ascendit ad Maternitatem *fumantis virgulæ, Humi-*
i. Myrrhâ humilitatis placuit, thure Virginitatis concepit. In *litas & Vir-*
yrrha humilitatis est amaritudo subjectionis, opposita dulcedi- *ginitas.*
primævæ rebellionis. In thure Deo devotæ Virginitatis, est
vitas odorifera incorruptionis, contraria fœtori primigeniæ
ruptionis. Sub arbore scientiæ boni & mali, (*Gen* 3.) cor-

rupta & violata fuit noſtra genitrix prima: (*Cant.* 8.) ſub arbore myrrhæ ac thuris incorrupta & inviolata manet noſtra Genitrix ſecunda. Ab illius arboris fructu deguſtato mors ſecuta, ex iſtarum arborum odore delibato vita comitatur.

Myrrhæ & thuris uſus qualis?

Quid quod myrrha ſerviat condiendis corporibus mortuorum, thus ſacrificijs Deorum applicetur? Unde ritè ad mortem & inquinationem peccati tollendam myrrheum humilitatis condimentum & thureum puritatis amuletum à Sanctiſſima Virgine adhibetur, per quod immolatur Deo gratiſſima hoſtia in odorem ſuavitatis. (*Eph.* 5.)

Quid aromata univerſi pulveris pigmentarij in Maria deſignant?

Adijciuntur aromata univerſi pulveris pigmentarij, quatenùs cunctarum virtutum per odoramenta diffuſarum univerſitas in Maria congregata deſignetur.

Species aromatum odorem ſignificantium.

Recenſet varias aromatum odorem ſignificantium ſpecies Siracides, Sapientiam loquentem, & illis ſe aſſimilantem inducens: ſicut cinnamomũ & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſvavitatem odoris, & quaſi ſtorax, & galbanus, & ungula, & gutta, & quaſi libanus non inciſus vaporavi habitationem meam. (*Eccli.* 24.) Et noſter Pſalmus 44. de Sponſo: myrrha & gutta & caſſia à veſtimentis tuis.

Quorum omnium collectio fuit in Maria.

S. Petrus Damianus.

Omnium harum ſpecierum collectio fuit in Maria. Audiamus S. Petrum Damianum. *Univerſus pulvis pigmentarius in Virgine conjectus eſt, quia in ea virtutum conventus reverendum ſibi thalamum conſecravit, & ſi cæteris per partes Spiritus affuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſupervenit. Hæ integræ fuêre in ea ſpecies, ſcilicet pigmentariorum aromatum, ſed in ſubtiliſſimum pulverem comminutæ, quia ipſa eſt quæ fortioribus tribulationum malleis preſſa vidit ſuum & Dei Filium affigi cruci, lanceâ perforari, inter duos latrones poſitum exſpirare.* Ita S. Damianus. Sed ibi ſub cruce continuatio fuit odoriferarum virtutum, quarum hìc in Nativitate principia ſunt jacta.

Gilbertus.

Per pulverem pigmentarium virtus humilitatis deſignatur.

In hoc pulvere pigmentario non minùs humilitatis virtutem exprimi exiſtimat noſter Gilbertus dicens: *quòd ea de magnis meritis nihil magnum ſentire noverit, non altum ſapere, ſed humili æſtimatione reliquarum attenuet merita virtutum, & earum ſoliditatem quaſi ad quandam pulveris exiguitatem deducat.* Hoc ipſum infra magìs explicat.

Idem.

Veritas ipſa bonorum univerſitatem operum ad quendam te docet pulverem & velut ſterilitatem deducere. Cùm omnia feceritis, inquit, dicite: ſervi inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus. (Luc. 17.) *Ergo quando minus quàm omnia facimus, magìs ſervi inutiles ſumus.* Felix qui tantum & talem ſibi colligit pulverem, ut quæ jubentur faciat omnia, & reputet quaſi nulla; qui univerſa bona quæ colligit, per humilitatem conterit.

B. Virginis humilitas, dùm in Matrem Dei eligitur.

Sic Virgo Beatiſſima in Matrem Dei electa & evecta cùm omnia faceret, ancillam Domini ſe appellat; (*Luc.* 1.) fuit ſemper virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris atque univerſi pulveris

s pigmentarij. *Bona contritio*, ait Gilbertus, *in pulvere vi-* Gilbertus.
licet, sed concrematio melior, nimirùm ubi fumus ex supposito ne ascendit. Svavis pulvis pigmentarij, sed fumus excellit. scio enim quid magis svave & spirituale magis in fumo, quàm pulvere significatur. O quàm delicata Sponsa, (dico ego aria, utiq; Sponsa Spiritûs S.) *in Nativitate sua ascendit, quàm nè sinè mole corporis corporaliter genita, & quàm penitùs è corruptione carnis spiritu incorrupta! Quænam erit corpu- tia, ubi fumo confertur? Quæ corruptela, cùm illam non caro xa sed aromata cremata exhibent?* At quò devenim⁹? A lin- a velut calamo scribæ ad odoramenta fumantia deflexímus. ngva auribus, calamus scribens oculis, virgula fumi naribus mulantur. Verùm quia lingvæ Marianæ magnificantis De- n memoriam ultimariò fecimus, quomodò hæc magnificatio facta, videre debueramus. En igitur etiam ex præsenti discur- patebit, quomodò in Nativitate sua fuerit Beatissima Virgo *gnificatrix Domini*, juxta Rupertum, *mente ardentissimâ, ce svavissimâ.* Crediderim parvifactionem sui, esse magnifica- nem Dei. Ecquis magis se humiliavit Virgine Sanctissimâ, l, ut sic dicam parvifecit? Nullius majorem fuisse humilitatem tet ex merito & præmio Divinæ Maternitatis, & Virgineæ cunditatis. *O verè humilitas!* Sol Doctorum exclamat, *quæ eum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos inno- vit, mundum purificavit, paradisum aperuit, & hominum imas liberavit. Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis, per am Deus descendit ad terras.* Sic Divus Augustinus. Jam in gula fumi, in myrrha, in pulvere pigmentario, quàm excel- ter humilitas Virginis est adumbrata? Quantò major es, hu- lia te in omnib⁹, monet Sapiens, *Eccli.* 3. & invenies gratiam. venit Maria nata ex matre Anna dicta Gratia, jam tunc gratiâ na, (*Luc.* 1.) invenit, inquam, majorem gratiam per humili- em suam, ut fieret Mater sui & omnium Creatoris. Odoratus minus in nascente Maria odorem svavitatis, tanquam virgulæ ni ex omnibus aromatibus ascendentis, & amore Divinæ glo- atque humanæ salutis acccensæ; benedixit ei, ut esset bene- ta in mulieribus, benedictum fructum ventris generans, ut ipsam benedicerentur omnes cognationes terræ, (*Gen.* 12.) o generationes cœli & terræ regenerarentur, exindeque eam tam dicerent omnes generationes. (*Luc.* 1.) Quis hodie ex genitæ parvulæ nostræ, parvulæ in oculis suis, licèt infantis actentis non credet Deum perfecisse laudem suam? (*Ps.* 8.) ctavit sanè os illius verbum bonum, verbum magnificantis næ Dominum, verbum exultantis spiritûs ejus in Deo salu- suo: (*Luc.* 1.) unde lingva ipsius verè fuit calamus Scribæ ni, lingva in corde loquens, Deum magnificans per ani-

Quomodò B. Virgo in sua Nativitate Domini fuit magnificatrix?

Humilitas ejus incomparabilis D. August.

per quam fieri meruit Mater, omnium Creatoris.

Quomodò illi⁹ lingva calam⁹ fuit Scribæ Divini?

 mam

mam, per ſpiritum in Deo exultans, debitam laudem De[i]
ſcribens æternitati. Arriſit lingva Mariana auribus Divinis, pl[a-]
cuit virgula fumi odorifera naribus, ſcriptura efficax oculo[s]
recreavit, quando ſcriptum fuit: & nomen Virginis MARI[A]
(*Luc.* 1.) Maria myrrha, Maria domina, Maria illuminatrix, M[a-]
ria ſtella maris: ex myrrha humili Domina cœli & terræ, ex il-
luminatrice fixa ſtella maris, deducens homines ad portum ſalu-
tis. Omnes viæ Domini, ait Propheta, [*Pſ.* 24.] miſericordia

Omnes viæ Domini miſericordia & veritas: Mariæ humilitas & caſtitas.

& veritas. Omnes viæ Mariæ humilitas & caſtitas: humilita[s]
meruit miſericordiam, caſtitas genuit veritatem: denique veri-
tas de terra Virgine orta eſt. Quidni humilians ſe Deus ad hu-
miliantem ſe Matrem veniret? Simile ſimili gaudet. Quidni pu-
riſſimus Deus à caſtiſſima Virgine concipi eligeret ac generari?

Æmulemur & nos chariſmata Mariæ.

Æmulemur Fratres chariſſimi chariſmata meliora Mariæ, hu-
militatem imitemur, ſectemur caſtitatem, ſimus & nos aſcenden-
tes per deſertum, terram hanc ſcilicet inviam & inaquoſam
(*Pſ.* 62.) virgulæ rectæ, graciles, in longum porrectæ, ſurſum
erectæ, ad cœlum ad Deum tendentes, virgulæ fumi aromatic[æ]
ex amore Dei ſuccenſi, gratum virtutum odorem Deo ſpirantes.

S. Gregorius.

Explicet nobis id meliùs S. Gregorius: *Sancta electorum Eccle-*
ſia ab hoc mundo in ſanctis precibus ardenti amore ſe erigit, per

Quid virgula fumi ex aromatibus?

deſertum quod deſerit, aſcendit, eſtq; ſicut virgula fumi ex aro-
matibus. Fumus de incenſo naſcitur, quod orationem deſignat;
fumus excutere lachrymas ſolet. Itaq; fumus ex aromatibus,
compunctio orationis concepta ex virtutibus doloris & amoris,
quæ tamen oratio fumi virgula dicitur, quia dum ſola cœleſtia po-
ſtulat, ſic rectà progreditur, ut ad terrena & temporalia appeten-

Idem.

da pro terreno ſtudio minimè reflectatur. Et poſt pauca. *Myr-*

Quid myrrhæ & thuris ſacrificium offerre?

rhæ verò & thuris ſacrificium offerunt, qui & carnem mortifi-
cant, & redolentem in conſpectu Domini amoris ſui hoſtiam in-
cendunt: myrrham, quia ſe cruciant & cruciando à vitijs con-
ſervant: thus autem, quia viſionem Dei diligunt, ad quam pr[æ-]
venire medullitùs exardeſcunt, ſe ipſos & in ſanctis virtutibus
exhibent. Ita S. Gregorius. Tales ergo aſcenſiones in corde no-
ſtro diſponamus, ſicut virgulæ fumi progrediamur de virtute in
virtutem (*Pſ.* 83.) cum Virgine Deipara ſemper in gratia Dei
naſcentes, Deum magnificantes, in Deo exultantes, lingvâ no-
ſtrâ Dei juſtitiam exaltantes, (*Pſ.* 50.) gratiam Dei & miſericor-
diam ſemper conſervantes, ut in cœlis ad Dei gloriam, patroci-

Mariæ invocatio.

nio V. Deiparæ renaſci mereamur. Reple nos ô Delicioſiſſima
gratiæ Filia fumo aromatum tuorum, ut curramus in odorem il-
lorum. Illumina nos ô Aurora conſurgens, (*Cant.* 6.) ut di-
mittant nos tenebræ peccatorum te aſcendente, te velut Luna
plena lucente, (*Eccli.* 50.) verà utiq; omnium hominum & An-
gelorum Illuminatrice. Sit nomen tuum memoriale noſtrum

in

desiderio animæ, (*Is.* 26.) sis nobis ô Maria Domina nobis
nperans, nos regens, nostri Moderatrix. Sis stella maris o-
nnibus Statibus, Ordinibus, & animabus: à naufragijs peccato-
rum omnes præservans, & ad portum salutiferæ deducens
æternitatis.

Sermo in Festo Omnium Sanctorum.

Lingva mea calamus Scribæ velociter scribentis. *Ps.* 44.

DEus in se essentialiter, principaliter & singulariter Sanctus est, PP. RR. FF. DD. & absolutè non est sanctus, ut est Dominus. (1. *Reg.* 2.) Unde non minùs omnia ea, quæ ei sunt, sancta sunt, & quæ ad Deum tendunt, & cum Deo se volunt, debent excellere sanctitate. Hinc Deus ad nationem ebræam, ex semine Abraham à se specialiter electam, propter nerationem Filij sui in carne ex ea producendam, multoties andabat: Eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea et- im omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & ns sancta. (*Ex.* 19.) Et infra: Viri sancti eritis mihi. (*Ex.* 22.) e quo dolens Esdras (*c.* 9.) conquestus, quando commixti erunt Israëlitæ cum Gentibus: commiscuerunt, inquit, semen nctum cum populis terrarum. Hoc ipsum de Christianis, òd sint Sancti, asserit Princeps Apostolorum: vos autem ge- s electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus ac- isitionis. (1. *Pet.* 2.) Repetit id Dominus Israëlitis per impe- m sæpiùs dicens: sancti estote, quia ego Sanctus sum Domi- s Deus vester. (*Lev.* 11.) Præcipit hæc quoque Moyses ipsis culcans: quia populus sanctus es Domino Deo tuo; quia tu pulus sanctus Domini Dei tui es; & imperat: [*Deut.* 14.] t castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis. Sigil- im tamen Deus sanctitatem à Sacerdotibus exigebat. Sacer- tes sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus. (*Lev*) Sacerdos ergo sit sanctus, quia & ego sanctus sum Domin[9] i sanctifico vos. (*Lev.* 20.) Quod etiam Deus terribili mira- o comprobavit. Cùm enim Core, Dathan, & Abiron dice- nt: omnis multitudo Sanctorum est; Moyses respondit: Deus ctos applicabit sibi; (*Num.* 16.) unde Aaron stante separa- , terra dirupta sub pedibus eorum, & aperiens os suum de- ravit illos, & descenderunt vivi in infernum operti humo. Sacerdotes selecti à populo magis Sancti sunt, oleo sancto cti, vestimenta sancta & laminam sanctam habentes, & vasa cta gestantes; (*Num.* 31.) uti Esdras ad illos (*c.* 8.) inquit: s Sancti Domini & vasa sancta; quibus etiam incumbit, ut beant scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, in- pollutum & mundum. Hinc sancta dicitur unctio Sacer- dum, quod est signum sanctitatis illius infusæ; sancta sunt il-

Deus Sanctus;

omnia sua vult esse sancta.

Sanctos voluit esse Hebræos;

& Christianos.

Sigillatim tamen sanctitatem exigebat à Sacerdotib9;

quos & scientes esse voluit. Unctio Sacerdotum sancta;

Sancta vestimenta. lis vestimenta designantia opera justitiæ & sanctitatis. Sanctum
Domini in fronte portant, ut imaginem Dei in mente præferant, & ipsis solis conveniebat ingredi Sancta sanctorum. (*Num.* 4.)

Antiquum Sacerdotium umbra fuit Sacerdotij novi Testamenti, instituti à Christo Domino, superlativè Sanctissimo, & Sancto Sanctorum.

Sed antiquum Sacerdotium umbra duntaxat fuit Sacerdotij novi Testamenti à Christo Domino instituti; qui talis decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, (*Heb.* 7.) qui est superlativè Sanctissimus, Sanctus Sanctorum; (*Dan.* 3.) est ue Sanctum substantivè natum ex Maria, [*Luc.* 1.] Sanctum Domino, via sancta, (*Is.* 35.) Sanctus Israël, (*Is.* 41.) Sanctus Jacob, (*Is.* 29.) sanctum brachium Dei, (*Ps.* 97.) de quo Isaias: [*c.* 53.] brachium Domini cui revelatum est? Qui veniet in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. (*Mar.* 8.) Hic est Dominus qui de Sinai venit, ubi legem dedit, & de Seir ortus est sive de Idumæa, ubi serpentem æneum erigi jussit contra morsus serpentum ignitorum, apparuit de monte Pharan, (*Deut.* 33.) ubi coturnices dedit, & 70. Judices instituit; quod Abacuc Propheta (*c.* 3.) repetit: *D*eus ab Austro veniet, ab Idumæa Australi, & Sanctus de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia, Angelorum utique ipsi assistentium & ministrantium, qui advenerunt tunc quando facta est cum Angelo annuntiante gaudium de nato Salvatore multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum. (*Luc.* 2.) Hic est Deus Sanctus & fortis æmulator. (*Josue.* 24.) Omnes Sancti in manu illius sunt.

Cujus nomen sanctum,

Sanctum & terribile, videlicet sanctum justis, terribile injustis & dæmonibus nomen ejus. (*Ps.* 110.) Jam ea quæ *D*ei sunt, Sancta quoq; esse dicuntur.

dies septimus sanctus,

Uti dies septimus vocabitur sanctus, (*Ex.* 35.) Sabatum sanctum, (*Ex.* 31.) requies sancta Domino, (*Ib.*) feriæ etiam Domini sanctæ; (*Lev.* 23.) speciatim in ferijs tabernaculorum, (*Ibidem.*) dies festus Scenopegiæ primus erat celeberrimus & sanctissimus, (1. *Mach.* 10.) itidem octavus dies collectarum celeberrimus & sanctissimus. (2. *Par.* 7.) Deinde

locus sanctus,

de terra sancta, (*Ex.* 5.) locus sanctus, (*Ps.* 67.) ædes sancta, (1. *Par.* 29.) habitaculum sanctum Dei, (*Ex.* 15.)

templum sanctum,

templum Dei sanctum mirabile in æquitate, (*Ps.* 64.)

panis sanctus,

panis sanctus quem Achimelech à laicis panibus distinxit, cùm daret Davidi ad manducandum, ubi quoque vasa puerorum dicuntur sancta, qui à mulieribus se continuerunt. (1. *Reg.* 21.)

Syon mons sanctus, Jerusalem civitas sancta.

Syon mons sanctus Dei, (*Ps.* 2.) Jerusalem civitas sancta, (2. *Esd.* 11.) Dominus in loco sancto suo sedet super sedem sanctam suam, (*Psal.* 46.) domum Dei denique decet sanctitudo, [*Ps.* 92.] ubi adoratur Deus in atrio sancto suo, [*Ps.* 28.] lausque ejus in Ecclesia sive congregatione Sanctorum. (*Ps.* 149.)

Quid propriè sit esse Sanctum?

Sed quæret aliquis quid propriè sit esse Sanctum? Respondeo, est esse ab omni peccato & vitio immunem, & omni virtute præditum, adeoque

eòque purum, mundum, inviolatum, incontaminatum, sele-
um, separatum ab usibus prophanis, segregatum à mundanis
carnalibus, atq; de terrenis elevatum, ad cœlestia sublimatum,
eoque soli & ejus cultui dicatum ac consecratum. Sanctum
itur, quod purum & impollutum est, Religiosum, Divinum,
inviolabile, firmum quoque ac perpetuum, quia fœdera san-
ine sancita habebantur, (*Ex.* 24.) usque ad sangvinem & ad
ortem rata atque fixa sanctè & inviolabiliter conservanda; &
ctio erat lex, per quam violatoribus fœderum pœna ordina-
tur. Jam igitur in omnibus istis Dei sanctitas primariò respi-
ur, ad quam colendam hæc omnia ordinantur, quæ duplici
one, alterâ in veteri, alterâ in novo Testamento est manife-
ta. In veteri Isaias (*c.* 6.) vidit Seraphim cum sex alis, qui
mabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus *Domi-*
s *Deus* exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus. Divus
rò Joannes in Apocalypsi (*c.* 4.) vidit quatuor animalia cum
alis in circuitu, & intùs plena oculis, quæ requiem non ha-
bant, die ac nocte dicentia: Sanctus, *S*anctus, Sanctus *D*omi-
s *D*eus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.
sset hìc inquiri, cur ibi duo Seraphim, (*Is.* 6.) hìc quatuor
malia, (*Ap.* 4.) illi sinè oculis, (*Is.* 6.) hæc cum oculis vi-
ntur, (*Ap.* 4.) ibi aliter & hìc aliter canticum hoc Trisagion
ncluditur? Quod sic resolvo: ibi legem & Prophetas, hìc qua-
or Evangelia *D*ei sanctitatem deprædicare: ibi sinè oculis,
(*Is.* 6.) quia in umbra & figura, hìc plena oculis, (*Ap.* 4.) quia
lumine fidei, gratiæ & veritatis, à luce vera illuminante omnē
minem (*Joan.* 1.) promanantium, omnia clarè de Deo Trino
uno evangelizata. Ibi terribilis *D*ominus *D*eus exercituum
(*Is.* 6.) publicatur ad timorem synagogæ inculcandum: hìc o-
nipotens qui erat, qui est, & qui venturus est (*Ap.* 4.) col-
datur, quia omnipotentiam suam parcendo homini & mi-
ando maximè manifestavit; qui erat cum Deo Patre, nimi-
m ante creationem mundi & ante omnia secula, Conditor il-
s: qui est in mundo creato Redemptor mundi, & qui ventu-
est (*Ap.* 4) Judex vivorum & mortuorum, (*Act.* 10) Ec-
siæ suæ beatificator & sanctificator, eandem per hæc omnia
citans ad amorem sui & sanctitatis suæ imitationem. Interea
obique Deus ter Sanctus nominatur, ad mysterium SS. Tri-
tatis declarandum, de quo præclarè S. Damascenus. *Deitas*
è *sanctificatur gloriâq; afficitur, cùm dicitur ter: Sanctus,*
nctus, Sanctus; ac rursùm: *tres hypostases unâ gloriâ afficiun-*
, cùm dicitur: Dominus Deus exercituum, plena est omnis
ra gloria ejus. Sanctus ergo Pater, Sanctus Filius, Sanctus
ritus Sanctus. Ter sanctam quòd dicimus Deitatem & Tri-
atem, non verò unicam ejus personam. Hoc trisagiū Chal-

Sanctitas Dei duplici visione veteris ac novi Testamenti manifestata.

Cur in veteri duo Seraphim, in novo 4. animalia canunt?

Utrobiq; Deus canitur ter Sanctus. Quare?
S. Damas.

dæus sic vertit: Sanctus in cœlis excelsis, domo majestatis ejus: Sanctus super terram, quod est opus potentiæ ejus: Sanctus in seculum & in secula seculorum Dominus Deus exercituum. Hic Deus prædicatur abyssus sanctitatis, ex qua tam Angeli quam homines & ipse Christus quà homo omnem hauriunt sanctitatem.

Quid est Sanctitas? I.

Inquiret rursùs aliquis, quid est sanctitas? Respondeo cum Neoterico Auctore, *Sanctitas est ipsa justitia, rectitudo & perfectio mentis, quæ consistit in conformitate voluntatis & operationis cum lege æterna, quæ est in mente Dei; sicut peccatum sanctitati contrarium est difformitas à lege æterna, estq; ejus prævaricatio. Nam prout perfectio rerum naturalis in eo consistit, quòd sint commensuratæ suæ regulæ sive ideæ juxta quam sunt factæ: ita perfectio moralis consistit in commensione voluntatis cum lege æterna, juxta quam oportet operari; et quemadmodùm idea in mente Dei est mensura perfectionis moralis in rationali creatura.* Unde hic est perfectus sive sanctus, cujus voluntates sunt legi Divinæ plenè conformes. Quapropter cùm voluntas Divina idem sit cum mente Divina & lege æterna in Deo sanctitas est essentialis, immensa & infinita, à qua Angelorum & hominum sanctitas promanat velut radius quidam ex fonte lucis.

II.

S. Dionysius Areop.

Sanctitas deinde *est ipsa innocentia & puritas ab omni labe*, juxta S. Dionysium Areopagitam, *sicut enim macula vel labes moralis subsistit in difformitate actionis à lege æterna, ita sanctitas moralis subsistit in conformitate actionis cum lege æterna.* Inde Deus est Sanctissimus, quia est Spiritus ab omni labe purissimus.

Quid faciendū Dei sanctitatē imitari volenti?

Sed qui vult Dei sanctitatem imitari, debet ab omni contactu rerum carnalium, terrenarum, & mundanarum per affectum mentis & effectum operis abstractus esse, & spiritualitatem per solam Deo adhæsionem in se assumere. Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est cum eo. (1. *Cor* 6.) Et hæc cum Deo conjunctio est vera sanctitas.

III.

Sanctitas denique est ipsa mentis integritas, ipsa virtus, ac potissimùm charitas, quâ Deo unimur, ipsa gratia quâ Deo placemus, ipsa gloria quâ in Deum transformamur, hæc enim omnia sunt legi æternæ conformia. Idcirco dicitur: (*Ps.* 144.) Deus justus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Nullum enim opus Dei est, quod non sit aliquâ virtutis specie insignitum, sive præstet beneficentiam & misericordiam, sive inferat justitiam & vindictam.

Sanctissimus Deus in opere humanæ Redemptionis.

Equidem in opere redemptionis humanæ ostendit se Deus per infinitum amorem & misericordiam summè sanctissimum, quia tot scelerum & offensarum humanarum quasi oblitus, misit Filium suum in carnem & mortem crucis ad homines sibi reconciliandos & sanctificandos. Quis similis tui, inclamat Moyses, [*Ex.* 15.] magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis & faciens mirabilia? Juremeritò confessio & pulchri-

(quid pulchrius ſanctitate?) in conſpectu ejus, ſanctimonia magnificentia in ſanctificatione ejus. (*Pſ.* 95.) Porrò quandoquidem amor Divinus eſt ſanctitas, ſicut amor eſt duplex in [De]o: eſſentialis communis tribus perſonis, & notionalis propri[us] ſingulis, ita & ſanctitas eſt duplex, eſſentialis in tribus perſo[nis], & notionalis in Spiritu Sancto, ita dicto à ſanctitate. Hinc Seraphim, [*Iſ.* 6.] & animalia (*Ap.* 4.) ter Sanctus conci[nu]nt ad ſanctitatem trium perſonarum deprædicandam; Sanctus [æ]terno Patri acclamant, ejus ſanctitatem in mundi creatione ſi[gn]ificantes; Sanctus æterni Patris Filio ingeminant, illius ſan[ct]itatem in mundi redemptione declarantes; Sanctus Spiritui S. [co]ncinunt, ipſius ſanctitatem in ſanctificatione mundi indigitã[tes], in quibus & gloria *Dei* & omnipotentia ejus maximè elu[ce]nt. Huic *Divinæ* ſanctitati tanquam ſacratiſſimo Numini cul[tus] latriæ & omnis reverentiæ per orationes, oblationes, vota & [sac]rificia à nobis debetur. *Debetur* omnis gratitudo ſervitij & [am]oris pro ejus participatione per Chriſtum *Dominum* nobis [co]nceſſâ; elegit namq; nos *Deus* ante conſtitutionem mundi in [Ch]riſto, ut eſſemus *Sancti* immaculati. [*Eph.* 1.] *Debetur* & [im]itatio imperante *Deo*: (*Lev.* 11.) Sancti eritis, quoniam ego [Sa]nctus ſum; Chriſto idipſum aſſerente: (*Matt.* 5.) eſtote per[fec]ti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt; perfectio enim eſt [san]ctitas, & ſanctitas eſt perfectio, uti ſupra dictum eſt. Hoc [qu]oq; Princeps Apoſtolorum præcipit: ſecundùm eum, qui vo[cav]it vos, ſanctum, & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis. (1. [Pe]t. 1.) Ejus quoque Coapoſtolus ad idem hortatur: pacem ſe[q]imini cum omnibus & ſanctimoniam, ſinè qua nemo videbit [De]um. [*Heb.* 12.] Beati mundo corde, & hi ſunt Sancti, quo[nia]m ipſi Deum videbunt. (*Matt.* 5.) Jam quænam ſunt opera [Sa]nctorum? Sanctus Pſalmorum Vates nobis tria eorum ope[ra] maximè manifeſtat. Timete, ait, (*Pſ.* 33.) Dominum omnes [Sa]ncti ejus, diligite Dominum omnes Sancti ejus, (*Pſal.* 30.) [Ps]allite *Domino* Sancti ejus. (*Pſ.* 29.) Per hæc cum quatuor [ani]malibus datur Deo gloria, honor, & benedictio, (*Ap.* 4.) [&] hæc ſummè Sanctiſſima Trinitas glorificatur, honoratur, & [col]laudatur. Ac primùm. Timor Domini Sanctis, qui hic in [vi]ta ſecundùm propoſitum ſic vocantur, (*Rom.* 8.) eſt ſummè [ne]ceſſarius, quia odit malum, (*Pr.* 8.) expellit peccatum, (*Eccli* 1.) cuſtodit virtutes & ſanctitatem. *Deinde* requiritur in San[cti]s ob reſpectum erga Dei majeſtatem & reverentiam; & quia [ex]cellens virtus eſt, ſiquidem initium ſapientiæ timor Domini, (*Pſ.* 110.) ſcilicet eſt omnium virtutum ex ſapientia ortarum [fun]damentum & culmen ſupremum. Eſt verò quinduplex ti[mo]r: naturalis, qui eſt indifferens; mundanus, qui eſt malus; ſer[vili]s & initialis, qui ſunt boni, ſed à perfecta charitate foràs mit-

Duplex in Deo ſanctitas.

Cultum latriæ

gratitudinem & amorem,

ac imitationem ſui à nobis exigit.

Opera Sanctorum tria:

Timere,

diligere,

& laudare Deum.

Timor Domini Sanctis ſummè neceſſarius.

Quare?

Timor quinduplex.

tuntur; & filialis, qui cum charitate etiam in cœlo perſeve[rat],
quia cultum Dei præſefert. De quo loquitur Propheta dice[ns:]
timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi. [*Pſ.* 1[8.]]
Arabicus textus pro timete legit, colite Dominum omnes S[an-]
cti ejus. Cultus autem Dei maxim⁹ eſt cum timore reveren[ti-]
li ac reſpectuoſo amor ſupremus; quod S. Mater Eccleſia po[ſtulat]
à Deo in Oratione dicens: Sancti nominis tui Domine timor[em]
pariter & amorem fac nos habere perpetuum. Et hoc eſt [ſe-]
Secundum op9 Sanctorum, diligere Deum
cundum opus Sanctorum; diligite Dominum omnes Sa[ncti]
ejus. (*Pſ.* 30.) Quod Arabicus vertit, diligite Dominum om[nes]
Electi ejus. In electione noſtrî major erga nos Dei amor ef[ful-]
get, ac ideò meretur mutuâ dilectione compenſari. Sum[ma]
felicitas Sanctorum in cœlo eſt amare Deum, & inde ſequ[itur]
gaudium de fruitione ſummi boni per amorē nunquam fini[en-]
Tertium, pſallere Domino;
dum. Tertium & ultimum opus Sanctorum eſt; pſallite D[o-]
mino Sancti ejus, (*Pſ.* 29.) & ritè, quia hymnus eſt omni[bus]
Sanctis ejus. (*Pſ.* 145.) Hoc inclamat vox de throno exiens[,]
dicens: laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus, & qui tim[e-]
tis eum puſilli & magni. (*Ap.* 19.) Et hæc eſt laus quam dic[unt]
quod faciunt duo ſeraphim, & quatuor animalia, Angeli & Seniores in circuitu throni,
Seraphim, (*Iſ* 6.) & quatuor animalia clamantia, Sanctus, S[an-]
ctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis te[rra]
gloriâ ejus. (*Ap.* 4.) Hæc eſt laus omnium Angelorum in c[ir-]
cuitu throni, & Seniorum, & quatuor animalium ſtantium, q[ui]
cadunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorant Deum [di-]
centes Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum
actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorū
& Eccleſia Sancta.
amen. (*Ap.* 7.) Hæc eſt laus quam Eccleſia reſonat: Gloria [Pa-]
tri & Filio & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio & nunc &
ſemper & in ſecula ſeculorum amen. Laudandus autem [eſt]
Deus tam reſpectu ſui quàm reſpectu noſtrî. Quoad ſe in [di-]
vina eſſentia ſua & Majeſtate, omnipotentia, ſapientia, & b[o-]
nitate, in juſtitia & miſericordia, ſuper omnia in Sanctita[te,]
quæ hæc omnia in ſe concludit. Quoad nos propter infini[ta,]
communia & particularia beneficia nobis nec dignis nec meri[tis]
Hæc laus perſolvitur linguâ animæ & corporis.
impenſa. Hæc autem laus quomodò & qualiter perſolvitu[r?]
Linguâ animæ & corporis. Habet enim & anima lingvam [ſu-]
am, eructans ex corde verbum bonum, loquens in co[r-]
de ſuo, & dicens opera ſua Regi ſeculorum inviſibili ſoli De[o,]
(1. *Tim.* 1.) ſicque exiſtens lingva calamus ſcribæ velociter ſc[ri-]
bentis. (*Pſ.* 44.) Omnia in laude Dei ſunt velocia. Vir v[e-]
lox in opere ſuo coram Regibus ſtat, (*Pr.* 22.) quidni coram
Rege Regum? (*Ap.* 19.) Hilarem datorem diligit Deus, [2.]
Velocitas lingvæ quomodò ſumenda?
Cor. 9.) qui hilaris eſt, eſt & celer, ac ſcribit durantia, quia ex[a-]
rat æternitati. Avertat Deus, ut velocitatem lingvæ credam[us]
eſſe in laude Dei quàm citiſſimè cantando perſolvendâ. D[i-]
ri-

rsùs: avertat Deus. Ecce Spiritus S. eloquitur improperativè: existi omnia verba præcipitationis lingva dolosa. (Ps 51.) Cur losa? Quia decipit se ipsummet loquentem, defraudat laudē ei, ineptè & indecenter peragit Officium Divinum. Maledi-us autem qui facit opus Dei fraudulenter. [Jer. 48.] Audite ribilem maledictionem Spiritûs Sancti super hos præcipites ntores & cantatores: propterea Deus destruet te in finem e-llet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam terra viventium. (Ps. 51.) Non sic agamus nos, non sic, sed ncti omnibus Sanctis, & Angelis Dei, Seraphinis, Senioribus, animalibus, cum omni diligentia, modestia, & flexione, cum nni timore, reverentia, & amore incessanter psallamus & lau-m dicamus Deo nostro. Cogitemus nobis à Deo dictum e: eritis mihi sancti, quia Sanctus sum ego Dominus, & se-ravi vos à cæteris populis, ut essetis mei. (Lev. 20.) Nonne ? Utique sumus separati ab omnibus hominibus seculi. Er-simus solliciti vivere sanctè, ambientes honorem Sanctorum r virtutes illorum, ac ideò sit hoc propositum nostrum con-uum & efficax: Volumus esse sancti tanquam filij Sancto-m, ut ad eorum quoque consortium mereamur pertingere, cum illis canendo clamare: Sanctus Deus in generatione sua, nctus in filiatione, Sanctus in spiratione: Sanctus Pater, San-ctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus. Amen Amen Amen.

Non in præcipiti cantu,

qui terribiliter punitur.

Debemus velle esse Sancti.

Sermo in Festo Animarum.

Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. *Ps. 44.*

ANimas humanas à corporibus suis per mortem separatas, licèt incorporeas & spirituales secundùm bona earū vel mala merita, ad certa deputari loca, de fide est. PP.RR. FF.DD. quidem duo ultimaria vitæ æternæ in cœlo, & ignis sempiterni inferno manifesta sunt ex sententia Divinæ Veritatis, dicentis ud S. Joannem: (c. 5.) procedent qui bona fecerunt in resur-tionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem judi-, videlicet ibunt hi in supplicium æternum, quod alibi voca-gehenna ignis, justi autem in vitam æternam. (Matt. 25.) od ipsum prophetavit Angelus apud Danielem (c 12.) de imo judicio inquiens: multi de his qui dormiunt in terræ pul-e evigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, ut leant semper. Præter hæc tamen duo extrema loca animarū orporibus suis sejunctarum, dantur alia ad interim receptacu-. Et quidem in bonam partem, Enoch fertur apud Siracidem cuisse Deo, & translatus esse in paradisum; (Eccli. 44) quod m de Elia creditur: (4. Reg. 2.) cum corpore & anima, quò am bonum latronem Redemptor ducturum se in cruce affir-vit; Luc 23. sed hic finaliter cum Christo D. in cælū ascēdit. bonam autem & malam partem sumitur limbus Patrū, quem

Dari certa loca post fata, de fide est.

1 Cælum, locus beatorum.

2. Infernus, damnatorum.

Paradisus, in quem Enoch, Elias, bonus latro translatus creditur.

3. Limbus Patrum.

Jacob Patriarcha apud inferos posuit, dicens filijs: deducetis canos meos cum dolore ad inferos. (*Gen.* 42) Ibi in bonum erat

Sinus Abrahæ.

requies propter immunitatem à pœna, diciturque sinus Abrahæ, ad quem Lazarus ab Angelis deportatus fuit: (*Luc.* 16) in malum verò nulla erat requies desiderij ob clausum cœlum, meritòque infernus reputabatur, quò anima Christi Domini descendit, & unde animas Patriarcharum & Prophetarum veteris Testamenti cum Innocentibus occisis & Sancto Josepho, alijsq; tempore novi Testamenti inchoati & prædicati per Christum ibi demortuis, secum ipsemet per gloriosam Resurrectionem & Ascensionem in cœlum deduxit. In malam rursùs partem erat

4. Limbus parvulorum.

limbus parvulorum absque circumcisione in antiquo, & absque baptismo in novo Testamento defunctorum, de quo D. Thomas.

D. Thomas.

Sicut actuali peccato debetur pœna temporalis in purgatorio, & æterna in inferno: ita & originali peccato debebatur pœna temporalis in limbo Patrum, & æterna in limbo puerorum: quò etiam ex Gentilibus Deum verum cognoscentibus & colentibus, ductuque naturæ viventibus, & absque peccato mortali demortuis animas credibile est perventuras. Denique quintus locus

5. Purgatorii.

est Purgatorij, de quo magnus Apost. ad Corinthios: (1. *Cor.* 3) dies Domini qui est dies judicij tam particularis quàm universalis declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per igné. *Ib.* Judex enim revelabitur in flamma ignis, ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus, (*Ps.* 96.) quo & mundus conflagrabit, eritq; simul probatorius & purgatorius eorum qui tunc vivent. Hic præcursorius ignis erit & comes Judicis, agetque lictorem, & damnatos cum dæmonibus secum devolvet in infernum. Advertit S. Augustinus aliquos minùs timere ignem purgatorij, quòd per ipsum sit tamen certa salus. Quia dicitur,

Cujus ignis omnibus hujus vitæ doloribus gravior.

salvus erit, hinc ignis ille contemnitur, sed gravior erit quàm quidquid homo pati potest in hac vita. Ad lamentabilem animarum humanarum à corpore solutarum, & in igne purgatorio detentarum statum manifestandum satis est dicere, pœnas illarum à pœnis inferni nihilo differre quoad sensum, nisi duntaxat illas à pœnis damni, quod est æterna visionis Divinæ privatio, esse exemptas; temporali tamen privatione eas puniri certum

S. Ansel.

est. Ac ideò benè monet S. Anselmus *Si propter tormenta vitanda hìc Regi paremus, pareamus voluntati Dei, ut ignem istum acerbiorem omnibus tormentis evadamus.* Sed quæret aliquis, quomodò ignis corporeus aget in animam incorpoream?

Ignis corporeus quomodò agit in animam incorpoream?

Respondeo, taliter qualiter in dæmones agit qui sunt spiritus incorporei. Quòd autem dæmones ab igne patiantur, sententia Judicis declarat: discedite à me, maledicti in ignem æternum

qui

...i paratus est diabolo & Angelis ejus. (*Matt.* 25.) Dat cau-...n Doctor Angelicus. *Pœna debet respondere culpæ, sed anima* ...*culpam se corpori subjicit per pravam concupiscentiam, ergò* ...*tum est ut in pœnam rei corporeæ subjiciatur per passionem.* ...obat etiam Philosophicè à potiori dicens: *major est unio for-* ...*æ ad materiam quàm agentis ad patiens, sed diversitas naturæ* ...*ritualis & corporalis non impedit quin anima sit forma corpo-* ...*, ergò nec impedit quin possit à corpore pati.* Imò uti infra lo-...itur: *hoc Divinæ justitiæ ordo exigit, ut anima quæ peccando* ...*rebus corporalibus subdidit, eis etiam in pœna subdatur.* Mo-...m verò quo id fiat explicat sic: *ignis ex natura sua habet hoc,* ...*òd spiritus incorporeus ei conjungi possit, ut loco locatum; sed* ...*quantùm est instrumentum Divinæ justitiæ, habet ut ipsum* ...*odammodò retineat alligatum, & in hoc veraciter ignis ille est* ...*ritui nocivus, ut sic anima ignem ut sibi nocivum videns, ab* ...*e crucietur.* Potest quoque sic dilucidari. Quandoquidem ...a sensatio est in anima; illa enim est quæ per oculum videt, ...r aures audit, per manum sentit, per lingvam loquitur & gu-...t, per nares odoratur; cur eadem anima à corpore separa-...easdem sensationes per Dei virtutem & omnipotentiam non ...ssit elicere ac recipere? Maximè cùm anima rationalis simul ...stens sensitiva habeat in se radicem sensûs & sensationum, er-... & tactûs habet, ut ignem & ejus sentiat ustionem. Quan-...nvis enim oculus, auris, manus, & alia membra sint propria ...gana naturaliter ad sensationem requisita, supernaturaliter ta-...n ea Deus potest supplere. Nonne Deus interdum supplet ...ectorum absentium, præsentium, & remotorum approxima-...nem, quando fecit aliquos Sanctos corporeo oculo illa vide-...? Interea singulare exemplum habemus in divite Epulone, ...omodò aliqua membra dicantur sigillatim igne torqueri. Se-...tus enim in inferno, & elevans oculos in tormentis dicitur vi-...e Abraham, à longè & Lazarum in sinu ejus, inde clamans ...it: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut in-...gat extremum digiti sui in aqua, ut refrigeret lingvam me-..., quia crucior in hac flamma. (*Luc.* 16.) Hic oculis tormen-...n est visio Lazari in requie, sed lingvæ majus in flamma; quæ ...uidem concupiscentiâ gulæ, ebrietatis, crapulæ, & comessa-...num, necnon jactantiæ & loquacitatis arsit; Glossa interlinea-... inquit: idcircò nunc ardet incendio gehennæ, quia per quæ ...s peccat, per hæc & torquetur. (*Sap.* 11.) Peccavit enim lin-...i, torquetur in illa tam incendij ardoribus, quàm sitis & famis ...oribus. Pulchrè interrogat S. Chrysologus. *Certè si te jam* ...*idet totus ignis inferni, si te gehennæ flamma complectitur,* ...*re solius lingvæ æstibus desideras subveniri? Nisi quia cùm* ...*tus tuum anhelat, flammâ sui criminis & reatûs magìs lingva*

D. Thomas.

I. Idem.

Idem.

II.

Exemplum hujus in divite Epulone à gehennæ flamma cruciato,

præcipuè in lingva.

S. Chrysol.

uritur, ardet, æstuat, quæ insultavit pauperi, quæ misericordiam
denegavit. Hæc præcedit ad judicium, hæc antea degustat &
patitur cruciatus. Hæc de toto corpore prima sentit ardorem, quæ
cùm prima hìc varios deliciarum cibos & odorata degustaret po-
cula, mandare pietatem noluit, fieri misericordiam non præcepit.
Idem. *Sed & ipsa cùm alij facerent derogabat.* Hæc aureè S. Chryso-
logus, qui alibi sic inquit: *In lingva majus sentit incendium, quæ*
maledixit pauperi, misericordiæ contradixit. Lingva in tormen-
tis prima est, quæ denegando pauperi, pauperis blasphemavit au-
D. August. *thorem.* Idipsum augustè Divus Augustinus enucleat. *Totum*
divitis corpus flammis gehennæ consumitur, & sola lingva am-
pliùs cruciatur. Ideò sine dubio in lingva majorem sentit dolo-
rem, quia per eam superbè loquendo contempserat pauperem. Ipsa
enim lingva quæ noluerat dicere ut eleemosyna pauperi donaretur,
III. *graviùs gehennæ flammis exuritur.* Cujus quidem lingvæ cruci-
atus in anima potest quoque sic explicari, nimirùm eam pati
talem ignis pœnam, qualem sensisset si corpori in igne ardenti
IV. fuisset unita. Quin etiam imaginationibus & apprehensionibus
à corpore sumptis ac tractis animam affligi indubium est. Hic
occurrit mihi illa Ecclesiastici (*c.* 28.) sententia, quam de lingva
Mors lingvæ, mors nequissima, & pejor inferno, quomodò? I. nequam profert: mors illius mors nequissima, & utilis potiùs
infernus quàm illa. Ubi lingvam calumniosam, detractoriam,
criminatricem & maledicam, potissimùm lingvam nequam ap-
pellat. Sic ergo loquitur: mors à lingva nequam proveniens est
nequissima, & pejor quâvis morte naturali. Hæc enim est com-
munis & à natura promanans, illa est singularis & violenta, quæ
II. non naturæ sed crimini debetur. Quin etiam mors quantùmvis
violenta ab hoste illata, brevis est & finem habet; illa verò quæ
per lingvam nequam fit est diuturna & lenta, faciens hominem
tali lingvâ percussum per totum vitæ decursum mœrore & tri-
stitiâ contabescere ac consumi. Imò nec post mortem deletur
vel extingvitur, sed post obitum calumnia vel maledicentia per-
III. severat. Quòdsi contingat per falsam lingvæ nequam diffama-
tionem innocenter ad pœnas trahi & ad mortem, tunc infamis
IV. est & acerba. Denique interdùm & corpus & animam trucidat,
quando pravis suggestionibus ad hæresim vel alia scelera inducit.
Quomodò utilis potiùs infernus quàm lingva nequã? cit. Jam verò quomodò utilis potiùs sit infernus quàm lingva
nequam; (*Eccli.* 28.) quod Tigurina legunt, orcus quàm illa
conducibilior; & Syrus vertit: requies est apud inferos quàm a-
pud illam. Sensus hujus sententiæ genuinus hic est, quòd lingva
nequam deteriora vulnera infligat cruciatibus inferorum, & si-
bi ipsi est exitio majori. Reddit rationes Auctor quidam No-
Delrio. tericus [Delrio] valde appositè. I°. inquit, *quia lingvæ vulnera*
I. *conjuncta sunt peccato, quo nihil deterius nec exitialius. Crucia-*
tus autem inferorum vacant culpâ, & sunt ministeria justitiæ
Divinæ.

ivinæ. Sic ferè Lyranus. *II°. quia cruciatus inferni solùm lædit atientem; lingva mala necat tres, audientem, dicentem, & se- è eum cui maledicit. Item lingva necat, ubi flamma inferni ntùm cruciat animam. III°.* juxta Carensem, *infernus non ocet nisi malis & meritis, lingva nequam etiam justos sauciat r immeritos. IV°.* ait, *in Republica carceres & supplicia utilia nt ad coercendos improbos, & ad probos defendendos, prosunt iam exemplo; sic in universali hoc mundo ad idem conducit ge- nna, quarè utilior est quàm lingva nequam, quia ad summam tientiam, & ut se alij cautiùs gerant, præstat occasionem.* Ita c eruditus Author. Hinc patet, quòd lingva nequam sit de- rior ipsâ damnatorum gehennâ. Et quia divitis Epulonis lin- a talis erat, meritò inflammatas luebat pænas, de qua S. Ja- bus: (*c.* 3.) inflammat enim rotam nativitatis nostræ, id est, tius vitæ nostræ; vel juxta Syrum, inflammat series genealogi- um nostrarum, quæ currunt in modum rotarum: qualis po- simùm est, quæ serit inimicitias, lites & odia inter Regna, ur- s, & familias, ita ut sint quandoque immortalia. *Rota dici- r vita*, juxta Oecumenium, *quia in seipsam revoluta.* De c lingva ait Venerabilis Beda. *Cursum humanæ vitæ lingva ammat, quo ad mortem usq; veluti currenti rotâ agimur.* amãta à gehenna, addit S. Jacobus, (*c.* 3) id est, tanquam flata in fornace gehennæ, & tartareo igne succensa. Et benè ente Siracide, (*Eccli.* 28.) quòd flammâ suâ non comburet tos, lingva nequam flammæ comparatur; quia est rubicunda, mam & speciem flammæ gerens, & omnia corripit, incen- , ac devastat velut flamma ignis. O utinam lingvæ nostræ n sint talis flamma adurens, ne postea flammâ infernali val- crucientur! Advertamus tamen immisericordiam maximè vitem præcipitâsse in infernum, ac ideò nullam apud Patrem raham etiam clamans & rogans misericordiam potuit impe- re. Induamus nos viscera misericordiæ (*Coloss.* 3.) super ani- bus ignem piacularem patientibus. Succurramus illis quia umus, juvemus illas operibus misericordiæ, lingvâ nostrâ ve- calamo scribæ velociter scribentis celeriter orationes & suf- gia Missarum illis inscribamus, ex amore quem cœlestis Scri- diffudit in cordibus nostris, assistamus illis per jejunia & mor- ationes, humiliemus nos in hoc loco afflictionis, [*Ps.* 43.] tam nobis quàm animabus aliquid possumus promereri: & de nobis quoque consurgat meritum adjutorij, quando distri- DEI judicio ad ignem purgatorium adjudicaremur; quem nc evadere imò extingvere possumus vero & vivo igne cha- ritatis Dei & proximi, si fuerit inextinctus.

Lyranus.

Hugo Carensis.

Lingva nequã deterior ipsâ damnatorum gehennâ.

Oecumenius.

Lingva nequã flammæ comparatur.

Operibus misericordiæ subveniendum animabus purgantibus.

Sermo in receptione Novitiorũ in vigilia S. Michaelis.

MIſericordiam ædificandam in cœlis, ac ſimul veritatem in ijs præparandam aſſerit Regius Propheta; (*Pſ.* 88.) inde alibi dicit: Domine in cœlo miſericordia tua & veritas tua usque ad nubes. (*Pſ.* 35.) Et iterùm: magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, & usque ad nubes veritas tua. [*Pſ.* 107.] Ecquis poſſet cœlum conſcendere, ut ibi miſericordiam Dei conſequeretur? Non erat ſpes miſericordiæ adipiſcendæ, niſi ipſe Deus eam impertiretur: ergo recordatus miſericordiæ ſuæ & veritatis ſuæ domui Iſraël, (*Pſ.* 97.) ut inhabitaret gloria Divinitatis in terra noſtra, miſericordia & veritas obviaverunt ſibi (*Pſ.* 84.) in uno Filio Dei facto filio hominis, qui inclinavit cœlos & deſcendit, (*Pſ.* 17.) ſecumque utramque in terras adduxit. Miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam, (*Pſ.* 56.) & exinde miſericordiâ *D*omini plena eſt terra, (*Pſ.* 32.) & veritas de terra orta eſt. (*Pſ.* 84.) Ita omnino; gratia quæ ipſa eſt miſericordia & veritas, teſte D. Joanne, (*c.* 1.) per Jeſum Chriſtum facta eſt. Jam ergo nobis qui ſumus incolæ in terra, miſericordia Dei non poteſt deeſſe. Quis tamen ille eſt qui hanc meretur miſericordiam? Docet nos Rex Prophetarum: miſericordia Domini ab æterno, & usque in æternum ſuper timentes eum, imò ſecundùm altitudinem cœli à terra corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe; (*Pſ.* 102.) hoc ipſum Virgo *D*eipara in Cantico ſuo declarat: & miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. (*Luc.* 1.) Ut proinde vos capaces reddatis miſericordiæ *D*ei, debetis eſſe timore Dei repleti. Si nihil deeſt timentibus *D*eum, utique nec miſericordia Dei deerit vobis timentibus eum, imò ſemper aderit à progenie in progenies, (*Luc.* 1.) ab æterno & usque in æternum. (*Pſ.* 102.) Hic timor filialis ſit neceſſe eſt, ut dùm timetis Deum, etiam ametis; ut ſic miſericordiam ſuam Deus non diſperdat à vobis, neque noceat in veritate ſua. (*Pſ.* 88.) Et hæc eſt juſtitia in filios filiorum his qui ſervant teſtamentum ejus, & memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea. (*Pſ.* 102.) Timor Domini primò expellit peccatum, (*Eccli.* 1.) docetque declinare à malo & facere bonum, (*Pſ.* 36.) quod Propheta exprimit: Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. [*Pſ.* 111.] Optimum bonum eſt ſervare mandata Dei. Atqui maximum mandatum eſt dilectio Dei, & ſecundum ſimile huic, eſt dilectio proximi. (*Matt.* 22.) Unde timor & amor Dei junguntur ſibi, neque debent ab invicem ſeparari; & ſicut miſericordia & veritas præcedunt faciem Dei, (*Pſ.* 88.) ita quoque miſericordia *D*ei ante oculos veſtros ſit, & complacetis vobis in veritate ejus. (*Pſ.* 25.) Effectus timoris *D*ei inſignes receſ...

Miſericordia Domini magna ſuper timentes ſe.

Unio timoris & amoris Dei ab invicem indiſſolubilis.

censet S. Laurentius Justinianus. *Solus Dei timor est, qui no-ntes corrigit, fugat crimina, & perpetim confert bene agendi luntatem. Est etiam fons vitæ,* (Pr. 14.) *& virtutum causa, m per justitiam defert majori, per prudentiam non credit se i, per temperantiam refugit discernere, per fortitudinem se o-dientiæ subdit, non ad discernendum sed ad implendum.* Ita S. stinianus. Timor ergo Dei meretur misericordiam, amor Dei nsequitur veritatem, id est, unum, verum, summum Bonum. enete utrumque, facite utrumque & vivetis; misericordia Dei veritas ejus semper suscipient vos. Neque misericordia Ordi-s aberit à vobis, quam admittendo vos in consortium, satis su-rq; vobis manifestat. Veritas Ordinis patebit in instructione gularis disciplinæ, quam ita apprehendere debetis, ne quando scatur Dominus, & pereatis de via justa; (*Ps.* 2.) uti periit ucifer ambulans in mirabilibus super se. Divus Archangelus ichaël vobis nomine suo dabit frenum inclamans: quis ut De-? qui dicit: si ego Dominus, ubi est timor meus? Si ego Pa-r, ubi est amor meus? (*Mal.* 1.) Et meritò, quandoquidem uomodò miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus ti-entibus se. (*Ps.* 102.) Unde ita agite utroq; & timore & amo-, ut virtutum ex ijs prodeuntium germina, qualia sunt prima-trium votorum, obedientiæ, castitatis, & paupertatis, de-de concomitantia humilitatis, patientiæ, mansvetudinis, cæte-que, ac sigillatim constantiæ & perseverantiæ specimina in bis patescant, per quæ & cœlestem, & terrestrem misericor-diam Dei poteritis comprehendere. Fiat id utinam & vobis & nobis AMEN.

S. Laurentius Justinianus.

SYNOPSIS

Sermonum Capitularium ex Tomi Tertij Tractatu Secundo.

TRACTATUS
TERTIUS è TRIBUS



Decimus in ordine Annorum

SERMONUM
CAPITULARIUM

Ab Adventu Anni 1692. *in Annum* 1693.

habitorum.

Ubi super Psalmi 44. secundum versum, & tertij primam partem discurritur atqúe tractatur.

Sermo Dominica I. Adventûs.

In finem, *pro ijs qui commutabuntur filijs Core ad intellectum, Canticum pro Dilecto.* Titulus Psalmi 44.

Cum annuo Dominici piè semper & devotè rememorandi adventûs recursu placet titulum Psalmi nostri reassumere, ac novo Sermonis discursu eundem breviter percurrere; quandoquidem adventus *Domini* non aliam ob causam factus est, nisi ut effectus istius tituli in nobis adimpleretur. Ac primum dicit: in finem. Homines enim partim immemores erant finis sui ac novissimorum, mortis, judicij, cœli, ac inferorum; partim ad finem ad quem creati à Deo erant, minimè collimabant. Advenit Verbum Dei incarnatum, & reducit homines ad utriusque finis sui cognitionem, (& hoc est quod sequitur paulò post in titulo, ad intellectum) ut homines saperent & intelligerent, ac novissima providerent. (*Deut.* 32.) Prospexit enim de cœlo Dominus super filios hominum, ut videret si est intelligens aut requirens Deum: (*Ps.* 13.) quinimò venit ipsemet Dei Filius factus filius hominis, & reperit homines à recto intel- *Elucidatio tituli Psalm.* 44.

lectûs tramite ac vero fine alienos. Unde conqueritur apud Prophetam: Israël me non cognovit, & populus meus non intellexit. [*Is.* 1] Et quod ampliùs, apud Regium Vatem affirmat: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum. [*Ps.* 13.] Nec hoc satis: astiterunt viæ non bonæ, malitiam non tantùm non oderunt, (*Ps.* 35.) sed etiam omnem iniquitatem amplexati, & omnem operati sunt injustitiam, denique noluerunt intelligere ut benè agerent. (*Ps.* 35.) Quid agit

Sapientia Dei incarnata errantem hominem reducit.

Sapientia Dei incarnata? Errantem hominem sicut ovis quæ periit, (*Ps.* 118.) reducit in finem & deducit ad viam salutis, adducit ad intellectum eos, qui facti erant sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. (*Ps.* 31.) Verùm quibusnam id pergit

Quibus medijs?

medijs? Non alijs præterquàm ductibus pœnitentiæ, inclamando: pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. (*Mat.* 4.) Non timore pœnæ, nec terrore mortis vel judicij extremi, prout Divus Præcursor Joannes, [*Mat.* 3.] securim ad radicem arboris positam, venturam iram, arboris fructum bonum non facientis excisionem & in ignem missionem, demum palearum igni incombustibili combustionem interminans; sed amore prœmij ac regni cœlorum appropinquatione ad pœni-

In vinculis charitatis trahit nos ad se.

tentiam allicit ac propulsat. In funiculis planè Adam trahit nos ad se & in vinculis charitatis, (*Osee.* 11.) ut ad eum qui propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos, (*Eph.* 2.) utiq; usq; in finem, factus homo usque ad mortem crucis, ubi edixit: consummatum est, (*Joan.* 19.) ad eum, inquam, ex motivo amoris reciproci per viam pœnitentiæ rediremus. Eapropter titulus concludit Canticum pro Dilecto, sive canticum amorum et amantium; quod nimirùm tam ad finem quàm intellectum ca agendum sit, ut fide quidem & spe prævià pœnitentia assumatur: [si enim non crederem, neminem posse dimittere peccata nisi solum Deum; (*Mar.* 2.) nec sperarem in misericordia Dei infinita, utique haud agerem pœnitentiam, & sic spes tendit in finem misericordiæ consequendæ, fides verò servit ad intellectum]

Pœnitentia fide & spe prævià inchoanda, charitate verò consummanda.

ut in fide nihil hæsitantes petamus: (*Jac.* 1.] fide inquam, & spe præcurrente, pœnitentia inchoanda & peragenda est, charitate nihilominùs quæ major horum est, & est finis præcepti, & & quæ nunquam excidit, (1. *Cor.* 13.) stabilienda est atq; consummanda. Sed quis effectus pœnitentiæ? Nullus alius nisi vera ad Deum à quo excideramus per peccatum reversio, & vitæ per emendationem in melius commutatio. Quamobrem titulus Psalmi nostri edisserit, quibusnam inserviat dicens: pro

Qui sunt, qui commutabuntur?

ijs qui commutabuntur. (*Ps.* 44.) Quinam sunt isti? Equidem non alij nisi pœnitentiam agentes. Quid enim est quod injustum peccatorem justum reddit & justificat? Pœnitentia. Quid ingratum & indignum hominem per peccatum, Deo gratum

dignum facit? Pœnitentia. Quid leonem rabidum in agnum mansvetum, lupum rapacem, porcum voracem, hircum salacem in ovem mitem, castam, & temperantem, asinum pigrum in cervum velocem commutat? Pœnitentia. *Sed & unusquisq; nostrûm Fratres*, inquit S. Augustinus, *ex vetere homine in novum mutatur, ex infideli fidelis fit, ex raptore largitor, castus ex adultero, beneficus ex malefico.* Et paulò superiùs, *Ipsum mundum videat commutatum nuper adorantem idola, modò adorantem Deum; nuper servientem ei quem fecit, modò servientem ei à quo factus est.* Eratis, inquit Apostolus, (*Eph.* 5.) aliquando tenebræ, procul dubiò per peccatum, nunc autem lux in Domino, nonne per pœnitentiam quæ meruit lucis gratiam & lucem gratiæ? O quàm pulchra & præclara hæc commutatio! Nox præcessit peccati, dies autem appropinquavit gratiæ & misericordiæ: quid facto opus? Per pœnitentiam abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. (*Rom.* 13.) Manifestat hanc commutationem Apostolus & alibi dicens: cùm servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ; liberati autem à peccato servi facti estis justitiæ: servi facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. (*Rom.* 6.) O quàm præstantissima & gloriosissima in hunc finem commutatio! Sed quid juvat? si velut canes ad vomitum, aut veluti sus ad volutabrum luti revertimur: (*Pr.* 26.) si ea quæ damnavimus reassumimus; si illa quæ planximus, rursùs repetimus, ijsque immoramur. O perversa! ô inconstans! ô refractaria commutatio talis! Eam ob rem monet Apostolus, ut sicut in die honestè ambulemus; (*Rom.* 13.) videlicet ut sanctam commutationem nostram semper manuteneamus, quia in pœnitentia continuò perseverare necesse est. Neque enim qui cæperit, sed qui perseveraverit in finem hic salvus erit. (*Mat.* 10.) Sed jam est notandum, illos qui commutabuntur, filios Core appellari, idque filios calvi interpretari. De quo pulchrè Divus Augustinus, applicans puerorum insultationem factam Sancto Prophetæ Elizæo, clamantium post ipsum: ascende calve, ascende calve. (4 *Reg.* 2.) *Factum est ut à bestijs consumerentur, & figuraverunt homines in eadem mente puerili stultè irridentes quendam calvum, qui in calvariæ loco crucifixus est. Possessi sunt ergo tales ut à bestijs, hoc est à dæmonibus, à diabolo & angelis ejus, qui operatur in filijs diffidentiæ.* [Eph. 2.] *Tales pueri erant, qui ante lignum sacrum stantes caput agitabant & dicebant: si Filius Dei est, descendat nunc de cruce.* [Mat. 27.] *Hujus nos filij sumus.* Ita Divus Augustinus. Nonne decalvaverunt Dominum generationis malæ & adulteræ filij, (*Matt.* 12.) quando ne pilum boni viri Domino reliquerunt, postponentes eum homicidæ, cum iniquis reputantes, & in medio latronum tanquam

Pœnitentiæ efficacia.

S. August.

Filij Core, filij calvitij.

D. August.

maximum exponentes. Talem Dominum æſtimabant filij ſce-
lerati, (*Jſ.* 15.) potiſſimùm in monte calvariæ per crucis mo-
dictum morientem, quando calvam ipſius doctrinam & nullius
frugi eſſe cenſebant ac cenſurabant. Nos verò qui virtutem
crucis agnoſcimus, & Dominum gloriæ etiam in crucifixione

Quomodò & nos filij calvitij eſſe debemus?

confitemur, non tantùm filij calvi ſed & calvariæ, filij calvitij eſ-
ſe debemus, ut nimirùm crucem poſt Dominum tollentes, (*Matt.*
16.) & mundo cum illo crucifixi, (*Gal.* 6.) etiam calvitium pœ-
nitentiæ quam deſignat, jugiter præ nobis feramus. Quid tamen
eſt, quòd verbum Divinum in ore meo licèt indigno prolatum
frequenter ad vos PP. RR. FF. DD. adventum celebrans, non
omnimodè eum quem optaré & quem ſperare poſſem in vobis
mutationis operetur effectum? Poſt novennalem enim Sermo-
num noſtrorum prædicationem, poſt tot exhortationes, poſt tot
inſtructiones iiſdem inſiſtimus vitijs, correctos iteramus defectus,
in priſtinas relabimur negligentias, & frequenter calvas adhibe-
mus excuſationes in peccatis. (*Pſ.* 140.) Quid cauſæ, quòd nul-
la apud aliquos ſequatur in melius mutatio? An ex parte mea

Cur verbum Dei ſeminatū interdùm non afferat fructū.

lingva non eſt efficax ad penetrandum, velut calamus ſcribæ ve-
lociter ſcribentis? (*Pſ.* 44.) An quòd eructatum quidem ex
corde verbum bonum, dictis Regi à me operibus non corre-
metur nec conformetur? Agnoſco imperfectum meum. Num
ex parte veſtra, (quod non crediderim) aures habentur & non
audiunt? [*Pſ.* 113.] Num audiunt, ſed non demittunt ad terram
cordis ſemen verbi Divini? (*Luc.* 8.) Num & hoc quidem fa-
ciunt, ſed radices non agit per ſeriam reflexionem idipſum ſe-
men, ac ideò facilè tollitur de corde? Sed advertite Sapientiam
Divinam dixiſſe de terra bona à cœleſti Satore ſeminata: hi
ſunt, ait, qui in corde bono & optimo verbum retinent, & fru-
ctum afferunt in patientia. (*Ib.*) Qualis autem fructus prove-
niat, alibi explicat dicens: & fecit aliud quidem centeſimum,
aliud autem ſexageſimum, aliud verò triceſimum. (*Mat.* 13.)

Modus diverſimodæ ex ſemine verbi Divini fructificationis.

En modus diverſimodæ ex ſemine verbi Divini fructificationis.
Quid prodeſt jacere ſemen in terram, niſi fructus inde ſperetur?
In finem igitur fructûs percipiendi ſemen ſeminatur. Ad intel-
lectum verò ſit neceſſe eſt, quandoquidem ſemen verbi Divini
ſpirituale eſt & intellectuale. Pro iis qui commutabuntur, ſemen
hoc profunditur; quia ipſum ſemen ut fructificet debet commu-
tari. Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,
inquit æterna Veritas, (*Joan.* 12.) ipſum ſolum manet abſque
omni fructu. Si autem mortuum fuerit, multum fructum af-
fert. Ecce commutatio ſeminis ſive grani in putredinem mor-
tis. Ita eſt: ſemen in terra ſuſceptū debet reſolvi, frangi, aperiri,
putreſcere & mori, ut deorsùm radices ponat, & ſursùm aſſurgat
pullulet ac progerminet. Verbum Divinum cordi illatum ex

meda-

litationem assumendum, comminuendum, & conterendum ita ut moriatur, & faciat ipsum cor resolvi, comminui, conusque ad mortem. Mortui enim esse debemus, & vita nodebet esse abscondita cum Christo in Deo. (*Coloss.* 3.) Uti qui amat animam suam perdet eam, uti semen, uti granum nenti, adeoq; odio illam habebit, ut in vitam æternam cuiat eam. (*Joan.* 12.) Quantæ hic commutationes! Et ad quid requiritur? Aratio, occatio, saritio, runcatio terræ: pluum, roris, ventorum, æstus solaris perpessio. Ita cor homisubigendum, purgandum, & excolendum est actibus laboris pœnitentiæ, mortificationis, humilitatis, obedientiæ, & in omnibus constantis patientiæ; inde sequetur germinum & iorum germinatio per bonas cogitationes, florum efflorescéper bonas locutiones, fructuum productio per bonas operanes. Hinc promanat fructus triplex juxta qualitatem terræ. *tandum*, inquit S Hieronymus, *quòd sicut in terra mala tres e diversitates*, scilicet secùs viam, petrosa, & spinosa loca, *in terra bona trina diversitas est, centesimi, sexagesimi, & esimi fructûs. Et in illa aut etiam in ista non mutatur subntia sed voluntas, & tam incredulorum quàm credentium da sunt, quæ semen recipiunt.* Est autem fructus tricesimus ipientium, sexagesimus proficientium, centesimus perfecton. Jam observate, quòd ad fructum producendum semen & ra concurrant; ita tamen, ut à semine vim totam hunc vel m fructum producendi terra hauriat & assumat. Eâdem rane ad bonũ opus perficiendum debet concurrere semen verbi vini, & liberum cordis humani arbitrium ad cooperandum bo Dei. Nihilominùs tota vis producendi opus spirituale, ernaturale & Divinum, quòd Deo gratum & meritorium sit æ æternæ, provenit à verbo Dei ejusque gratia, uti quòd sit erum non coactum, nec necessarium procedit à libero homi arbitrio. Quid enim est verbum Dei internum animam alquens eamque incitans ac corroborans ad actus virtutum ecendos, puta pœnitentiæ, religionis, humilitatis, patientiæ, ac issimùm charitatis? Nihil aliud est, nisi ipsa Dei gratia inteltum illuminans, & affectum voluntatis ad opera virtuosa inmmans. Et hoc est quod summè necessarium est auditori bi, ut verbum internum, gratia nimirùm Dei animet cor ejus verbum externum Prædicatoris benè excipiendum; ita ut m Prædicator exteriùs ad aurem loquitur, Deus interiùs ad loquatur, dicatq; quivis auditor Sermonum nostrorum corpræparato: audiam quid loquatur in me D. Deus; (*Ps.* 84.) quere Domine quia audit servus tuus. (1. *Reg.* 3.) Gratia à o petenda est interioris loquelæ Divinæ, sine qua nostra loela inanis, inefficax est & invalida. *In vanum laborat lingva*

Verbum Divinum cordi illatum quomodò comminuendum?

Culturæ hujus fructus triplex.

S. Hieron.

Tricesimus, sexagesimus, & centesimus.

Quod est verbum Dei internum?

Prædicatoris, ait D. Gregorius, *nisi intùs fuerit gratia Salvatoris.* Cor autem bonum & optimum esse tenetur. *Bonum per fidem illuminantem, optimum per gratiam operantem*, juxta Nicolaum de Lyra; *bonum per munditiem à peccato, optimum per conformitatem voluntatis ad Deum*, secundùm Divum Albertum Magnum; *bonum, ut in intellectu sit veritas, optimum, ut in affectu sit rectitudo*, ex mente S. Bonaventuræ; *bonum per dilectionem proximi & suiipsius, optimum per amorem Dei super omnia*, ex sensu D. Augustini; bonum per disciplinæ & virtutis exercitium; optimum per internæ contemplationis solatium bonum planè conferet fructum tricesimum, meliùs sexagesimum, optimum centesimum. Rogo proinde vos Fratres charissimi cum Divo Jacobo Apostolo: (*c. 1.*) in mansvetudine suscipite insitum verbum à nobis prolatum vel proferendum, non in terram duram, saxosam, aridam aut spinosam, sed mollem, humidam, puram & succosam, id est corde molli, flexibili, mundo, & ad virtutem ac pietatem inclinato, hoc verbum, quod potest salvare animas vestras. (*Jac.* 1.) Da Sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. (*Pr.* 9.) Hoc facio. Utimini occasione, quia pòst est occasio calva. Agite in finem gloriæ Dei & salutis vestræ, sursùm te ad intellectum verbum Dei; canticum pro Dilecto sit in affectu; re ipsâ autem commutemini semper in melius per opera pœnitentiæ, ad quæ nos præsens adventûs Dominici inchoatio invitat, donec occurramus ei, quando veniet judicare seculum per ignem; ubi feliciùs immutabimur, quando corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem in Christo Jesu Domino nostro: (1. *Cor.* 15.) qui reddet unicuique coronam justitiæ, & ijs qui diligunt adventum ejus, (2. *Tim.* 4.) sed priùs cum Apostolo bonum certamen certantes per commutationem, utì ipse ex Saulo Paulus, cursum consumantes in pœnitentia, fidem servantes cum spe in charitate.

Quomodo cor bonũ, quomodo optimũ esse tenetur?

Verbum Dei recipiendum in mansvetudine.

Sermo Dominica II. Adventûs.

Eructavit cor eum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.
Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. Ps. 44.

AUdite PP. RR. FF. DD. verba benè commutatorum in melius reformatorum, sanctâ metamorphosi ex Judaismo vel Gentilismo in Christianismum, de veteri hominem in novum conversorum; quomodò in finem rectum, videlicet consummationem æternæ beatitudinis colliment, & ad intellectum verâ fide instruendum præclarè intonent canticum pro Dilecto, imò canticum primorum & summorum amantium, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Principium enim fidei Catholicæ basis & fundamentum est confessio Sanctissimæ Trinitatis & hæc in primis duobus versibus juxta aliquos Sanctos Patres mani-

Verba commutatorum.

Fundamentum Ecclesiæ Catholicæ, confessio est SSmæ Trinitatis.

manifeſtatur. Quantumvis quidem verior ſenſus ſit Prophetam ex corde verbum bonum, id eſt Prophetiam hanc eructâſſe, ipſamque tanquam opera bona Regi Sponſo dixiſſe, Spiritu Sancto lingvam ipſius velut calamum ad ſcribendum velociter aſſumente: nihilominùs præter allegatos aliàs à me Patres, etiam D. Auguſtinus Lumen Doctorum præfatos verſus explicat de myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis dicens. *Intellexerunt quidam Patris perſonam dicentis: eructavit cor meum verbum bonum,* (Ps. 44.) *commendantis nobis nativitatem quandam ineffabilem. Ne fortè putares aliquid aſſumptum, unde Filium generaret Deus, quemadmodùm homo ſibi aſſumit aliquid unde generet filios, conjugium ſcilicet ſinè quo prolem procreare homo non poteſt. Ne igitur putares aliquo conjugio indiguiſſe Deum, unde Filium generaret; eructavit,* inquit, (Ps. 44.) *cor meum verbum bonũ. Hodie cor tuum ô homo generat conſilium, nec quærit uxorem. Per conſilium natum ex corde ædificas aliquid.* Et paulò infra. *Ergo ſi per verbum omnia, & Verbum de Deo, inſpice fabricam factam per verbum, & ex iſto ædificio mirare conſilium. Quale verbum eſt per quod factum eſt cœlum, & terra, & reliqua.* Deinde ulteriùs verbum bonum exponit. *Ipſi Verbo dictum eſt: Magiſter bone; & ipſum verbum reſpondit: quid me interrogas de bono? Addidit etiam: nemo bonus niſi unus Deus.* (Mat. 19.) *Non enim dicendo nemo bonus niſi unus Deus, diſcrevit ſe ſed univit.* Jam verò ſequitur: dico ego opera mea Regi. (*Pſ.* 44.) *Adhuc Pater loquitur,* ait S. Doctor, *ſi Pater dicit opera ſua Filio ſuo Regi noſtro, quæ opera Pater dicturus eſt Filio, cùm omnia opera Patris per Filium facta ſunt? An fortè, dico ego opera mea Regi, ipſam, dico, generationem Filij ſignificat? Legimus in alio Pſalmo: ſemel locutus eſt Deus.* [Ps. 61.] *Unde ſemel locutus eſt? niſi per Verbum ſuum. Sicut etiam eructavit cor meum verbum bonum, intelleximus ibi generationem Filij; ſaluti repetitio mihi videtur facta in conſequenti ſententia, ut illud quod dictum eſt: eructavit cor meum verbum bonum, repetetur in eo quod ait: dico. Quid eſt enim dico? Verbum proprio. Et unde profert Deus verbum, niſi ex corde ſuo, ex intimo ſuo? Dicere Dei æternum eſt. Dicere Dei ſinè initio eſt & ſinè fine, & tamen unum verbum dicit. Dicat alterum, ſi quod dixit tranſierit. Cùm vero & à quo dicitur manet, & quod dicitur manet, & ſemel dicitur & non finitur, & ipſum ſemel ſinè initio dicitur, nec bis dicitur, quia non tranſit quod ſemel dicitur. Hoc eſt ergo, eructavit cor meum verbum bonum, quod eſt, dico opera mea Regi. Quare ergo opera mea dico? Quia in ipſo verbo omnia opera Dei. Quidquid enim facturus erat Deus in creatione, jam in verbo erat; nec eſſet in rebus, niſi eſſet in verbo, quomodò & in te; non eſſet in fabrica, niſi eſſet in conſilio, ſicut*

D. Auguſt. Explicatio ſuper Initium Pſ. 44. de Myſterio SS. Trinitatis.

Idem.

in Evangelio dicitur: quod factum est in ipso vita erat. (Joan.) *Erat quidquid factum est, sed in verbo erat; & omnia opera Dei ibi erant, & opera nondum erant. Sed verbum erat, & verbum hoc Deus erat, & apud Deum erat, & Filius Dei erat, & cum Patre unus Deus erat. Dico ego opera mea Regi. Audiat dicentem qui verbum intelligit, & videat cum Patre sempiternum Verbum, in quo sunt etiam quæ futura sunt, in quo non abierunt & quæ transierunt. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* (Ps. 44.) *Mihi videtur quantum audet humana intelligentia, & hoc posse accipi ex persona Patris dictum, Lingua mea calamus scribæ: quia quod linguâ dicitur, sonat & transit; quod scribitur, manet. Cùm igitur dicat Deus verbum, & verbum quod dicitur non sonet & transeat, sed & dicatur & maneat. Scriptis hoc maluit Deus comparare quàm sonis. Addit velociter scribentis. Velociter Dei tale est, ut velocius nihil sit. In scripturis enim scribitur litera post literam, syllaba post syllabam, verbum post verbum; nec ad secundum transitur nisi primo præscripto. Ibi autem nihil velocius, ubi non multa sunt verba, nec tamen aliquid prætermissum est, cùm in uno sunt omnia. Ecce jam verbum istud sic prolatum, æternum ab æterno coæternum, veniet Sponsus speciosus formâ præ filijs hominum.* [*Ps* 44.] Hæc fusiùs retuli ipsius Doctoris Doctorum verbis ad sensum illius pleniùs patefaciendum; cui in omnibus consonat Venerabilis Beda. *Deus Pater per similitudinem loquens profundè incipit dicens: cor meum eructat verbum bonum. Qui enim eructant, de imo flatum emittunt. Cor verò intimum quidam est, & occultum; unde talis est qui dicit: cor meum, id est intima substantia mea, quâ occultus sum quidquid sum. Eructavit id est ineffabiliter generavit ex se verbum bonum.* Et post pauca: *Omnia per ipsum facta sunt,* (Joan. I.) *& facta sunt bona, quia ipsum est bonum. Pater namque de verbo suo bono atque beneficio per quod solum bonum nos utcunque possumus esse boni, dicit: cor meum eructavit verbum bonum, per quod solum bonum addit, ostendit sibi substantiale, coæquale, & coæternum. Nemo enim bonus nisi solus Deus:* (Luc. 18.) *quare si verbum bonum est, & Verbum Deus est.* Dico *ego opera mea Regi. Videtur hîc repetitio superioris. Ipsum enim dicere, est verbum ex corde generare. Pater profert verbum de corde, id est de intellectu, cùm ipse totus sit intellectus; illud profert, cùm & nostrum verbum quamvis leve, quamvis volatile de corde nostro proferimus. Veruntamen multum differt inter nostrum dicere, & Patris dicere. Nostrum enim dicere incipit & citò præterit, dicere autem Dei Patris non habet principium, & caret fine, quia nunquam finitur, & dein secundum non dicitur, sed semel tantùm Deus locutus est.* (Ps. 61.) *Per dico, habemus ex corde eructo: per opera verbum, quia*

V. Beda. Super initium Psalmi 44. de Mysterio SS. Trinitatis

Idem.

verbo omnia opera Patris ab æterno sunt: per Regi, bonum. Et
ſic planè prioris eſt repetitio. Hæc Venerabilis Beda. Si licet *Authoris explanatio ſuper initium Pſalmi.*
magnis Doctoribus exilem ſenſum meum adjungere, crederem
er ſententiam, eructavit cor meum verbum bonum, intelligi
æternam ab æterno, & usque in æternum Filij ex Patre adintra
enerationem exprimi: per textum verò, dico opera mea Regi,
ccipi poſſe Patris per verbum omnium rerum productionem ad
xtra, ubi Rex univerſorum Rex Regum ac Dominus Domi-
antium (*Ap.* 19.) conſtituitur. Videtur idipſum innuere idem *V. Bedæ ſecũda expoſitio conformis ſuperiori.*
octiſſimus Presbyter dicens. *Quaſi Deus Pater ita diceret: cor
eum eructavit verbum bonum, & huic Regi ſcilicet huic Ver-
o de corde meo prolato dico ego omnia opera mea, quia per hunc
mporaliter diſpono & facio.* Et infra. *Ideo dico huic Regi opera
ea, quia lingva mea, id eſt, hoc verbum eſt mihi, quod cala-
us eſt ſcribæ. Hoc enim verbo, utor inſtrumento ad regendum
uæ temporaliter facio, ſicut ſcriba verbum quod audit, aut cogi-
ndo invenit, calamo notat & diſponit.* De lingva porrò prole-
uitur idem Divus Beda. *Lingva mea calamus ſcribæ velociter* Idem.
*ribentis. Accepit cauſam pro effectu; lingvam ſcilicet pro verbo
uctato, & calamum ſcribæ pro verbo ſcripto.* Et infra. *Quare
Deus Pater per ſimilitudinem hanc verbum ſuum exponens, no-* *Verbum Patris quare verbo ſcripto comparatur?*
*it illud verbo prolato ſed ſcripto comparare, in qua duas quam-
s improprias habet ſimilitudines. Quia ſicut verbum ſcriptum* I.
*n ſonat neq; tranſit; ita verbum Dei tale eſt, quod non ſonat
erberato àère neq; tranſit, ſed ſemper manet. Lingva mea, hoc* II.
*, verbum meum, eſt calamus ſcribæ, id eſt, verbo ſcripto ſcri-
pris comparabile, & non cujuslibet ſcribæ ſed velociter ſcriben-
. Velociter enim Dei, velocius eſt omnibus: quia velociter ſer-
o ejus currit,* (Ps. 147.) *à fine ad finem attingens fortiter, &
ſponens omnia ſuaviter.* (*Sap.* 8.) Tandem proponit quæſtio-
m dicens: *ſi quis fortè quærat, quomodò hoc dicere Patrem de* *Quomodò hoc dicere Patris de verbo ſpectat ad Epithalamium?*
*rbo ad Epithalamium pertineat, ſciat quia multum pertinet.
cut enim Patres filios ſuos quos nuptijs tradunt, ſolent cõmen-
re; ita Deus Pater Verbum ſuum producturus nobis Sponſum,
ùs commendat eum à genere oſtendendo, ſcilicet ſibi conſubſtan-
le, coæternum, & in potentia coæquale.* Denique juxta com- *V. Bedæ 3 communis explicatio ſuper initiũ Ps. 44.*
nem ſenſum ait. *Poſſunt quoq; duo prædicti verſus aliter le-
quia non defuerunt, qui eos etiam in perſona Prophetæ intel-
rent & exponerent, juxta illud quod planè eſt epithalamium,
od Propheta ad honorem Sponſi & Sponſæ cantat; quaſi di-
: cor meum, id eſt, intimum interioris totius cordis & mentis
e, eructavit, id eſt, ab alto protulit, bonum verbum, id eſt,
o hymnum. Quid enim melius quàm Deum laudare? Nibil
. In verbo hoc eructando dico (pro dedico) id eſt conſecro
i meo, i. e. Deo regenti me, ut commutet de vetuſtate in novi-*

tatem opera mea, quæ ego per commutationem ejus, non ex na-tura hominis facio neq; ex corruptione, quod est dicere: quidquid boni facio, totum Deo & nihil mihi attribuo. Quod quisq; deb facere. Summum enim opus est nihil de se præsumere, sed Domi totum adscribere. Lingva mea calamus scribæ velociter scribe-tis, quasi dicat: dispono dicere bonum verbum in corde, atq; pr-fero, & lingva mea, id est verbum meum, est calamus scribæ, est scribitur à me, quod est dicere: verbum quidem profero, sed maneat & notificetur etiam scribo. Demùm concludit Deus P-ter, quod ego promitto de Incarnatione & dispositione Filij ejus commutatione agenda per ipsum, non differt implere. Velociter nim sentitur evolutum, quod cognoscitur peractum. Neq; deb videri tardum, quidquid habet terminum Ita Venerabilis Bed

D. Chrysostomi interpretatio juxta commune sensum.

D. Chrysostomus ex communi sensu eleganter interpretatur hu-ce versus *Quoniam eorum quæ dicebantur nihil erat humanu, sed cœlestia ac spiritualia erat narraturus, eaq; non ex propria i-ventione, sed ex Divina operatione eructationis nomine hoc sign-ficat. Ostenditur itaq; quod dicitur, non esse humani studij Divinæ inspirationis quæ eum incitabat, eructationem Prophe-am appellavit. Et quis est qui eructat? Non stomachus, qui ciborum receptaculum sed cor. Et quid eructat? Non cibum n potum, sed quæ sunt menti cognata & consimilia. Bonum verb nempe de Unigenito. Is est enim maximè bonus. Veni enim, i-quit, non ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.* (Joa 12.) *Omnia mitia ac mansveta, omnia supplicio libera. Dico e opera mea Regi. Quænam dicit opera? Prophetiam. Prophe enim est texere Prophetiam. Quod enim hoc quoq; sit opus, au Christum dicentem de Apostolis: dignus est operarius mercede su* (Luc. 10.) *Et S. Paulus: maximè qui laborant in verbo & d ctrina.* (1. Tim. 5.) *Si enim non erat opus, quomodò habuit l borem? Quid est enim hoc opere præstantiùs? Quid verò utili & omnibus artibus sublimius est? Quodnam ergo est opus, qu dicit? Hic hymnus, hæc Prophetia. Non dixit autem, cuinam R gi, sciens se dicere Deo universorum. Deinde rursùs declaran quæ dicitur non esse ab homine excogitata, meditata, & comp sita, sed ea esse Divinæ gratiæ, & se eis tantùm lingvam comm dâsse, subjunxit: lingva mea calamus scribæ velociter scribent Calamus autem ea scribit quæ jubet manus ejus, qui eum tene Alius autem dicit, lingva mea ut stylus scribæ celeris. Quid si vult illud celeris? Ut ex eo quoq; ostendat gratiam. Qui enim a liquid domo prolatum loquitur, differt & cunctatur meditans, c ponens, impeditus ignoratione, inscitiâ, & dilatione; & mult sint quæ velocitatem sermonis interturbant. Quando autem me tem movet spiritus, nihil est quod impediat, sed quemadmodù aquæ impetus cum magno murmure præcipitat, progreditur; it grat*

ratia Spiritûs cum magna celeritate procedit, omnia levia plana & expedita proferens. Hæc ex Divo Chrysostomo, quæ omnia uoad interpretationem volui authoritatibus Sanctorum Patrum roponere & exponere pro conclusione, ne quid explanationi ujus Psalmi deesset. Cæterùm confessionem Sanctissimæ Tri-itatis hìc exprimendo posset fieri applicatio talis, ut quasi De-s Pater diceret: *eructavit cor meum verbu bonum*; quasi eus Filius proferret, *dico ego opera mea Regi*. Spiritus San-tus autem adderet; *lingva mea calamus scribæ velociter scri-entis*. (*Ps*. 44) Pater æternus ex plenitudine Divinitatis suæ enerans Verbum se exprimens, quod est tanquam Filiꝰ Patri si-illimũ; totam plenitudinem Deitatis illi communicans in primo xtu intelligitur Verbum generatum dicens opera sua Regi de-otatur in secundo, quia omnia quæ per Verbum facta sunt, nè quo factum est nihil, (*Joan*. 1.) Patris omnipotentiam lo-uuntur & manifestant; qui secundùm Apostolum beatꝰ & solus otens, Rex Regum & Dominus dominantium, qui solus habet mortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem: quem nullus ominum vidit, sed nec videre potest. (1. *Tim*. 6) In tertio te-u Spiritus Sꝰ. qui in lingvis tanquam ignis apparuit, (*Act*. 2.) ngva est Patris & Filij tanquam calamus scribæ velociter scri-entis, (*Ps*. 44) quia Spiritu Sancto inspirati locuti sunt San-i homines, de quo Verbum Dei ad Apostolos: (*Joan*. 14.) ipse s docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero obis; adeòque per Spiritûs Sancti lingvam loquentem in cordi-us nostris habemus verbum Domini dictum & scriptum, quod anet in æternum. [1. *Pet*. 1.] Post primum SS. Trinitatis my-erium, per contextum Psalmi declarat Rex Prophetarum my-erium incarnationis Verbi Divini, quod Apostolus (1. *Tim*. 3.) ominat magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum t in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædi-tum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in oria. Et hæc sunt duo primaria sanctæ fidei fundamenta, qui-s commutati, novæ scilicet in Christo creaturæ innituntur. his Dei charitas cernitur, cui meritò hoc canticum pro Dile-o Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto, pro Dilecto Filio DEI carnato concinitur; tunc optimè quando tanto amori amor oque noster jungitur, ut simus ad intellectum veræ fidei de nctissima Trinitate & incarnatione Filij Dei deducti, & simus râ commutatione & transfiguratione dilectionis in Deum a-tum transformati, ad consummationem æternæ beatitudinis, quæ est finis noster, consequendam.

Confessio SS. Trinitatis in initio Psalmi hujus.

Quid per Psalmi 44. textũ primum, secũdum, & tertium intelligitur?

Duo fidei fundamenta.



In Festo Conceptionis B. V. Mariæ.

Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. Psalm. 44

B. Virgo parvula corpore, magna spiritu.

BEatissimam Virginem parvulam corpore, magnam spiriu, minimam in humiliatione sui, maximam in magnificatio e Dei per animam suam à tempore immaculatæ Concepti- nis suæ extitisse, nemini non est manifestum. PP. RR. FF. Di

Humilitas ejus

Humiliavit in jejunio animam suam, (*Ps.* 34.) per divinam pr- servationem à fructu vetito abstinendo, & præventa à Deo n benedictionibus dulcedinis, [*Ps.* 20.] maledictionis amaritudi e haud gustavit.

Cõtinẽtia ejus.

Continens fuit ab ambitione Divinitatis, ancilla Domini se æstimans, & ideò adjecit vitam; *Eccli.* 37. ipsam vi Deitatis in se recipiendo, ad Dei maternitatem est sublima. Nonne primitùs creata, & corpori organizato infusa anima ip- us tunc verè Dominum magnificavit, quando illius beneficio

Ab originali peccato præservata.

macula culpæ originalis libera, corpori incoinquinato unita, m- gna Dei opera in se agnovit? Fecit illi dominus magna, qu potens est: [*Luc.* 1.] potens de lapidibus, in quibus nulla vit, nulla aptitudo, nulla generationis similitudo, facere filios Abr- hæ; (*Luc.* 3.) potuit utique & ipsi conceptæ ac vitam inchoa- ti aptissimæ ad hoc & capacissimæ filiationem suam conferre, u in justitia atque innocentia originali conciperetur.

B. Virgo Filia Abrahæ. Fides ejus.

Beat, quæ credidit (*Luc.* 1.) Deo tanquam vera filia Abrahæ, ut ipsi reputaretur fides ad justitiam (*Gen.* 15.) primitivam: fieret;

B. Virgo Filia Dei ab ipso Conceptionis instanti.

quod majus est, filia Dei ab ipso Conceptionis instanti. Idcirc alloquitur eam Deus in Psalmo nostro nomine filiæ: Audi fil & vide. (*Ps.* 44.) Audi mihi credens & obediens. Vide m- gnalia honoris mei, & inclina aurem tuam ad humilitatem, o- blivíscere populum tuum, & domum Patris tui (*Ps.* 44.) p votum Virginitatis. Audivit, credidit, obedivit, vidit & incl- navit se, ac oblita populi sui & domûs Patris sui, se, populu suum, & domum Patris sui salvavit.

Mariæ anima magnificat Dominum.

Eapropter inquit: magn ficat anima mea Dominum, (*Luc.* 1.) qui ex se magnus, cuju magnitudinis non est finis, (*Ps.* 144.) extendit magnitudine suam, totum hominem in possessionem suam captivando.

Distributio magnitudinis in altitudinẽ, longitudinem, latitudinẽ, & profundum.

M- gnitudo in quatuor partes protenditur, in altitudinem, longitu dinem, latitudinem, & profunditatem, & in his omnibus De est maximus quia immensus. Apud Job (*cap.* 11.) describuntu hæ partes esse incomprehensæ in Deo. Excelsior cœlo est & qui facies? profundior inferno & unde cognosces? longior terr mensura ejus, & latior mari. Apostolus tamen possibilem judi cat comprehensionem dicens. (*Eph.* 3.) Ut possitis comprehen dere cum omnibus Sanctis quæ sit latitudo & longitudo & su blimitas & profundum. Hanc dimensionem magnitudinis ex plicat in Christo & in Deo. *Ib.* In Christo subdens: scire eand supereminentem scientiæ charitatem Christi, quæ per latitudi

nem

n extendit se ad omnes homines & gentes universas, quæ an- *Dimensio magnitudinis in Christo,*
legem, in lege, post legem fuerunt, sunt & erunt, per longi-
inem temporis ab æterno & usque in æternum, per subli-
atem primitias nostras super omnes cœlos ad summum eorũ
ollendo, per profundum ad ipsos inferos descendendo. In
o subinfert: ut impleamini in omnem plenitudinem DEI.
.) In Deo latitudo est omnipotentia & charitas, longitudo *in Deo,*
rnitas, sublimitas majestas, profundum abyssus judiciorum sa-
ntiæ & scientiæ Dei. (*Rom.* 11.) Sanctus Pater noster idipsum *D. Bernard.*
chrè explicat. *Divina essentia res una cùm sit, est tamen*
gitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, subli-
as propter majestatem, profunditas propter sapientiam. Hæc *quæ quomodo cõprehenditur?*
quadriga Dei. Sed quomodò hæc comprehendi possunt, do-
idem mellifluus Doctor. *Comprehendimus hanc duobus bra-* *Idem.*
s, timoris & amoris. Timor sublimi & profundo, amor longo
q; respondet. Hanc ergo magnitudinem Dei licèt quatuor *Hanc magnitudinem Mariæ comprehendit. Quomodo?*
ibus mensuratam, tamen immensam & infinitam quis com-
hendit? Comprehendit Maria quàm Christi tam Dei; quando
Christum castis concepit visceribus ac genuit, quem cœli ca-
e non poterant, suo gremio continendo: & Deum in virtute
issimi & Spiritûs Sancti superventu (*Luc.* 1.) cum Filio Dei
e recepit, adeòque totius Sanctissimæ Trinitatis fuit habita-
um & sanctuarium, tunc Dei magnitudinem duobus com-
xa est brachijs humilitatis & castitatis. Jam quis Deum ma-
ificare potest? Anima Mariæ magnificat Dominum. (*Luc.* 1.)
quid? Per dictam humilitatem, quæ utique Dei meruit re-
ctum, idque talem ut tam magnum Deum, immensum, &
nitum Maria in se complecteretur & comprehenderet; unde
o accederet magnificentia. Per quid? per Virginitatem; in-
ruptio enim proximum facit Deo, (*Sap.* 6) & mundum cor
um videt. (*Matt.* 5) Ideò astitit Regina à dextris Dei, (*Ps.*
4) quidni magnificentiam gloriæ sanctitatis Dei loquens? (*Ps.*
14) sanctimonia & magnificentia in sanctificatione Dei. (*Ps.*
9) Naturale est creaturæ rationali magnitudinem appetere & *Affectatio magnitudinis, creaturæ rationali connaturalis.*
ctare. Angelus vix creatus voluit esse similis Altissimo, (*Is.*
14) homo vix productus in Adamo & Eva voluit esse sicut
Dijs; (*Gen.* 3) & sic hæc magnitudinis appetentia crevit in ho-
minibus successivè, ijs potissimùm qui honoribus eminuêre, ita
u Deorum titulos sibi usurpaverint. Sed qui se vult ad magni-
tuinem extollere, dicente ipsâ veritate, debet se demittere ad
hilitatis parvitatem: qui se humiliat exaltabitur. (*Mat.* 18.)
E qui vult magnus fieri, magno Deo se conjungat, ita magni-
fibitur. Quid est homo quia magnificas eum? interrogat Job.
(7.) Solus *Deus* est hominis magnificator, ac ideò homo *Solus Deus hominis est magnificator.*
re procè Deum debet in se & in omnibus magnificare. Præci-

Quomodò anima Mariæ Deum magnificavit?

puè tamen per animam quæ eſt imago Dei, Deus magnificatur. Magnificat anima mea Dominum, inquit Maria. (*Luc.* 1.) benè anima mea, quia habuit illam in poſſeſſione ſua. Illam ſacrificavit Deo, immolavit Chriſto. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam, dicit æterna ſapientia. (*Joan.* 12.) En odium animæ, ut vivat in æternum. Anima carnis in ſangvine eſt, ait Scriptura, (*Lev.* 17.) jam illi qui naſcuntur ex ſangvinibus & ex voluntate carnis, non ſunt ex Deo nati. (*Joan.* 1.) Libera me de ſangvinibus Deus Deus ſalutis meæ, deſiderat magnus Pater Mariæ David. [*Pſ.* 50.] Maria fecit, liberavit quidem Deus Mariam, ſed & ipſa liberavit ſe per votum caſtitatis, odivit animã ſuam, *Joan.* 12. quæ in ſangvine carnis eſt, poſſedit animam ſuam; (*Luc.* 21.) inde benè dixit, magnificat anima mea Dominum, (*Luc.* 1.) cui ſe conſecravit.

Quomodò ſpiritus ejus exultavit in Deo?

Et quia caro non prodeſt quidquam, ſpiritus autem eſt qui vivificat, (*Joan.* 54.) infert: & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. (*Luc.* 1.) Omnia dicit mea, anima mea, ſpiritus meus, ſalutaris ſive Salvator meus. Ideò quoque dicit anima mea, quia in patientia poſſedit animam ſuam; (*Luc.* 21.) habuit enim paſſionum & potentiarum atque affectuum ſuorum dominatum, ſed maximè poſſedit illam per amorem Dei, amando enim Deum, & Chriſtum ſalutare ſuum amavit proculdubio, adeòque ſummè poſſedit animam ſuam.

Quæ differentia inter animam & ſpiritum?

Spiritus meus, ait, qui altior eſt animâ, hæc enim naturalis eſt, naturalia reſpicit, ſpiritus verò ſpiritualia & ſupernaturalia. Anima eſt inferior pars corpori conjuncta, ſpiritus ſuperior pars Deo adhærens. Anima eſt vita corporis, ſpiritus eſt vita animæ. Anima factis carnis eſt copulata, ſpiritus ea mortificat, unde qui ſpiritu vivit, deſideria carnis non perficit. (*Gal.* 5.) Sunt qui per animam intellectum, per ſpiritum autem voluntatem intelligunt; ita ut Maria tam intellectu magnificaverit Dominum, quàm voluntate in Deo exultaverit ſalutari ſuo. (*Luc.* 1.) Et hunc Deum, ſuum dicit Salvatorem, acſi diceret cum Abacuc: (*c.* 3.) ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo. In ſalutari meo, Syrus vertit, in vivificatore meo, quia Jeſus fuit Filius MARIÆ (*Matt* 1.) & præſervator illius à peccato originali per paſſionem ſuam, adeòque ipſi vitam dedit, à morte culpæ hujus illam vindicando.

Jeſus Mariæ ſupra omnes ſingularis fuit Salvator.

Verè Jeſus fuit ſingularis Mariæ Salvator ſupra omnes, non fecit taliter omni nationi, (*Pſ.* 147.) ipſi ſoli hæc gratia reſervata; nec immeritò tanquam propriæ Genitrici, ut ſimul eſſet Mater cunctorũ viventium, (*Gen.* 3.) ſalutis omnium hominum effectrix & mediatrix. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum, ait Propheta, (*Pſ.* 83.) primò cor, poſtea caro. Non ſic in Maria. Sublimiora ſunt quæ exultant, anima & ſpiritus. Ita ſanè gradatim eunt omnia, ut à ſpiritu Dei ſpiri-

s in homine concipiat gaudium, & animæ communicet, ani-
a cordi, cor corpori faciat participium. Gaudens gaudebo in
omino, & exultabit anima mea in Deo meo, ait Isaias, (*c. 61.*)
Regius Vates: (*Ps. 34.*) anima mea exultabit in Domino, &
lectabitur super salutari suo. Exultavit cor meum in Domino,
exaltatum est cornu meum in Deo meo, inquit Anna Mater
muelis. (1. *Reg.* 2.) Nostra verò Mater Emmanuelis longè
ajora canit. Lætabor & exultabo in te, profert rursùs Psaltes.
Ps. 9.) *Exultatio*, teste Euthymio, *major quædam est lætitiæ* Euthymius.
tensio, quæ præ nimio gaudio subsilire valde atq; elevari cor
cit. D. Albertus Magnus dicit ampliùs: *exultatio est quædam* D. Alber. M.
altatio in jubilo, cùm cordis gaudium saltat in corporis jucun-
tatem, & tunc patet exultare spiritum, cùm jucundatur in
pudio corporis. Sic imperat Zacharias: (*c.* 9.) exulta satis
a Syon, jubila filia Jerusalem, ecce Rex tuus venit tibi man-
etus, utique Jesus Salvator tuus & Redemptor. Sed quæ
usa magnificationis & exultationis Mariæ? Quia respexit hu- *Quæ causa exultationis & magnificationis Mariæ?*
ilitatem ancillæ suæ. (*Luc.* 1.) Amat Maria non semel coram
eo & Angelo Gabriele, sed & coram Elisabetha totoq; mun-
o se ancillam Domini fateri. Cur credimus Christum Domi- *B. Virgo cur à Christo Domino in Cana Galileæ & in Cruce vocatur non Mater sed mulier?*
um Matrem suam alloquentem binâ vice in Cana Galileæ, &
cruce nominâsse non Matrem sed mulierem? Crediderim id
xisse ad complacendum Matri suæ, cui nihil gratius, præter ea
uæ erant humiliationis sui, potuit accidere & oboriri. Humili-
tem ait, quæ Græcè tapinosis dicitur, id est vilitas, exiguitas,
jectio, quam Dei magnitudini opponit, ideóque dicit: ego
eum magnifico, & in ipso exulto, quia ipse cùm sit maximus
mnium Dominus, me omnium fœminarum imò creaturarum
ilissimam, pauperrimam, & abjectissimam oculis suæ bonitatis
spexit, & in Matrem sibi dignatus est adoptare. Concupiscet
ex decorem tuum, ait Psalmus noster 44 quoniam ipse est
ominus Deus tuus. Quem decorem? Humilitatem in Vir-
ine. Humilitas inter omnes virtutes se talem ignorat; humilitas *Vera humilitas*
mnes virtutes in se ut dona Dei respicit, ipsamque humilitatem
gnoscit non suis viribus sed Dei gratiâ acceptam, & exinde o-
nia Deo adscribit: quia respexit. Quia qui gloriatur, in *Do-*
ino glorietur; (1. *Cor.* 1.) & hic est *D*ominus Deus tuus, (*Ps.*
4.) Tuus singularis, Tuus salutaris, Tuus Filius Te sibi in Matrem
igens, & præservans ab omni culpa tam propria quàm aliena.
oncludo verbis S. Augustini, *Benè quòd Maria solùm in hu-* S. August.
ilitatem Dominum respexisse testatur, quia Divinitatis propiti-
tionē, quam humana natura in primis Parentibus per superbi-
m perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit. Quid jam
quitur? Prophetat ipsamet de se: [*Luc.* 1.] ecce enim ex hoc
atam me dicent omnes generationes. Si omnes generationes

B. Virgo supergreditur universas generationes.

Mariam beatificant; ergo omnes superavit, supergressa est universas. [*Pr.* 31.] In quo potissimùm? In suimet generatione per incontaminatam Conceptionem, in Filij *D*ei generatione per illibatam Virginitatem. Verè beata est Virgo Maria, & multipliciter beata omnem possidens beatitudinem & benedictionem, tanquam benedicta inter omnes mulieres. (*Luc.* 1.) Quia fecit mihi magna qui potens est; (*Ib.*) Syrus legit, quia egit apud me magnifica ille qui potens est, ideò magnificabat Dominum. Ita sanè incarnatio Filij Dei, est maximum opus Dei superans creationem totius mundi, quod factum est in Maria.

In quo?

Tria Dei opera, quibus majora non dantur.

D. Thomas.

Tria asserit Divus Thomas opera *D*ei, quibus non possunt dari majora: *Incarnatio Verbi, Maternitas virginea Dei, & beatitudo hominis æterna, quæ in Dei consistit visione.* Jam magnorum factorum in Maria ratio est, qui potens est. *Tota ratio facti* juxta Divum Augustinum, *est potentia facientis*; qui facit mirabilia magna solus, (*Ps.* 71.) apud quem non est impossibile omne verbum; (*Luc.* 1.) qui secundùm Sanctum Job, (*c.* 5.) facit magna & inscrutabilia, & mirabilia absque numero. Et qui potuit animam ipsius ab omni peccati maculâ præservare; ergo fecit. Et sanctum nomen ejus. (*Luc.* 1.) Nomina *D*ei sunt varia in sacra Scriptura. Nomen Saddai Abrahæ revelatum est, quod est Mammeus vel liberalis; nomen Jehova Moysi indicatum, quod est Ens, sive qui est, cui etiam Deus dixit: (*Ex.* 6.) ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis. Sed nomen proprium DEI omnia alia nomina comprehendens, est Sanctus, quod Seraphim & quatuor animalia acclamant, quod ipsum sola Maria agnovit tam in Deo & Christo, quàm in se. In Deo ut essentiali sanctitate, in Christo ut Sancto Sanctorum, quem ad consummandam prævaricationem & finem peccato imponendum, & delendam iniquitatem, & ad justitiam sempiternam adducendam, Ungendum futurumque Christum unctum Domini Daniel præscivit. (*c.* 9.) In se, quia per præservationem à culpa primitiva in Conceptione sua fuit Sancta à Deo facta, utpotè ex qua nasceretur Sanctum, quod vocaretur Filius Dei: (*Luc.* 1.) qui ipse unctus oleo exultationis præ participibus suis, [*Heb.* 1.] unxit Matrem suam unctione misericordiæ suæ, ut esset una uncta & electa ac benedicta super omnes creaturas, in qua finem haberet peccatum originale, & deleretur iniquitas terræ, (*Dan.* 9.) *Cùm sanctitas sit ab omni labe immunis*, inquit Sanctus Dionysius Areopagita, *& omnino perfecta & immaculata munditia; hinc Deus à munditie & virtutum omnium quibus plenissimus est, exuberantia, Sanctus Sanctorum nuncupatur.* Hoc ergo nomen Virgini mundissimæ cognitum, haud dubiè per præservationem ab omni macula ipsi fit insi-

D. August.

Varia Dei nomina in S. Scriptura.

Inter quæ magis proprium est, Sanctus.

Quid est sanctitas?

S Dionysius Areop.

llatum, ut & ipſa dicente Sancto Joanne Damaſceno, *eſſet* S. Joannes Damaſcen9.
nctum Sanctorum, quæ Sanctum Sanctorum (Num. 4) *no-*
peperit Sanctos omnes facientem Chriſtum Redemptorem quæ
um Deum, dico ego, ſanctitatem ipſam originalem mundiſ-
è & ſanctiſſimè ex ipſo Deo concepit & generavit. Jam poſt-
am Dei potentiam & ſanctitatem deprædicâſſet, conſequen- *Poſt potentiam & ſanctitatē, miſericordiam Dei Maria deprædicat.*
miſericordiam Dei erga timentes ſe, & juſtitiam ejus erga
erbos rebelles Deo collaudat. Et miſericordia ejus, pietas,
nitas, clementia, beneficentia atq; liberalitas, à progenie in pro-
nies timentibus eum, (*Luc.* 1.) quæ omnia & ipſa timens De-
ſuper omnes, ſummè experta eſt. Fecit potentiam in bra-
o ſuo, [*Luc.* 1] i. â fortitudine robuſtâ; in brachio ſuo, Filio
, qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia, (1. *Cor.* 1.) incarnando
m in Maria, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, (*Luc.* 1.) Re-
n filiorum ſuperbiæ Luciferum voluntate ſuâ & decreto diſ-
didit. (*Iſ.* 14.) *Et hoc mente cordis ſui*, ait S. Auguſtinus, *id eſt*, D. Auguſt.
profundo conſilio ſuo diſperſit eos. Profundum fuit conſilium, *Conſilium Dei in incarnatione & paſſione diabolo abſcōditum.*
pro me Deus fieret homo, & innocens pateretur, ut redimere-
nocens. Et in his erat conſilium, nec poterat illud diabolus
videre, ſed captus hamo Laviathan. In Græco, Syro, &
abico, cordis ſui eſt cordis ipſorum, & ſic refertur ad ſuper-
, ut videlicet intelligatur, *Deum* juxta Euthymium, *diſper-*
eos, qui corde erant ſuperbi, vel juxta alios, per men-
ſive cogitationem cordis ipſorum, quia eorum conſilia &
chinationes in ipſorummet exitium retorſit; qui juxta Jo-
m, (*c* 5.) apprehendit ſapientes in aſtutia eorum. Dominus
ipat conſilia gentium, & reprobat cogitationes populorum
Principum, (*Pſ.* 32.) eorum qui necem cum dæmone medi-
antur Salvatori; capti in retiaculo ſuo peccatores, (*Pſ.* 140.)
foveam quam foderunt Redemptori, inciderunt (*Pſ.* 56.)
rte ipſius victi & debellati. Inite conſilium & diſſipabitur,
Deus per Iſaiam (*c.* 8.) ad populum Iſraël, loquimini ver-
n & non fiet. Ulterior Divinæ juſtitiæ & miſericordiæ ef- *Juſtitiæ & miſericordiæ Divinæ effectus,*
us in duobus verſibus ſequentibus declaratur. Depoſuit po-
es de ſede, & divites dimiſit inanes, (*Luc.* 1) juſtitiæ Dei
dicativæ opera. Exaltavit humiles, & eſurientes replevit bo-
[*Luc.* 1.] gratiæ & miſericordiæ Divinæ munera. Hæc omnia *ſpecialiter in B. Virginis Conceptione.*
hodierna Virginis Deiparæ Conceptione patuerunt, quando
us ſuperbum diabolum potentem & divitem, cùm eſſet
nceps mundi hujus, omneſque homines ſub ſuo jugo tene-
diſperſit, dejecit, & inanem dimiſit in illa Matre ſua futura,
eccati primigenij captivitate eam liberando; exaltavit humi-
, & eſurientem juſtitiam replevit bonis, (*Luc.* 1.) gratiâ ſuâ
miſericordiâ illam præveniendo, ut eſſet gratiâ plena (*Luc.* 1.)
pſo ortûs ſui momento. Nunquid non exaltata humilis Ma-

ria ad omnem puritatem & Dei Maternitatem? Nonne e[...] ens Deum, Verbo Dei incarnato pasta? Tandem conclud[...] eadem misericordia susceptionem & salvationem Israëlis p[...] parvuli sui dilecti; quia juxta Sanctum Leonem, *causa rep[...] tionis nostræ non est nisi misericordia Dei.* Suscepit Israël pu[...] suum, (*Luc.* 1.) suscipiendo in Maria carnem ex Israële pr[...] nantem, recordatus misericordiæ suæ (*Luc.* 1.) olim Ab[...] promissæ, non fortuitò factæ, sed ab æterno provisæ & d[...] minatæ, in tempore Patribus ac sigillatim Abrahamo & se[...] ejus declaratæ, sicut locutus est ad Patres nostros, Abraha[...] men & semini ejus in secula collatæ; (*Luc.* 1.) quia in se[...] ejus quod est Christus, benedicendæ erant omnes gentes: ([...] 22.) quod semen purissimum fuit Virginis immaculatæ. [...] cernimus in cantico Sanctissimæ Deiparæ totam veteris & [...] Testamenti includi essentiam per compendium: ad hoc [...] omnes historiæ & Prophetiæ à creatione mundi possunt re[...] Quomodò namque illa, quæ Verbum in se habuit abbrevia[...] verbi Divini ex utroque Testamento non faceret Breviarium[...] quo sanè suam erga Deum gratitudinem pro suis & totius [...] beneficijs per magnificationem ejus maximè demonstravit. Q[...] modò illa, in quam supervenit Spiritus Sanctus, & quam p[...] dit, lingvâ ejus velut calamo scribæ velociter scribentis, ejus[...] Spiritûs Sancti dictamine, totius Scripturæ sanctæ à seipso [...] ritu Sancto inspiratæ non exhiberet in hoc cantico dulcissi[...] medullam? *In quo facta ipsa quoq; magnificentia Dei sing[...] ris*, ex sensu Divi Bernardini Senensis; *quia in ejus exalta[...] plùs magnificatur Deus: & ipsa in humiliatione sui, devoti[...] gratiarum actione & omnium bonorum Dei fruitione plùs ma[...] ficat Dominum, quàm omnis alia creatura simul sumpta.* [...] *magnificentia civitatis nostræ*, dicente Sancto Jacobo Ma[...] apud B. Amadeum, *utriusq; Jerusalem militantis & triump[...] tis.* *Est magnificentia populi Christiani*, ex mente S. Ger[...] Episcopi, ac licèt parvulo corpusculo prædita, magna tame[...] Deum magnificante animâ constans, viam indigitavit ad ma[...] capessenda per humilitatem & puritatem. Hæc meliora c[...] smata immaculatè Conceptæ Virgunculæ nostræ singularite[...] stæ, excellenter speciosæ, unicè mundæ & humilis PP. RR. [...] DD. sollicitè æmulemur, si nos gratiâ Dei & Christi atque [...] trocinio ipsius Deiparæ dignos volumus exhibere. Hoc [...] ticum ejus concinamus frequenter, magnificemus Deum in [...] bis & in operibus nostris, ut in oblectatione misericordiæ (*Ec[...]* 35) ejus suscipiamur, ad magnificandum illum & nomen sanc[...]

ejus in magnitudine gloriæ ipsius

in æternum.

Misericordiæ fruis, salvatio Israelis.

S. Leo.

Essentia veteris ac novi Testamenti in Cantico Deiparæ inclusa.

D. Bernardin Senensis

Maria magnificentia Dei.

S. Jacobus Major.

Via ad magna per humilitatē & puritatem.

Sermo Dominicâ III. Adventûs.

Lingva mea calamus scribæ velociter scribentis. Ps. 44.

Lingva homini damnosa,

LIngvà fuit damno homini, sive per collocutionem Evæ cum serpente, [*Gen.* 3.] sive per excusationes Adami & ejusdem Evæ in peccatis. (*Ps.* 140.) PP. RR. FF. DD. Immò lingva attulit humano generi irreparabile detrimentum, quod nonnisi Divinitùs corrigibile fuit, ubi lingva priùs à voce clamantis in deserto (*Luc.* 3.) per prædicationem pœnitentiæ ad

variis modis corrigitur.

confessionem peccatorum inducta, deinde ab ipso DEI Verbo per correptionem & correctionem debuit erudiri; ac postremò per Spiritum Sanctum lingvis igneis instructum inflammari, expurgari, & ad laudem Dei habilitari; ut fieret calamus scribæ

In Prophetis,

velociter scribentis. (*Ps.* 44.) Jam in Prophetis cæpit hæc lingvæ correctura. Et quidem Isaias (*c.* 6.) de se fatetur: vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito; unde ab uno de Seraphim, calculo forcipe sublato de altari, per contactum oris & labiorum mundatus fuit. Jeremias (*c.* 1) se puerum agnoscit, & asserit nescire loqui; ita ut necesse fuisset Dominum mittere manum suam, & tangere os ejus, & dare verba sua in os ejus. Tam calculus ignitus, quàm manus Domini figuræ fuerunt Verbi Divini incarnandi, per quod mundaremur, purificaremur, & instrueremur; cujus gratiâ Spiritus quoque Sanctus descenderet ad lingvas nostras reparandas. (*Act.* 2.) Nonne sapientia aperuit os mutorum, & lingvas

in Sanctis.

infantium fecit disertas? (*Sap.* 10.) Nonne Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines? Quando elevata fuit magnificentia Dei nostri, quæ est humanitas Christi super cœlos, tunc ex ore infantium & lactentium perfecit Deus laudem suam, (*Ps.* 8.) nimirûm simplicium, indoctorum, & humilium Apostolorum? pro quibus gratias agens Patri inquit: confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, Scribis, Legisperitis, Pharisæis, & Philosophis Gentilibus, & revelâsti ea parvulis, (*Mat.* 11.) Apostolis, Discipulis, cæterisque fidelibus. His idem Dominus & Magister imperat: cùm tradent vos, nimirùm ad Præsides & Reges, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed

Spiritus Sanctus loquens in Apostolis.

Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis; (*Mat.* 10.) acsi diceret lingva vestra erit calamus scribæ velociter scribentis, (*Psal.* 44.) ex abrupto dictantis, ex inopinato suggerentis omnia quæcumque dixero vobis. Hoc ipsum est quod illis promisit: ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarij vestri. (*Luc.* 21.) Ita in Divo Stepha-

no non poterant Judæi resistere sapientiæ & Spiritui qui loqu- batur. (*Act.* 6.) Jure meritò igitur Propheta Deum orat: D- mine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam (*Ps.* 50.) aperies vel calculo ignito, [*Is.* 6.] vel manu exten (*Jer.* 1.) aperies sapientiæ infusione, aperies Spiritûs Sancti spiratione, & os meum ministerio lingvæ excultæ & eruditæ a- nuntiabit & deprædicabit laudem tuam. (*Ps.* 50.) Ita equidem os homini datum est, ut eo utatur ad Deum laudandum, cu gloriam enarrant cœli, cujus opera annuntiat firmamentu (*Ps.* 18.) quem laudant astra matutina, cui jubilant omnes Dei, (*Job.* 38.) ita ut sicut cœlestium perennis actio est dice benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, hon virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum; [*Ap.* 7.] sic terrestrium hominum correspondentia debet esse, cant Domino in vita sua, (*Ps.* 103.) benedicere Dominum in om tempore, ut semper sit laus Dei in ore ipsorũ, (*Ps* 33.) & psall Domino quamdiu sunt. (*Ps.* 103.) Pulcherrime mellitus Am-

S. Ambros.

brosius. *Commune*, ait, *cum animalibus homini, videre, audi sed hoc est pretiosissimum, quòd homo Divinæ vocis sit organu & corporalibus labijs exprimit cœleste oraculum. Hoc est ma mum in homine, quòd sit laudis Divinæ capax. Quid est igi*

Idem.

os hominis? Interrogat postea & respondet: *quid est, nisi qu dam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, pro ptuarium voluntatis*; sed hæc omnia optimè si ad Divinã laud

Quid est lingva?

tendunt. Possum⁹ quoq; interrogare, quid est lingva? Est men interpres, sermonis expressio, fons elocutionis, forũ verborum voluntatis enuntiatio. Hæc omnia ritè, si est calamus scribæ ve lociter scribentis, (*Ps.* 44.) ad majoré Dei gloriam & volunt ejus executionem universa. Equidem hominis proprium loqui, unde quod noster vertit; & factus est homo in anima viventem: (*Gen.* 2.) Chaldæus vertit, & factus est homo

Quid est legitime loqui?

spiritum loquentem. Sed tunc loquitur legitimè, si quis loqu tur quasi sermones Dei, juxta doctrinam Divi Petri Apost (1. *Pet.* 4.) ad quod requiritur apertio oris per Deum facien Si enim ex mente Apostoli Pauli, (2. *Cor.* 3.) non sumus ido cogitare aliquid à nobis tanquam à nobismetipsis, sed suffici tia nostra ex Deo est; quidni minùs apti erimus aliquid eloq nobis tanquam à nobis, sed omnis loquela nostra ex Deo Dicit Evangelista Matthæus (*c.* 5.) de sermone Domini in m te, quòd aperiens os suum docebat discipulos suos; ubi opt

S. August.

Sol Doctorum observat: *nunc dictum esse eum aperuisse os um, quòd ipse in lege veteri aperire soleret ora Prophetar* Ezechieli (*c.* 29.) promittit Deus: Tibi dabo os apertum in m dio eorum, per quod libertas loquendi cum alacritate, intel bilitate, abundantia, amore, & fervore declaratur. Hoc ip

Th

ıba Evangelica expetit requirens ab Ephesijs, (*c. 6.*) ut sint vigi-
tes in omni instantia & obsecratione pro omnibus Sanctis, & pro
, inquit, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia,
ecè parrhesia, id est, eloquendi libertate, notum facere myste-
m Evangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso au-
m prout oportet me loqui. Deus animans Moysen detrectan-
legationem in Ægyptum propter naturalem defectum, quòd
peditioris & tardioris lingvæ esset, sic ait: Quis fecit os hominis?
nne ego? Perge igitur & ego ero in ore tuo, doceboque te quid
uaris. (*Ex.* 28.) Nec immeritò Esther (*c.* 14.) itura ad Regem
verum orat priùs Deum: da mihi fiduciam Domine Rex Deorum
niversæ potestatis; tribue sermonem compositum in ore meo in
spectu leonis, id est Assveri. Benè loqui est gratia gratis data. *Benè loqui est gratia gratis data.*
mini est gubernare lingvam, ait Sapiens. (*Pr.* 16.) Quid tamen
quòd alibi precetur Propheta: pone Domine custodiam ori meo,
stium circumstantiæ labijs meis? [*Ps.* 140.] Nisi quòd Dei o- *Dei opus est os hominis claudere & aperire.*
sit claudere os nostrum & aperire. De utroque eleganter Divus
gorius. *Illius labia Deus aperit, qui non solùm quod loquitur, sed* D. Gregor.
m quando & ubi & cui loquatur, attendit. Sapientia namq; Dei
t: (Isaiæ 50.) *Dominus dedit mihi lingvam eruditam, quando sci-*
oporteat sermonem dicere. Meritò ergo sapiens est, quia accepit
Domino, quo tempore sibi loquendum sit. Unde non inconvenienter
Scriptura: (Eccli. 20.) *homo sapiens tacebit usq; ad tempus. Hinc*
sùm scriptum est: [Eccli. 28.] *ori tuo fac ostium & vectem, & in* *Ostium oris & vectis.*
bis tuis jugum & stateram. Et fortassè hoc ostium sibi Propheta
ulabat à Domino cùm dicebat: [Ps. 140] *pone Domine custodiam*
meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Debemus enim os no-
m claudere & diligentiùs observare, ne quis in iracundiam excitet
em nostram, & contumeliam rependamus contumeliâ. Jugum
m in verbis nostris esse & statera præcipitur, (Eccli. 28.) *ut*
e quod loquimur, & humilitate condiatur, & mensurâ ponderetur.
It præclarissimè D. Gregorius Magnus. Non tamen frustra petit *Quare petantur labia aperiri?*
Regius Vates (*Ps.* 50.) à Domino, labia sua aperiri, quia sunt appo-
ori ad instar vallorum vel vinculorum. Egregiè D. Ambrosius D. Ambros.
et. *Restringatur,* inquit, *lingva habenæ vinculis, frenos habeat*
quibus revocari possit. Quid labia nostra, nisi quædam nostra *Labia vincula sunt oris.*
cula sunt? Deniq; vinculis labiorum suorum unusquisq; constrin-
r. Ideò Sapiens in tempore tacet & secum ipse considerat, quo tem-
e loqui debeat, de quo præclarè ipse Salomon: labia sapientis alliga
sunt in intellectu. (Eccli. 28.) *Quando ergo vides illudentibus pro-*
vis sapientem tacere, dic: ligavit iste intellectu labia sua, hoc est,
denter tacet, ne labiorum suorum vinculis alligetur. Posuit ori suo
odiam, [Ps. 38.] *sepsit aures suas spinis, vectem adhibuit foribus*
sui, (Eccli. 28.) *servat thesaurum cordis sui & argentum elo-*
sui, ut examinatum & purgatum, quantùm oportet, proferat, ne

quisquam priùs fur in cor ejus, aut perturbator irrumpat, & ad
captivum trahat, quibus flagitia sua vendat. Hæc melleo ore Di
S. Ephrem. Ambrosius, cui consonat Sanctus Ephrem. *Motu labiorum cordis*
stri arcana depromuntur. Nam ubi os nostrum aperitur amoto j
ostio atq; custode; sermo etiam noster citra delectum temereq; proge
ditur, per verba autem, cordis occulta produntur. Os siquidem q
animi secreta non servat, suas illi cogitationes furatur, & dùm in
se mens continere se existimat, oris temeritate atq; effrænatione div
D. Bernard. *gatur.* Accedit ad hoc mellifluus Pater noster. *Os nostrum,* ait,
Os est ostium cordis. *ostium cordis nostri, per quod verba quasi quædam nuncia egrediunt*
nuntiantia quid interiùs agatur in corde; quod verbis prudentibus
utilibus est in tempore reserandum: pravis verò verbis, quæ de m
motibus cordis surgunt, jugiter est claùdendum. Sequamur consili
S. Chrysostomi. *Os tuum thesaurum Regium non satanicum sep*
chrum effice. Quodsi sepulchrum sit, saltem occlude ne fœtor exe
Alludit ad illud Prophetæ: (*Ps. 5.*) sepulchrum patens est guttur o-
S. Chrysost. rum. Aliàs teste eodem Divo Chrysostomo, *peccatum suapte nat*
Peccatum os obturat. *lingvam astringit & os obturat*; & dicente Theodoreto, *peccat*
lingvam ligare solet, & os oppilare, strangulare, & cogere ut conte
scat. Est dœmonium mutum, cui necesse est ut dicatur à *Domi*
Ephetha, quod est adaperire; [*Marc. 7.*] ut solvatur vinculum h-
gvæ nostræ. Est ille hostis, de quo Esther (*c. 7.*) loquens de inimi
Judæorum, vult claudere ora *D*eum laudantium; ac ideò benè P-
pheta (*Ps. 50.*) antecedenter orat: libera me de sangvinibus; videli
D. August. de peccatis sordidis; (*in multis sangvinibus*, explicat S. August
tanquam in origine carnis peccati, nimirùm in carne per originale p-
catum corrupta, multa peccata intelligi voluit) & exaltabit ling
In ore peccatoris laus Dei nõ est speciosa. mea justitiam tuam. Non enim est speciosa laus in ore peccato
(*Eccli. 15.*) Hinc Deus apud Isaiam: (*c. 1.*) cùm multiplicaveritis -
rationem, non exaudiam; manus enim vestræ sangvine plenæ sur,
Origenes. opera vestra peccatis repleta. *Quis putas,* inquirit Origenes, *ita c-*
noræ vocis est & spiritûs, ita puræ mentis, qui sincerè canat, ut can-
lena ejus Divinum possit delectare auditum? Ille profectò est, qui n-
lum habet in se raucum peccati sonum, qui nihil peccati in lingva, -
D. Gregor. *hil crassitudinis in spiritu gerit.* Idipsum D. Gregorius declarat. *I*
Propheta, (Ps. 50.) inquit, *indulgentiam peccatorum primùm à D-*
mino expetit, postmodùm se laudem Dei annuntiaturum esse prom-
tit, nobis patenter innuens, quia illi soli laudis Dei possunt sen
dulcedinem, qui peccatorum suorum meruerint percipere remission
Unde scriptum est: (*Ps. 32.*) rectos decet collaudatio. Jam igi
Origenes. juxta Origenem, *os Sanctorum aperit Deus, impiorum diabolus;*
D. Ambros. secundùm D. Ambrosium, *os peccatoris Deus claudit ne loquatur j-*
stitias Dei; justi aperit ut loquatur. Cujus ergo labia aperit, hunc p-
cati absolvit reatu. Pro coronide annecto pulchram *D.* Gregorij -
flexionem supra illud Ezechielis, ubi dicitur (*c. 40.*) de mensis, q-
bis

s vasa templi sustentabantur, quòd earum labia erant reflexa intrin- ùs per circuitum, quod Doctoribus applicat dicens. *Tunc mensa- n labia intrinsecùs reflectuntur, quando Doctores ad conscientiam ocant tacitâ cogitatione quod dicunt, quando semetipsos subtiliter scrutantur, si faciunt quod loquuntur.* Et subnectit. *O Doctor, e jam mensa es, jam vasa portas, jam in vasis fictilibus pondus ho- usti & victimæ sustines, sed intùs reflecte labium, id est, ad cor oca sermonem. Audi quod dicis, operare quod prædicas.* Svavissimè Doctor noster ait. *Servas consonantiam vocum, serva & concor- m morum, ut per exemplum concordes proximo, per voluntatem o, per obedientiam Magistro.* Concludo verbis D. Gregorij. *Pro- amus ergo sermones examinatos librâ justitiæ, ut sit gravitas in u, modus in verbis, pondus in sermone. Nec priùs loquendo os ape- nus quàm expediat; sed examinemus verba nostra si tacendum est, icendum adversùs hunc, si tempus sit sermonis hujus, postremò si à tute modestiæ non dissentiat. Nihil indecens, nihil inhonestum, ni- invidum sonans erumpat.* Verùm quia ad hæc omnia idonei esse n possumus, nisi hoc à largitore omnis gratiæ percipiamus; excla- ndum est nobis cum Propheta: (*Ps.* 50.) Domine labia mea aperi- & os meum annuntiabit laudem tuam. Non meam addo ego, sim ingratus non reddens Deo quod Dei est: (*Matt.* 22.) vel fur rpans mihi quod meum non est. Omnia Deo attribuenda, omnia Deum referenda. Absit lingva blasphema, similis ero Altissimo; 4. eritis sicut Dij, (*Gen.* 3.) hæc est quæ fuit summo tam Ange- quàm homini detrimento. Adsit lingva benedicens Deum in nibus operibus ejus & suis, (*Ps.* 33.) quæ summo omnibus est emo- ento. Aberit illa, aderit ista, si lingva nostra fuerit calamus scribæ ociter scribentis, (*Ps.* 44) non spiritûs maligni, sed Spiritûs Sancti dientissimum instrumentum, solius verbi Divini & laudis Divinæ organum resonantissimum nunc & in æternum.

In mensis tēpli cur labia reflexa?

D. Gregor.

Idem.

S. Bernard.

D. Gregor.

Sermo Dominicâ IV. Adventûs.

Velociter scribentis, Ps. 44.

QVidquid Deus agit, velociter agit. PP. RR. FF. DD. In creatione mundi ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. (*Ps.* 148.) Quid velocius? Apud homines à dicto ad fa- m est magnus tractus; apud Deum dictum factum, mandatum s. Primâ die creationis dixit; fiat lux, & facta est lux; (*Gen.* 1.) ic consequenter verbo Domini cœli firmati sunt, (*Ps.* 32.) & fir- us orbis terræ qui non commovebitur. (*Ps.* 92.) In redemptione ndi misit eloquium suum terræ, velociter cucurrit sermo ejus; [*Ps.* 18.] exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cœlo e- sio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus. (*Ps.* 147.) Ecce venit saliens in montibus transiliens colles, similis capreæ hinnu- que cervorum, (*Cant.* 2.) per quod indigitatur velocitas cursûs

Velocitas Dei in agendo. In creatione mundi,

in redemptione mundi,

 ejus,

ejus. Inde apud Isaiam (*c. 8.*) vocatum est nomen ejus: accel
spolia detrahere, festina prædari. Ipse quoque voluit Phase com
festinanter, (*Ex* 12.) qui desiderio desideravit manducare hoc Pas
[*Luc.* 22.] ad salvandum ocyùs genus humanum. In sanctificat
ne mundi factus est repentè de cœlo sonus tanquam advenientis s
ritûs vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes. (*A*
2.) Qualis est Deus tales habet & ministros. Deus ipse ignis con
mens est. (*Deut.* 4.) Quid celerius igne? Facit quoque Angelos
os spiritus, & ministros suos flammam ignis. (*Ps.* 103.) Quidni &
les vult habere homines, promptos, obsequentes, viros veloces in
pere suo, [*Pr.* 22.] ignitos, ardentes dilectione, ferventes operat
ne, sicut omnes creaturas habet sibi ad omnem nutum celeriter o
dientes. Imperat ventis & mari, & ecce facta est tranquillitas m
gna. (*Matt.* 8) Ita evestigiò venti & mare obediunt Deo. Agn
vit hanc operationum Divinarum celeritatem Centurio petens: d
tantùm verbo & sanabitur puer meus. (*Matt.* 8.) Proponit Salva
ri exemplum à seipso inquiens: dico huic vade & vadit, veni &
nit, & servo meo fac hoc & facit. Quantùm ejusmodi velocitatem
exposcat Sponsus in Sponsa, manifestat exhortans illam: surge p
pera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. (*Cant.* 2.)
Idipsum Spiritus Sanct⁹ superveniens in primam ac primariam Spo
sam suam effecit, quando exurgens Maria abijt in montana cum
stinatione. (*Luc.* 1) Super quo D. Ambrosius infert: *nescit tar*
molimina Spiritûs Sancti gratia. Quandoquidem verò accelerat Deus
ut eruat, *Ps.* 30. festinat ad adjuvandum nos, *Ps.* 69. cùm invocam
succurrit, velociter exaudit, *Ps* 68. cum festinatione liberat; nobis qu
velociter agendũ, velociter scribendum cum veloci Scriba cœlesti, q
ubi vult spirat. (*Joan* 3.) Motiva ad velociter progrediendũ in via Di
ad currendum viam mandatorum Dei (*Ps.* 118.) in hac vita plurima
reperiuntur. Primò quidem adesse festinant tempora, *Deut.* 32. fe
nandum cum tempore, redimendo tempus, quoniam dies mali su
(*Eph* 5.) Vita currit, momenta prætervolant, quidni cum vita eju
momentis curramus & nos ac volemus? Dies cujuslibet hominis fu
velociores cursore, quia deprehendi non valent, (*Job.* 9.) quàm n
sint: nisi cùm repentè transacti finiuntur, qui venientes longi videb
tur. Hostis à tergo instat, à lateribus urget, nonne festinandum?
Monet Philosophus Ethnicus amicum. *Propera mi Lucilli chari*
me, inquit, *& cogita quantùm adductus celeritate fuisses, si à te*
hostis instaret, si equitem adventurum suspicareris ac fugientium p
mi vestigia. Sic hìc premeris, accelera, evade, tantò magis, quia inim
nostri sunt properantes bestiæ ad devorandum, (*Jer.* 15.) pedes eorum
veloces ad effundendum sangvinem. (*Ps.* 13) Dœmones sunt ve
ciores lupis vespertinis, (*Hab.* 1.) diligenter circumeuntes & exq
rentes quos devorare possint. (1. *Pet.* 5.) Festinat pes eorum in do
& sicut Rex Hai festinavit adversùs filios Israël, (*Josue* 8.) ita solli
tu

in sanctificatione mundi.

Hanc operationum Divinarum celeritatẽ agnovit Centurio.

Motiva ad velociter progrediendũ in via Dei. I.

II.

Velocitas Dœmonum ad nocendum.

do magna eſt diaboli ad tentandas animas ac perdendas. Deinde œmium magnum in æternitate currentibus in hoc vitæ mortalis rſu eſt ſtatutum. Sic currite ut comprehendatis, hortatur Apoſto-s, (*1. Cor. 9.*) qui de ſeipſo inquit: ſic curro non quaſi in incertum; *Ib.*) & apud Philippenſes (*c.* 2.) gaudet ſe non in vacuum cucurris-, nec in vanum laboráſſe. Aſt clariùs ad Timotheum (*c.* 4.) ſcri-t: bonum certamen certavi, curſum conſummavi. Quanta felici-s! De Galatis (*c.* 5) quoque aſſerit: currebatis benè, quis vos im-divit veritati non obedire? Spes prœmij debet nos ad velocitatem rsûs incitare. Qui ſperant in Domino, inquit Iſaias, (*c.* 40.) muta-nt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non la-orabunt, ambulabunt & non deficient. Sic currens non habebis of-ndiculum, promittit Sapiens, [*Pr.* 4.] quia fervor devotionis o-nia tollit obſtacula. Sit nobis pro exemplo Doctor Gentium lo-ens ad Philippenſes: (*c.* 3.) non quòd jam acceperim aut jam per-ctus ſim; ſequor autem ſi quomodò comprehendam, in quo & mprehenſus ſum à Chriſto Jeſu. Fratres, ego me non arbitror com-ehendiſſe. Unum autem, quæ quidem retrò ſunt, obliviſcens, ad ea rò quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, rus vertit, decurro ad metam; Tertull⁹ *ſecundùm ſcopum*; Sanctus yprianus legit *ad regulam ſequor.* Quid illud? Ad bravium ſuper- vocationis Dei in Chriſto Jeſu. Ac concludit: quicunque ergo rfecti ſumus, hoc ſentiamus. *Sed quodnam bravium eſt?* interro-t aureum Os. *Non ramus palmæ. Sed quod? Regnum cœlorum, re-ies ſempiterna, gloria cum Chriſto, hæreditas, fraternitas, innume-bilia bona quæ verbis exprimi non poſſunt. Palmæ illius pulchritu-nem explicare nefas eſt, ſolus ille novit qui obtinet. Et quid acceptu-s eſt? Non eſt aurum, non ex lapidibus conſtat, multò iſtis eſt preti-us. Aurum præ illo lutum eſt, & lapides pretioſi præ illa pulchritu-ne lateres ſunt.* Deniq́ue nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis aſcendit. (*1. Cor.* 2.) Miratur Divus Pater noſter, omodò cœleſtibus neglectis homines inſani in hiſce terrenis & undanis morentur, dicens: *Quæ nos agit inſania? Vitiorum ſitire ſinthium, hujus mundi ſequi naufragium, vitæ labentis pati infor-nium, impiæ tyrannidis ferre dominium, non magis convolare* (no-benè feſtinationē) *in Sanctorum felicitatem, Angelorum ſocietatē, i videbimus gloriæ decorem, ſanctitatis ſplendorem, & Regiæ poteſta-honorem*; nec tantùm videbimus, addo ego, ſed & poſſidebimus. omovet velocitatem noſtram brevitas vitæ & finis ejus incertitudo, ia juxta Divum Hilarium, *diei ignoratio intentam ſollicitudinem ſpenſæ expectationis exagitat.* Mors non tardat ad nos, (*Eccli.* 14.) c nos tardemus ad mortem. Neceſſaria eſt feſtinatio ne claudatur ua, quando mediâ nocte inſperatè clamor fiet: ecce Sponſus venit te obviam ei. (*Matt.* 25.) Veniens veniet & non tardabit, dicente bacuc Prophetâ: (*c.* 2.) imò ipſomet aſſerente in Apocalypſi, (*c.* 22.)

Margin notes: III. — *Spe præmij velociter currendum,* — *exemplo S. Pauli.* — *Bravium supernæ vocationis quod?* S. Chryſoſt. — S. Bernard9. — IV. — D. Hilarius.

ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuiq; ſecundùm opera ſua. Equidem tunc non eſt trahenda mora, vigilandum & invigilandum cum prudentibus Virginibus, ne cum fatuis excludamur. (*Matt.* 25.) Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, imperat Apoſtolus, (*Heb.* 4.) ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.

Quid eſt vita humana? V.

Sed quid eſt vita noſtra, niſi cumulus tentationum, congeries miſeriarum, tribulationum acervus, ægritudinis grabatum? Ipſæ afflictiones urgent gradum, ut feſtinanter eamus. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, ait Rex Prophetarum, (*Pſ.* 15.) poſtea acceleraverunt. Ipſemet de ſe inquit: [*Pſ.* 76.) in die tribulationis meæ Deum exquiſivi manibus meis, nocte contra eum, & non ſum deceptus. Feſtinandum nobis in petendo Domini auxilio, ut ipſe feſtinet ad adjuvandum, (*Pſ* 69.) qui antequam invocetur, dicit: adſum.

Per adverſitates ad Deum curritur,

Ita fit, tunc currimus ad Deum, quando nos aliqua mala premunt. In proſperis enim vix Dei recordamur. Impingvatus eſt dilectus & recalcitravit; (*Deut.* 32.) ſed cùm occideret eos quærebant eum, & diluculò veniebant ad eum. (*Pſ.* 77.) Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine. (*Pſ.* 82.) Cœlum tribulati, afflicti & exercitati petunt. Exi citò mandat Paterfamilias in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles & cœcos & claudos introduc huc. (*Luc.* 14.) Quin exi in vias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.

& infirmitates.

Ita virtus in infirmitate perficitur (2. *Cor.* 12.) Infirmitas gravis ſobriam facit mentem, inquit Eccleſiaſticus. (*c.* 31.) Hinc Apoſtolus: Libenter, ait, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto. Cùm enim infirmor, tunc potens ſum. (2. *Cor.* 12.) Quis crederet in infirmitate potentiam, in debilitate velocitatem, in tribulatione gaudium? Et tamen ita eſt; quia per hæc feſtinatur ad cœlum, & benedictio Domini feſtinat in mercedem juſti, (*Eccl.* 11.) quem excoquit tribulatio, & tanquam aurum in fornace ejus probatur. (*Sap.* 3.) Feſtinat juſtus accipere doctrinam, quia promptus eſt ad bonum, & ad ſuſcipiendam correctionem ac pœnitentiam.

Citò conſentiendum Verbo Dei.

Revera citò conſentiendum eſt adverſario in via, Verbo Dei nos corripienti, quia incertum eſt tempus vitæ præſentis nobis ſervientis ad pœnitentiam faciendam. Feſtinavit populus Judæorum ad tranſeundum Jordanem in terram promiſſionis. (*Joſue* 4.) *Sollicitudo hæc*

Origenes.

juxta Origenem, *benè operandi & implendi omnia præcepta poſt ſuſceptum baptiſma.* Sed nonne vox Joannis Baptiſtæ vox clamantis in deſerto præcipit parare viam Domini, rectas fieri ſemitas ejus? (*Iſ.* 40.)

Via Domini quomodò paranda?

Id quomodò? Omnis vallis implenda & omnis mons & collis humiliandus, & ſint prava in directa & aſpera in vias planas.

Ad quid?

Ad quid hæc? Equidem crediderim ut faciliùs curratur, velociùs procedamur per planitiem. Ubi enim ſunt ardua montium, profunda vallium, lentior ac tardior fit in curſu progreſſus. Velociter ad nos

ſermo Dei, (*Pſ.* 147.) feſtinat detrahere ſpolia, (*Iſ.* 8.) appropin-
quat redemptio noſtra (*Luc.* 21.) per Chriſtum, qui vias omnes ad
per gratiam & miſericordiam complanavit; utique & nobis curré-
dum eſt absque intermiſſione per directionem cordis eructantis ver-
bum bonum confeſſionis, per directionem operum noſtrorum Regi
Regum, vias noſtras planas reddendo per opera pœnitentiæ, opera ſa-
tisfactionis, opera juſtitiæ; ſatagendo, velociter agendo, ut per bona
opera certam faciamus vocationem noſtram, [2. *Pet.* 1.] non pro-
craſtinando ad benè operandum cujus ſumus incerti; citò reddendo
vota noſtra Deo, (*Pſ.* 49.) cum filio prodigo pœnitente & dicente;
(*Luc.* 15.) ſurgam & ibo ad Patrem meum: quatenùs Pater cœleſtis
jubeat citò proferri nobis ſtolam immortalitatis, quam perdidimus
in prævaricatione primorum Parentum. Feſtinârunt illi ut facerent
malum, quia primo die creationis ſuæ præceptum Dei intra paucas
horas transgreſſi ſunt. Feſtinemus nos ut faciamus bonum per dies
vitæ noſtræ, qui breves ſunt juxta Jobum; (*c.* 14.) imò & breves anni
tranſeunt, *Job.* 16. diligenter obſervantes præcepta Dei, velociter ince-
dentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſinè querela,
(*Luc.* 1.) nullum momentum tranſire patientes abſque aliquo actu
pietatis & virtutum, per ardorem charitatis & fervorem devotionis
progreſſus noſtros ad æternitatem maturantes; ut ultimariè citò ve-
niat ſalus noſtra per illum, qui ecce feſtinus velociter veniet; (*Apoc.*
22.) ac tùm poſſimus gaudere & exultare, quoniam nomina noſtra
ſcripta ſunt in cœlis. (*Luc.* 10.)

Currendum & nobis abſque intermiſſione.

Quomodo?

Sermo in Feſto Nativitatis Chriſti.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Ps. 44.

Incipit epithalamium conjunctionis Verbi Divini cum carne hu-
mana, ſive carmen nuptiale Regis Sponſi cœleſtis cum Regina
Sponſa terreſtri Eccleſia, in quo laus utriusq; per Regem, qui fuit
Regius Pſaltes Iſraël 2. *Reg.* 23. decantatur; quidni hodie vel maximè
decinendū eſt & publicandum, quando ex utero Virginis Matris eſt
procedens tanquam Sponſus de thalamo ſuo, (*Pſ.* 18.) verè ſpecioſus
formâ præ filijs hominum? (*Pſ.* 44.) Sed quis ego ſum qui formam
Sponſi à Propheta deſcriptam ſermone explicem? Egone qui innata
turpitudo, ex origine in iniquitatib⁹ conceptus, (*Pſ.* 50.) & multipli-
citer ex actu, in multis offendens cum omnibus; *Jac.* 3 ita ut turpem
me eſſe & videri exiſtimem, (1. *Cor.* 7.) illam pulchritudinem quam
Sol & luna mirantur, deprædicare? Egone cœcus à nativitate, (*Joan.*
9.) qui in tenebris ambulo & lumen cœli non video, (*Tob.* 5.) au-
deam ſpeculari illam ſpeciem, in quam deſiderant Angeli proſpicere?
(1. *Pet.* 1.) Quia tamen hodie populus, qui ambulabat in tenebris, vi-
dit lucem magnam; quia habitantibus in regione umbræ mortis lux
orta eſt; [*Iſ.* 9.] quia per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitavit nos Ori-
ens ex alto; ſpero quòd illuminabitur & mihi in tenebris & umbra

Epithalamium conjunctionis Verbi Divini cum carne humana.

mortis sedenti, [*Luc.* 1.] ut aliquod testimonium perhibeam lumine (*Joan.* 1.) hodierno admodùm specioso. Pro hoc oro, D us meus illumina tenebras meas, [*Ps.* 17.] illumina oculos m Domine. (*Ps.* 12.) Sed quomodò potero pulchritudinem quam vidi enucleare? Rex Prophetarum quidni videns fuit? Prophet nim in Scriptura sacra Videntes appellantur, (1. *Reg.* 9.) quia ut rimùm prophetias suas visionum nomine intitulârunt; Deus na locutus est in visione Sanctis suis. (*Ps.* 88.) Quidni videns fuit D Rex, cui constitutum de Christo Dei Jacob? 2. *Reg.* 23. De quo D paravi lucernā Christo meo; [*Ps.* 131.] qui de se ait: Spirit⁹ Domin cutus est per me, & sermo ejus per lingvam meam. (2. *Reg.* 23.) prodeuntem de thalamo Sponsum asserit in sole posuisse tabern lum suum. (*Ps.* 18.) Ecquis in solem apertis & irretortis potest re cere oculis? Aquila sit necesse est, qualis erat Joannes Evangeli qui de se inquit: (1. *Joan.* 1.) quod audivimus, quod vidimus oc nostris, & perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de ve vitæ; & infra: quoniam Deus lux est & tenebræ in eo non sunt u Hanc lucem ipse vidit dicens: erat lux vera quæ illuminat omn hominem venientem in hunc mundum. [*Joan.* 1.] Videamus & caligantibus licèt oculis, quia radijs suis obcœcat oculos carnales, lucem hodie instar solis valde speciosi in splendore suo orientem. sinè lumine nihil videtur, nec ipsum lumen, ita enim inquit Prop ta: (*Ps.* 35.) in lumine tuo videbimus lumen. Porrò ipsa Lux ime rat: (*Joan.* 12.) dùm lucem habetis credite in lucem, ut filij lucis sis

Prophetæ quare Videntes appellati?

Ergo ad lucem videndam lumen fidei requiritur, dicit enim iterùm ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris n ambulet. (*Ib.*) Eramus quidem & nos tenebræ per infidelitatem nunc autem lux in Domino per fidem; (*Eph.* 5.) in Domino qui lux est, & qui de se inquit: ego sum lux mundi, qui sequitur me, utique credens in me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vit [*Joan.* 8.] quia in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. (*Joan.* 1.) Solem igitur oculis intellectûs lumine fidei illustratis cernimus ho- die orientem, omnia lumine & calore suo vivificantem, quia in foe, videlicet humana natura, solus Deus posuit tabernaculum suum in- mutabile, (*Ps.* 18.) sedem constituit fixam ac mansionem æterna & ita sibi univit, ut in duplici Divina & humana natura una perso subsistat; ac die hodiernâ per Nativitatem ex Matre Virgine sistat se spectandum orbi universo. Placet inspicere parallela solis & Chri nati? Nihil similius, nihil convenientius, nihil accommodatius. materialis hominibus à somno surgentibus illucescit. De Christo Apostolus: surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus; (*Eph.* 5.) de quo Malachias Propheta (*c.* 4.) vaticina est: orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. Ortus est exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usq; ad vesperam. (*Ps.* 103.) Post ortum Solis justitiæ, (*Mal.* 4.) opera nostra

Ad Lucem Deum videndam lumen fidei requiritur.

Parallela solis & Christi nati.

ipso

...o, & per ipsum, & cum ipso sunt omnia, ex quo omnis sufficien-
... nostra, (2. *Cor.* 3.) qui de se asserit: (*Joan.* 15.) sinè me nihil po-
...tis facere, nihil boni operis, nihil justæ operationis usque ad ve-
...ram mortis; totum ipsi attribuendum quidquid boni operamur, *TotumDeo tribuendũ, quidquid boni operamur.*
... qui gloriatur, in Domino glorietur. (2. *Cor.* 10.) Vanum enim est
...bis ante lucem surgere. (*Ps.* 126.) Opera lucis nonnisi in luce &
...n luce peraguntur. Ego dormivi & soporatus sum, ait Propheta,
...*Ps.* 3.) & exurrexi. Quâ virtute? Quia Dominus suscepit me. Si
...n suscepisset, non exurrexissem. Si lux gratiæ ejus non prævenisset
..., non evigilâssem; si dicebam: motus est pes meus, misericordia
... Domine adjuvabat me. (*Ps.* 93.) Ad ortum igitur solis exit homo
... opus suum, (*Ps.* 103.) opus salutis suæ, adjutrice luce, mediante
...vatore, & ad operationem suam, operationem mediorum condu-
...tium ad salutem æternam, nimirùm virtutum variarum; quæ sinè
...tute Mediatoris nihil operantur. Sicut palmes non potest facere
...ctum a semetipso nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me mã-
...tis. (*Joan.* 15.) Sol medium locum occupat universi, estque me- *Sol in medio universi:*
...s omnium planetarum; Jesus Sol justitiæ nascens, (*Mal.* 4.) dùm
...x in suo cursu medium iter perageret, [*Sap.* 18.] notus fit in medio
...orum, jacet in præsepio, (*Luc.* 2) in medio duorum animalium, *Christo in medio diversimode*
...*Hab.* 3.) puer in templo reperitur in medio Doctorum, (*Luc.* 2.)
...mi suæ fuit medius inter Patrem & Matrem, quia sicut in Tri-
...te increata, est medius inter Patrem & Spiritum Sanctum, ita in
...initate creata, quæ est Maria, Jesus, Joseph, fuit medius. In virili
...te erat in medio Apostolorum, uti ipsemet ait: (*Luc.* 22.) ego
... medio vestiûm sum, sicut qui ministrat, veluti sol lucem. Prædi-
...do verbum Dei operatus est salutem in medio terræ, *Ps* 73) e-
...que consummavit medius inter duos latrones, (*Mar.* 15) ideam
...uri judicij extremi præbens, ubi statuet oves à dextris, & hædos à
...istris, (*Matt.* 25.) ipse medius Judex vivorum & mortuorum. [*Act.*
...] Resurgens stetit in medio Discipulorum: (*Luc* 24.) ubi sunt
...o vel tres congregati in nomine meo, ait ipse, (*Mat.* 18.) ibi sum
... medio eorum. In Apocalypsi (*c.* 1.) D. Joannes vidit in medio se-
...m candelabrorum aureorum similem filio hominis, cujus facies si-
... sol lucet in virtute sua. Ac postea vidit, [*Ap.* 5.] & ecce in me-
... throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum Agnum
...tem tanquam occisum. Denique ipse est unus mediator Dei &
...ninum homo Christus Jesus, (1. *Tim.* 2.) & sicut sol, unus est &
...is. Jam sol unicus est fons luminis & caloris, illuminans & superio- *Sol fons luminis & caloris:*
...& inferiora, & firmamentum & planetas, & terram & mare: radi-
...iis omnia calefaciens, & faciens germinare. Quid clarius de nostro
...e mystico, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc
...ndum, (*Joan.* 1) nec hominem tantùm sed & Angelos, qui ab *A Christo homines & Angeli lumen participant.*
...umen gratiæ & gloriæ participant, imò ubi civitas illa beatorum
...ninum non eget sole & lunâ, ibi lucerna ejus est Agnus. (*Ap.* 21.)

Pppp Nec

Nec est qui se abscondat à calore ejus, (*Ps.* 18.) qui venit ignem
tere in terram, & quid vult nisi ut accendatur? (*Luc.* 12.) Ter
nim ex natura sua est frigida, & nos terreni de terra formati qu
frigidi, si non ab hoc Sole nostro accendimur? Pulchrè melli
S. Bernardus Pater noster. *Ideo Unigenitus Dei*, ait, *Sol justitiæ, tanquam*
mensi & præclari luminis cereus in hujus mundi carcere illumin
est & accensus, ut omnes qui illuminari voluerint, ad illum a
dant illiq; jungantur, ut nihil medium inter illos sit & ipsum.
vult illuminari & calefieri, exponat se soli necesse est; nec q
quam debet intercedere. Si nubes intercurrit, operatio luminis & c
Idem loris intercipitur. *Nihil sit medium inter nos*, ait S. Doctor, *inte*
& ipsum. Peccata enim nostra separant inter nos & Deum. [Is.
Sed illis sublatis vero lumini illuminandi & quasi concorporandi
nectimur in idipsum, sicut lumen extinctum lumini lucenti & ar
sinè aliquo medio conjungitur ut illuminetur; quatenus per exemp
visibilium, effectus rerum invisibilium cognoscamus. Sol Divinu
luminat intellectum nostrum, accendit voluntatem nostram, &
ut exemplo suo nos quoq; simus lucernæ ardentes & lucentes.
Solis accessus & recessus temporum varietatē causat: rò sol materialis per accessum suum vel recessum varietatem tem
rum nobis causat, nunc veris, autumni, nunc æstatis & hyemis,
thor dierum, mensium, & annorum. Noster sol cùm nobis ad
Christo præsente dies, absente nox est. dies est; cùm abest, nox est. Vernâ florum, æstivâ frugum, au
mnali fructuum ubertate nos beat, cùm proximus est. Cùm verò
motus est & elongatus, in frigore absque floribus, segetibus, &
ctibus nos relinquit, ac ideò quærendus est. Accedite ad eum & i
minamini, (*Ps.* 33.) & calefiatis. Sed dicet aliquis: utique sol isto
Sol oritur super bonos & malos: ritur super bonos & malos, (*Matt.* 5.) nec rogatus, nec quæsit
quin & ab Atlanticis quandoque maledicitur; ita est, Idipsum p
Idem facit Sol Divinus. stat bonitate suâ Sol Divinus. *Ut enim sol noster*, ait S. Diony
S. Dionysius Areopagita Areopagita, *non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, om*
illustrat, qui ejus lumen pro modo suo capere possunt; sic etiam ips
bonum quod ita præstat soli, ut prima species tenui obscuræq; imag
per se ipsâq; essentiâ suâ, ijs quæ sunt omnibus pro eorum captu to
bonitatis radios emittit. Necessarium tamen est quærere illum qui
bitat lucem inaccessibilem, (1. *Tim.* 6.) accedere per ductum lib
arbitrij pro illuminatione & accensione. Quærite Dominum dùm
veniri potest, invocate eum dùm propè est. (*Is.* 55.) Ecce lux ve
in mundum, & homines dilexerunt magìs tenebras quàm luce
Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. (*Jo.*
1.) Si quæritis quærite. Quærite & invenietis. (*Matt.* 7.) Sed si
solis radij sunt purissimi & colorem omnium rerum detegunt, ita
fluxus Solis nostri puritatem amant, eique nihil est occultum qu
non reveletur. (*Matt.* 10.) O quàm pulchra est casta generatio c
Aliæ Solis, & Christi nati similitudines claritate! exclamat Sapiens. *Sap.* 4. Alias hujus & illius solis sim
tudines facilè est reperire. Si enim sol est pulcherrimus, en specio
for

rmâ præ filijs hominum, [*Ps. 44.*] etiam præ decore Angelorũ. est velocissimus, en iste exultavit ut gigas ad currendam viam; *Ps.* 18.) vocatur nomen ejus, accelera spolia detrahere, festina præ-ri. (*Is.* 8.) Si est maximus, quid majus isto, qui & hunc maximum eavit? Audiamus D. Ambrosium. *Si tam gratus est sol consors & rticeps creaturæ, quàm bonus est Sol ille justitiæ.* (Mal. 4.) *Si tam lox iste ut rapidis cursibus die ac nocte illustret omnia; quantus ille i ubiq; semper est, & Majestate suâ complet omnia. Si admirabilis qui jubetur exire; quàm supra admirationem qui dicit soli & non oritur, ut legimus Jeremiæ 23. Si magnus est qui per horarum vices is aut accedit aut decedit quotidie; qualis ille qui etiam cùm se ex-aniret ut non possemus eum videre, erat lumen verum quod illumi-t omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Joan. 1.) *Si præ-ntissimus est qui objectu terræ patitur quotidie defectus; quantæ ajestatis, qui ait: adhuc semel ego movebo terram.* (Aggæi. 2) *Il-n terra abscondit, istius motum non potest sustinere, nisi voluntatis s substantiâ fulciatur.* Tandem concludit. *Si cœco damnum est jus solis gratiam non videre, quantum peccatori damnum veri lu-nis munere defraudato perpetuò noctis tenebras ferre.* Ita ambrosi-propinans Ambrosius. Audiamus & Sanctum Dionysium Are-agitam qualitates solis naturalis extollentem. *Clara expressaq; Di-nitatis imago est magnus hic sol, totus lucens ac semper splendidus o-ibus, etiam quæ ejus lucem capere possunt, collucet, habetq; lumen omnia diffusum seorsùm & deorsùm, acsi quid est quod eo non par-pet, id ejus luminis tenuitati aut parvitati non est tribuendum, sed quæ quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum explicantur. Itaq; illius radius immensâ splendoris magnitudine etrat, ad vitam excitat, alit, auget, absolvit, purgat, renovat lu-, ac mensura est atq; numerus horarum, dierum, totiusq; nostri poris; colligit, convertit ad se omnia quæ videntur, quæ moventur, illustrantur, quæ calescunt, & uno nomine quæ ab ejus splendore tinentur. Itaq; Helios, id est sol, dicitur quòd omnia congreget, igatq; dispersa; eaq; omnia eum expetunt, quæ sensu percipiuntur, quod cernere cupiunt, aut sentire, illuminari, calescere, omninoq; tineri á lumine.* Hæc Diviné Dionysius. Quomodò hæc omnia veniant nostro Soli mystico, facilè colligitur; ac potissimùm cùm ente S. Augustino, *solus filius est imago Patris*, de solo Filio dici-, quòd est imago Dei invisibilis. [*Col.* 1.] In ipso inhabitat omnis nitudo Divinitatis corporaliter, (*Col.* 2.) nimirùm realiter & sub-tialiter, qui est candor lucis æternæ, (*Sap.* 7.) & speculum sinè cula (*Ib.*) Dei majestatis, & imago bonitatis illius. Unde non meritò veteres solem Deum vel Dei filium crediderunt. Sed nos è credim⁹ verũ Deum de Deo vero Jesum Christum nobis appa-rem in ortu suo, in hoc mane videbimus gloriam ejus, (*Ex.* 16.) riam quasi Unigeniti à Patre pleni gratiâ & veritate. (*Joan.* 1.) Si

D. Ambros.

Solis Divini prærogativa

Idem

S. Dionysius Areopagita

Hæc omnia Soli mystico quomodo conveniunt?

denique oritur sol & occidit juxta Ecclesiasten, (*c. 1.*) explicat

D. Chrysost.

nobis & applicat Christo Divus Chrysostomus. *Ortus est nobis S[ol] justitiæ* [Mal. 4.] *Christus de Sancta Maria secundùm carnem na-*

Ortus & occasus Solis Divini qualis?

tus; Oriens quippe nomen est illi: (Zach. 6.) *occidit verò quando post crucem ad inferna descendit, & ad locum suum revertitur Do-dicente: cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum* [*Joan* 12.] Nonne à summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus? (*Ps.* 18.) Oriturque bonis & rectis corde, occi-

S. August.

verò malis & perversis. Ultimò audiamus Divum Augustinum. *Manichæi solem istum oculis carneis visibilem, Christum Do-num esse putaverunt, videlicet crediderunt Christum in Ascen-ne sua corpus suum in globo solari reliquisse, & cœlum supremum cum sola anima conscendisse, authoritate Psalmi* 18 *innixi; in sole po-suit tabernaculum suum, id est humanitatem suam*; quod Sanctus Augustin⁹ ut commentum & diabolicam doctrinam nominat, ac con-cludit. *Est ergo lux quæ fecit hanc lucem. Hanc amemus, hanc intel-ligere cupiamus, ipsam sitiamus, ut ad ipsam duce ipsâ aliquando ve-niamus, illumque*, addo ego, speciosum formâ præ filijs hominum, (*Ps.* 44.) licèt in forma servi, manentem tamen in forma DEI (*Phil.* 2.) *in cœlesti gloria videamus.*

Oratio R. P. Prioris in die Strenæ.

Novenarij numeri significationes.

FUerit sanè antiquis nonus dies tam nascentium quàm morien-tium celebris ac solennis, ita ut ille quidem lustricus haberetur, is verò voti instaurationem præseferret, ubi defunctorum cineres tumulabantur, & sacra novendialia peragebantur. Nobis Perillustris ac Reverendissime Domine novennalis incumbit solennitas, quando per novem annorum decursum tuo fortunatissimo regimine gloria-mur. Hi novem anni novos ad novi anni recurrentis congratulatio-nem in nobis excitant animos, quando non novem sed plùs quàm novies novem semperque novis agnoscimus nos beneficijs cumulari ac restaurari. Et ne quis succenseat Tuæ beneficentiæ Pater liberalis-simæ specimina à nobis quasi sub numerū cogi, sciat ea quæ penè jam in-numera occurrunt minimè distincto à nobis computu numerari, id jucundum nobis imò & ominosum noverit esse mysticos eosque hie-roglyphicos numeros in annuo regiminis Tui recursu observare, si quid prosperi secum vehant, benè precari, si quid nefasti, deprecari. Et quidem novenarius tam societate Musarum quàm choris Ange-lorum illustris, nobis & Museos & Angelicos ciere potest applausus, quia gratissimum simul & utilissimum anteactis novennij Tui pro-gressibus in Conventu nostro alibique semper causavit concentum, utinam iteratis multoties novennijs continuandum. Quandoquidem

Annus Climacteric⁹ Abbatis.

verò ætatis Tuæ venerandæ ascensus magni climacterici ex novem per septem multiplicato provenientis attigit initium, in quo & San-ctus Pater noster diem suum felicissimè clausit extremum, qui ab

fatis

alis ſenibus, & quaſi effractos, quia humanam effringens & labe-
ctans naturam eſſe cenſetur; ne hunc in Te Præſul optatiſſime &
ngâ annorum ſerie digniſſime operetur effectum, continuis Divi-
m Majeſtatem precib⁹ ſollicitare haud intermittemus; ita ut quem-
modùm ſenect⁹ Tua eſt in miſericordia uberi erga òmnes, (*Pſ. 91.*)
in miſericordia uberi apud Deum, ut anni Tui in ſenecta uberi,
b.) pro Oliva pulchra, ubere, & fructifera (*Jer. 11.*) reddenda
ltiplicentur. Sit hic imminens novus annus per felicis decennij
hoationem novennij continuator, ut ad benedictam Jubilæi per-
gat coronam. Et ſicut jam pridem ætatis Jubilæum Antiſtes Re-
rendiſſime ſuperâſti, intra annum Religionis ſacræ Jubilæo coro-
ndus; ita poſt duplex ſeptennium Sacerdotij, & poſt quater denas
norum revolutiones Dignitatis Abbatialis, cum perfecta incolumi-
e & in omni proſperitare conſequaris Jubilæum. Annuat votis
ſtris ſupremus rerum & annorum Arbiter, ut ſic in honorem San-
ſſimæ Trinitatis, cujus fruimur patrocinio, triennio fauſtum Tuæ
ætatis ſæculum ſuperes & ſuperabundes.

Sermo in Colenda.

Nneaticus, id eſt novenarius ab exordio humilis & exilis regi-
minis mei nunc currens annus, quòd ſingularem apud vos PP.
RR. FF. DD. meruerit reflexionem, & exinde adeò ſolennem
uerit apprecationem, eſt quod ſpeciali recognoſcam affectu. Cæ-
ùm ſecundùm ſe conſideratus novenarius numerus magna imò al- *Myſteria numeri novenarij.*
ima myſteria in ſe comprehendit. Quandoquidem ex ternario
e ducto conſurgit, eſtque primum perfectum quadratum, (nam
arij quadratum imperfectum cenſetur) ſummum Sacroſanctæ
initatis myſterium repræſentat. Trias utporè per triadem mul-
licata enneadem efformat. Unde patet, quòd ſummi illius Boni
primi omnium principij *Dei* noſtri trias tribus hypoſtaſibus diſtin-
in unitate Divinæ ſubſtantiæ ſubſiſtere, adeoque indiviſa Trinitas
um omnium creatrix triplicata ab extra generat novenariū, quan-
primam creaturarum propaginem à ſe immediatè prædicatam,
gelicam nimirùm ſubſtantiam ſibi ſimillimam quia ſpiritualem,
n Deus ſit Spiritus, (*Joan. 4.*) in novem ordines diſtinxit. Ita *Di-* *Hierarchicæ Monarchiæ in choros ternos diſtributio.*
a & ſuperexcelſa Trinitas, ſimpliciſſima & indiviſa unitas, ad extra
a ſe triplicans, (loquor verbis Authoris Neoterici) *tres hierarchi-*
intellectualium mentium monarchias, in choros ternos diſtributas P. Athanaſio Kircher, S. J.
ulit; quæ Sanctiſſimæ Triadis ſignaculo notatæ, ejuſdem primam
ximam & immediatam imaginem exprimunt & manifeſtant. Et
idem primus & infimus horum ſpirituum cœleſtium ternio Ange- I.
, Archangelos, Virtutes continet. Secundus medius Poteſtates, II.
ncipatus, Dominationes complectitur. Tertius ac ſuprem⁹ Thro- III.
, Cherubim, Seraphim ſimul connectit. In his novem choris cu-
& militiæ cœleſtis aſſiſtentia atque miniſterium ordinatè includi-

 tur,

tur, lausque Divina per illos celebratur. Sed quid? Num & homo non imago Dei? Quinimò per omnem modum ad imaginem & similitudinem Dei factus, [*Gen.* 1.] & ipse novem potentias refert; quinque externas, tactum, gustum, olfactum, auditum, & visum; ac quatuor internas, phantasiam, memoriam, intellectum, & voluntatem, ita ut ipse quoque hisce Deo servire, Deumque laudare teneatur. Cæterùm ipsi etiam Ethnici ad illam cœlestem Enneadem respexisse videntur, quando novem Musas orbium cœlestium Præsides, intelligentias ad indicandam cantandi harmoniam disposuerunt; quantumvis alij ab Osiride Ægyptiorum Deo cantum & choreas amante, ad idq; novem puellas cantandi arte instructas habente earum ducant originem. Alij duplices statuunt, antiquas cœli & terræ filias, juniores Jovis & Mnemosynes prognatas, ex eo quod sapientia & memoria generent perfectos cultores studiorum, quibus Musas asserunt esse Præfectas. Sunt qui numerum variant, duasq; censeant propter Theoricen & Practicen, quia disciplinæ scientiarum in speculatione & actione consistunt. Alij tres propter tria speculationum genera, Logices, Physices, & Methaphysices, quibus tota ratio Philosophiæ absolvitur. Alij demùm quatuor & septem ob numerum chordarum quibus musica resonant instrumenta. Omnium tamen communis sensus novem Musas haberi, idq; ob numeri Hieroglyphici perfectionem: Primam ponunt Clio historiæ inventricem, gloriæ & laudum celebratricem. Alteram Euterpen, tibicinam suaviter concinentem. Tertiam Thaliam, Deam comœdiarum voluptuosè modulantem. Quartam Melpomenen, tragædiarum amatricem. Quintam Terpsichoren citharistriam. Sextam Eraton amoribus conciliandis & choreis præpositam. Septimam Polyhymniam Rhetoricæ cultricem, hymnorum, oraculorum, ac rerum panegyricarum propagatricem. Octavam Uraniam cœlestis Theologiæ investigatricem, & rerum Divinarum encomiasten. Nonam Calliopen bonitate & suavitate vocis cæteras præcellentem. Omnes virgines & puellas ad denotandum, quòd sicut hæ intra terminos pudicitiæ se continent ut sint tales; ita qui disciplinam scientiarum sectantur, extra principia & terminos ejus non divagentur. Aliàs chorum ducentes & in orbem manus jungentes exprimunt, quia omnes suo inter se quodam quasi nexu copulantur, estque inter illas vera concordia & consonantia. Denique in montibus & solitudinibus collocantur, quia studia secessum scribentis & otia quærunt in vita solitaria & à turbis remota. Et hoc est mysterium novenarij numeri Musarum. Porrò Hebræorum Mecubalim per novenarium triplicatum triplicem mundum, Angelicum, sidereum, & Hyleum indigitant juxta mystici alphabeti dispositionem, ubi viginti duæ literæ & quinque finales 27. differentias, id est ter novenas patefaciunt; ita ut primæ novem literæ, novem mundi Angelici ordines indicent, in quo nullæ terrenæ immixtiones, involucro vestitæ mentes reperiuntur. Aliæ novem literæ mundum sphæricum

Novem potentiæ in homine, 5. externæ, 4. internæ.

Novem Musæ apud Ethnicos.

Triplicis mundi per triplicatum novenarium indigitatio.

Angelici,

cum explicent, nimirùm Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, *sphærici,*
ovis, Saturni, Firmamenti, & primi Mobilis. Postrema tandem & rtia literarum enneas mundum fundamentorum sive elementorum anifestat, ignem, àërem, aquam, terram, inanimata, vegetabilia, *& Elementaris.*
nsitiva, rationalia, intellectualia. Horum trium mundorum mira t inter se connexio & à se dependentia: ita ut sidereus mundus subsit fluxibus mundi Angelici, Elementaris autem sive Hyleus utriusq; : Angelici & siderei. Quia tamen, ita præfatus recens Author dis-rrit, *nihil hæc omnia prosunt, nisi supremæ & Archetypæ monadis ccedat influxus*; Hinc suprema addita unitate fiet totius naturæ cre-æ denarius: qui influens in hosce tres Mundos, omnia conficit, nimat, mutat, confortat, perficit & adimplet. Hæc autem Monas neadi mundorum addita vocatur ab Hebræis Ensoph, id est infini-m. Credo non tædiosam fuisse hanc diversam enneatici numeri plicationem: ex qua hic nobis fructus sub novi imminentis Anni imordia potest succrescere, ut super omnia SSmæ Triadi devoti, illa omnis boni participationem consecuti ad normam enneadis ngelicæ eidem cui dicati sumus in hoc loco Oliva dicto, inserviamus; idquid ex ipsius beneplacito Enneas Sphærica & Elementaris fe-t, gratanter accepteremus; nostramq; Enneadem illi totaliter conse-emus, ita ut instar Musarum, imò cum Choris Angelicis omnes no-æ potentiæ externæ & internæ Divinam laudem concinant atque æconia, illiq; summo supremo & infinito Enti conformentur. Nul-fatalitas, nullus climactérismus nobis nocebit; consummati in brevi plebimus tempora multa; *Sap.* 4. dies pro anno, annus pro seculo nputabitur nobis, apud eum cujus misericordiæ non est nume-, qui scit gressus nostros dinumerare (*Job.* 31) & novit singulorum rita pro gloria sua & salute ipsorum ponderare.

Sermo in Novo Anno

Speciosus formâ præ filijs hominum

VIdimus PP. FF. RR. DD. Regem in Nativitate sua orientem, procedentem tanquam sponsum de thalamo suo (*Ps* 18.) speciosum forma præ filijs hominum (*Ps.* 44.) ad instar solis illu-minantem omnia & calefacientem. Hodie cernimus illum iam velut *Christus D. in Circumcisione sua Sponsus sangvinum.*
sponsum sangvinum (*Ex.* 4.) in circumcisione sua comparentem, atq; vocationem nominis sui luce non minùs & calore irradiantem. quanto pretio, quia proprij sangvinis lytro, magnũ nomen, (*Ps.* 7.) admirabile, (*Ps.* 8.) Sanctum & terribile (*Ps.* 119.) debuit pro-reri. Quid enim? Nonne sangvine ipsius tanquam Agni imma-ati & incontaminati (1. *Pet.* 1) salus hominũ comparata? Hinc iti- *Cujus sangvine salus hominum comparata.*
in sangvine ipsius oportuit obtineri nomen Salvatoris, quod est JE-S. Per sangvinem hominis redemptio, sine sangvinis effusione nul-emissio, teste Doctore Gentium: (*Heb.* 9.) Nulla salus, nullus sinè gvine Salvator, cum sangvine & per sangvinem dicitur Jesus. Regem

Davidem ore Prophetico alloquitur Dominus: Feci tibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terra. [2. *Reg.* 7.] Quomodo id factum? Manifestat sermo Dei in alio loco factus ad ipsum. Multum sangvinem fudisti, & plurima bella bellâsti. (1. *Par.* 22.) Ergo virtute bellicâ & sangvinis profusione nomina magna acquiruntur. Vide Rex Macedonũ Alexander, dictus Magnus, unde Pompejus magnus, unde Constantinꝰ, Carolus, Alphonsus Magni, unde Fabius Maximus, nisi per bellicas operationes, ubi multus sangvis effunditur? Quare unus Scipio Africanus nominatur nisi ob Africã domitam? Alter Scipio Asiaticus ob Asiam devictam? Drusus Germanicus ob Germaniam subactam? Jacobus Aragoniæ Rex Præliator ob Mauros tries debellatos, & sic de reliquis. Omnia hæc nomina gloriosa à virtute bellica promanavêre. Quid censemus de Rege nostro, qui vocatur Rex gloriæ? Cur sic? Quia Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. (*Ps.* 23.) Alibi alius Propheta interrogat. Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? [*Is.* 63.] De Idumea rubra sive rufa: de Bosra vindemia & torculari; unde tinctura vestium fuit rubra vel sangvinea. Et cùm fuerit speciosus formâ præ filijs hominum; [*Ps.* 44.] addit: Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ? (*Is.* 63.) Explicat se ipsemet, quis sit, respondẽdo. Ego quiloquor justitiã, qui sum Rex justitiæ, sicut Melchisedech assimilatus est mihi; qui super hostibus justitiam exerceo & propugnator sum ad salvandum: (*Is.* 63.) ille ego sum, de quo immediatè Propheta (*Is.* 62.) locutus est; Dicite filiæ Syon. Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo; gentes ab eo devictæ, subactæ ad triumphum actæ atq; in Ecclesiam adductæ; & opus ejus coram illo; (*Ibid.*) opus Redemptionis, opus salutis, opus Salvatoris propugnatoris ad salvandum. Hoc vaticinatus est Isaias (*cap.* 19.) antè; Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & propugnatorem qui liberet eos. Ab hoc rursus Sionidæ requirunt. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? (*Is.* 63. Respondet; sunt signa superatorum hostium, diaboli, mundi, carnis, quos torcular Passionis calcando solus calcavi in furore meo & conculcavi in ira mea, & aspersus est sangvis eorum super vestimenta mea & omnia indumenta mea inquinavi. (*Ibid.*) Huc alludit D. Joannes in Apocalypsi. (*c.* 19.) Et vestitus erat veste aspersa sangvine, & vocatur nomen ejus Verbum Dei, & habebat in femore scriptum: Rex Regum & Dominus Dominantium. A sangvine victoria & gloria & regnum & dominium, & ab his omnibus salus & salvatio per Salvatorem Jesum. Notate nomina, signate loca. Nomen VERBUM DEI (utiq; Caro factum *Joan.* 1.) quòd sit Jesus. Locus inscriptionis femur, in quo hodie circumcisus, & exinde JESVS Rex Judæorum, id est circumcisorum. Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus; (*Ps.* 75.) Rex Regum & Dominus Dominantium, (*Ap.* 19.) qui sunt eorum, circumcisi Reges & domi-

nares

Virtute bellicâ & sangvinis profusione nomina magna acquiruntur. Nomina Magnorum.

Cur Christus vocatur Rex gloriæ?

Sangvinea Christi vestimenta, signa sunt superatorum hostium, diaboli, carnis & mundi.

antes in poteſtatibus, (*Eccli.* 44.) regentes paſſiones ſuas, dominan-
es affectibus ſuis, circumcidentes concupiſcentias ſuas, usque ad ſan-
vinem inſultibus hoſtium reſiſtendo. Nova bella elegit Deus, (*Ju-
dic.* 5.) dies ultionis in corde meo, ait: [*Iſ.* 63.] poſtquam conſum-
mati ſunt dies ut circumcideretur puer, (*Luc.* 2.) annus retributionis
meæ venit, (*Iſ.* 63.) cum hoc novo anno militiam ſuam renovando.
t videre, unde incipit præliari *Dominus* quaſi vir pugnator. [*Ev.*
.] In loco concupiſcentiæ, per quam lapſu primorum Parentum
tum genus humanum ſtragem mortis paſſum eſt univerſalem, fa-
t ſe circumcidi, & uno ictu omnes præſcindit in hominibus concu-
ſcentias, omnes earum motus pretioſiſſimi ſangvinis torrente re-
ndit, delet, & extingvit. Hinc glorioſi nominis oritur ſplendor;
ocatum eſt nomen ejus Jeſus. (*Luc.* 2.) Moremur paululùm circa
oc profuſi ſangvinis ſpectaculum, & miremur prælij effectum atq;
ictum. Ac primò ſciendum eſt, novum Teſtamentum inſtitutum
e per Jeſum Chriſtum in ſangvine ipſius, de quo Jeremias (*c.* 8.)
atus ab Apoſtolo ad Hebræos: Ecce dies venient, dicit Dominus,
conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Juda teſta-
entum novum; nempe quando conſummati ſunt dies, ut circum-
deretur puer, [*Luc.* 2] ibi cepit novum Teſtamentum. Nec pri-
um quidem Teſtamentum ſinè ſangvine eſt. Lecto enim omni
andato legis à Moyſe univerſo populo, accipiens ſangvinem vitu-
rum & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum
oque librum & omnem populum aſperſit dicens: hic ſangvis te-
menti, quod mandavit ad vos Deus. (*Heb.* 9) Sic & novum per
erſionem ſangvinis Jeſu Chriſti inſtitutum, de quo prophetizavit
charias: (*c.* 9.) tu quoque in ſangvine teſtamenti tui emiſiſti vin-
os tuos de laçu. Ipſe eſt Jeſus novi teſtamenti mediator & author,
i non per ſangvinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium
gvinem introivit ſemel in ſancta æternâ redemptione inventa.
b. 9 Iſte aſperget gentes multas, *Eſai* 52 id eſt, ſuo ſangvine per aquã
tiſmi multos abluet à peccatis, juſtificans eos & ſanctificans, ut
t aſperſa corda à conſciẽtia mala, *Heb.* 10 quod optabat Regiꝰ Vates:
erges me Domine hyſſopo & mundabor. (*Pſ.* 50.) Verùm lon-
dignior & incomparabiliter eminentior ac efficacior aſperſio eſt
c novi teſtamenti, quàm antiqui. Si enim, ait Apoſtolus, [*Heb.*
9] ſangvis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos
ctificat ad emundationem carnis, quantò magìs ſangvis Chriſti,
per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit Deo, emundabit con-
ntiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum *Deo* viventi.
ſum teſtatur dilectus Jesu Apoſtolus. (*1. Joan.* 1.) Sangvis Jesu
riſti Filij ejus emundat nos ab omni peccato, non tantùm per a-
ſionem luſtrat nos & purificat, ſed per effuſionem penitùs expur-
, & ſordes peccati eliminat, exterminat & peſſundat. *Hic ſangvis
rima hodierna paſſione Chriſti effuſus reſpectu Divinitatis ejus*

Initium prælij Dominici

in Circumciſione.

Novum Teſtamentum in ſangvine Chriſti inſtitutum.

Vetus Teſtamentum non ſinè ſangvine.

Aſperſio novi Teſtamenti longè efficacior aſperſione veteris.

In quo?

S. Thomas Aquinas.

habet se per modum efficientiæ, uti S. Thomas Aquinas loquitur, *respectu voluntatis animæ ejus; & agit per modum meriti, respectu autem ipsius carnis agit per modum redemptionis, in quantum per eam liberamur à servitute culpæ; per modum satisfactionis, in quantum per eam liberamur à reatu pœnæ; per modum autem sacrificij, in quantum per eam Deo reconciliamur.* Unde meritò hortatur Caput Apostolorum & Ecclesiæ Petrus: scientes quòd non corruptibilibus, auro vel argento redempti estis, sed pretioso sangvine quasi Agni immaculati Christi & incontaminati. (1. *Pet.* 1.) Hic est de quo Joannes Baptista: ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccatū mundi. (*Joan.* 1.)

Christus D. in Circumcisione sua agnus mansvetus.

Quidni hodiernus parvulus JESUS in Circumcisione sua verè agnus mansvetus, qui portatur ad victimam, (*Jer.* 11.) suum sangvinem immolat in salutem generis humani, ut omnes faciat agnos innocentes. Ubi notandum, quòd etiam exinde fuit pretiosissimus, quia licèt fuit separatus à corpore, non tamen fuit separatus à Divinitate; imò hypostaticè semper mansit unitus Verbo, juxta axioma Theologicū desumptum ex D. Joanne Damasceno, *quod Deus assumpsit, nunquam dimisit.* Sed ecce Aquila Apostolica [1. *Joan.* 5.] asserit: hic est, qui venit per aquam & sangvinem Jesus Christus.

In veteri Testamento ad lustrationem adhibebatur aqua: in novo aquâ & sangvine opus ad emundationem

In veteri Testamento adhibebatur etiam aqua ad lustrationem, (*Num.* 8.) & purificationem; (*Lev.* 15.) quidni & in novo? Ex latere defuncti in cruce exivit sangvis & aqua (*Joan.* 19.) in signū & testimonium, quòd quos sangvine redemit ab omni peccato, hos aqua baptismi etiam abluat: non in aqua solùm, infert D. Joannes, (1. *Epist. c.* 5.) sed in aqua & sangvine.

Quare? I.

Quare? Ad differentiam Moysis, qui venit per aquam ex aqua extractus, (*Ex.* 2.) populumque Hebræum per aquas maris rubri deduxit illæsum in terram promissionis. (*Ex.* 14.) *Jesus autem legis novæ legislator*, juxta mentem S. Patris nostri, *venit per aquam & sangvinem introducens nos in Sancta. Sic & hodie*,

S. Bernar.

inquit ille, *quoq; ad nos per aquam & sangvinem venit, ut sit aqua & sangvis testimonium ejus, fideiq; victricis.* Quare ulteriùs? Ad

II. differentiam baptismi Joannis qui in aqua sola fuit, ideoque inefficax ad peccata expianda: baptismus autem Christi est in aqua & sangvine ad abluenda peccata efficacissimus.

III. Quid si quoque exinde duplex baptismus indigitetur fluminis & sangvinis?

IV. Quid si quoq; duplex modus damnationis Christi per aquam & sangvinem declaretur, Pilato lavante manus aquâ, (*Mat.* 27.) & populo vociferante: sangvis ejus super nos & filios nostros? (*Mat.* 25.) Pulchrè Tertullianus

Tertullianus idipsum explicat, *Christum venisse per aquam, cùm baptizatus est à Joanne, per sangvinem cùm passus est; ut aquâ tingeretur, sangvine glorificaretur.*

V. Proinde ut nos faceret aquâ vocatos, sangvine electos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quia qui in sangvinem ejus crederent, aquâ lavarentur, & qui aquâ se lavissent

VI. in baptismo, etiam sangvinem potarent in Eucharistia. Hic occurrit notandum, quòd Dominus JESUS ubique aquam sangvini immiscuit,

Christus D. ubiq; aquam

...scuit, lacrymarum in Circumcisione, sudoris sangvinei in agonia, (*Luc.* 22.) in flagellatione, in cruce ante & post mortem. Unde e... m in calice Eucharistiæ aqua vino miscetur in sangvinem conver... ndis. Hugo ait, *Christum venisse per sangvinem, quando circumci... est, ut legem observando significaret se velle Judæos redimere; per ... uam verò Gentes, quia in aqua baptismum instituit pro Gentibus ... ssimùm.* Quid jam dicemus de Jesu Circumciso, quomodò sit ... ciosus formâ præ filijs hominum? (*Ps.* 44.) Interrogemus Spon... n cum filiabus Jerusalem, Sponsam Matrem. Qualis est dilectus ... us ex dilecto Spiritu Sancto, amore essentiali Divinitatis conceptus ... ulcherrima Mulierum? ut audiamus responsum ejus dicentis: Di... tus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. (*Cant.* 5.) ... àm aptissimè candidus veniens per aquam, quàm præstantissimè ... bicundus veniens per sangvinem Jesus Christus. Ita est: candidus, ... idus, purissimus, limpidus, serenus instar solis meridiani, quia can... r lucis æternæ, (*Sap.* 7.) quoad Divinitatem, splendor gloriæ & ... ura substantiæ ejus, (*Heb.* 1.) candidus quoq; in mundissima vir... ea humanitate sua ob innocentiæ puritatem & sanctitatis splendo... n. Sed jam rubicundus per Circumcisionem, per initium passio... n suæ, unde dignissimè promeritus vocari Jesus Salvator mundi. ... ectus ex millibus, (*Cant.* 5.) Hebraicè vexillatus, instar vexilli cæ... is eminens. Alius legit: vexillo insignitus Myriadis. Alius habet: ... nifer inter decem millia. Tigurina vertunt: sub signis habens exer... um 10000. Vatablus inquit: vexillatus in 10000. id est, gerens ve... um, crucis utique inter omnes Christianos; veluti Rabbi Salo... on ait: multis stipatus exercitibus. Ita planè fuso sangvine ma... um adeptus nomen Jesus, tanquam bellator fortis, (*Jer.* 20.) vix ... tus jam omnes superans inimicos, verusq; totius orbis Salvator ju... meritò declaratur. Et hoc est nomen Jesus super omne nomen do... um ipsi à Patre, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestiū, ... restrium, & infernorum, (*Phil.* 2.) ut sit nomen Domini benedi... m ex hoc nunc & usque in seculum, (*Ps.* 112.) tanquam Regis ... ulorum immortalis, (1. *Tim.* 1.) ut à solis ortu usque ad occasum ... laudabile nomen Domini. (*Ps.* 112.) Ab omnibus creaturis per o... ia tempora, in omnibus locis magnificetur Dominus, & exalte... nomen ejus in idipsum; [*Ps.* 33.] utque prophetia Malachiæ (*c.* ...) verificetur ipsius Dei loquentis: ab ortu solis usque ad occasum ... gnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; (hæc etiam est sacrificium ... dis) quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus ... rcituum, ille utique candidus & rubicundus electus ex millibus, (*Cant.* 5.) ille speciosus formâ præ filijs hominum, (*Ps.* 44.) for... sus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. (*Is.* 63.) ... mirabile nomen, (*Ps.* 8.) sanctum & terribile est nomen ejus. (*Ps.* ...) Placet scire pulchritudinem ejus? Adumbrat hanc Salomon

Sangvini immiscuit.

VII. Hugo.

Jesus circumcisus quomodo speciosus?

VIII.

Quomodo candidus & rubicundus?

Fuso sangvine adeptus nomē JESUS.

Pulchritudo illius.

sub nomine sapientiæ adumbrata.

ſub nomine Sapientiæ. Eſt ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum.](*Sap.* 7.) Luci comparata invenitur prior. Ille enim ſuccedit nox, Sapientiam autem non vincit malitia. (*Ib.*) Quin imò omnem malitiam vicit ille, qui factus eſt nobis à Deo virtus & ſapientia, & redemptio, & juſtitia & ſanctificatio, JESUS Chriſtus. (1.*Cor.* 1.) Quantum hanc ſapientiã adamavit Rex Sapientiſſimus, ſuperiùs declarat: Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextingvibile eſt lumen illius: enim infinitus theſaur⁹ eſt hominib⁹. *Sap.* 7 Dum Propheta deſiderat adventum ejus, inquit: propter Syon non tacebo & propter Jeruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor juſtus ejus, & Salvator ejus, utique Jeſus, ut lampas accendatur. (*Iſ.* 62.) Rectè quidem, quia oleum effuſum nomen ejus. (*Cant.* 1.) Effundit Deus ſapientiam ſuper omnia opera ſua. (*Eccli.* 1.) JESUS eſt ſui diffuſivus abſque ſui imminutione inſtar ſolis, Dulce lumen & delectabile oculis videre hunc ſolem, (*Eccles.* 11.) in quem deſiderant Angeli proſpicere, (1. *Pet.* 1.) candidum per aquam, rubicundum per ſangvinem. Quid nos in hoc novo anno reponemus tanto Salvatori? Pro modulo noſtro candorem hunc ejus & ruborem imitemur, ut ſimus conformes imagini ipſius. (*Rom.* 8.) Docet nos duplicem baptiſmum & duplex martyrium mellifluus Doctor. *Jam verò quia baptiſmum aquâ, martyrium diximus ſangvine deſignari, memento & unicum & quotidianum eſſe baptiſmum ſimiliter & martyrium. Eſt enim & martyrij genus, & quædam effuſio ſangvinis in quotidiana corporis afflictione. Eſt & baptiſmus aliquis in compunctione cordis & lacrymarum aſſiduitate. Sic quippe infirmis & puſillis corde neceſſe eſt, ut quem ſemel pro Chriſto ponere non ſufficiunt, ſaltem mitiori quodam ſed diuturniori martyrio ſangvinem fundant. Se & baptiſmi ſacramentum quoniam iterari non licet his qui ſæpiùs in multis offendunt,* (Jac. 3) *frequenti oportet ablutione ſuppleri. Unde & Propheta: lavabo,* inquit, (Ps. 6) *per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Ita S. Pater. Hinc vocabitur in nobis JESUS, ambulabimus in lumine ejus (*Iſ.* 60.) participes pulchritudinis ejus. Dicetur de nobis illud Iſaiæ: (*c.* 52.) quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem; quod aliqui legunt, prædicantis JESUM. Origenes ſecutus D. Paulum, per bona intelligit JESUM ita dicens: *nec miretur quiſquam, ſi nomine bonorum numero multitudinis expoſuerimus annuntiantis Jeſum. Facilè enim intelliges, quomodo multa bona ſit Jeſus. Vita bonum eſt, Jeſus eſt vita. Reſurrectio bonum eſt, Jeſus eſt reſurrectio. Lux mundi bonum eſt, Jeſus eſt lux vera,* (Joan. 1) *veritas, via,* (Joan. 14.) *ſapientia,* (1. Cor. 1.) *potentia, theſaurus denique omnium bonorum eſt Jeſus;* qui eſt ſol juſtitiæ, (*Mal.* 4.) & Sponſus Eccleſiæ, verè Sponſus ſangvinum (*Ex.* 4.) nos hodie docens, non niſi per circumciſionem concupiſcentiarum, liberationem à ſangvinibi-

Imitandus & nobis circumciſi Salvatoris candor & ruber.

D. Bernar. Quomodo?

Origenes.

us (quod facit Deus, Deus ſalutis noſtræ ipſe Jeſus) poſſe nos ad ſum Salvatorem venire, & in ipſo ſalutem conſequi æternam.

Sermo in Epiphania Domini

Specioſus formâ præ filijs hominum. Pſal. 44.

PRimitiæ Gentium vernantes, flores Nationum ſpecioſi, fructus præcoqui vocationis Dei, ad cognoſcendum eum, Tres Magi, Trias Sapientum, Ternio Regum; ut in ore horum trium teſti- m ſtaret omne verbum (2 *Cor.* 13.) fidei & prædicationis de Verbo ei incarnato coram univerſis gentibus; venientes Hieroſolymam & eſiderantes novi Regis ortum conſpicere, primam proponunt inter- gationem: Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? (*Mat.* 2) Mo- vum adventûs & inveſtigationis ſuæ addunt: Vidimus enim ſtel- m ejus in Oriente, nempè cœli, & venimus adorare eum, (*Ib.*) ique in terra orientem. Hic enim eſt, de quo Zacharias: (*c.* 3.) cce ego adducam ſervum meum Orientem. Et infra: (*c.* 6.) Ecce ir, Oriens nomen ejus; acſi diceret: Excitavit nos ſtella ejus, horo- opus, Lucifer ejus, & ex Patrijs excivit penetralibus, atque duxit os ad videndum ipum Solem juſtitiæ, (*Mal.* 4.) in Judæa orien- m, Regem Judæorum, (*Matth.* 2.) id eſt, circumciſorum. Poſt- uam enim natus eſt, circumciſus, vocatusque Jeſus, (*Luc.* 2.) ac ein' in templo oblatus, [*Ib.*] viſus, & publicatus eſt eſſe lumen ad velationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſraël. (*Ib.*) Deus Do- inus illuxit nobis (*Pſ.* 117.) quoque gentilibus per ſtellam ſuam. iùs tamen dixit Deus: Propè feci juſtitiam meam, & ſalus mea non orabitur. (*Iſ.* 46.) Dabo in Sion ſalutem, & Iſraeli gloriam meam. *b.*) Ergo ſurge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & oria Domini ſuper te orta eſt. [*Iſ.* 60.] Non credis? Audi Pro- etam (*Iſ.* 49.) dicentem: Hæc dicit Dominus Redemptor Iſrael nctus ejus ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ſervum Dominorum, illorum, de quibus Iſaias: (*c.* 26.) poſſede- nt nos domini abſque te; videlicet diabolus, caro, mundus: ſed & ominorum, quatuor Tetrarcharum dominantium in tota Judæa. ges videbunt, & conſurgent Principes, [hi nos ſumus] & adora- nt propter Dominum, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſraël, qui ele- te. (*Iſ.* 49.) Sed ah! quantùm lamentatur Deus apud eundem tem! Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Co- ovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui naſcen- Iſrael autem contemptibilis anima, gens abominata me non co- ovit, & populus meus gravis iniquitate non intellexit. (*Iſ.* 1.) Quid o? Dicit Dominus ad filium ſuum in terris natum, qui cùm in na Dei eſſet, formam ſervi accepit: (*Philip.* 2.) Parum eſt, ut mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob, & fæces Iſrael conver- das: (*Iſ.* 49.) Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea ue ad extremum terræ. (*Ib.*) Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum, judicium

Primitiæ gentium, Tres Magi.

Motiva adventûs & investigationis eorum.

Coecitas Iſraëlis Dominum ſuum non cognoſcentis.

judicium gentibus proferet. (*Is.* 42) En hoc verificatur in nobis, uti & illud: (*Is.* 60.) Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortûs tui. Ecce nos Reges gentiles vidimus stellam, & venimus adorare (*Matth.* 2.) lucem & salutem nostram. Post nos ecce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi. (*Is.* 49.) Ita fiet, quod veridicè vaticinatus est Rex Prophetarum: (*Ps.* 85.) Omnes gentes, quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Interea cœcitas contigit ex parte in Israel, (*Rom.* 11.) filij Regni ejicientur in tenebras exteriores, (*Mat.* 8) donec plenitudo gentium intret & tandem totus Israel salvus fiat. (*Rom.* 11) Idipsum prædixit Isaias: (*c.* 6) Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude. Usquequo Domine? quærit Propheta. (*Ib*) Donec terra relinquatur deserta, [quod ipsa Veritas præmonuit: (*Mat.* 23) ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.] & multiplicabitur, quæ

Vocatio gentiū.

derelicta fuerat in medio terræ, nimirùm gentium Ecclesia, & semen sanctum erit, quod steterit in ea. (*Is.* 6.) Hæc est illa quæ lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium: germinans germinabit, & quæ arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. (*Is.* 35.) Post hæc verò reliquiæ Israel salvæ fient, [*Rom.* 9.] Tunc adimplebitur quod scriptum est: (*Is.* 10) Reliquiæ convertentur, reliquiæ inquam Jacob ad Deum fortem. Et iterùm: Ab Oriente adducam semen tuum, dicit Dominus Deus tuus Sanctus Israel Salvator tuus, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: da; & Austro: noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. (*Is.* 43.) Hic status est Ecclesiæ

Stat9 Ecclesiæ Dei ex omnibus gentibus, tribubus &c. congregatæ.

Dei ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & lingvis congregatæ, tam primitivæ & crescentis, quàm præsentis & novissimæ. Et hæc

Quomodo intelligatur Generatio ventura?

est generatio, de qua Psalmista: (*Ps.* 21.) Annuntiabitur Domino generatio ventura; per hypallagen intelligendo dicitur: Annuntiabitur Dominus generationi venturæ, cujus ptimitiæ tres Reges, & annuntiabunt cœli justitiam ejus: (*Ps.* 21.) utique per stellam indicem

I.

ortûs Solis justitiæ, (*Mal.* 4.) in cujus diebus oritur justitia, (*Ps.* 71) imò justicia ejus ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos, (*Ps.* 84.) illa utique justitia, quæ est ex fide Jesu Christi, (*Rom.* 1.)

Justitia fidei in tribus Regibus, Christum natum inquirentibus.

quia justus ex fide vivit. (*Rom.* 1.) Hanc justitiam fidei primi hodierni Sapientes manifestârunt, credentes in Regem natum, eumque inquirentes: qui egressus est ut splendor justus, & Salvator ut lampas accensus, & viderunt gentes justum, & cuncti Reges inclytum, (*Is.* 62.) id est, Regem Judæorum. (*Mat.* 2.) Annuntiabitur quoq; Do-

II.

mino generatio ventura, (*Ps.* 21.) per metalepsim potest intelligi, quòd adscribetur, devovebitur & consecrabitur generatio ventura per eum, qui venturus est, [de quo Apostolus: ex Habacuc *Heb.* 10. Qui venturus est veniet, & non tardabit] id est, Christum Messiam, illum Prophetam magnum, Redemptorem Israelis, Regem Judæ-

um. Generatio enim præterit, id est Synagoga, & generatio adve-
it, (*Ec.1.*) id est, Ecclesia ex gentibus congregata. Hæc est genera-
o in primis Regibus quærentium Dominum, quærentium faciem
ei Jacob. (*Ps.* 23.) De hac quoque in Psalmo 101. idem Rex Pro-
hetarum: Scribantur hæc (nimirùm quòd Dominus ædificabit Sy-
n, & videbitur in gloria sua, gloria quasi Unigeniti à Patre, *Joan. 1*
si à tribus Magis) scribantur hæc ait, in generatione altera. *Ps.* 101. *Generatio Judæorum mala;*
eneratio enim prima Judæorum erat mala & adultera, (*Mat.* 12.)
e qua Deus apud Ezechielem: *c.* 16. Radix tua & generatio tua de
rra Chanaan, Pater tuus Amorrhæus, Mater tua Cethæa. Quinimò
xta verbum æternæ Veritatis Judæis improperantis propter peccata
orum, (vos ex Patre diabolo estis (*Joan.* 3.) erat generatio diabo- *Generatio gentium nihili.*
a: porrò prima generatio Gentium erat generatio nihili, dicente
ropheta: omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, *Is.* 40.)
opter peccata, quæ hominem in nihilum redigunt. Altera utrobi-
ue generatio requirebatur per Christum facienda: In Christo enim *Generatio per Christum facienda.*
su, teste Apostolo, neque circumcisio aliquid valet neque præputi-
n, sed nova creatura. (*Gal.* 5.) Ita planè, populus qui creabitur
r Christum, laudabit Dominum; (*Ps.* 101.) ipsius enim sumus fa- *Populus Christi.*
ura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus
in illis ambulemus. (*Eph.* 2.) Hic est idem populus, qui nascetur, *Qualis? I.*
uem fecit Dominus. *Ps.* 21. Oportet enim nos nasci denuò, *Joan.* 3.
ternâ Veritate sic docente. Renati, ait D. Petrus, (*ep.* 1. *c.* 1.) non
semine corruptibili sed incorruptibili, per virtutem Dei vivi, &
rmanentis in æternum. Hic est laudabilis populus, quem Dominus *II.*
xercituum benedixit dicens: Opus manuum mearum tu es, hære-
tas mea Israel. Non Israel qui Israel, sed qui veri Israelitæ, Deum
r fidem videntes. Hoc testatur Apostolus; (*Gal.* 3.) Non enim
nnes, qui ex Israel, sunt Israelitæ, neque qui semen Abrahæ, ij filij:
d qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ. Hic est populus, de quo ali- *III.*
Deus: Ecce ego facio nova, & nunc orientur; utique cognosce-
ea: Ponam in deserto viam, & in invio flumina. [*Is.* 43.] Glo-
ficabit me bestia agri, dracones & struthiones, [tales fuerant Gen-
tes] quia dedi in deserto aquas, & in invio flumina, (*Ib.*) ut da-
m potum populo meo, electo meo. *Ib.*) Populum istum formavi
mihi, laudem meam narrabit. (*Ib.*) Et erit in loco, ubi dicetur eis:
Non populus meus vos; dicetur eis: filij Dei viventis. (*Os.* 1.) Ecce
levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum
meum: (*Is.* 49) signum stellæ. Audite me qui scitis justum, popu-
lus meus, lex mea in corde eorum. *Is.* 51.] Sciet populus meus no-
men meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. *Is.* 52 *IV.*
De hoc populo loquitur per Psalmistam, præmittens priùs, Constitu-
es me in caput gentium: Populus, quem non cognovi, servivit
mihi, in auditu auris obedivit mihi: *Ps.* 17.) quia per fidem, quæ
est ex auditu, *Rom.* 10) obedivit Evangelio, ab Apostolis prædicato.

Judæi à Deo recedunt,

De Judæis autem infert: Filij alieni, id eſt, ſpurij, nimirùm Judæi, mentiti ſunt mihi, facti ſunt refractarij, inveterati in pravitatibus ſuis, claudicaverunt in ſemitis ſuis, *Pſ.* 19.) receſſerunt à Deo ſalutari ſuo, *Deut.* 32. Intereà paravit Dominus brachium ſanctum ſuum *Iſ.* 52.) in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. *Pſ.* 97.) Notum fecit Dominus hodie tribus Regibus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam, *Ib.* qui eſt deſideratus cunctis gentibus, *Ag.* 2.) ſpecioſus formâ præ filijs hominum, & eſt expectatio gentium. *Gen.* 49.) Ecce teſtem populis dedi eum, dicit Dominus apud Prophetam, *Iſ.* 55. Ducem ac Præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis, & gentes quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & Sanctum Iſrael, qui glorificavit te. *Ib.*) Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. *Iſ.* 60.) Lauda ergo ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij deſertæ gentium Eccleſiæ magìs, quàm ejus, quæ habet virum, *Iſ.* 4. Synagogæ. Univerſos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filijs tuis, & in juſtitia fundaberis. [*Ibidem*] Hæc eſt differentia filiorum Eccleſiæ & Synagogæ. Illi ex lege non habent juſtitiam veram, quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo: [*Rom.* 3.] iſti ex fide JESU Chriſti veram DEI juſtitiam poſſident; imo omnes filij DEI ſumus per fidem, quæ eſt in Chriſto JESU. (*Gal.* 3.) Illi habuerunt promiſſionem gratiæ Dei, iſti poſſeſſionem. Illis omnia in figura & umbra ſunt repromiſſa, iſtis omnia in veritate & luce ſunt conſignata. De illorum ſacrificijs loquitur Deus apud Jſaiam *c.* 1. deteſtabiliter: Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarũ? dicit Dominus; plen⁹ ſum, holocauſta arietum & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui: iſtorum autem oblationes, qui ſunt offerentes Domino ſacrificia in juſtitiâ, acceptabiles ſunt in odorem ſvavitatis. Et quænam hæ? Aurum, thus & myrrha. Aurum charitatis, thus devotionis, myrrha mortificationis: quæ in Synagoga non reperiebantur. Ibi enim plumbum duntaxat legalis obſervantiæ ex timore ſervili, cultus coactus, & tanquam in carnali populo nulla mortificatio inveniebatur. Hic verò aurea excellit charitas, Deum ſolum propter ſe ipſum, & proximum propter Deum amat ſicut ſeipſum: thureus filialis devotionis cultus redolet, ſoli Deo totum ſe immolando & ſacrificando: myrrhea corporis & paſſionum mortificatio adimpletur, ſpiritu facta carnis mortificando. Quàm ſpecioſæ & formoſæ hæ virtutes, à ſpecioſo formâ præ filijs hominum (*Pſ.* 44.) promanantes. Quanta fidei ſpecies! quantus decor juſtitiæ! Quanta pulchritudo amoris, devotionis & mortificationis abinde derivata! Si ſpecioſi pedes evangelizantium bona, (*Rom.* 10.) quidni ſpecioſa corda meditantium bona? ſpecioſæ manus operantium bona? Specioſi erant pedes Trium Regum quærentium na-tu

cujus ſalutare hodie tribus Regibus innoteſcit.

Vocatio gentiũ.

Differentia filiorum Eccleſiæ & Synagogæ. I.

II.

III.

IV.

Oblationes trium Regum Deo acceptabiles.

Specioſi pedes trium Regum.

um Regem Judæorum, nec minùs ſpecioſæ lingvæ prædicantes illum er inquiſitionem: ubi eſt qui natus eſt? Specioſiores manus offeren- ium auri, thuris & myrrhæ munera: ſpecioſiſſimæ animæ fide & ju- itiâ exornatæ. Sciendum tamen eſt juremeritò, quomodo Domi- us & Rex noſter novum populum à ſe creatum & renatum for- nat, informat, reformat, ſibiq; conformat: ut nomine novo merea- ır inſigniri juxta Prophetiam Jſaiæ *c.* 62.) Et vocabitur tibi nomen ovum, quod os Domini nominavit. Non vocaberis ultrà derelicta, terra tua non vocabitur ampliùs deſolata; ſed vocaberis voluntas ea in ea, & terra tua inhabitata. Formatur igitur hic popul' per gra- am Chriſti & merita ipſius, renaſciturque per aquam baptiſmatis, de uo ipſemet Author gratiæ aſſerit Nicodemo: (*Joan.* 3.) Amen amen co tibi, id eſt veriſſimè ac certiſſimè, niſi quis renatus fuerit ex qua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei. *Hoc eſt* *crum Divinæ generationis ſacramentum*, juxta S. Dionyſium, *per* *uod nova creatura Chriſti regeneratur.* Formavit Deus hominem limo terræ, (*Gen.* 2.) utique non arido ſed humido; nec corpus ovi Adam, quod eſt Eccleſia, ſinè aqua poteſt formari: & *ſicut de* *ido tritico* teſte S. Irenæo, *maſſa una fieri non poteſt ſinè humore*, *neq; nos multi unum fieri in Chriſto poteramus ſinè aqua, quæ de* *lo eſt.* Hæc ipſa quoque mundat hominem ab omnibus peccatis, veſtit illum poſt nuditatem primorum Parentum candido innocen- e & juſtitiæ amictu. Populum porrò ſic renatum, & ſtolâ innocen- e indutum ipſe accinctus gladio ſuper femur ſuum Dominus exer- uum, unctus oleo lætitiæ præ participibus ſuis, per ſacramentum onfirmationis armat contra hoſtes ad militiam bonam, ungit oleo, ſint veri athletæ ad pugnã parati. Et quia ultima cum hoſte lucta eſt aviſſima, ideò iterato unctionis extremæ oleo roborat morituros. m verò quod eſt primarium, ſacrâ Corporis & Sangvinis Eucha- iâ populum ſuum cibat & potat ſub ſpeciebus panis & vini juxta ophetam Zachariam: (*c.* 9.) Quid enim bonum ejus eſt, & quod lchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans vir- nes? Sicut populus Judaicus poſt tranſitum maris rubri cibatus t mannâ de cœlo, (*Deut.* 8.) ita populus Chriſtianus habet ci- m, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo; imò qui man- cat hunc panem, vivet in æternum. (*Joan.* 6.) Si verò contingat quem ſpiritualiter ægrotare, promptam tenet medicinam in pœni- tia, quæ adinſtar piſcinæ Probaticæ lues morbidas ſanat, & omnes orbos curat. Porrò quantumvis primariò & immediatè per ſe Do- nus regit populum ſuum, poſuit tamen loco ſui Rectores Epiſco- s & Presbyteros regere Eccleſiam ſuam, quam acquiſivit ſangvine o. (*Act.* 10.) Poſtremò tandem multiplicationi & conſervationi puli ſui providit per ſacramentum Matrimonij, quod Apoſtolus (*ph.* 5.) Magnum nominat, propter figuram quam habet, conjun- onis Chriſti cum Eccleſia: præbetque hominibus Chriſtianis quan-

Specioſæ lingvæ, & manus, ac animæ eorum, in quo?

Populus novus

formatus per gratiã & merita Chriſti, renaſcitur aquâ baptiſmatis.

S. Dionyſius

S. Irenæus

Renatus armatur Sacramento Confirmationis,

& ante mortem extremæ Unctionis; Eucharistiâ cibatur;

Pœnitentiâ lavatur;

Regitur ab Epiſcopis & Presbyteris;

et multiplicatur per Matrimonium

dam immortalitatem, quando in prolibus suis propagantur & con-servantur. Hic est status populi, quem formavit sibi Dominus qui natus est ut laudet Dominum, ut laudem ejus annuntiet. (*Ps* 9.) Hæc est generatio nova, generatio altera, (*Ps.* 77.) generatio ven-tura. (*Ps.* 21.) Dum igitur in prima trium Regum vocatione hæc generatio disponitur, videtur non incongruè huic Epiphaniæ seu Ap-paritionis Dominicæ festivitati adjuncta memoria de baptismo Chri-sti, de nuptijs Canæ Galilææ, de cibatione tot millium hominum, primariorum sacramentorum institutio in populo hoc simul comme-taretur.

Laudandus Deus pro vocatione ad fidem sanctam.

Laudemus igitur nomen Domini, bonitatem ejus & mise-ricordiam ejus deprædicando, quòd nos ex massa illa Gentilismi, alijs in ea derelictis & desertis elegerit, vocaverit, & per sancta Sacra-menta in numerum populi sui adsciverit: Dominus enim elegit vos ut sim⁹ ei populus peculiaris custodiens omnia præcepta illius. (*Deut.* 26.) Ideò firmati in fide & justitia continuò ei trium Regum mune-ra offeramus, auro charitatis fulgentes, thure devotionis ferventes, myrrhâ mortificationis speciosi, ut sic specioso formâ præ filijs ho-minum per species virtutum pulcherrimas conformemur. Sint quoque utriusque Statûs tam Ecclesiastici quàm Politici memores, sigillatim Ordinis nostri negotia in hac Provincia sint nobis in assi-dua memoria ad recommendandum Divinæ Majestati, ut in Juribus suis unà cum Oliva nostra conservetur. Animabus quoque in agone supremo fluctuantibus, & ijs, quæ igni piaculari immersæ sunt, suf-fragiorum nostrorum auxilio assistamus; & sic omnes mundi, im-maculati ac speciosi coram specioso formâ præ filijs hominum Regi nostro compareamus.

Pro Purificatione B. V. MARIÆ.

Speciosus formâ præ filiis hominum. Psal 44.

Speciositas Christi superat speciem hominum & Angelorum.

PRincipium omnis speciei, cunctæ origo pulchritudinis, fons de-coris universi Christus JESUS, Deus homo, Filius Dei & filius hominis, speciosus est formâ non tantùm præ filijs hominum, sed etiam præ cunctis Ordinibus Angelorum, PP. RR. FF. DD. Si pulchrum lumen & delectabile oculis; En lux mundi, (*Joan.* 8.) lu-men ad revelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israel. (*Luc.* 2.)

Luce excellit, splendore, candore, supra solem & lunam, & stellas.

Si gratum aspectu, quod est splendidum: En splendor Paternæ glo-riæ, (*Heb.* 1.) lumen de lumine, imago bonitatis Divinæ. (*Sap.* 7.) Si decorum, quod est candidum: Ecce candor lucis æternæ, (*Ib.*) & speculum sinè macula. Speciosus est sol in decore suo; quidni spe-ciosior eô hic, qui creavit illum? (*Gen.* 1.) Pulchra est luna in o-mnibus in tempore suo: quidni pulchrior ille, à quo lumen partici-pat? Species cœli gloria stellarum est, non deficiens in vigilijs suis: (*Eccli.* 43.) quantò gloriosior is, qui numerat multitudinem stella-rum, & omnibus eis nomina vocat? (*Psalm.* 146.) Jure me-ritò Sponsa inclamat: (*Cant.* 1.) Ecce tu pulcher es dilecte mi

& decorus: cujus pulchritudinem sol & luna mirantur, in quem de-
siderant Angeli prospicere, (1. *Pet.* 1.) licèt videntes faciem Patris e- *Pulcher in nativitate & morte.*
jus, qui est in cœlo. (*Matt.* 18.) Pulcher in ortu Nativitatis, decorus
in occasu mortis, etiam cùm ei non esset species neq; decor. (*Is.* 53.)
Pulchrior in Oriente Resurrectionis iste formosus in stola sua, gradi- *Pulchrior in Resurrectione.*
ens in multitudine fortitudinis suæ: (*Is.* 63.) pulcherrimus in meri-
die & auge Ascensionis: ubi Dominus regnavit, decorem induit, in- *Pulcherrimus in ascensione.*
duit fortitudinem, & præcinxit se virtute, [*Ps.* 92.] amictus lumine
sicut vestimento. (*Ps.* 103) Ita est, pulchrum fuit germen Domi- *Christus pulchrum germen Domini.*
ni in magnificentia & gloria, (*Is.* 4.) quando multitudo militiæ cœ-
lestis cum Angelo cecinit: Gloria in altissimis Deo, (*Luc.* 2.) quan-
do sicut terra profert germen suum, & hortus semen suum germinat,
sic Dominus germinavit justitiam & laudem coram universis genti-
bus, (*Is.* 61.) in persona trium Regum adorantibus eum. Sed pul-
chrior fuit flos campi & lilium convallium, (*Cant.* 2.) qui est flos *Flos campi,*
de radice Jesse, (*Is.* 11.) & virga ascendens; quando Jesus quæreba-
tur Nazarenus, *Mar.* 16.] id est floridus, qui erat ante crucifixus;
(*Ib.*) sed tunc fuit flos resurrectionis in vitam æternam; radix Jesse
stans in signum populorum. *Is.* 11.) Deniq; pulcherrimus fuit fructus
terræ sublimis (*Is.* 4.) benedictus ille fructus ventris Mariani (*Luc.* *Fructus terræ sublimis.*
1.) assumptus in cœlum, sublimatus in gloria, & sedens ad dexte-
ram Dei Patris, (*Luc.* 22.) quando elevata fuit magnificentia ejus
super omnes cœlos, (*Ps.* 8.) super omnes Choros Angelorum. Sed
undenam nobis hic speciosus, hic amabilis, hic totus desiderabilis *Hic speciosus venit è sinu Patris,*
(*Cant.* 5.) profluxit? E sinu Dei Patris, qui lucem habitat inaccessi-
bilem, quem nemo vidit unquam, (1. *Tim.* 6.) cui invisibili soli *Deo*
honor & gloria in secula; (1. *Tim.* 1.) ubi ex utero ante luciferum in
splendoribus Sanctorum genitus, *Ps.* 109. deinde descendens in sinum *in sinum Virginis Matris,*
Virginis Matris, & ex utero ejus procedens tanquam sponsus de tha-
lamo suo. *Ps.* 18. Et hæc Virgo Mater est illa speciosa, *Cant.* 2. illa *quæ est speciosa,*
formosa, unica columba, *Ib*) electa ex millibus; cujus decorem Rex
cœli & terræ concupivit, [*Ps.* 44] cui ipse sponsus applaudit: Ecce tu
pulchra es amica mea, videlicet ante partum; Ecce tu pulchra es, *Can.* *tota pulchra,*
1. utiq; in partu; deniq; tota pulchra es, haud dubiè post partum,
& macula non est in te [*Cant.* 4.] omni temporis intervallo. Quid
tamen est, quòd hæc speciosa & suavis in delicijs suis cum tota hac
pulchritudine sua hodie purificatur? Ad quid implentur dies purga- *cur purificatur?*
tionis ejus, [*Luc.* 2.] quæ nihil habuit, quod purgaretur? Credide-
rim, ut exinde longè pulchrior redderetur. Si enim præcipitur, ut,
qui justus est, justificetur adhuc, (*Apoc.* 22.) & qui sanctus est, san-
ctificetur adhuc; ita quoque qui pulcher est, pulchrior fiat adhuc,
& qui purus est, purificetur adhuc. Nonne ipsa plena est gratiâ?
Ecce tamen novam invenit gratiam apud Deum; quæ erat plena
gratiâ (*Luc.* 1.) utì Virgo, invenit gratiam, ut sit & Virgo & Ma-
ter denique ipsius Dei Genitrix. Nonne Filius ipsius Verbum Dei

JESUS circumciditur, circumcisionis non indigus:

Patris, plenum gratiæ & veritatis, [*Joan.* 1.] qui eſt conſummata juſtitia, perfectio & ſanctitas, nullius indigus circumciſionis, circumciditur tamen, poſtquam conſummati ſunt dies octo, (*Luc.* 2.) ut vocetur nomine ante ſolem permanente, (*Pſ.* 71.) nomine ſupra omne nomen, (*Philip.* 2.) nomine benedicto in ſæcula, (*Pſ.* 71.) quod eſt JESUS. Quid quòd licèt immaculatus, impollutus, & ſegregatus à peccatoribus eſſet, [*Heb.* 7.] voluit tamen inter peccatores ſiſtere in Baptiſmo Joannis ad omnem juſtitiam implendam? [*Mat.* 3.] Cur & non ipſius Mater benedicta inter mulieres, (*Luc.* 1.) beata ab omnibus generationibus dicta (*Ib*) nullâ egens purgatione, poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus, (*Luc.* 2.) inter peccatrices ſiſtatur Domino, purificanda in templo, ut agnoſceret ſe eſſe Matrem ſalutaris Dei, atq; luminis ad revelationem gentium & gloriam plebis Iſraël? (*Luc.* 2.) Sed undenam hæc pulchritudo provenit auctior? A magnis virtutibus ſuperexcellentibus in Maria. Scitis quomodo in Annuntiatione Angelica dum Mater Dei declararetur, duo verba dixit; humilitatis: Ecce ancilla Domini; & obedientiæ: Fiat mihi ſecundùm verbum tuum. (*Luc.* 1.) O quàm verè diffuſa tunc fuit gratia in labiis ejus! (*Pſ.* 44) Id ipſum nunc exercet humiliando ſe, & in ſortem, ac conſortium aliarum mulierum purgatione opus habentium licet puriſſima ſtatuendo ſe, atque legi Moſaicæ obediendo, licèt minimè ei obligata, quia Sanctum genuit, vulvam non adaperiens. Fecit quod Pſaltes Regius prædixit, exhortans illam: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui [*Pſ.* 44.] audivit & inclinavit aurem ſuam per obedientiam; oblita eſt populi ſui & Patris ſui per humilitatem; quod fecit tam concipiendo eum, quàm offerendo illum, qui concupivit decorem ejus, (*Pſ.* 44.) Dominus Deus ipſius: quem ut talem cum ipſa quoq; adorent omnes Creaturæ. Ille ipſe quid egit? Cùm in forma Dei eſſet, formam ſervi accepit, humiliavit & exinanivit ſemetipſum, factus obediens uſq; mortem, eamque mortem crucis. (*Philip.* 2.) Sic nimirùm per humilitatem & obedientiam utriusque ſexûs, genus humanum, quod per ſuperbiam & rebellionem in utroque ſexu corruerat, debuit reſtaurari. Ah! quanta turpitudo? quanta denudatio? quanta abominatio fuerat primorum Parentum, & poſterorum ex fœditate ſuperbiæ & inobedientiæ, per quam Dei gratiâ, innocentiâ & primævâ juſtitiâ deſpoliati, deteſtando & execrando dæmonio ſimiles devenerunt? Sed ô! quanta pulchritudo? quanta exornatio? quanta ſpecioſitas ex decoribus humilitatis & obedientiæ relucens, per quas in Dei gratiam, innocentiam & primævam juſtitiam redintegrati homines, Deo ſimiles, Deique filij redduntur? Hæc ſunt pulcherrima virtutum ſpecimina, quæ ſpecioſus formâ præ filijs hominum, & ſpecioſa ſupergrediens univerſas, (*Pr.* 31.) nobis in exemplum tradidêre. O elegans ſpecies humilitatis! de qua Sapiens: Quantò major es, humilia te in omnibus, & invenies gratiam, [*Eccli.* 3.] O excellens form

baptiſatur inter peccatores:

Cur non & illius Mater purificetur?

Duo verba Mariæ in Annuntiatione: humilitatis, & obedientiæ:

quæ in Purificatione exercet.

Quomodo?

Superbia & inobedientia primorũ Parentum fœditatẽ,

Jeſu & Mariæ humilitas ac obedientia, pulchritudinẽ, induxerunt.

orma obedientiæ! quæ etiam ipsi Deo hominem ita gratum facit, t Deum reddat obedientem voci hominis. *Josve* 10) Reciproca hæc unt: Tu te humilias Deo, Deus se tibi humiliat, respiciendo te & extando. Tu Deo obedis, Deus tibi. Ergo qui se humiliat, humilietur adhuc, qui Deo est obediens, obediat adhuc, ut per hæc gratior Deo & pulchrior appareat. Videte quomodo hæ virtutes, Dei oculos d se rapiant, eumque delectent. De humilibus ait Regius Propheta: *Ps* 112) Dominus excelsus, & humilia respicit in cœlo & in terra. Nonne respexit humilitatē ancillæ suæ, fatetur humillima Virgo Deipara? *Luc.* 1. Ita Deus humiles respicit, ut Spiritu suo in illis requiescat. Super quem, ait apud Isaiam, (*c.* 66.) requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos? Quantus decor humilitatis, ut non tantùm Dei respectum ad se attrahat, sed ipsum Dei Spiritum in se rapiat ad quietem? Jam obedientia quantùm oculis Dei arrideat, patet in Abrahamo, qui Divino præcepto de immolatione filij Isaac obtemperans, non tantùm clamorem Angeli, de cœlo heroicum illius obedientiæ facinus prospectantis, actumque necis interdicentis, excitavit, sed ipsius Dei ex semine suo nasciturі obtinuit repromissionem. Quid autem primarium fuerit circa illud opus ex parte Dei, patefecit per denominationem loci illius: Dominus videt. (*Gen.* 22.) Unde usque hodie dicitur, inquit Scriptura: (*Ib.*) In monte Dominus videbit; acsi diceret: Actus obedientiæ resolutæ Dominus non tantùm videt in præsenti, sed etiam videbit in futuro. Ita equidem oculi Domini in obedientia aspicienda omni tempore figuntur. Notabile, quòd Deus hominem primum superbum & inobedientem compellet, dicens: Adam ubi es? (*Gen.* 3.) Reverà Adam ita erat absconditus, & deperditus per superbiam ac inobedientiam, quòd eum Deus quasi nec videre posset nec reperire. Superbi & inobedientes procul sunt ab oculis Dei. Oculi Domini super justos, ait Psaltes (*Ps.* 33.) Et quis justus, nisi qui humiliter obedit mandatis Dei, quæ justificationes nuncupantur? Non est gratior vultui Divino oblatio, non est acceptior ante faciem Domini victima, quàm illa, quæ fit per humilitatem & obedientiam. Et talis fuit hodie Mariæ, Jesum offerentis in templo, ipsiusque Jesu Patri se præsentantis, quia nulla datur major virtute obedientiæ & humilitatis speciosâ. Unde sicut ipsa Virgo trimula à Parentibus suis fuit in templo præsentata, Deoque ibidem ad servitium dedicata, ita eum ipsa filium suum quadragintadialem inducit in templum ad suscipiendam misericordiam Dei in medio ejus, (*Ps.* 47.) atque eidem offert in sacrificium matutinum. Ex occasione oblationis in templo factæ, occurrit mihi quartum Virgineæ Matris verbum, quod protulit ad filium repertum in templo: Fili quid fecisti nobis sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. (*Luc.* 2.) Libeat illud ad brevem trutinam assumere. Ac primùm liceat mihi tecum ô Mater Sapientiæ exquirere: Cur alibi Jesum quæsivisti, quàm in templo, ubi

Humilitas Dei oculos ad se rapit.

Abraham Deo obediens, percipit repromissionem.

Superbi & inobedientes procul sunt ab oculis Dei.

Mariæ humilitas & obedientia in Purificatione.

eum Deo Patri obtulisti? Ibi illũ consecrâsti, ibi devovisti, ibi San-
ctum Domino vocâsti. Illic Pater cœlestis ipsum è manibus tuis re-
cepit, sibiq; tanquam filium dilectum, in quo sibi complacuit, [*Mat.*
3.] vendicavit. Unde in ijs, quæ Patris ipsius sunt, oportebat il-
lum esse. (*Luc.* 2.) Ibi zelus domûs Paternæ eum aliquoties come-
dit, (*Ps.* 68.) eijciendo è templo ementes & vendentes: (*Mat.* 21.)
ibi prædicationem Verbi Divini maximè publicavit. Dominus in
templo sancto suo, (*Psal.* 10.) qui etiam est Dominus templi. Ibi est
locus habitationis ejus, (3. *Reg.* 8.) ubi est domus Dei. (*Gen.* 2.)
Ubi est domus Patris ejus, ibi est Jesus quærendus in domo sua &
Patris sui. Sed tu requirebas eum inter cognatos & notos. (*Luc.* 2.)
Nonne ipse inquit? Veni separare hominem adversùs patrem suum,
& filiam adversùs matrem suam, & nurum adversùs socrum suam.
(*Matth.* 10.) Nonne doctrina ipsius futura erat? Si quis venit ad
me & non odit patrem suum & matrem suam & uxorem & filios &
fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus
esse discipulus? (*Luc.* 14.) Ergo quod docuit, fecit proculdubiò, n[...]
inter cognatos & notos morabatur. Sed omnia hæc Virgini pruden-
Cur se Christus D. Matri suæ per triduum subtraxit? tissimæ fuerunt postea cognita, quia conservabat omnia verba h[æc]
conferens in corde suo. (*Luc.* 2.) Interea voluit se Divina Sapientia
incarnata à carne aliquantulùm abstrahere, voluit se Matri dilectis-
simæ & Patri suo Nutritio occultare, ad majorem amorem erga se in
I. ipsis eliciendum. Utique & Sponsa quæsivit illum, quem dilexit ani-
ma illius, & non invenit per vicos & plateas; tandem tamen invent[um]
tenuit, nec dimisit: [*Cant.* 3] in quo figura quæsitionis & repertionis
D. Ambros. humanæ repræsentatur. Nolo alias exquirere causas, cur se per tres
II. dies celaverit Christus Matri suæ; in quo D. Ambrosius indicium ob-
servat, quia *post triduum triumphalis illius Passionis, in sede cœlesti*
& honore Divino se suscitatus offeret, qui mortuus credebatur. Un[a]
III. interim earum primaria sufficit, quam ipsemet manifestat: Nesciebà-
tis, inquit, (*Luc.* 2.) quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me es-
se? Mater Domini mentionem facit Patris Putativi, parem ipsius in
quærendo filio sollicitudinem declarando: ipse verò filius ad verum
Patrem suum illos reducit, & ad eum se magis, ut opera ejus faciat,
demonstrat pertinere. In his, inquit, quæ Patris mei sunt oportet m[e]
Proprium Patris est, generare Filium. esse. Quænam sunt illa, quæ Patris propria sunt? Patris proprium
est, generare Filium, qui simul est Patris Verbum. Hoc opus ergo
Patris est, Verbum producere. In his quæ Patris sunt, oportet es[se]
illud ipsum Verbum; videlicet, Orbi se manifestare, Patris verbu[m]
in auribus & cordibus hominum producere & formare: cùm ideò [sit]
Verbum Domini, factum ad Prophetas diversimodè: Caro factum. [*Joan.* 1.] Factum fuerat verbum Domini diversimo-
dè ad Prophetas de Verbo Domini, quo cœli firmati sunt, (*Ps.* 32.)
exituro de Jerusalem, quod manet in æternum; (1. *Pet.* 1.) de qu[o]
I. apud Jeremiam *c.* 17. inquiritur: Ubi est Verbum Domini? Veniet.
II. Apud Isaiam verò: (*c.* 55.) Quomodo descendit imber & nix de cœ[lo]

..., & illuc ultra non revertitur sed inebriat terram, & infundit eam, ...t germinare eam facit, & dat semen serenti, & panē comedenti: sic ...rit Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad ...e vacuum, sed faciet, quodcunq; volui, & prosperabitur in his, ad ...uæ misi illud. Ac rursùs ex Isaia D. Apostolus inquit: Verbum cō-...mmans & abbrevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet III. ...ominus super terram: (*Rom.* 9.) de quo Sapiens: (*Eccli.* 1.) Fons ...pientiæ, Verbum Dei in excelsis. Tandem, ecce juxta Isaiam, Ver- IV. ...um misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israel: quod pulchrè ex- V. ...icat D. Ambrosius: *Quid per Jacob? nisi Judaicus populus: quid ...r Israel? nisi Gentilis populus designatur. Quia quem Jacob studuit* D. Ambros. *...r carnis mortem supplantare, hunc nimirùm per oculos fidei Gentili-...s vidit. Ad Jacob quod Verbum missum in Israel cecidit, quia eum, ...uem ad se venientem Judaicus populus respuit, hunc repente populus ...ntilis invenit.* Denique Deus misit Verbum suum, & sanavit eos, VI. ...mirùm homines, & eripuit eos de interitionibus eorum. (*Ps.* 106) ...oc ergo Verbum in ijs, quæ Patris sunt, debuit esse, ut seipsum ...mpestivè Judæis notum faceret ac prædicaret in templo, Verbo Dei ...cato. Et sanè, ubinam Verbum Dei quærendum vel audiendum, ...i in templo? Ubinam Speciosus formâ præ filijs hominum inve-...gandus, præterquam in loco specioso præ alijs locis, qui est tem-...um Dei sanctum? (1. *Cor.* 3.) Quid enim magis decorum, quid ...mptiùs ornatum esse debet, quàm templum? de quo Propheta: (*Ps.* 25.) Dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ ...æ. Et Machabæi (*lib.* 1. *c.* 4.) ornaverunt faciem templi coronis ...eis. De filiabus alienorum idem Vates (*Ps.* 143.) asserit, quòd ...t compositæ & circumornatæ ut similitudo templi; indigitans, ni-... magis solitum ornari & specie decorari quam templum. Hic ...us pulcher & decorus tam in Sanctissimo Sacramento, quod est ...atio munda, quàm in Verbo Dei prædicato invenitur. Verbum ...o Matris Sanctissimæ quærentis Filium ac dicentis: Fili quid fe-...i nobis sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te; (*Luc.* 2.) præbet nobis exemplum zelosissimi amoris erga Jesum haben-...r, & ut habeatur, inquirendum; excitat in nobis solertem diligē-...m, vigilantem sollicitudinem, ardentem curam quærendi semper ...um Salvatorem nostrum; quem & ipse Simeon ferventer optabat ...ere, & meruit responsum obtinere: Non visurum se mortem, do-... videret Christum Domini, (*Luc.* 2.) speciosum formâ præ filijs ...minum. Quia beati oculi, qui eum viderunt; [*Luc.* 4.] imò be-... quoque aures, quæ ipsum audierunt, cùm hoc ipsum sit, quod ...t hominem; non enim in solo pane vivit homo, sed in omni ver-... quod procedit de ore Dei. (*Mat.* 4.) Hic est panis Verbi con-...ans cor hominis. *Ps.* 103. Jam verò si in solo templo reperitur Je-... quidni in templo animato, quod est ipsa Sanctissima Mater ejus, ...imè quæritur & invenitur? Si Ecclesia Dei templum ejus est, e-

Verbum Dei in templo quærendum.

Exemplum zelosissimi amoris erga Jesum inquirendum, ex quarto verbo Mariæ;

quæ est templum Dei animatum;

quidem Maria est medium templi, in quo suscepta est misericordi- Dei, (*Ps.* 47.) ex qua Mediator Dei & hominum homo Christus Je- sus (*1 Tim.* 2) prodijt, facta quoque ipsa *Dei* & hominum per illum Mediatrix. Ab hac omnis pulchritudo, omnis species, omnis dico Ecclesiæ promanavit, quæ est pulcherrima mulierum, (*Cant.* 5.) spe- ciosissima omnium Creaturarum, ornatissimus templi *Divini* dico per humilitatem & obedientiam possessus. Progrediamur nos quoque in purificatione nostrî, in augmento justificationis, in multiplicandæ venustatis proposito per maximam nostrî humilitatem, & devotissi- mam erga Deum ejusq; mandata obeditionem; certi, nos exinde vi- suros Christum Domini, speciosum formâ præ filijs hominum, e- jusque speciosissimam Matrem Virginem in æterno templo gloriæ e- jus, omnem decorem & pulchritudinem superante; ad quod u- trumque Statum spiritualem & secularem, animas agone extremo, & igne purgatorio angustiatas, patrocinio Matris suæ Virgineæ fili- us ejus, & Sponsus Ecclesiæ unà nobiscum dignetur perducere, sup- pliciter & constanter à nobis est exorandus.

à qua omnis pulchritudo Ecclesiæ promanavit.

Progrediendū & nobis in purificatione nostrî per humilitatem & obedientiam.

Sermo pro Dominica I. Quadragesimæ

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psalm. 44

SAcra Quadragesimalis Jejunij observantia per Moysen Patriar- cham cæpta, atq; per Eliam Prophetam continuata, per Caput & Culmen tam Patriarcharum quàm Prophetarum Christum Je- sum est consummata. PP. RR. FF. DD. Et quidem primorum duo- rum jejunia ultimo Christi jejunio præludium fecerunt, ut umbra lu- cem, figura præcederet veritatem. Illi virtute non naturali sed su- pernaturali extrinsecùs à Deo sibi data: Christus virtute propriâ si- bique intrinsecâ, quia Divinâ, hoc quadraginta dierum jejunium per- egerunt. Moyses per quietam cum Deo in monte conversationem, Elias per continuatam itineris deambulationem, Christus Dominus tam per profundam rerum Divinarum contemplationem, quàm per aliquam in deserto corporis motionem hanc Quadragesimalis jejunij tolerantiam absolverunt. Moyses Divinâ pastus præsentiâ, Elias in fortitudine cibi antea sumpti, videlicet panis subcinericij, Christus verò baptismo à Joanne percepto voce Dei Patris canonizatus, ductus à Spiritu Sancto, (*Matth.* 4.) qui in forma columbæ descendit, & mansit super eum, [*Mat.* 3.) huic se corporis per quadraginta dies jejunium accinxit macerationi. Moyses & Elias hâc jejunij observa- tione posteriora Dei videre (*Ex.* 33.) meruerunt, Christo autem Do- mino transfiguratio cessit in præmium, ubi non minùs reverà ijdem posteriora *Divinitatis* conspexêre, incarnati videlicet *Dei* humanita- tem. Sed jam credimusne Redemptorem nostrum semel tantum, il- que quadraginta diebus ac noctibus, jejunâsse ? Minimè equidem. Tota vita Christi jejunium fuit. Cur tamen hoc Quadragesimæ je- junium elegit solenniter celebrandum ? Dat causam mysticam D. Augustinus

Jejunia Moysis & Eliæ, præludia jejunij Christi Dñi

quod illi peregerunt virtute supernaturali, Christus propriâ.

Quomodo?

Quid per hæc jejunia meruerunt?

Tota vita Christi jejuniū

ugustinus dicens: *Quadragenarium jejunij numerum, totum præ-* S. August.
nis vitæ tempus, pœnitentiæ & peccatorum expiationi à Deo desti- *Cur quadraginta diebus*
tum significare, quo ad Pascha Resurrectionis, & ad Pentecosten, *jejunatur?* I
ve quinquagenarium æternæ mercedis ac gloriæ pervenitur. Dat ali-
n symbolicam rationem D. Gregorius. *In hoc*, ait, *mortali corpore* D. Gregor.
quatuor elementis consistimus, & per voluptates ejusdem corporis II.
æceptis Dominicis contraimus. Præcepta autem Dominica per De-
logum sunt accepta. Quia ergo per carnis desideria Decalogi man-
ta contempsimus, dignum est, ut eandem carnem quater decies affli-
mus. D. Ambrosius alteram adhuc causam assignat à simili: *ut,* D. Ambros.
ut Hebræi per quadraginta duas mansiones, sive stationes in deserto, III.
ram promissionis ingressi sunt, ita & nos per quadraginta jejunij
es ad optatum Paschatis Festum, Resurrectionisq; gaudium pertin-
mus. Unde idem S. Doctor, & alij, *Jejunium* vocant *Stationem*,
od ipsum in Quadragesimalibus Missis est annotatum. Alio modo
am non minùs rationem porrigit nobis D. Gregorius Magnus: *A* D. Gregor.
æsenti inquit, *usq; ad Paschalis solennitatis gaudia sex hebdomadæ* IV.
munt, quarum videlicet dies quadraginta duo sunt, ex quibus dùm
dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plùs in abstinentia
àm triginta & sex dies remanent. Dum verò per trecentos & sexa-
ta quinq; dies annus ducitur: nos autem per triginta & sex dies
igimur, quasi anni nostri decimas Deo damus, ut qui nobismetipsis
acceptum munus viximus, Auctori nostro nos in ejus decimis per
stinentiam mortificemus. Unde Fratres charissimi sicut offerre ex le-
jubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite & decimas di-
m. Divus porò Hieronymus à serpente sumit similitudinem, qui
n senuerit, perdit aspectum; utque redeat ad juventutem, 40. di-
us jejunat, per quod pellis ipsius laxatur: tunc per angustum fo-
men transiens pellem deponit senectutis. *Quid est autem*, ait S. Do- S. Hieron.
r, *vetusta serpentis pellis, nisi prava & vetus consuetudo carnalis* V.
ruptionis, quam si quis appetit deponere, illum oportet carnem su-
jejunio Quadragesimali castigare. Fertur quoque ab ursis fætis 40
rum jejunium observari, soloque linctu pedis dextri eas sustentari,
morbum intestinorum curandum. Morbi quoq; chronici 40 die-
s terminantur, febres quadragesimâ die solent cessare, & pestis per
arantanam, scilicet 40 dierum lustrationem expiatur. Sed & longio-
empore à certis animalibus jejunia tolerantur, docente Philosopho, *Jejunia animalium.*
ab apibus, [quamvis hasce collecto melle per hyemem vivere cre-
dum est, uti & formicas provisione congregatâ] gliribus, hirun-
ibus. Serpentes, teste eodem Philosopho, lacertæ, stelliones, cro-
dili fluviatiles mensibus 4. frigidissimis latent, nec per id tempus
idquam comedunt. Jam verò quod homines attinet, naturaliter *Implicat homines ultra 7. dies naturaliter posse vivere sinè cibo.*
plicat aliquem ultra septem dies sinè cibo vel potu vivere posse:
e Danieli Prophetæ in lacu leonum constituto, septimâ die Deus
Abacuc subministravit alimentum, ne fame interiret. Contigit

Xxxx tamen

Exempla jejunantium multis diebus.

tamen interdum in infirmis, in quibus abundat humidum phlegm
vel humor viscosus, quem calor lentus lentè depascitur, ut compl-
res dies sine victu perdurent. Quòd autem, juxta Lucianum, ali
ex Christianis decem soles sinè cibo transegissent, vel juxta S. Greg-
rium Nazianzenum, dimidiam Quadragesimam à cibo abstinuisse
vel secundùm D. Augustinum nonnulli reperti sint, quos se nov
tradit ultra hebdomadam perpetuum servâsse jejunium, inquiens: a

S. Augustin.

ipsum quadragenarium numerum quendam pervenisse, à fratrib
fide dignis nobis asseveratum est: imò quòd S. Simeon Stylites
annis, vel juxta Baronium 80. sub dio in columna stans perdius
pernox, juxta Theodorum 18. annis totam sinè ullo cibo & potu tra
sigeret Quadragesimam; id non naturæ viribus, sed Divinæ virtu
auxilio adscribendum. Utì & D. Catharina Senensis solâ Euchari
sumptione per Quadragesimam haud dubiè miraculosè vitam suste-

Jejunij Ecclesiastici modus.

tavit. Porrò Ecclesia Sancta, imitatrix Christi in eo, quod ipsi p
gratiam ejus posse conceditur, Quadragesimam servat, solâ carniu
abstinentiâ contenta. Est tamen major & rigidior jejunij mod⁹, que

Jejunandi modus Danielis Prophetæ.

Daniel de se describit: Ego Daniel, inquit, lugebam trium hebd-
madarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & -
num non introiêrunt in os meum, sed neque ungvento unctus sum

S. Bernard.

[*Dan.* 10.] Simile quid de se asserit S. Pater noster Bernardus: *A-*
stineo à vino, quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum, modico

Modus S. Bernardi.

tor juxta consilium Pauli. Abstineo à carnibus, ne dum nimis nutri-
unt carnem, simul & carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum me-
sura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat:
ne improperet mihi etiam Propheta, quòd panem meum comederim
saturitate: sed ne simplici quidem aquâ ingurgitare me assuefiam,
distensio ventris usq; ad titillationem pertingat libidinis. Adeò auste-
ram jejunio vitam duxit Mellifluus noster Antesignanus. Nos ver
quàm procul absumus à tali regimine victûs & vitæ? Et tamen ca

Modus victûs ante diluviū.

nium atque vini abstinentia, fructuum tantùm & herbarum usus ho-
mines ante diluvium ad vitam 900. annorum provexit: multosque
Eremitas ac Cœnobitas pisorum tantùm & olerum victus ad centesi-
mum & ultra produxit annum. Non tamen ideò despondeamus a-
nimum, si ad talem jejuniorum perfectionem ascendere haud possi-
mus ob corporis nostri debilitatem, & ad alios cibos assvefactionem
quin potiùs studeamus tantò magis perficere nos in jejunio anim

S. Leo

In quo consistit jejunium? I.

spirituali. *Non enim*, teste D. Leone, *in sola abstinentia stat nost*
summa Jejunij; aut fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens a
iniquitate revocetur, & ab obtrectationibus lingva cohibeatur. Qui

S. Hieron. II.

prodest, ait S. Hieronymus, *tenuari abstinentiâ corpus, si animus in-*
tumescat superbiâ? Quam laudem merebimur de pallore jejunij,
invidiâ lividi sumus? Quid virtutis habet vinum non bibere, & ir
atq; odio inebriari? Sanctificate jejunium, imperat Deus per Joële

D. Gregor.

Prophetam; (*c.* 1.) quod D. Gregorius explicat: *Jejunium sanctifica*

..., est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostende-.. Cesset ira, sopiantur jurgia. Incassùm enim caro atteritur, si à ..avis suis voluptatibus animus non refrenatur, cùm per Prophetam ..eus dicat: Ecce in die jejunij vestri invenitur voluntas vestra. (Is. ..) Grande malum propria voluntas, ait noster Mellifluus Doctor, ..æ facit, ut bona tua tibi bona non sint. Voluntas & voluptas pe.. idem sonant. Volupe enim est velle, & facere quod velis. Neces.. proinde est in jejunio humiliare animas nostras: (Ps. 34.) hic enim ..is est jejunij, ut corpus subdatur animæ, anima rationi, ratio spiri..i, spiritus Deo. Si hunc finem non assequimur, frustra jejunamus; ..d & jejunium nihil proderit, si à noxijs vitijs non abstinemus. In va..um infirmus sumit medicinam, si à nocivis, & interdictis per Me..cum haud abstinuerit. Præscribit nobis Divus Pater noster normam ..unandi, inquiens: Si sola gula peccavit, sola jejunet & sufficit: si ..rò peccavêrunt & membra cætera, cur non jejunent & ipsa? ..junet igitur oculus a curiosis aspectibus, & omni petulantia. Et ..ra: Jejunet auris nequiter pruriens, à fabulis & rumoribus. ..junet lingva à detractione, & murmuratione. &c. &c. Jejunet ..anus ab otiosis signis, &c. sed & multò magis anima ipsa jejunet à ..tiis, & à propria voluntate sua. Etenim sinè jejunio hoc cætera à ..mino reprobantur, sicut scriptum est: (Is. 58.) Quia in diebus jeju..rum vestrorum voluntates vestræ inveniuntur. Quale autem jeju..m requirat Deus, docet per Prophetam Esaiam: (Ib.) Hoc est ..m jejunium quod elegi; dissolve colligationes impietatis, solve ..ciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & o..e onus [peccatorum per pœnitentiam] disrumpe; deinde per mi..cordiam frange esurienti panem tuum. & reliqua. Jam verò jeju..m cum hac spirituali vitiorum abstinentia & eleemosyna non sit ..tarium, sed adjungat sibi orationem. Bona est oratio cum jeju.., ait Tobias, (c. 12.) & eleemosyna magis, quàm thesauros auri ..dere. Duas hic alas orationi annectit Tobias. Sed & oratio jeju.. est ala, adeoque efficax, ut certum genus dæmoniorum muto..h & surdorum non eijciatur, teste ipsâ Veritate Divinâ, (Mar. 9.) ..i in oratione & jejunio. Tunc proinde perfectum est jejunium, ..ndo oratione & eleemosynâ fulcitur. Credimusne tam Moysis & E..e, quàm Christi Domini otiosum fuisse Quadragesimale Jejuni..? minimè. Tunc sanè in ea solitudine & silentio continua eorum fu.. cum Deo conversatio, voluitque Deus & in sedentaria contem..pl..ione Moysis, & in cursiva actione Eliæ demonstrare, posse nos D..o adhærere ac unitos manere. Jam quid speciosius? quid gratius a..spectui Divino potest obtingere in homine, quàm mortificatio per jej..nium in corpore, devotio per orationem in mente, communica..tio sui per eleemosynam in opere utriusque? Non enim sola eleemo..syna rerum corporalium Deo arridet, sed etiam eleemosyna spiritu..alium maximè est accepta. Est panis spiritualis verbi Divini, quem

III.

Norma jejunandi ex S. Bernardo.

Norma jejunij ex Isaia Propheta.

Jejunium cum eleemosyna, & oratione jungendum.

Eleemosyna spiritualis, qualis?

frangimus esurientibus, est nutrimentum boni exempli; est boni consilij auxilium, quod porrigimus, per quod egenos in instructione & vagos in dissolutione inducimus in domum nostram, quæ utiq; Dei est: est vestimentum obsecrationis pro proximo, quo nudum operimus, adeoque carnem nostram, qui sumus in carne Christi unum, non despicimus. (*Is.* 58.) Quid tamen arbitramur? Hæc jejunij maceratio corpus absumens, fortasse nos deformes facit coram Deo & hominibus? Nequaquam; quinimò reddit multùm speciosos, licet ex parte corporis minùs formosos. Alia sunt judicia Dei videntis in corde, alia hominum videntium in facie. Nonne Daniel & tres pueri, qui ab Eunucho petiêrunt sibi dari legumina ad vescendum, & aquam ad bibendum, hâc jejunii observantiâ facti sunt pulchriores? Post dies enim decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo Regio. (*Dan.* 1.) En etiam in exteriori forma fuerunt speciosiores præ alijs filijs hominum adolescentibus coævis suis. Quid in interiori? Audite. Pueris autem hîs dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia, Danieli autem intelligentiam visionum & somniorum. (*Ib.*) Ecce profectus jejunij corporalis in anima. Habemus exemplum & doctrinam Sapientissimi Regum, qui ait: (*Eccle.* 2) Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam. Abstemius fuit, ut esset sapiens. Idipsum declarat Propheta Isaias. (*c.* 28.) Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus. Hoc præmium datur à Deo jejunantibus, ut *qui* teste S. Gregorio *carnalia respuũt, sapiant spiritualia: utq; qui jejunant ventre, pascantur mente.* Ita sanè dicente S. Patre nostro, *gustato spiritu desipit omnis caro:* qui Robertum Nepotem suum instruens inquit: *Prudenter sobrièq; conversanti, satis ad omne condimentum sal cum fame.* Cæterùm huc servit doctrina supernæ veritatis: (*Mat.* 6.) Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Formam horum describit Deus apud Isaiam: *c. 6.* Nunquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animã suam? Nunquid contorquere quasi circulũ caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud vocabis jejunium & diem acceptabilem Domino? Exteriora hæc erant, & ad ostentationem magis quàm mortificationem. Tu autem cùm jejunas docet Divina Sapientia, (*Mat.* 6.) unge caput tuum, & faciem tuum lava: acsi diceret: Lætitiæ non tristitiæ prætefer signa; exhilara faciem tuam in oleo; (*Ps.* 103.) utere unctione in capite, & lotione in facie ad abigendum sudorem & fœtorem. *Juxta ritum Palæstinæ loquitur,* inquit S. Hieronymus, *ubi diebus Festis solent ungere capita.* Præcipit igitur, ut quando jejunamus, lætus & festivos nos esse monstremus. Hilarem enim datorem diligit Deus. 2. *Cor.* 9.) Sit lætitia in mente, munditia in operatione. Quare? Ne videaris hominibus jejunans

Jejunium homines reddit speciosos exteriùs,

& interius.

Præmium jejunantium.

Forma malè jejunantium.

Forma jejunij ex præscripto Christi.

ans, sed Patri tuo qui est in abscondito. (*Matth.* 6.) Soli *Deo* sit rtus tua nota non hominibus, ut Pater tuus, qui videt in abscon-co, reddat tibi. Qui enim videntur ab hominibus, receperunt mer-edem suam. (*Ibid.*) Hic observandum, quòd ad jejunia secreta abscondita Patris cœlestis oculi convertuntur. Cur hoc? Vtique uia hominem *Deo* reddunt gratum & speciosum. Deus enim fons ulchritudinis, non potest respicere ad deformia. Sic jejunans pul-her es, places Deo, vidêris ab illo speciosus. Sed quare alibi impe-t Lux mundi: (*Joan.* 8.) Luceat lux vestra coram hominibus, ut deant opera vestra bona? (*Mat.* 5.) Ita est, etiam per bona jeju-orum opera, proximus nostris lucis exempla monstramus. Ve-m opus est, ut per hoc, quod agimus, laudes exteriùs non quæra-us. Quid ergo? Ut glorificetur Pater noster, qui in cœlis est. *Mat.*) Sit soli Deo gloria (1. *Tim.* 1.) ex bono opere nostro, ut per in-ntionem, quâ Deo soli placere quærimus, semper optemus secre-m. Talis intentio facit nos Deo speciosos, ita ut etiam cum Chri-o & per Christum promereri possimus in jejunijs nostris pulcherri-orum consortia, atque ministeria Angelorum.

Oculi Patris cœlestis ad jejunia abscondita. Quare?

Sermo pro Dominica II. Quadragesimæ.

Speciosus formâ præ filiis hominum. Psalm. 44.

NUnquam speciosior, quia nunquam gloriosior ante Resurre-ctionem suam apparuit Christus Dominus hic in terris, quàm in Transfiguratione sua, PP. RR. FF. DD. ubi formam fu-ræ in regno cœlorum gloriæ in præsentia testium ex utroq; Testa-ento assumptorum manifestavit. Et quidem duo illi veteris Testa-enti testes, Moyses legisdator, & Elias pro gloria Domini zelator, ivilegio Quadragesimalis Jejunij dotati, & promisso videndorum ei posteriorum firmati, juremeritò ad hanc gloriosam Christi im-utationem accesserunt. Tres verò ex novo Testamento assumpti, cens antè sex dies acceperant promissum Dñi dicentis: (*Mat.* 16) nt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec vi-ant Filium hominis venientem in regno suo. Quod in genere pol-litus est aliquibus Apostolis, hoc in specie exhibuit tribus, Petro, Ja-cobo, & Joanni, qui regnum ejus in visione gloriæ Divinæ subsistens r transennam quidem, per modum tamen prægustationis conspe-xerunt. Duo fuêre ex veteri Synagoga; quia hæc in duobus fundata et, videlicet in lege & Prophetis; Tres ex nova Ecclesia; quia hæc in fide SS. Trinitatis erat constituenda; quam Lex & Prophetæ præ-dixerunt, & confitentur, & quam Apostoli in toto orbe prædicave-runt. Cur tamen præ cæteris Petrus, Jacobus & Joannes eliguntur? Respondet D. Chrysostomus: *Ideo hos tres assumpsit, quoniam aliis priores erant. Selegit hos tres quasi Apostolorum Primates, iisq; su-am ostendit gloriam, quia iisdem suam infirmitatem & agoniam in hto volebat ostendere, ne illâ offenderentur, sed per illam scirent Chri-*

Christus Dominus speciosus in Transfiguratione sua, cujus testes ex veteri testamento duo, ex novo tres assumpti.

Quare?

Cur hi tres Apostoli? I.

S. Chrysost. II.

ſtum gradum facere ad gloriam ſibi oſtenſam. Ideò diſcurſus in Tran-
Qualis diſcurſus in Transfigurationem? figuratione nullus fuit alius inter Chriſtum & aſtantes Heroes teſol-
tos (qui cum periculo mortis ſe præſentârunt ijs, ad quos miſſi era
à Deo; Moyſes quidem Pharaoni, Elias autem Regi Achab) niſi
exceſſu, utique paſſionis & mortis, quem Princeps omnium Herou
JESUS completurus erat in Jeruſalem: (*Luc.* 9.) quia ſic oportu
S.Damaſc. Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. (*Luc.* 24) S. Dama-
cenus de hiſce tribus Apoſtolis aliam dat rationem inquiens: *Petru*
III. *aſſumit, volens teſtimonium quod teſtatus fuerat ei oſtendere, per P-*
tris teſtimonium confirmari, & quaſi Præſidem futurum totius Ecc-
ſiæ; ſed Jacobum aſſumpſit tanquam moriturum pro Chriſto: Joa-
nem verò tanquam puriſſimum Theologiæ organum, ut viſâ glori
Filij Dei, quæ non ſubiacet tempori, inſonet illud: In principio er
S. Anſelm. *verbum.* (*Joan.* 1.) *S.* Anſelmus aſſerit, *quòd Petrus notet eos, q*
Quid per Petrum, Joannem & Jacobum figuratur? IV. *ſunt petræ, id eſt fortes & conſtantes in fide & virtute: Joannes ſi-*
gnificet caſtos: Jacobus, id eſt ſupplantator, notet eos, qui vitia c-
cant & ſupplantant: hi enim digni ſunt viſione Dei. Quidni per ill
V. poſſint intelligi tres virtutes Theologicæ; & quidem per Petrum -
des, per Jacobum ſpes, per Joannem charitas, quæ ſolæ æterna
VI. gloriam promerentur? Crediderim quoque non abs re tres laure-
las cœleſtes indigitari; in Petro Doctoratûs, in Jacobo Martyrij,
Joanne Virginitatis: Divus Petrus enim inter Apoſtolos primus D-
Cur Transfiguratio facta in monte Thabor? I. ctor, D. Jacobus primus Martyr, D. Joannes primus Virgo. Po-
rò Transfiguratio ad hoc facta in monte excelſo, qui fuit Thabo,
quia *neceſſe eſt omnibus*, inquit S. Remigi[9], *qui Deum contemplari d-*
S.Remigius *ſiderant, ut non in infimis voluptatibus jaceant, ſed amore ſupern-*
II. *rum ad cœleſtia erigantur; & ut oſtendat diſcipulis ſuis, quatenus gl-*
riam Divinæ claritatis non in hujus ſeculi profundo quærant, ſed
cœleſtis beatitudinis regno. Jam verò Thabor à D. Petro (*ep.* 2. *cap.*
qui dicitur mons ſanctus. dicitur mons ſanctus, quia per Transfigurationem Chriſti, per voc
Dei Patris, & per colloquium Moyſis ac Eliæ ſanctificatus: Proph-
tico vaticinio inſignis eſt unà cum mōte Hermon, dicente Rege Pro-
Exultatio illius, & montis Hermon, in quo? phetarum: [*Pſ.* 88.] Thabor & Hermon in nomine tuo exultabu
Hermon, ait D. Damaſcenus, *exultavit, cùm in baptiſmo Chriſti v-*
cem Patris de cœlo audivit. Thabor verò, cùm eum transfiguratu
vidit. Tunc Thabor certavit cum coelo empyreo, illius enim fuit ſi-
mulachrum, & quaſi cœleſtis gloriæ theatrum. Sicut enim beati v-
dent in cœlo gloriam Dei, ſic Apoſtoli viderunt in monte Thabo
gloriam Chriſti. Cæterùm Hermon tanquam vicinus Jordani, voc
Dei Patris beatus eſt; quæ vox rursùs in monte Thabor audita eſ
nimirùm: Hic eſt Filius meus dilectus: [*Mat.* 17.] & in hoc nomi
Mons Hermō ad Orientem Thabor ad Occidentem. iſti montes exultaverunt; qui etiam Orientis & Occidentis figura
gerunt, cùm Hermon ſit versùs Orientem, Thabor autem versù
Occidentem: ut ſic à ſolis ortu uſque ad occaſum laudabile nome
Domini (*Pſ.* 117.) denotetur. Jam verò Thabor ex Hebraico ſignif

C

: thalamum in luce, vel juxta D. Hieronymum *veniens lumen*; quia ibi Christus Domin⁹ in sole posuit tabernaculum suum, & pro- *Quid significet Thabor? I.*
...sit tanquam Sponsus de thalamo (*Ps.* 18.) gloriæ suæ ac splendo-
...speciosus formâ præ filijs hominum. Potest quoque Thabor verti
...lamus cisternæ & sepulchri, quia ibi de excessu ejus, qui fuit mors *II.*
...jus & sepultura, erat colloquium, per hanc enim viam itur ad
...riam. Notandum porrò nobis est, quid Dominus fecerit ante *Quid ante Trāsfigurationem Dominus fecit?*
...ransfigurationem; quod nobis aperit D. Lucas dicens: Ascendit in
...ontem ut oraret, & facta est dum oraret, species vultûs ejus altera:
(*Luc.* 9) unde nobis conijciendum est, quodsi velimus fieri partici-
...s Transfigurationis Christi, oratio nobis sit frequentanda. Hæc e-
...n est, quæ nos Divinâ perfundit luce, cùm sit colloquium cum
...o, qui lux est, uti accidit Moysi, in monte Sinai Dei colloquio
...enti, gloriâ Dei ipsi apparente, facies ejus cornuta apparuit, [*Ex.*
3.] propter radios lucis Divinæ illi affixos. Quæ tamen fuit hæc altera *Species vultûs ejus altera.*
...cies vultûs ejus? Declarant alij Evangelistæ: Resplenduit facies
...s sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. (*Mat.*
7.) Hæc est species cœlestis & æternæ gloriæ, quâ etiam justi & ele-
...potientur, dicente Sapientiâ: (*c.* 3.) Fulgebunt justi, & tanquam
...ntillæ in arundineto discurrent: clariùs asserente Sapientiâ Incarna-
...: Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum; (*Mat.* 13.) quod
... per Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus
...umilitatis nostræ, & configurabit corpori claritatis suæ. (*Philip.* 3.) *Cur transfiguravit corpus suum in gloria?*
...ulsit autem hoc solatium gloriæ Dominus corpori suo jejunijs e-
...ncerato, afflictionibus excruciato, laboribus attenuato, ut & nos
...rtificantes membra nostra, quæ sunt super terram, (*Coloss.* 3.) idē
...rare possimus. Cæterùm teste S. Ephrem, *ex toto ejus corpore ejus* S. Ephrem.
...ia scaturijt, & totâ ejus carne resplenduit ejus facies, & ex totis
... membris radij resplenduerunt: & ex sensu D. Augustini, *uti per*
...nem Divinitas foris illuxit, sic & caro illuminata de Divinitate D. Augusti.
... vestimenta radiavit. Habuit hanc dotem gloriæ quo ad clarita-
te..., agilitatem, subtilitatem & impassibilitatem Christus Dominus,
ex...vi unionis hypostaticæ, & beatitudine animæ suæ, sed per conti-
nu...m miraculum eas repressit, ut posset pati, & cum hominibus
co...versari. Unde Transfiguratio, seu splendoris ex Divinitate & ani- *Quid Transfiguratio?*
mæ beata in corpus emanatio, fuit duntaxat miraculi hujus cessatio:
qu...m duobus titulis prædictis sibi debitam etiam tertio meriti titulo
e...consecutus. Meruit sanè hanc corporis gloriam, per tot passiones,
do...res & labores, ipsamque mortem, quam in Resurrectione perpe-
tu...m possedit. Voluit autem per hanc Transfigurationem Apollo- *Quare coram Apostolis transfiguratus est? I*
lis ...Divinitatem suam sub humanitate velatam notificare: voluit ipsos
ne... animo caderent, circa Passionem & mortem suam roborare: vo- *II.*
lui... in ijs fidem & spem ad similia ferenda intuitu gloriæ futuræ ex- *III.*
cit...re: voluit se sic venturum Judicem declarare vivorum & mortu-
or...m, mortuum Moysen, & vivum Eliam habens ad latera sua, & *IV.*

 se

se habere potestatẽ mortis & vitæ: *Sap.* 16. voluit demum nostræ re-

V.
S. Leo.
VI.

surrectionis & gloriæ in se ideã demonstrare. Pulchrè S. Leo: *Tra-figuratus est Dominꝰ*, ait, *ut de cordibus discipulorum crucis scand tolleret, & ne conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas Pas-nis, quibus revelata esset abscondita excellentia dignitatis.*

Splendor faciei illius solaris, & vestimentorum ejus albedo nivea.

Solar faciei Christi splendorem verè aureum & speciosissimum in sua cla-tate quis non admiretur? Vestimentorum ejus niveam albedine, adeòque pulcherrimam in suo candore quis non speculetur? Lux st omnium sensibilium qualitatum nobilissima: candor est omnium co-lorum mundissimus & perfectissimus, omnes alios colores in se a-mittens. S. Marcus (*c. 9.*) fusiùs vestimentorum albedinem expli dicens: vestimenta ejus facta sunt splendentia & candida nimis ve nix, qualia fullo super terram non potest facere candida. S. Lu verò inquit: (*c. 9.*) Et vestitus ejus albus & refulgens; græcè legit, effulgurans. Fulgur est igneum, velox, & rerum omnium efficaci-mum. S. Joannes in Apocalypsi (*c.* 1) de facie Domini dicit: Et -cies ejus sicut Sol lucet in virtute sua, oculi ejus tanquam flam ignis. In hisce omnibus considero duo extrema, sibique contra,

Qualitates solis, & nivis.

ignem & nivem. Sol igneus est, nix aquea. In sole calor, in nive -gus. Sumatur sanè potior comparatio, habeaturq; major ratio sple-doris ex sole, candoris ex nive; cur non liceat aliam quoque specu-ri qualitatem, in sole calefactionis, in nive frigefactionis? Equide non incongruè hæ qualitates in trutinam venire possunt, cùm sple-dori solari naturale sit, calorem producere, & niveo candori frig

Facies splendere debet ut sol, fervore charitatis.

Idcircò igitur facies, quæ est index mentis, animi speculum, cor imago, ut sol splendere debet, non solo tantummodò fulgore, sed -tiam vero charitatis fervore. Reliqua pars corporis vestimentis tec, sit candida velut nix, non solo refulgens candore, sed etiam inna

Reliqua pars corporis vestimentis tecta, ut nix debet esse candida. Quomodo?

frigore operosâ. Nimirùm sit facies ardens per dilectionem versùs sp-ritualia, cœlestia, & Divina: sit reliquum corporis erga corporali, terrestria & mundana frigidum per vilipendium eorum & abjection. Nonne & ipsi testes eò alludunt, quando Moyses ex aqua extract, mansvetudinis fluidæ: & Elias ut facula ardens zeli præfervidi indig-

Vestimenta Christi qualia?

tes, huic assistunt Transfigurationi? Cæterùm de vestimentis su loquitur ipse Christus Dominꝰ apud Isaiam (*c.* 63.) Aspersus est sa-gvis eorum, videlicet hostium, super vestimenta mea, & omnia i-dumenta mea inquinavi; utiq; in carne sua, quæ fuit quasi vestime-tum Divinitatis; vulneratus est propter iniquitates nostras, attrit est propter scelera nostra. (*Is.* 53.) Interea dicente Patriarcha Jacob, lavit in vino stolam suam, & in sangvine uvæ pallium suum, (Ge 49.) reddiditq; non tantùm vestimenta sua candida sicut nix, verù etiam omnium fidelium, qui dealbaverunt stolas suas in sangvi Agni: qui utiq; candidꝰ est & rubicundꝰ. *Ap.* 7. De Episcopo Laod ceæ loquitur Dñus: *Ap* 3. Amen, testis fidelis & verus, qui est princ pium creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neq; frigidꝰ es neq; calidu

di

nam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Quid turpius, quid abominabilius vomitu, quem causat aqua tepida? Sed quis est tepidus? Ille, qui benè operari negligit, & ex sola fide aut scientia suam sperat salutem. Ille, qui non consumat ea, quæ inchoavit: vel juxta Origenem, *qui post bonum initium torpuit*, vel secundùm D. Gregorium, *qui est in peccato, sed illud non agnoscit, & per hypocrisin probum se simulat*: vel qui inter virtutes & vitia fluctuat, quiq; ex virtute quidem vivere, & peccata vitare vellet, sed certamen cum vitijs & laborem refugit virtutis. Procul à nobis tepor Deo invisus & abominandus. Utinam frigidus esses aut calidus, inquit æterna Veritas; (*Apoc.* 3.) ad quod Glossa: *Non optat eum frigidum simpliciter, sed talem, de quo major spes habeatur.* Faciliùs sanè frigid⁹ peccator resolvit veram conversionem, quam tepidus justam emendationem. Sed de tepiditate in sequentib⁹. Nunc de bona frigiditate loquimur, per quam à terra, carne, & mundo abstrahimur, facti erga illa non tantum frigidi, sed & mortui, qui sunt omnium frigidissimi. Sit proinde sol amoris Divini in facie animæ nostræ resplendens per fervorem operationis, prout sol est inter omnes planetas calidissimus & operosissimus: sic in toto corpore nostro, quod est indumentum seu operimentum animæ, nix frigidissimi odij rerum omnium extra Deum existentium, & Deo non servientium; quantò magis Deo repugnantium? Sic benè calidi, & benè frigidi erimus, sic ad similitudinem Domini transfigurabimur hic in terris, donec omnes revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformemur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu; (2. *Cor.* 3.) adeòque cum ipso gloriosi, & niveo candore puritatis, atque solari splendore charitatis speciosi, in quibus vera consistit animarum pulchritudo, in cœlis compareamus.

Tepidus quis? I. II. III. IV. V.

Bona frigiditas quæ?

Sermo pro Dominica III. Quadragesimæ.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psalm. 44.

PAtuit nobis in præterito Sermone, pulchritudinem hominis Deo acceptabilem consistere in solari charitatis splendore, & niveo puritatis candore: nimirùm ut sit lucerna ardens & lucens: (*Joan.* 5.) ardens per charitatem, lucens per puritatem.. Sit puritas interna cordis & affectuum ejus per niveam frigiditatem erga mundana, carnalia & terrestria, ut penitùs eliminentur; sit charitas perfecta erga Divina, spiritualia & cœlestia, ut unicè teneantur; sint vestimenta alba ut nix, sit facies resplendens ut sol: sic speciosi erimus in conspectu Dei, sic de quovis nostrûm dicet Pater cœlestis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. (*Matth.* 17.) Ecce hodiernum quoq; Evangelium ad idem ducit, quando expulsus ab homine immundus spiritus, mundi, carnis & terræ primipilus ac promotor, rursusq; revertens invenit domum, ex qua expulsus fuerat, scopis mundatam & ornatam: (*Luc.* 11.) insuper, juxta D. Matthæum, vacantem;

Pulchritudo hominis

in puritate cordis,

& charitate.

Domus animæ quomodo verè purgata & ornata esse debeat?

tem; innuens non satis esse domum animæ nostræ scopis pœniten
expurgatam, & dono justificantis gratiæ ornatam esse, si sit vac
ab amore Divino, ejusq; operibus: si vacet à cura & vigilantia co
servandi beneficium justificationis acceptum; conservandi dico,
studium bonorum operum, per resistentiam continuam diabolo,
fugiat ab ipsa: per pugnam assiduam cum passionibus suis contra h
stium tentationes. Sunt qui sentiunt literaliter de Judaico popu

Domus vacua in sensu literali,

intelligi, qui fuit domus vacua fide & bonis operibus, & scopis mu
data, habens quandam exteriorem munditiem legalem, ac deniq

& morali.

ornata speciosâ legis apparentiâ. Alij moraliter accipiunt hanc d
mum quasi recidivantem, adeoque vacantem, id est Deo vacua
ejusq; gratiâ justificante carentem; scopis mundatam, ex qua om
virtus & pietas sit abacta; & ornatam superbiæ ac vanæ gloriæ a
læis, ideoque paratam ad priorem hospitem recipiendum, qui ut
mum pedem figat in hac domo, assumit septem spiritus nequiores
[*Ib.*] omnium capitalium vitiorum colluvionem ad totam domu
occupandam & inhabitandam. Verè ejusmodi hominis novissi
fiunt pejora prioribus, (*Ib*) quando per ingratitudinem gratiæ a
ceptæ, & per recidivam peccatorum manet in ijsdem obstinatus. V
ré pejor est morbo recidiva morbi. *S*ed regredior ad domum vaca
tem in sensu meo, sive otiosam ab amore Dei activo per bona oper
sive tepidam in actionibus suis, nec frigidam per summam malitia
nec calidam per aliquem bonitatis gradum. Examinemus hunc
nimæ statum adeò perniciosum, ne à septem spiritibus nequiorib
occupetur, (*Luc.* 11.) & ab ore Dei evomatur. [*Ap.* 3.] Nihil juv
illam species munditiæ præteritæ ex pœnitentia ortæ, nec forma orn
menti à justitia superinducti; quia utrumque instabile propter otiu

Animæ vacātis ab operibus justitiæ causa, est otium.

& tepiditatem. Ac primùm talis anima vacare dicitur, utique ab o
peribus justitiæ; quæ sunt, declinare à malo & facere bonum. *Ps* 3
Quid mirum talem, qui nec declinat à malo, malis omnibus invo
vi, nec facit bonum, omni bono destitui? Hujus porrò causa est o
tium, de quo Siracides: (*Eccli.* 33.) Multam malitiam docuit otiosi

D. Basilius.

tas. Hinc D. Basilius: *Otium est maleficij principium.* Alibi dicit Sa
piens: (*Pr.* 18.) Qui mollis est & dissolutus in opere suo, & talis e
otiosus, nimirùm remissus, tepidus, ignavus, frater est sua opera dissi
pantis, id est decoctoris, prodigi, incurij. Quidni disperdat & mun
ditiam animæ suæ, & ornatum demoliatur, quando opus pœnitenti
suæ præteritæ & decus justitiæ cœptæ non promovet, sed illud pe
ignaviam & socordiam dilabi patitur & diffluere? Non minor e
virtus, quàm quærere, parta tueri. Hic ipsâ Veritate prædicante in

S. Gregor.

quit D. Gregorius: *Uno quidem exeunte spiritu munda domus dici
tur, sed multipliciùs redeunte dùm vacat, occupatur.* Habet complu
res in hunc sensum sententias Sapiens, videlicet: (*Pr.* 10.) Egestatem
operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat. Ma
nus fortium dominabitur, quæ autem remissa est, tributis serviet

(Pr

Pr. 12.) Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. (*Ib.*) En quanta promanant à remissione animi ex labore in negligentiam otij? Venit egestas, sequitur stultitia, servitus comitatur. Ita planè natura humana sicut duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia infatuatur. Quale opus sit otiosi, indigitat D. Chrysostomus: *Qui est otiosus* inquit, *& multa temerè loquitur, & multa agit temerè;* [quasi dicat, nihil ad rem] *& toto die nihil operatur,* [recti utique & boni] *torpore & veterno mentem repletam habet.* Sanctus Pater noster *otium appellat matrem nugarum, & novercam virtutum*; alius *vivi hominis* nominat *sepulturam. Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium sentina, otium est.* Idem Doctor Mellifluus ait: *Summa mentis malitia, est otium iners.* Otium aliàs inducit pigritiam in hominem, desidium & inertiam. Quæ autem sit pigri operatio, manifestat idem Salomon: *Pr.* 13. Vult ait, piger & non vult. Contradictoria videntur esse, & tamen sunt vera. Vult piger, quia optat sibi multa, desiderat & concupiscit varia; & non vult efficaciter ad illa se applicare, volitionem habet, non absolutam voluntatem. In desiderijs est omnis otiosus, agitatur in illis, fluctuat & jactatur velut in æstibus marinis. Anima autem operantium impingvabitur, subjungit Salomon. (*Ibid.*) De utroque pulchrè Venerabilis Beda: *Rectè pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo. Delectant præmia cum pollicentur, deterrent certamina cum jubentur: De quo Jacobus ait.* (c. 1.) *Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis. Et filius Sirach:* (Eccl. 2.) *Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs. Qui autem jussa Domini operantur, ideo faciunt, quia anima illorum profectò supernorum dulcedine reficitur, juxta eum qui Dominum obsecrat dicens:* (Ps. 62.) *Sicut adipe pinguedinis repleatur anima mea. Vel certè anima operantium impingvabitur,* (Prov. 13.) *quia qui pijs pro Domino laboribus insudant, cælesti & immarcescibili post labores coronâ donabuntur.* Hæc Venerabilis Bedæ. Quis effectus hujus velleitatis pigrorum, explicat ultra idem Rex Sapientissimus: (*Pr* 21.) Desideria, ait, occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus ejus operari, tota die concupiscit & desiderat. Hoc fit in nobis, cùm salutem nostram desideramus, & tamen labores bonorum operum subire detrectamus; adeoque desiderando solùm, & nihil agendo in mortem animæ (peccatum) cadimus, ac tandem, quod Deus avertat, in mortem æternam. Ac ideò quidquid potest manus nostra operari, instanter, instantaneè, omnibus momentis operemur bonum, (*Eccli.* 9.) ne nos otiosos unquam reperiat hostis, & cum majori septem spirituum comitatu nos invadat. Laborans ab uno, otiosus ab infinitis dæmonibus oppugnatur. Quid tamen est, quod piger ad opus non accedat? Dat rationem Salomon: (*Pr.* 22.) Dicit piger, leo est foris, in medio platearum occidendus sum. Idem repetit alibi: (*Pr.* 26.) Dicit piger, leo est in via, & leæna in itineribus

Mala ex otio promanantia.

Opera otiosi.

D. Chrysost.

D. Bernard.

Voluntas otiosi qualis?

V. Beda.

Status otiosorum,

& operantiũ.

Effectus velleitatis pigrorum.

Cur non laborat piger?

Quid leo, quid leæna?

bus. Leo diabolus, leæna caro voluptatibus mundi dissoluta. H[...] qui impediunt viam virtutis arduam & laboriosam. Qui ad virt[...] deses est, (in Catena Græcorum legitur) dicere solet: Leo est in v[...] hoc est, satius est vulgariter & incuriosè vivere quàm periculosè [...] quid propter pietatem adire. Per leonem autem designatur diab[o]lus, hic enim est, qui virtutum vias obsidet: cùm homicidarum qu[...] q; nomine dæmones haud inconcinnè adumbrantur. Diabolus [er]go tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. (1 Pet[...])

Venatio diaboli & devoratio.

Et quem? Venatio leonis, inquit Ecclesiasticus, onager in erem[o]. Onager est asinus sylvestris, asinus verò est symbolum pigri. E[rgo] Diaboli venatio & devoratio est piger. Sed qualis leo est dœmo[n]?

Qualis leo dæmon?

Mirmicoleō est, scilicet formica leo: resolutis, strenuis & operosis [est] formica, pigris vero, timidis & ignavis est leo, quia ipsi sibi quo[d] per apprehensionem faciunt ex formica leonem. Pulchrè D. Chr[y]sostomus: *Nihil est tā facile quod non valde grave & invisū mag[is] pigritia reddat: nec quidquam tam laboriosum & difficile, quod st[u]dium & alacritas non facillimum efficiat.* Ita planè pigri & oti[osi] fingūt sibi difficultates, pericula & onera, ac magnos labores, tre[pi]dantq; timore ibi, ubi non est timor. (*Ps.* 13.) Quid tamen est qu[od] aliquando multum de se pigri & otiosi præsumant. Prævidit hoc o[ra]culum Sapientiæ dicens: (*Pr.* 26.) Sapientior sibi piger videtur [se]ptem viris loquentibus sententias. An quòd à septem spiritibus pos[si]deatur, septem se præferat Sapientibus? Cæterùm uti Divino thro[no] septem sunt spiritus assistentes, (*Ap.* 1.) ita olim Reges septem si[bi] primarios Consiliarios adhibebant. Sic & apud Græcos septem ce[n]sentur Sapientes. Unde numero septenario & potioritas & univers[i]tas Sapientum designatur. His omnibus piger se anteponit in sen[su] suo, quia otium & desidiam, (quæ detestantur Sapientes, labore[m] & sudorem in studio sapientiæ ac virtutum operatione sectantes) ha[bet] bet in pretio & æstimatione; suumque otij ac inertiæ statum melio[rem] rem cæteris reputat ac beatiorem; adeoque ritè piger octavus Sap[i]entum dicendus est. Quid tamen agunt otiosi? Hoc, quod innu[it] Apostol[us]: (2 *Thess.* 3.) Audivimus inter vos quosdam ambulare in[] quietè, nihil operantes, sed curiosè agentes; quod D. Maximus expl[i]cat: *nihil operis ipsi facientes, sed in aliena opera curiosè inquirente[s].* *Eorū enim qui nihil agunt,* inquit Theophylact[us] *proprium est alien[as] sciscitari vitas. Unde qui circa sua sunt incurii, circa aliena sunt cu[]riosi.* Tales igitur vacationes domûs nostræ sunt multùm perniciosi[æ], quæ ab otio, torpore, desidia, pigritia & socordia proveniunt. Isti[s] adjungit se tepiditas animi Deo abominabilis. Et sicut pigri, ita & te[]pidi sunt præsumptuosi. Dicis, inquit Dominus in Apocalypsi c. [3] de tepido Episcopo, quòd dives sum & locuples, & nullius egeo, & nescis, quia tu miser es & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus. Quanta miseria pigri & tepidi, miseriam suam non agnoscere! Qu[id] ipsi vovet Deus? Utinam frigidus esses aut calidus: (*Ap.* 3.) ad quo[d] Gloss[a]

D. Chrysost.

Pigri & otiosi cur præsumptuosi?

Sapientiores Sapientibus.

Opera otiosorum.

D. Maxim.

Theophylactus.

Affinis otiositati tepiditas.

ossa; non optat eum frigidum simpliciter, sed talem de quo major es habeatur. *Calidus est, qui charitatem habet*, exponit D. Grego- is, *frigidus, qui in peccato mortali existit, sed culpam suam agnoscit: pidus est, qui est in peccato, sed illud non agnoscit, & per hypocrisin simulat.* Talis utinam esset frigidus, quia per pœnitentiam posset calorem venire. Sic Virgini superbæ optat Rupertus: *utinam tius esses corrupta, & humilis.* Ita S. Augustinus: *Audeo dicere: su- rbis continentibus expedit cadere.* Et rursùs: *Audeo dicere superbis am utile cadere in aliquod apertum manifestumq; peccatum, unde i displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant.* Hoc innuit Sapiens: Pr. 16.) Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur perbus. Divus Augustinus deducit hoc ab exemplo D. Petri: *salu- tiùs sibi Petrus displicuit quando flevit, quàm sibi placuit quando æsumpsit. Hoc dicit & sacer Psalmista: (Ps. 82.) Imple facies eo- m ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine; id est, ut tu eis ceas quærentibus nomen tuum, qui sibi placent quærendo suum.* em docet Deum permisisse per Barbaros, Virgines Christianas vio- i, quæ vel superbæ erant, vel erant in periculo ne ob castitatem su- rbirent. *Illarum*, inquit, *tumori occursum est immanenti, istarum ursum est imminenti.* Concludamus proinde, quàm malum sit care otio, indulgere pigritiæ, tepiditati inhærere, quando & à Deo r vomitum talis homo rejicitur, & à septem dæmonibus nequio- rius possidetur. (*Luc.* 11) En quomodo à Climaco acedia definitur: *E remissio animi, & dissolutio mentis, pusillanimitas exercitationis, um Professionis, mundanorum beatificatrix, detractrix Dei, quasi misericorsi & existentis sinè benignitate; attonita in Psalmodia, infir- mns in oratione, in ministerio ferrea, in opere manuum pigra.* Fra- tis abhorreamus ab hoc terribili acediæ & tepiditatis monstro, quod nos oculis Divinis adeò invisos reddit: applicemus manus operi & la- bori pro conservandâ munditia internæ domûs nostræ, ejusq; orna- tu per pœnitentiæ prosecutionem & justitiæ manutentionem, nec un- quam ab activa solius Dei dilectione, & à passiva rerum omnium ex- tra Deum frigiditate vacemus, ut ita semper in oculis Dei speciosi reperiamur.

D. Gregor.
Quis calidus, quis frigidus?

S. Augustin.
Superbis utilis ruina.

D. August.

Climacus.
Definitio acedia.

Sermo pro Dominica IV. Quadragesimæ.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psalm. 44.

SUmma Christi Domini liberalitas in pascenda maxima virorũ nu- mero quasi quinque millium, multitudine quinque panibus hor- deaceis & duobus piscibus (*Joan.* 6.) absoluta, ingentem apud eos- dem promeruit æstimationẽ, ita ut non tantùm eum Prophetam, qui venturus esset in mundum, (*Ib.*) judicarent, verùm etiam gratâ & pia [uti credebant] violentiâ usi, eum raperent & Regem crearent. (*Ib.*) Censebant enim juremeritò illi Regiam deberi dignitatem, qui tantam, & tam miraculosam erga eos exhibuit beneficij alimentaris

Æstimatio Christi Dñi ex liberalitate.

 profusi-

profusionem. Verè speciosus exinde apparuit in conspectu populo cui decorem superaddere intentabant, ut quisque eorum dicere p set cum Psalmista: (*Ps.* 22.) Dominus regit me, & nihil mihi dee

Quid primarium in regimine Domini?

Quid tamen primarium in hoc regimine? adjungit: in loco pasc ibi me collocavit. Idem de se Regi⁹ Propheta (*Ps.* 77.) inquit: E git David servum suum, utique in Regem. Ad quid? Pascere Jac servum suum. Quod & fecit: & pavit eos in innocentia cordis sui. Hic tamen tantus Rex tot populos regens & pascens, quid optaba quid desiderabat? Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & vol bo & requiescam? (*Ps.* 54.) Quònam vis volare ô magne Solym Rex, & ubi requiescere? Respondet subinferendo: *Ib.* Ecce elong vi fugiens, & mansi in solitudine. Videte filium Davidis Dominu nostrum; jam Regiâ liberalitate paverat multitudinem populorun jamjam inaugurandus erat in Regem, & ecce fugit iterum in mo tem ipse solus. (*Joan.* 6.) Et quidem quid Regij honoris accedere p terat, qui natus Rex Judæorum, (*Mat.* 2.) constitutus erat à Deo P tre Rex super Sion montem sanctum ejus, (*Ps.* 2.) & posita erat s per caput ejus corona de lapide pretioso? (*Ps.* 20.) Magna erat glori ejus in salutari [*Ib.*] Dei Patris, gloriam & magnum decorem impo suit super eum; *Ib.* denique quod amplius, Rex omnis terræ Deu (*Ps.* 46.) Domini est Regnum, & ipse dominabitur gentium, *Ps.* 2 dataque est ipsi omnis potestas in cœlo & in terra. (*Mat.* 28.) I equidem cùm ex seipso Rex esset, poterat honorem hunc acceptare poterat specie suâ & pulchritudine intendere, prosperè procedere & regnare. Noluit tamen, sed elegit potiùs præ magnificentiâ gloria Regalis montis solitudinem. Speciosum quid est, esse Regem, publi cis exponi honoribus & functionibus; cùm Davide, & Assvero vide ri à supplicibus tanquam Angelus: (*Esth* 15.) paludamento vestitum coronâ redimitum, sceptro insignitum omnibus comparere; sed hæc

Vera speciositas in quo?

speciosa oculis hominum arrident. Speciosius est, quod Deo magis placet, fugere hujuscemodi species, & transferre se in solitudinem, ubi Dominus Deus adoratur, & illi soli servitur. [*Mat.* 4.] Ille enim est

Quam variè Deus est solus?

Deus Creator terribilis, omnipotens, solus justus & solus præstans, solus Deus, (2. *Mach.* 1.) potens peccata dimittere, (*Luc.* 5.) faciens mirabilia solus, (*Ps.* 71.) solus salvans nos de universis tribulationibus, solus bonus, (*Luc.* 18.) solus pius, (*Apoc.* 1.) solus noscens corda filiorum hominum, solus justus in se & justificans alios. Solus habens immortalitatem, & lucem inhabitans inaccessibilem, (1. *Tim.* 6.) solus altissimus super omnes cœlos & super omnem terram. (*Ps.* 96.) Huic

Soli Deo solitudo nostra consecranda.

Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, (1. *Tim.* 1.) solitudo nostra est consecranda, quia sinè illo est pessima solitudo; de qua Sapiens: (*Eccle.* 4.) Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantè se; id est, Deum. Et talis solus est peccator, à Deo & omnibus creaturis derelictus, imò ipsis invisus. Solitudinem requirit lepra, impe-

Soltudinem requirit lepra,

rante Deo: Omni tempore, quo leprosus est & immundus, solus habitabit

abit extra castra: (*Levit.* 13.) requirit amaritudo dicente Propheta: *amaritudo;*
er. 15.) Solus sedebam, quoniam comminatione replêsti me: re-
irit contemplatio, de qua Jeremias: (*Thren.* 3.) Sedebit solitarius & *contemplatio.*
ebit, quoniam levabit se supra se. Nos qui de immundo conce-
semine, (*Job.* 14.) in iniquitatibus nati, in multis offendentes, *Jac.*
delicta nostra non sumus intelligentes, (*Ps.* 18.) quidni instar le-
prosorum soli habitare debeamus, ad mundandam lepram nostram,
ulq; pro peccatis nostris repleri amaritudine, & sic tandē ad De-
supra nos sursum levare? Tales sunt illi de quibus Job, (*c.* 3.) re-
escerem cum Regibus & Consulibus terræ, qui ædificant sibi so-
dines, possident aurum, & replent domos suas argento. Hi sunt
auro charitatis, argento puritatis excellentes soli Deo adhærent,
è Reges sunt, regentes seipsos, verè consules terræ, consulentes *Qui verè Reges?*
pori suo quod ex terra est, ut unà cum anima salvetur, Deo se ex-
entes hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. (*Rom.* 12.) Duo *Duo in solitudine agenda.* I.
n sunt in solitudine agenda, ut anima quidem Deo jungatur per
ionem & contemplationem, corpus verò per mortificationem sa- II.
cetur. Sic proinde fugiendum est cum Domino in montem so-
dinis ad ardua virtutum, ad alta perfectionis, ad sublimia cœlesti-
tendendo, ut ibidem pernoctemus in oratione: (*Luc.* 6.) id est,
m tempus vitæ nostræ, quod nox est, orationi impendamus. Hæc *Oratio quomodo instituenda?* I.
m multipliciter distingvitur: primò deprecando Deum pro pec-
nostris & aliorum, eorumque indulgentiam exposcendo, deinde II.
gratias agendo pro beneficijs acceptis; ulteriora abinde petendo III.
ficia à Deo, maximè gratiæ & virtutum augmentum: posteà IV.
m in se & omnibus laudando, benedicendo, & magnificando; V.
em participium passionis, crucis & mortis Christi postulando: ac VI.
remò Deo per contemplationem se uniendo. Hæ sunt excellen- *Psalmista in solitudine similitudinem quarundam volucrum assumit.*
litudinis sanctæ operationes. Jam verò Regius Propheta in sua
dine aliquarum volucrium similitudinem assumere videtur: for-
ad differentiam actionum, in oratione solitaria exprimendam.
nas sicut columbæ ad volandum in solitudinem, in eaque requi- I.
ndum primò expetit. (*Ps.* 54.) Rursùs inquit: (*Ps.* 101.) Similis
s sum pelicano solitudinis; deinde, factus sum sicut nicticorax II.
micilio; postea, vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in III. IV.
. (*Ib.*) In alio porrò loco inquit: [*Ps.* 102.] renovabitur sicut a-
juventus tua. Divus verò Job de se inquit: (*c.* 29.) In nidulo V.
moriar, & sicut palma [alij legunt, Phœnix] multiplicabo di- VI.
Ecce quàm diversimodam figuram assumunt Viri sancti in sua
dine. Cur hoc? Juxta differentes orationis actus. Et quidem *Quare?*
tus columbæ vel turturis, quæ pro eodem sumi possunt, [quan- *Quid columbæ vel turtures?*
idem & in oblatione JESU in templo vel par turturum vel duo
columbarum, quasi unum idemque proponuntur indistinctè of-
da] gemitus inquam, columbæ vel turturis exprimit dolorem
tentiæ, propter quam solitudo potissimùm eligenda. Docet hoc

S. Greg. M. S. Gregorius Magnus: *Quid per duos columbarum pullos, vel duos turtures, nisi duplex pœnitentiæ nostræ gemitus designatur? Ut cùm ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmet ipsos dupliciter defleamus: quia & recta non facimus, & prava operati sumus. Unde actibus pœnitentiæ veniam peccatorum & indulgentiam obtinemus.*

Quid Pelicanus? Pelicanus solitudinis albus candorem gratitudinis exprimat, & gratias DEO pro infinitis beneficijs reddendas. quid nicticorax? Nictycorax nocturnus corvus in tenebris hærens habitanti cum habitantibus Cedar, (*Ps.* 119.) in regione umbræ mortis, (*Is.* 9.) imò sedentibus in tenebris & umbra mortis, (*Luc.* 1.) postulet illuminari ab Oriente ex alto, (*Ib.*) petat lumen gratiæ ac decora virtutum. quid Passer solitarius? Passer solitarius in die aperti luminis ac splendoris Divinarum perfectionum atq; attributorum, illius summi Boni laudem & benedictionem deprecetur. quid Phoenix? Phænix autem in nidulo crucis moriens, & se igne charitatis Dei ac proximi comburens, multiplicet dies suos per imitationem & participium meritorum Christi Crucifixi, ut possit venire ad diem perfectum ætatis plenitudinis ejus, (*Eph.* 4.) ad diem quam fecit Dominus, (*Ps.* 117.) resurrectionis. quid Aquila? Denique renovabitur ut aquilæ juventus [*Ps.* 102.] per contemplationem, oculos mentis in illud lumen admirabile figendo, (1. *Pet.* 2.) eique se uniendo; quæ juventus jam non in solitudine sed in plenitudine Angelorum & Sanctorum in cœlis perennabit per visionem Dei & fruitionem. Hæc sunt pulcherrima solitudinis exultantis & florentis quasi lilium (*Is.* 35.) exercitia, quæ verè germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. (*Ib.*) Huic solitudinis monti gloria libani data est, decor Carmeli & Saron. (*Ib.*) Sic videtur hic gloria Domini, (*Ib.*) & decor Dei nostri: apparet ipse speciosus formâ præ filijs hominum, (*Ps.* 44.) qui ponat desertum quasi delicias, & solitudinem quasi hortum Domini. (*Is.* 51.) Hic anima debet cum Daniele (*c.* 8.) sola videre visionem, rectas facere in solitudine semitas Dei sui; (*Is.* 40.) hic debet sola vexatio dare intellectum, *Is.* 28.) correptio debet fieri sui ipsius respectu solius DEI; quia habitabit in solitudine judicium. (*Is.* 32.) Respiciendum cum Israelitis ad solitudinem ut nobis appareat gloria Domini. Sic postquam cum Israelitis respiciemus ad solitudinem, (*Ex.* 16.) ecce gloria Domini apparebit in nube; (*Ib.*) cibabimur manna in solitudine, [*Deut.* 8.] interrumpetur petra in eremo, educetur aqua de petra, (*Ps.* 77.) quia scissæ fient aquæ in deserto, & torrentes in solitudine fluent, (*Is.* 35.) gratiarum à Spiritu Sancto promanantium, & lacrymarum. De hoc dicit Deus apud Isaiam: (*c.* 41.) ponam desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum, dabo in solitudinem cedrum & spinam, aliàs Sethim, lignum odoratum & imputribile, & myrtum, & lignum olivæ; ponam in desertum abietem, ulmũ, & buxum simul; omnia ligna vel fructifera, vel usui conducibilia; quia ibi justus ut palma florebit, & sicut cedrus libani multiplicabitur; (*Ps.* 91.) tanquam lignum quod plantatum est secùs decursus aquarum, (*Ps.* 1.) quod ad humorem m-

sit radices suas, nec aliquando desinit facere fructum. (*Jer.* 17.) Hoc verò maximè præcavendum in nostra exercitiorum spiritualium solitudine, ne otio, torpori, & sopori indulgeamus. Pigredo immittit soporem ex mente Salomonis, & anima dissoluta (nimirùm per desidiam) esuriet. (*Pr.* 19.) *Segnities*, ait S. Gregorius Nazianzenus, *somni conjunx. Infirma & dissoluta ingenia tum ad virtutem, tum ad vitium remissa & languida sunt, difficiliaqúe ad se commovendum, & in neutram partem insigniter inclinant otiosorum momenta. Piger appellatur*, inquit D. Gregorius M. *qui rectè sentiendo quasi vigilat, quamvis nihil operando torpescat. Sed pigredo immittit soporem, quia paulisper etiam rectè sentiendi vigilantia amittitur, dum à benè operandi studio cessatur. Ubi rectè subjungitur: & anima dissoluta esuriet. Nam quia se ad superiora stringendo non dirigit, neglectam se inferiùs per desideria expandit; & dum studiorum sublimium vigore non constringitur, cupiditatis infimæ fame sauciatur: ut quo se per disciplinam ligare dissimulat, eò esuriens per voluptatum desideria spargat.* Idcircò monet Sapiens: Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos, & saturare panibus; quod Venerabilis Beda sic explanat: *Noli diligere somnum peccati & inertiæ; de quo Apostolus* (Rom. 13) *ait: Hora est jam nos de somno surgere; ne te si non benè vigilare noveris, egestas opprimat in futuro: illa scilicet gravissima egestas, ubi nec stillam aquæ unam sitiens invenire queas, nec oleum extinctis lampadibus infundere. Aperi oculos tui cordis ad vigilias sānas, ac saturitatem tibi gaudiorum cœlestium benè vivendo conquire. Somnum somnus adescat, vigilias vigiliæ pariunt.* Alibi Sapiens dicit: (*Pr.* 23.) Vestietur pannis dormitatio; de quo S. Gregorius: *quia dejectum & inopem ab omnibus bonis operibus mors sua inveniet.* Sinè dubio enim, dicente Cassiano, *non merebitur vestimento incorruptionis ornari*, &c. *quisquis somno otij vel acediæ superatus non industria* [illegible] *labore, sed inertiæ pannis operiri maluerit; quia non vestimentum gloriæ, nec decoris, sed ignominiosum excusationis velamen suæ coaptabit ignaviæ.* Audiamus verba Sapientis, pigrum redarguentis & exhortantis: Usquequo piger dormies? Quando consurges à somno tuo? paululùm dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres ut quiescas, & veniet tibi quasi viator [alibi cursor] egestas, & pauperies [alibi mendicitas] quasi vir armatus. (*Pr.* 6.) Quàm sunt hæ fatalitates pigrorum & otio somnolento deditorum nefastæ! Placet scire ex mente Oris aurei, in catena Græcorum citati, quis sit somnus, & dormitatio, quæ egestas? *Somnus*, ait, *animæ, est pravarum cogitationum nequitia, earundemq; ignoratio. Dormitatio est in easdem inclinatio consensu quodam imperfecto. Inde sequitur egestas, & defectus sanctarum cogitationum, desideriorum, illuminationum, gratiæ, virtutis ac omnis boni.* O quanta pauperies! Si verò impiger fueris, loquitur Salomon, (*Pr.* 6.) veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te; acsi diceret, tu eris vir armatus, pellens e-

In exercitijs spiritualibus cavendum otium.

Piger quis?

D. Gregor.

V. Beda.

Somnus peccati vitandus.

D. Gregor.

Somnum pigri comitatur egestas.

S. Chrysost.

Quid somnus, dormitatio, & egestas?

gestatem. Ita sanè teste Sapiente, (*Sap.* 3.) bonorum laborum gloriosus est fructus. Ut ergo Salomon pigrum & otiosum ac somno deditum doceat diligentiam, sic monet: Vade ad formicam piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam; (*Pr.* 6.) quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Quàm admiranda Dei providentia in hoc parvulo insecto pro humana informatione! Cujus maximè figura sunt? Nullius equidem nisi claustri Religiosorum in commune agentium, de quo aliàs. Jam notandum, quòd apud LXX. Interpretes in editione Romana reperiatur quædam notabilis adjectio, quæ non extat in Vulgata. Aut vade ad apem & disce, quomodo operaria est, operationem quoque quàm venerabilem facit vel mercatur, cujus labores Reges & idiotæ ad sanitatem afferunt. Appetibilis autem omnibus est & clara; etiam cùm sit robore infirma, sapientiam honorans evecta est. S. Hieronymus autem sic legit: *Vade ad apem & disce quomodo operatrix sit, & opus suum castè faciat, cujus laboribus Reges & imperiti pro salute utuntur.* S. Ambrosius legit: *Cujus labores Reges & mediocres ad salutem sumunt.* Pulchrè quoque Catena Græcorum vertit: *Aut vade ad apem, & disce cujusmodi sit, quamq; admirandum opus conficiat: cujus quidem labores cùm Reges, tum privati quiq; ad sanitatem depromunt. Et quamvis viribus invalida atq; imbecilla est, tamen apud omnes inclyta, apprimèq; grata habetur, utpote ad sapientiam commendandam & excolendam in lucem edita.* Hæc sapiens operatrix argumentosa vocatur, cui S. Cæcilia assimilatur. Apes sunt inimicæ fucis otiosis, juxta proverbium: *Ignavum fucos pecus à præsepibus arcet. Ingentes animos angusto in corpore versant.* Esse apibus partem divinæ mentis & haustus æthereos quidam dixêre. Jam notandum repentes formicas sibi negotiosas, volatiles apes & sibi & alijs fructuosas. Utrimque tamen colligitur odium otij, torporis persecutio, desidiæ exclusio, diligentiæ assiduitas, laboris solertia, operis perennitas. Eleganter S. Basilius: *quomodò non odio prosequendum otium, quod formicâ & ape pejorem efficit hominem?* Qui utique initio suæ conditionis positus in paradiso est, ut operaretur & custodiret Illum. (*Gen.* 2.) Homo natus ad laborem, (*Job.* 5.) non ad otium, & Dij laboribus omnia vendunt. Generaliter ergo sciendum nobis est, quod S. Ambrosius admonet: *non dormientibus, non ottantibus, sed vigilantibus pollicentur præmia, & labori merces parata est.* Et alibi: *non otio, non somno merces paratur, nullum opus dormientis est, nullus fructus otij, imò magis dispendium.* Quàm pulchrè S. Chrysostomus loquitur de otioso! *Quis autem non justè dicet: onus hic terræ, frustra in mundum advenit talis, imò non frustra, sed in malum sui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum.* Ita planè otiosus est pondus inutile terræ, & sibi & alijs damnosum. Speciatim verò in solitudine cum Deo, otium cum somnolentia est propellendum; ne in ill

Pigri & otiosi ad formicam relegantur,

& ad apes, ut discant sapientiam.

S. Hieron.

Apum opus & illius utilitas.

Apes inimicæ sunt fucis.

Formicæ sibi tantùm, apes sibi & alijs fructuosæ.

D. Basilius.

D. Ambros.

Vigilantibus dantur præmia

S. Chrysost.

In solitudine spirituali otium propellendum.

illo animæ negotio, quod est negotium negotiorum, acedia & socordia niduletur. Est quod agat solitarius sedens & tacens, (*Thren.* 3.) qui vult placere Deo per orationem, qui specie & pulchritudine animæ suæ Deo vult intendere, avium præfatarum actus exerceat; jam pro peccatis Deum deprecando, jam pro beneficijs grates persolvendo, nunc lumina gratiæ Divinæ & virtutum flagitando, nunc DEO laudes debitas persolvendo, jam Crucifixo se jungendo, & in foraminibus petræ ac caverna maceriæ latendo; (*Cant.* 2.) ac deniq̀ue per dulcedinem contemplationis & amoris in DEUM se immergendo. Non hic equidem solitudo, sed gaudij plenitudo reperietur, hic Regalis dignitatis decor effulgebit, hic speciositatem formæ Divinæ anima humana consequetur.

Solitario quid faciendum?

Sermo pro Dominica Passionis.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psalm. 44.

QVemadmodùm puritas à peccato speciosam animæ coram oculis Dei inducit pulchritudinem, PP. RR. FF. DD. ita infectio peccati deformem in conspectu Divino animæ generat turpitudinem. O quàm pulchra anima sinè peccato! O quàm fœda cum peccato! Peccatum enim maculam in anima causat, eamq; non tantùm conspersione sui, sed etiam infectione commaculat, tanquam modicum fermentum totam massam corrumpens & contaminans. (*1. Cor.* 5.) Est autem macula peccati ex mente D. Thomæ, *carentia nitoris, quem ex lumine rationis & ex gratia Dei anima justi hominis possidet.* Duplex in anima humana nitor reperitur: unus ex refulgentia luminis naturalis, quod est ratio, alter ex refulgentia luminis supernaturalis à Deo infusi, quod est gratia. Per naturale rationis lumen homo in actibus suis dirigitur, per supernaturale gratiæ lumen perficitur ad benè & utiliter agendum. Nitorem hunc perdit homo per maculam peccati, quod nihil aliud est, quàm actus humanæ voluntatis malus, sive dictum, vel factum, vel concupitum contra rationem & legem æternam. Humana enim voluntas à duplici regula regulatur, videlicet à regula suæ rationis, quæ ipsi est homogenea, & à regula Divinæ rationis quæ est lex æterna; huic autem subjecta debet esse ratio humana. Unde homo peccans discedit à lumine rationis suæ & à lumine legis Divinæ, ideoq̀ue omnem perdit nitoris amænitatem: neq̀ue potest illam recuperare nisi per accessum vel reditum ad lumen rationis ac legis Divinæ; qui fit per solam Dei gratiam, miserentis & trahentis hominem peccatorem ad pœnitentiam. O detestanda peccati macula, omnem ab anima auferens decorem gratiæ, & luminis nitorem! Nonne lux impij extingvetur, ait amicus Job, (*c.* 18.) nec splendebit flamma ignis ejus? Lux rationis obtenebrescet in tabernaculo animæ illius, & lucerna gratiæ Divinæ quæ super eum est, extingvetur. Et quid speciosi potest esse in tenebris, ubi nulla lux? Immisit in rete mundi, carnis, diaboli, pedes suos,

Puritas animæ pulchritudinē, infectio generat turpitudinem.

D. Thomas. Quid macula peccati? Duplex animæ nitor, I. II.

Nitor hic quomodo perditur?

Duplex regula humanæ voluntatis.

Peccati macula omnem animæ decorē aufert.

suos, prosequitur idem, (*Ib.*) & in maculis ejus ambulat. Nota: verba Josue improperantis populo Israëlitico: An parum vobis est quòd peccâstis in Beelphegor, & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet? (*Josue* 22.) Ita Ecclesiasticus Salomoni objicit: (*c.* 47.) dedisti maculam in gloria tua, & profanâsti semen tuum, quia reverà nihil magìs Deo est abominabile, qui Spiritus est, quàm sordes carnalitatis. Quantùm Deus detestetur maculas, manifestat sæpiùs in Scripturis. Et quidem de Sacerdotibus imperat per Moysen: (*Lev.* 21.) omnis qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, & panes Deo suo. Et infra: (*Ib.*) nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet sanctuarium meum, dicit DEUS. Deinde de victimis diversimodè ordinat ne sint maculatæ. Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus quàm de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit: omnis macula non erit in eo. (*Lev.* 22.) Vacca rufa victima pro peccato debebat esse, ut nulla in ea macula inveniretur. (*Num.* 19.) Hinc iterum generaliter præcipit Moyses ex mandato Dei: [*Deut.* 17.] non immolabis Domino Deo tuo bovem & ovem in quo est macula aut aliquid vitij, quia abominatio est Domino Deo tuo. Deniqùe mandat: (*Deut.* 18.) perfectus eris & absque macula cum Domino Deo tuo. Jam verò hæ maculæ erant duntaxat defectus corporales. De Sacerdotibus quidem: si cœcus fuerit, si claudus, si vel parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. (*Lev.* 21.) Victimis verò: si cœcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem aut impetiginem. (*Lev.* 22.) Omnes hi defectus maculosi, sunt corporales & aliquando naturales, nihilominùs erant abominatio coram Deo; quantò magis maculæ peccatorum spirituales DEO sunt invisæ & execrandæ? Non enim vocavit nos Deus in immunditiam sed in sanctificationem in Christo Jesu Dño nostro. (1. *Thess.* 4.) Hic est specios⁹ noster formâ præ filijs hominū. (*Ps.* 44.) Et quid est? Est agnus absq; macula, (*Ex.* 12.) est speculū sinè macula; (*Sap.* 7.) unde rite interogat: Quis ex vobis arguet me de peccato? (*Joan.* 8.) Qualem vult habere sponsam? Describit illam Apostolus: (*Ephes.* 5.) ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugā, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Sic alloquitur Sponsam suam: (*Cant.* 4.) Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Hæc est sponsa uxor agni (*Ap.* 21.) immaculati, impolluti, segregati à peccatorib⁹, (*Heb.* 7.) habens claritatem Dei. (*Ap.* 21.) Beatus ergo vir, qui inventus est sinè macula (*Eccli.* 31.) qui servat mandatum sinè macula irreprehensibile. (1. *Tim.* 6. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, inquirit Propheta, (*Ps.* 14.) aut quis requiescet in monte sancto tuo? ac respondet: qui ingreditu[r]

Deus maculas detestatur — *in Sacerdotib⁹,* — *in victimis,* — *in hominibus.* — *Maculæ corporales in Sacerdotibus,* — *in victimis.* — *Christus speculum sinè macula,* — *Ecclesiam vult esse immaculatam.*

greditur sinè macula. Ita sanè qui empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno, sinè macula sunt ante thronum Dei. (*Apoc.* 14.) Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. (*Ap.* 21.) Si coram Rege temporali inducebantur pueri, in quibus nulla esset macua, (*Dan.* 1.) decori formâ, quidni coram Rege sæculorum immortali (1 *Tim.* 1.) debent esse omnes pulchri, sicut Angeli Dei in cælo? Ac ideò si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris à te, dicit imicus Job, [*c.* 11.] & non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc evare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis & non tinebis. O si posset verificari de quovis nostrûm spiritualiter, quod de Absalone libri Regum testantur corporaliter: Sicut Absalon vir non rat pulcher in omni Israel, & decorus nimis, à vestigio pedis usq; ad erticem capitis non erat in eo macula. [2. *Reg.* 14.] In nobis fortasè à planta pedis usque ad verticem capitis non est sanitas, vulnus & vor & plaga tumens, [*Is.* 1] omnia deformia, nihil speciosum. Nilominùs redeamus ad nitorem luminis utriusque per exclusionem eccati, per expurgationèm fermenti, & per detectionem macularum, uod fit per poenitentiam. En Dominica Passionis animat nos ad paendum, & patienti Christo compatiendum; quod optimè præstant mnes pœnitentiæ actus, ad quos exercitiorum spiritualium palæstra os potissimùm erudit & disponit. Ne porrò ulla peccatorum macunos post pœnitentiam ampliùs inficiat, vigilantiâ, diligentiâ, & foitudine laboris opus est. Qui somnolentus est, incurius & acedios, facilè ipsi macula accedit, absque negotio conspurcatur. Et quim in præcedentibus satis de torpore & otio discurrimus, nihilominis cùm otia maxima alant vitia, sintque habitatio & requies spiritun immundorum, maculas animæ inferentium, necnon lumen rationis, & lumen gratiæ Divinæ extingvant: libet ad ulteriorem eorum horrentiam procurandam hodie quòque illorum dedecora examire. Unde hortorum, agrorum, & camporum decor? Nonne à cltura? Si hæc absit, nulla species in hortis, agris, & campis incultis. Adiamus Sapientem: per agrum, inquit, *Pr.* 24. pigri hominis transi, & per vineam viri stulti. Vultis scire fructum somnolentiæ ac didiæ? Dum dormiunt homines, venit inimicus, & superseminavit zania in medio tritici: *Mat.* 13) ita fit, pigris & somnolentis incumbi inimicus, quia otium est pulvinar diaboli, in otio dormit securè. Nonne qui otium sectatur, juxta eundem, *Pr.* 12. stultissimus est? Et ecce totum repleverant urticæ, continuat Sapiens, & operuerant superficiem ejus spinæ. Quid urticæ, quid spinæ, nisi vitia & peccata? *Quia in corde negligentium, seu negligenter viventium*, ait S. Gregorius *pruriencia terrena desideria, & punctiones pullulant vitiorum.* Ubi nulla cultura, ibi spinæ, tribuli, vepreta succrescunt. Insuper maceria lapidum destructa erat, ait Sapiens; [*Ib.*] id est, inquit D. Gregorius *disciplina Patrum ab ejus corde dissoluta erat.* Maceria sive sepes fuit custodia cordis, de qua Sapiens monet: (*Pr.* 4.) omni custodiâ

Coram Rege æterno debent omnes esse pulchri.

Quid facto opus, ne post poenitentiam rursus inficiamur?

Decor hortorũ à cultura.

Somnolentiâ ac desidiæ fructus.

S. Gregor.

Idem.

Quid maceria & sepes?

Diligenter cor custodiendum. serva cor tuum, quâ sublatâ subrepit negligentia & dissolutio, und accessus ad animam patet omnibus dæmonum, mundi & carnis ten tationibus atque incursibus, qui hostes depascuntur & demoliuntu vineam (*Cant.* 2.) cordis. Vineam meam non custodivi, ait Spons [*Cant.* 1.] inde vulpes parvulæ demoliebantur vineas. *Cant.* 2.) Do

S. Bernard. ceat nos S. Pater, quid sit vinea. *Viro Sapienti sua vita vinea est, su mens, sua conscientia: nihil quippe incultum desertumq; in se Sapien derelinquit. Stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta invenies: cū*

Vinea stulti. *cta jacentia, cuncta inculta & sordida. Non est vinea stulto. Quo modo vinea, ubi nil plantatum, nil elaboratum uspiam paret? Tot spinis silvescit & tribulis stulti vita. Ubi vitis virtutis? ubi botru*

Idem. *boni operis? ubi vinum lætitiæ spiritualis?* Et infra: *Deniq; non po test vinea esse, ubi vita non est. Nam stultus quòd vivit, mortem po tiùs quàm vitam esse censuerim. Quomodo vita cum sterilitate? Ar bor arida & in sterilitatem versa, nonne mortua judicatur? Et sar menta mortua sunt. Sic stultus eo ipso, quod inutiliter vivit, viven mortuus est.* Hæc svaviter Mellifluus Doctor. Talis utique est omni otiosus & acediosus; & stultus & aridus, & sterilis, est planè mortuu & quia nihil agit, nihil fructificat, ideoque ad nihil valet nisi ut mit tatur foràs & conculcetur ab hominibus. (*Matt.* 5.) Ut quid enim

Merces pigri & desidiosi. terram occupat? (*Luc.* 13.) En merces pigri & desidiosi. In lapid luteo lapidatus est piger, ait Ecclesiasticus c. 22. & omnes loquentu super aspernationem illius. De stercore boum lapidatus est piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus. Quod Græci sic legunt: la pidi inquinato vel polluto assimilatus est piger, & omnes sibilant ac ejus infamiam: ac stercori fimentorum comparatur piger, & omni qui tollit eum, excutiet manus. Siquidem piger, qui utique est oti osus, similis est lapidi conspurcato & stercori boum; quidni abjicien dus & excutiendus? Benè Philosophus asserit, nihil agendo homine

Virtus est operosa. malè agere perdiscere. Porrò virtus operosa est, in labore subsistit in arduo manet. Quid hic statis totâ die otiosi? operarios in foro stā tes Paterfamilias redarguit: ite & vos in vineam meam, imperat illis

S. Bernard. (*Mat.* 20.) Prosequitur S. Pater de vinea dicens: *Hoc sapienti, hoc ju sto, [si enim anima justi sedes est sapientiæ, sicut est, profectò is sapien qui justus.] Huic ergo vinea, quod vita; & bona vinea justi, imo*

Vinea Sapientis, *bona vinea justus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testi monium conscientiæ, cui lingva torcular expressionis. Vides apud sa pientem vacare nihil: sermo, cogitatio, conversatio, & quid aliud ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei ædifibatio est, & vinea Domi ni Sabaoth? Quid demq; illi de se perire posset, quando & folium e jus non defluet?* Ita mellifluè S. Pater noster; qui mox subinfert.

nunquam sinè insidijs. *Cæterùm tali vineæ nūquam infestationes, nunquam insidiæ deerunt Quid ergo? Sapiens,* inquit, *erit solicitus servare vineam suam non minùs quàm excolere, nec sinet eam vorari à vulpibus.* Quæ sunt

Quid vulpes? istæ Sancte Doctor? *Pessima vulpes,* ait, *occultus detractor, sed non minùs*

inus nequam adulator blandus. Aliàs per vulpes intelliguntur sub-
ssima quædam vitia, specie palliata virtutum; notantur hypocrises,
ibus capiendis & pellendis solicitudo laboris necessaria, non tepor,
n torpor, non socordia, per quæ non tantùm maculæ animæ infe-
ntur, sed veræ virtutis fructus deperit, cùm illos ejusmodi vitia de-
scuntur. Quid ex tepore, cùm deest ignis charitatis, fervor devo- *Ex tepore oritur frigus,*
nis abest, oritur nisi frigus? Quid hoc causat, edisserat nobis idem
ster zelosissimus Pater Bernardus. *Hoc frigus* ait, *si semel animam* D. Bernard.
nimæ quidem ut assolet incuriâ, spiritu dormitante) pervaserit, ac ne- *ex frigore plurima incommoda promanant.*
ine deinde, quod absit, inhibente ad interiora ejus pervenerit, de-
nderit in viscera cordis & sinum mentis, concusserit affectiones, oc-
paverit consilij semitas, perturbaverit judicij lumen, libertatem ad-
xerit spiritus: mox [ut in corpore solet evenire febricitantibus]
fit quidam animi rigor, & vigor lentescit, langvor fingitur virium,
rror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur
imus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio,
ritus extingvitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fasti-
sus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas,
vocat consvetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur jus,
s proscribitur, timor Domini derelinquitur. Dantur postremò im-
dentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpis-
mus, plenus ille ignominiâ & confusione, saltus de excelso in abys-
m, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in
num, de claustro in seculum, de paradiso in infernum, saltus in-
cissimus apostasiæ à fide, à DEO, à Religione. En fructus ex
gore tepiditatis præstantissimè describitur à Sancto Patre nostro,
pernitiosus, detestandus, abolendus, cum vomitu eliminan-
s est, vel maximè ex eo, quòd non tantùm sit origo vitiorum,
nes peccatorum, sed etiam ultimæ perditionis ruina. *Quoniam*
gus ante teporem sub spe est, ait D. Gregorius, *tepor autem post* S. Gregor.
gus in desperatione, id est, qui adhuc in peccatis est, conversionis
uciam non amittit, qui verò post conversionem tepuit, simul spē
æ erat de peccatore subtraxit. Hinc S. Chrysologus: *radix despe-* S. Chrysol.
tionis est ignavia, & non solùm radix sed & nutrix ejus & mater.
m sicut vestimentum tineam & generat & nutrit; ita ignavia non
ùm gignit ex se desperationem, sed alit & fovet. Nobis igitur
ibus incumbit necessitas puritatis ab omni maculâ peccati, si volu- *Vitandũ nobis*
s placere DEO, & oculis ejus videri speciosi, ante omnia otium *otium, & otiosa locutio.*
ndum est, & cum otio omnis otiosa locutio. Quoniam teverà
stante ipsâ Divinâ Veritate, (*Matt.* 12.) omne verbum otiosum,
od locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij.
osum verbum, ait D. Gregorius, *est, quod aut ratione justæ neces-* *Quid verbum*
tis, aut intentione piæ utilitatis caret. Sanctus Pater noster verò *otiosum?*
uit: *otiosum verbum est, quod nullam rationabilem causam habet.*
am rationem de eo reddere poterimus, quod est præter rationem?

 Hinc

Hinc exhortatur: *Nemo nostrûm Fratres parvi æstimet tempus, q[uod] in verbis consumitur otiosis. Siquidem tempus acceptabile est & [dies] salutis. Volat verbum irrevocabile, nec advertit insipiens quid a[mit]tat. Libet confabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec præ[te]reat hora! O donec pertranseat tempus! Donec hora prætereat qu[am] tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acqui[ren]dam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Conditoris ind[ul]get! Donec transeat tempus, quo Divinam tibi repropitiare debue[ras] pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amiss[am] hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remiss[am] voluntatem, flere commissam iniquitatem.* Terribilis sententia Ju[di]cis. Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnabe[ris] (*Matt.* 12.) quia de ore tuo judicaberis. (*Luc.* 19.) Non solùm a[u]tem otiosa actio & locutio, sed & cogitatio, & volitio interdicit[ur] ut sic per omnia ab otio abstineamus. De Patre suo & de seipso [ait] Filius Dei incarnatus: (*Joan.* 5.) Pater meus usque nunc operatur, [&] ego operor. Ita nobis faciendum, ut ad omne momentum dicamu[s:] usque nunc operor, & post hoc nunc, non desisto ab opere; im[o] dico cum Psalmista: (*Ps.* 76.) nunc cœpi. Venit enim hora & nu[nc] est, (*Joan.* 4.) ut semper agamus opus salutis nostræ, maculas pe[c]catorum extirpando, virtutum decorem procurando, ut perfecti abs[que] macula, puri absque peccato, adeoque speciosi semper coram DE[O] inveniamur.

Adhortatio S. Bernardi ad otiosa verba fugienda,

cum quo & otiosa cogitatio & volitio vitanda.

Sermo pro Dominica Palmarum.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psalm. 44.

O Vos omnes, qui transitis per viam vitæ hujus mortalis, atte[n]dite, (*Thren.* 1.) & videte visionem hanc magnam, (*Ex.* 3.) in terra visionis, [*Gen.* 22.] in monte Calvariæ. (*Joan.* 19.) Verè hìc maximum onus vallis visionis, (*Is.* 22.) quæ est Jerusalem cernitur; ubi dies interfectionis & conculcationis & fletuum Domin[o] Deo exercituum (*Is.* 10.) in valle visionis. (*Is.* 22.) Attendite & vi[de]te speciosum formâ præ filijs hominum (*Ps.* 44.) in cruce; non e[st] species ei neq; decor, quasi absconditus vultus ejus & despectus. Ec[ce] ce novissimus virorum, vir dolorum, sciens infirmitatem, quasi le[prosus], percussus à Deo & humiliatus. (*Is.* 53.) Huc oculos conver[ti]te, huc animos intendite, huc corda transferte. Hìc videtur visi[o] Dei, (*Ezech.* 1.) hìc visionis omnipotentis intuitus, hìc visio belli & pacis, hìc spectaculum mundo, Angelis, & hominibus factum, [1. *Cor.* 4.] hìc signum levatum in nationibus, (*Is.* 11.) hìc portentum Israël. (*Is.* 8.) Quid enim? Vidimus eum, ait Propheta, & non e[rat] aspectus, non erat aspectabilis, omnis decor ejus defluxit, omnis species immutata, caput langvidum, cor mœrens; à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus & livor & plaga tumens. Quid igitur? Et desideravimus eum ita deformatum? Ita vulne-

Christus in cruce,

spectaculum factus mundo, & Angelis & hominibus.

ulneribus sauciatum? flagellis conscissum? spinis compunctum, spu- s fœdatum? livore plagatum? clavis confossum? sangvine pluentem? chrymis inundatum? totum attritum imò contritum in infirmitate? talem, talem omnino desideravimus? Quare? quia vulneratus est propter iniquitates nostras, & attrit⁹ propter scelera nostra; quia languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: quia disciplina pacis nostræ super eum, & livore ej⁹ sanati sum⁹. Et hoc ipsum quare? quia misericors & miserator Dominus, (*Ps.* 110) longanimis & multum misericors, *Ps.* 102. imò svavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. *Ps.* 144 Suavis in misericordia, suavis charitate, quâ majorem nemo habet, ponendo pro peccato totius mundi, velut Agnus qui tollit peccatum mundi, *Jo.* 1. animam suam; . 15. ponendo dico, animam suam non pro amicis sed pro inimicis. Quis non desideraret videre hunc amoris excessum, hanc misericordiæ abyssum, tot passionibus, doloribus & cruciatibus immersi crucifixi Jesu? Et hic ipse est speciosus formâ, sic deformis non habens speciem; sed speciosus in misericordia sua, speciosus in charitate sua nimia, infinita & immensa. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, interrogant sponsam filiæ Jerusalem; *Cant.* 5) & respondet: dilectus meus candidus & rubicundus. Equidem talis fuit potissimùm in cruce, candidus propter purissimam virgineam carnem, rubicundus propter effusionem sangvinis; candidus ob innocentiæ & justitiæ puritatem, rubicundus propter amoris ardorem, & sanctimoniæ splendorem; candidus in misericordia, rubicundus in charitate; *candidus, quia splendor Patris,* test. S. Ambrosio, *rubicundus, quia partus Virginis*; denique secundùm se totum candidus in Divinitate, quia candor lucis æternæ, speculum sinè macula Dei Majestatis, & imago bonitatis illius (*Sap* 7.) rubicundus in humanitate, quam ex Adamo assumpsit, quia ex terra Adama, id est rubea creatus, & ex Davide, qui rufus [erat] & pulcher aspectu dicitur, (1. *Reg.* 16.) progenitus; de quo D. Gregori⁹: *Quid est, quòd rufus asseritur, nisi quia in rubra sæpe materia charitatis fervor signatur? Unde & in veste Pontificis coccus bis tinctus ponitur, ut charitate duplici vestiatur. Rufus ergo dicitur charitatis ardore, quia dum ardentia præcepta charitatis exhibet, quasi per calorem rubet.* Talis ergo dilectus, verè amabilis, electus ex millibus, (*Cant.* 5.) de quo Ecclesiastes: *c.* 7. Virum de mille unũ reperi, quia inter omnes filios hominum, qui mille dicuntur, numero certo pro incerto, non tantùm Unigenitus unicus est Patris sui, unicus est Matris suæ filius; (*Luc.* 7.) sed etiam quando omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; [*Ps.* 13] omnes nos sicut oves erravimus, ait Propheta, (*Is.* 53.) omnes peccaverunt in Adam, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum *Ps.* 13.] Christum Salvatorem mundi, & hominum Redemptorem. Species ejus ut Libani montis, (*Cant.* 5.) *quo juxta* S. Hieronymum, *nihil in terra repromissionis excelsius est, nec nemorosius atq; condensius*; qui interpretatur

Quare desideratus?

Quare vulneratus?

Dilectus sponsæ candidus & rubicundus multipliciter: I. II. III. IV. V.

Quare rufus?

Species ejus ut Libani. D. Hieron.

albus;

Electus ut Cedri, albus; electus ut cedri, *Ib.)* quæ arbor est in Libano crescens, rube
imputribilis & odorata. Videtur per similitudinem Libani & cedri it
totus desiderabilis. rarò designari candidus & rubicundus. Denique totus desiderabili
(*Cant.* 5.) cunctis Gentibus desideratus, (*Ag.* 2.) propter candorem
S. Bernard. VI. suum & ruborem. Juxta S. Patrem nostrum, *Christus dicitur cand*
dus & rubicundus, quem circumdant flores rosarum & lilia convall
um, hoc est, Martyrum Virginumq́; chori, & qui medius residet, no
VII. *utiq́; dissidet Virgo & Martyr. Candidus, id est, sinè macula peccat*
Gvillelmus. juxta Guillelmum, *rubicundus, id est, occisus propter peccata nostra*
ita candidus, quòd non candidatus. Solus in se ipso est singularite
candidus, qui ad candidandos alios salubriter est rubicundus. Rupe-
VIII. tus interrogat: *Si candidus, cur rubicundus?* Hoc est, si innocen
cur occisus? Respondet Isaias: c. 53. quia vulneratus est propter in-
quitates nostras. Qui peccatum non fecit, peccata nostra ipse pertu-
lit in corpore suo super lignum. (1. *Pet.* 2.) Ita candor innocentiæ sin-
gularis in specioso nostro formâ præ filijs hominum, & electo ex mi-
libus, (*Cant.* 5.) quia super omnes perfecto, & omnium Antesigna-
no, purpureo sangvinis proprij rubore perfusus emicuit & rutilavit, u
speciosissim' appareret; inter Confessores candidissimus, inter Ma
IX. tyres rubicundissimus. Quid quòd in Passione sua voluit ab Herod
veste albâ indui, (*Luc.* 23.) & à militibus coccineâ chlamyde vest
ri? (*Mat.* 27.) Utique ut sic tam Judæus quàm Gentilis populus a
Dominum vestiendum concurrens, (ubi notanda Pilati & Herod
amicitia) eum candidum & rubicundum manifestaret. Hinc & ips
Crux Christi candida & rubicunda pro vexillo fidelium, crux canitur ab Ecclesia, arbor decora & fulgida, ergò candida; or-
nata Regis purpurâ, ergo rubicunda repræsentatur, ut sic esset pr
vexillo & labaro Christi fidelibus puritate & justitiâ candida, corpo-
ris mortificatione & resistentiâ hostibus usq; ad sangvinem rubicun-
signum est Candoris & ruboris. da. Sed quid hoc vexillum indicat? Haud dubiè signum est cando-
ris & ruboris: qui enim Christi crucem fert, debet candere puritat
mentis, & rubere dilectionis ardore. Quid enim magis purificat mé
Qualis? tem quàm crucis post Christum bajulatio? Quid ampliùs cor accen
dit, quàm ipsa cum Christo sui corporis crucifixio? Ordinavit in me
charitatem, ait Sponsa; (*Cant.* 2.) in Hebraico textu legitur, vexil-
Charitas candida & rubicunda, lum ejus super me charitas; & hæc utiq; candida & rubicunda: can-
dida omnem sinceritatem præseferens, rubicunda igne amoris calens
X. *Christus candidus & rubicundus in ultima cœna.* Sed nonne & ipse dilectus candidus est & rubicundus in suo nobis an-
te mortem relicto testamento sub panis & vini speciebus, corpori
verò & sangvinis sui rebus? O quantus hic rutilat candor & rubo
dilectionis! Audite quid dicat: (*Luc.* 22.) Desiderio desideravi ho
Pascha manducare vobiscum, antequam moriar. Quantus hic impe-
tus amoris in tanto tam reduplicato dèsiderio! Impensè, intensè
immensè desideravit se pro Agno Paschali candidum in corpore, ru-
bicundum in sangvine dare ad manducandùm, antequam in cruc
talis videretur; antequam talis, Pascha, id est transitum suum ex ho
mundo

quando ad Patrem faciens, immolaretur. Jam verò illa Sponsa, su-
per quam charitas à Sponso per modum vexilli dicitur esse, quæ ab
ipso primò dicitur pulchra amica, suavis & decora sicut Jerusalem, *Sponsa dilecti*
nimirùm visio pacis, mox ab ipso nominatur terribilis ut castrorum *terribilis ut*
acies ordinata, (*Can. 6*) alij legunt, sicut vexillata; cùmq; per erectio- *castrorũ acies,*
nem vexilli potissimùm acies instruatur, regatur, ordinetur, in uni-
one teneatur, ad prælium procedatur, pugnetur, & vincatur, ade-
oque totaliter terribilis cunctis hostibus videatur, nonne id chari-
tas efficit, quæ est vexillum fidelium sub cruce Christi militantium?
Hinc erga Deum amore constricti, cum Crucifixo per charitatem co-
pulati, dilectionem habentes adinvicem, à statione non possunt di-
velli, dicentes cum Apostolo: (*Rom.* 8.) quis nos separabit à chari-
tate Christi, id est, ab acie nostra, à vexillo Christi? Certus sum quia
nulla creatura nos separare poterit à charitate Dei, quæ est in Chri-
sto JESU. O quàm potens, ô quàm fortis militiæ Christianæ
vexillatio, quàm pulchra ordinatio charitatis! Verùm quid est,
quòd Sponsa alibi se cum Christo Sponso quasi conferens, à quo
omnis species & forma in ipsam promanat, nigram se nominat;
sed formosam, nigram sicut tabernacula Cedar, formosam sicut *nigra sed formosa.*
pelles Salomonis. (*Cant.* 1.) *An nigram, quòd ex Gentibus, for-* *Quare? I.*
mosam quia ex Judæis coaluit? ad mentem Origenis. *An nigram* II.
ob culpam, & exteriorem corporis asperitatem, pulchram propter gra-
tiam? juxta sensum Divi Ambrosij. *An nigredo ad pœnitentiam, de-* III.
cor ad justitiam & sanctitatem spectat? dicente S. Gregorio. *S. Pa-*
ter noster varias nobis porrigit utriusque explicationes: *ut nigra sit* D. Bern. IV.
tribulationis ardore & æstu, formosa decore charitatis, nigra & lutea V.
corporis vilitate, pulchra spiritûs sublimitate, nigra studio humilita- VI.
tis pulchra veræ excellentiâ sanctitatis; nigra mundi judicio, pulchra VII.
DEI arbitrio; nigra in tabernaculis Cedar militans, formosa intra VIII.
pelles Salomonis regnans, videlicet in cœlis triumphans. Sed hanc ni-
gredinem & formositatem Sponsa à Sponso participat; judicio melli- *Nigredo &*
flui Doctoris; unde dicit: nolite me considerare quòd fusca sim, quia *formositas il-*
decoloravit me sol, (*Cant.* 1.) ille Sol justitiæ (*Mal.* 4.) in cruce ec- *lius unde?*
lypsatus. Verba sunt Sancti Patris de illo. *Nigrescit candoris zelo, lu-* S. Bernard.
cis pulchritudinis, multos candidos facit unius denigratio, non cùm *Dilectus spon-*
tingitur culpâ, sed cùm afficitur curâ. Expedit ut unus moriatur homo *sæ quomodo*
pro populo, & non tota gens pereat; (Joan. 11.) *expedit ut unus pro o-* *niger diver-*
mnibus denigretur similitudine carnis peccati, & non tota gens ni- *simodè?*
gredine condemnetur peccati; splendor & figura substantiæ Dei (Sap.
7.) *obnubiletur in forma servi,* (Phil. 2.) *pro vita servi; candor vitæ*
æternæ (Sap. 7.) *nigrescat in carne pro carne purganda; speciosus for-*
ma præ filijs hominum (Ps. 44.) *pro filijs hominum illuminandis ob-*
scuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte; ex toto non sit
ei species neq; decor, (Is. 53.) *ut sibi speciosam atq; decoram acquirat*
Sponsam Ecclesiam sinè macula & sinè ruga. (*Eph.* 5.) Hæc mellifluo

Idem. ore Divus Bernardus, qui inferiùs addit: *nigrum sensus renuntiat, fi-*
des candidum & formosum probat, niger est, sed oculis insipientium,
nam fidelium mentibus formosus valde. Niger est sed formosus, ni-
reputatione Herodis, (Luc. 23.) *formosus confessione latronis, Centu-*
Idem. *onis fide.* (Ib.) Et rursùs: *Foris niger, in cute niger, non intùs. A-*
quin omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs. (Ps. 44.) *Intùs Divini-*
tis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas. S-
tegit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus vul-
ejus & despectus, (Is. 53.) *dùm tentatur per omnia pro similitud-e*
absq; peccato. Agnosco denigratæ formam naturæ, agnosco tunicas -
laspelliceas, protoplastorum peccantium habitum. (Gen. 3.) *Deniq;*
metipsum denigravit formam servi accipiens, in similitudinem hom-
Idem. *num factus, & habitu inventus ut homo.* (Phil. 2.) Ac denuò: *qu-*
nisi deforme & nigrum oculis spectantium occurrebat, cùm expansis i
cruce manibus, medius duorum nequam, risum malignantibus dar-,
fletum fidelibus. Et solus erat risui, qui solus poterat esse terrori, sol-s
honori debuerat. Hæc omnia svavissimè D. noster Antistes. Jam cu-
Sponsa Sponso conformis in nigredine, Sponso quidni & Sponsa nigra esse debet, ad imitationem Aposto-
in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus plurimis, in plag-s
supra modum, in mortibus frequenter, gloriari in tribulationibus, i
infirmitatibus, in persecutionibus; (2. Cor. 11.) unde dicente Sancto
D. Bernard. Patre nostro: *pulchrè Sponsa convertit sibi ad gloriam, quod ei p-*
per ejus imitationem. *opprobrio ab æmulis intorquetur; non modò formosam sed & nigra-*
esse se glorians, non enim erubescit nigredinem, quam novit præcessis-
& in Sponso, cui similari quantæ etiam gloriæ est? Nihil sibi glorios-
us proinde putat, quàm Christi portare opprobrium; unde vox il-
prorsùs exultationis atq; salutis: absit mihi gloriari nisi in cruce D-
mini mei Jesu Christi. (Gal. 6.) *Grata ignominia crucis ei qui Cruc-*
fixo ingratus non est; nigredo est, sed forma & similitudo Domin-
Vidimus igitur quomodo & Sponsus crucifixus, & Sponsa ei concru-
cifixa habeat candorem & ruborem, quomodò polleant nigredine &
D. August. formositate. Concludo adhuc verbis Sancti Augustini *Quare no-*
Quare Christus non habuit speciem neq; decorem? *habuit speciem neq; decorem? Quia Christus crucifixus Judæis qu-*
dem scandalum, gentibus stultitia. (1. Cor. 1.) *Quare autem in cruc-*
habuit decorem? Quia quod stultum est Dei, sapientius est quàm ho-
mines; & quod infirmum est DEI, fortius est quàm homines. (Ib.)
Nobis ergo jam credentibus ubiq; Sponsus pulcher occurrat. Gaude-
at Sponsa amata à Deo. Quando amata? Dùm adhuc fœda. Omn-
enim peccaverunt, ait Apostolus, (Rom. 3.) *& egent gratia Dei. E-*
iterùm: (Rom. 5.) *etenim Christus pro impijs mortuus est. Amata e-*
fœda, ne remaneret fœda. Non enim verè fœda amata est, quia no-
fœditas amata est. Nam si hoc amaret, hoc servaret. Evertit fœdita-
tem, formavit pulchritudinem. Amemus illum, quia ipse prior dil-
xit nos. (1. Joan. 4.) *Intelligentibus nobis Verbum Caro factum* (Jo-
an. 1.) *magna pulchritudo est, & hoc ipsum quòd carnem indutus e-*

a ut etiam de illo diceretur: *vidimus eum & non habebat speciem eq; decorem.* (Is. 53.) *Si consideres misericordiam quâ factus est, & i pulcher est.* Ubique & semper candidus in misericordia, rubicun-us in charitate, niger in passione & morte crucis, formosus in re-emptione mundi. Amemus illum, & desideremus eum novissimū irorum, virum dolorum, (*Is.* 53.) quia ipse est quoque desiderium ollium æternorum, (*Gen.* 49.) de quibus Propheta: incurvati sunt olles mundi ab itineribus æternitatis ejus; (*Hab.* 3.) illorum collium uos transilivit veniens in carne, saliens in montibus (*Cant.* 2.) Pa-iarcharum & Prophetarum; quia non Angelos sed semen Abrahæ pprehendit: *Heb.* 2. & tamen hi sunt, qui in eum desiderant prospi-ere. (1. *Pet.* 1.) Prospiciamus & nos, pro quibus crucifixus est & ortuus, attendamus & intendamus in illum continuò, persistamus hac visione Crucifixi, sub hoc vexillo amoris ejus militemus, ordi-tam in nobis charitatem conservemus, (*Cant.* 2.) oculos & corda infigamus, ut possimus semper gloriari in cruce Domini nostri ESU Christi, (*Gal.* 6.) participium hujus speciei sinè specie, deco-indecori, formæ deformis habere, ac dicere quisque nostrûm cum ase electionis: Christo confixus sum cruci, vivo ego jam non ego, vit verò in me Christus crucifixus, (*Gal.* 2.) *novissimus virorum*, (*Is.* 53.) exinaniendo nosmetipsos *vir dolorum*, mortificationem crucis corpore nostro portando, nigredinem pœnitentiæ, formā justitiæ, ndorem Confessorum, ruborem Martyrum per eorum imitationem præmeferendo usque ad mortem.

Exhortatio ad amandum & desiderandum Jesum Crucifixum respiciendum; atq; imitandū.

Sermo pro Dominica Paschatis.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psalm. 44.

DOminus regnavit, gaudeamus; decorem induit, exultemus; indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se virtute, (*Ps* 92.) jubilemus. Hæc est gloria resurgentis Jesu Nazareni cruci-fi, quam omnes admirantur dicentes: quis est iste qui venit de E-dom? (*Is.* 63.) Quis est iste Rex gloriæ? (*Ps.* 23.) Quid sunt plagæ ille in medio manuum tuarum? Quare rubrum est indumentum tu-um? (*Is.* 63.) In sole gloriæ posuit tabernaculum (*Ps.* 18.) corporis su, qui ipse est Sol justitiæ [*Mal.* 4.] antea oriens ex alto, (*Luc.* 1.) nc oriens ex corde terræ. Oritur sol & occidit, ait Ecclesiastes, (1.) & ad locum suum revertitur. Ortus est Sol noster in nativita-te per viscera misericordiæ suæ visitans nos oriens ex alto, [*Luc.* 1.] qua à summo cœlo egressio ejus, (*Ps.* 18.) exivit à Patre & venit in mundum, (*Joan* 16.) tanquam Sponsus procedens de thalamo suo, (*Ps.* 18.) Virginis Matris, ubi naturam humanam sibi desponsavit. Occidit Sol noster per mortem crucis positus in monumento, [*Luc.* 23.] & ecce jam ad locum suum revertitur per Resurrectionem & Ascensionem, iterum relinquit mundum & vadit ad Patrem; (*Joan.* 16.) iterum procedit tanquam Sponsus de tumulo non minùs virgi-

Gloria Christi resurgentis.

Christus sol oriens in nativitate, occidens in morte, rursus oritur in Resurrectione & Ascensione;

neo, quia novo, in quo nondum quisquam positus erat. (*Luc.* 23
& gyrat per meridiem in missione Spiritûs S. Ibique renascens gyrat per meridiem, lingvis igneis Spiritûs San inflammat homines, (*Act.* 2.) nec est qui se abscondat à calore eju (*Ps.* 18.) Flectitur ad aquilonem pellens ex hominibus frigus infide tatis & peccati. Sic lustrans universa in circuitu pergit spiritus, & circulos suos revertitur. Verbo Domini cœli firmati sunt, videlic Apostoli, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum; (*Ps.* 32.) unde omnem terram exivit sonus illorum, & in fines orbis terræ verba e rum, (*Ps.* 18.) omnia ad Deum ejusq; cognitionem & amorem d
omnia ad Dei cognitionem & amorem dirigendo. rigendo tanquam ad centrum universi; dicendo in nationibus, quor am Dominus regnavit à ligno: Domini est Regnum, & ipse dom nabitur gentium. (*Ps.* 21.) Hic est Jesus Nazarenus crucifixus, (*Ma* 16.) Rex Regum & Dominus Dominantium, (*Ap.* 19.) qui in R surrectione sua decorem induit, (*Ps.* 92.) tanquam speciosus form præ filijs hominum, (*Ps.* 44.) induit fortitudinem (*Ps.* 92.) ad sa vandas gentes, accinctus gladio suo super femur suum potentissimè specie suâ & pulchritudine intendit, prosperè procedit & regnat. (*P* 44.) Ita est; Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat; iste for mosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ: (*Is.* 63. pulchritudinem ejus admirabitur oculus universus. *Eccli.* 43. Et qui
Jesus pulcher in sua Divinitate. dem primò & primariò Jesus pulcher est in Divinitate sua, Deo Patr consubstantialis, omnem Divinitatis pulchritudinē ab eo participans cùm sit splendor gloriæ illius, & figura (*Heb.* 1.) sive imago (2. *Cor*
Est virtus & sapientia Dei, 4.) expressa substantiæ ejus, (*Heb.* 1.) quin ipse est DEI virtus, & Dei sapientia, & juxta Sapientem, [*c.* 7.] sapor est virtutis DEI, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideò in eam nihil coinquinatum incurrit, quia Deus lux est, & tenebræ in
Lux de luce. eo non sunt ullæ. (1. *Joan.* 1.) Filius verò DEI est lux de luce, candor est lucis æternæ, & speculum sinè macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. [*Sap.* 7.] Est lumen de lumine naturaliter & necessariò, purè, inseparabiliter, immutabiliter & æternè generatum.
Quid Deus juxta Platonem? quid juxta Dionysium? Quidni pulchrū est lumen & delectabile oculis? *Eccles.* 11. Deus autem est juxta Platonē, *magnum pelagus pulchritudinis*; & juxta D. Dionysium, *ipsum pulchrum, ipsum superpulchrum, ipsum omne pulchrum.* De pulchritudine Divinitatis Christi pulchrè ipsummet alloquitur D.
D. Bernard. Pater noster. *Quàm pulcher es Angelis Domine Jesu in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus,* (Ps. 109.) *splendor & figura substantiæ Patris,* (Heb. 1.) *& quidem perpetuus minimèq; fucatus candor vitæ æternæ.* Deinde
Jesus pulcher in sua humanitate. secundò & secundariò Jesus pulcher est in humanitate sua, quæ uti immunis fuit ab omni macula peccati, ita plena erat gratiæ & veritatis, (*Joan.* 1.) omnibus virtutibus & donis Spiritûs Sancti decorata. Hujus velut Sponsæ suæ speciem laudat ipse Filius Dei in Canticis tanquam Sponsus dicens: (*Cant.* 6.) pulchra es amica mea, svavis & decora sicut Jerusalem, id est visio pacis. Hanc desiderat tota

Trinitas

[T]rinitas videre. Ostende mihi faciem tuam, quia speciosus formâ [pr]æ filijs hominum, sonet vox tua in auribus meis, (*Cant.* 2.) quia [dif]fusa est gratia in labijs tuis; (*Ps* 44.) vox enim tua dulcis & faci[es] tua decora. (*Cant.* 2.) Quidni Esther Regina figura fuit humani[tat]is Christi? De qua Scriptura: (*Esther* 2.) erat formosa valde & in[cre]dibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videba[tu]r. Super hac continuat alloquium suum Doctor mellifluus, primùm [de] exinanitione disserens: *Quàm mihi decorus es Domine mi, in ipsa [ta]n hujus positione decoris! Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturali[bus] radijs lumen indeficiens exuisti; ibi pietas magis emicuit, ibi cha[rit]as plus effulsit, ibi ampliùs gratia radiavit.* Deinde de ortu ejus [sup]er terram subinfert: *quàm clara mihi oreris stella ex Jacob!* (Num [2]4) *Quàm lucidus flos de radice Jeße egrederis!* [Is. 11] *Quàm [jucu]ndum lumen in tenebris visitâsti nos oriens ex alto!* [Lucæ 1.] [Dei]nde totam recenset vitam. *Quàm spectabilis & stupendus in vir[tu]tibus supernis, in conceptu de Spiritu Sancto, in ortu de Virgine, in [vit]æ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruscationibus miraculorum, [in r]evelationibus Sacramentorum!* Postremò tangit Resurrectionem [ej]us & Ascensionem. *Quàm deniq; jubilans post occasum Sol justitiæ* ([Ma]l. 4.) *de corde terræ resurgis! Quàm formosus in stola tua!* [Is. 63] *Demùm Rex gloriæ* (Ps. 23) *in alta cœlorum te recipis. Quomo[do n]on pro his omnibus omnia ossa mea dicant: Domine quis similis [tib]i?* (*Ps.* 34.) Ita svavissimè Doctor noster egregius. Quidni os[s]a, quæ virtute Resurrectionis Christi animata, quasi herba germina[bun]t? (*Is.* 66) Jam verò quomodò Jesus resurgens non esset pul[ch]errimus, cùm sit Nazarenus, id est floridus. Audiamus qualem se [i]ll prædicat: ego, inquit, flos campi & lilium convallium. (*Cant.* 2.) Arabicus vertit, torrentium. Tigurina legunt: ego sum rosa Sa[ro]n, id est, saturitatis vel abundantiæ, & lilium gaudens vallibus. Ve[l] illos Christus & conceptus, & resurgens tempore verno, ille de [quo] Isaias: (*c.* 11.) egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice [ej]us ascendet. Flos eximij decoris, flos ex utero, flos ex tumulo, flos [cam]pi sponte sinè semine, sinè aratione proveniens, quia ex Virgine [sine] opera viri productus. *Flos Mariæ Christus*, inquit melleus A[m]brosi[us], *qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe Virginali ex u[te]ro germinavit. Flos odorem suum succisus reservat, & contritus ac[cu]mulat, nec avulsus amittit. Ita & Dominus Jesus in illo pati[bulo] crucis nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit, sed illâ lanceæ pu[nc]tione succisus sacro speciosior fusi cruoris colore vernavit, mori [ip]se nescius, & mortuis æternæ vitæ munus extradens.* Pulchrè Ter[tu]llianus monet hominem, qui quasi flos egreditur, & conteritur si[c]ut umbra. (*Job* 14) *Quid tibi cum flore morituro? Habes florem ex virga Jesse, super quem tota Divini Spiritûs gratia requievit, flo[rem] incorruptum, immarcescibilem, sempiternum.* Verè Jesus Naza[ren]us floridus flos in Resurrectione decorem induit, (*Ps.* 92.) candi-

Esther figura humanitatis Christi.

S. Bernard.

Pulchritudo Christi

in nativitate,

in vita,

in Resurrectione & Ascensione.

Christus pulcherrimus quia Nazarenus, id est floridus,

multimodè pradiens

D. Ambros.

semper odorem servans.

Tertullianus.

Floridus in Resurrectione.

 dus

Candidus & rubicundus in se & suis I.

dus & rubicundus, (*Cant. 5.*) candidus in Divinitate, rubicundus in humanitate, habens fideles Nazaræos suos, candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro, qui cœlestem refert colorem, pulchriores.

Flos horti.

D. Bernard.

Ipse flos horti, Virgo virgâ Virgine generatus, ait S. Bernardus, *idem flos campi* (Cant. 2.) *Martyr, Martyrum corona, Martyrij forma. Deniq; foràs civitatem eductus, extra portam passus*, (Heb. 13.) *& in ligno elevatus est spectandus hominibus, subsannandus ab omnibus.*

Flos thalami.

Ipse item thalami flos, speculum & exemplum totius beneficentiæ. Ita S. Pater noster; qui Christum dicit florem horti esse, nimirùm illius horti conclusi, (*Cant. 4.*) & florem thalami, quia Sponsa dicit: (*Cant. 1.*) lectulus noster floridus.

II. Candidus autem tanquam virginitatis & justitiæ speculum, Virginibus & Confessoribus: rubicundus velut exemplar martyrij violenti & voluntarij, videlicet mortificationis, Martyribus & Pœnitentibus. Et

Christus resurgens cum decore indutus fortitudinem,

ideò Rex noster resurgens cum decore induit quoque fortitudinem (*Ps. 92.*) quâ ad patientiam, constantiam, & perseverantiam omnes milites suos armat, tanquam Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum. (*Ps. 23.*)

Sponsam quoq; vult habere pulchram & fortem.

Talem quoq; vult habere Sponsam pulchram & fortem. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, (en pulchritudo) terribilis ut castrorum acies ordinata? *Can. 6.* (en fortitudo.) Unde & interrogat: *Ib.* Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum? Illa mulier fortis, imitatrix viri sui, quô induta? Fortitudo & decor indumentum ejus. (*Pr. 31*)

Quid imperat Ecclesiæ?

Ita imperat ipse nunc resurgens Ecclesiæ suæ in figura Sionis & Jerusalem: Consurge consurge, [bis dicit, ut & animâ & corpore consurgat] induere fortitudine tuâ Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Jerusalem civitas Sancti, (*Is. 51*) illius nempe Sancti Sanctorum. (*Dan. 9.*) Idipsum per Baruch Prophetam mandat; *c. 5.* Exue te Jerusalem stolâ luctûs & vexationis tuæ, ubi fuit planctus magnus, ubi doluerunt super me, ita ut doleri solet in morte primogeniti; (*Zach. 12.*) & indue te decore & honore ejus, (*Baruch 5.*) quæ à Deo tibi est, sempiternæ gloriæ. Circumda te diploide à Deo justitiæ tam particularis virtutis, quàm perfectionis universalis; & impone mitram capiti tuo, (*Ib.*) honoris æterni. Scis quare? Deus enim ostendet splendorem suum in te, qui sub cœlo est, *Ib.* per gloriosam Resurrectionem suam. Quod toti Ecclesiæ dicitur, idipsum spectat ad unumquemque ex fidelibus.

Quomodo Christo debemus conformari?

Unde si conformari volumus Capiti nostro, debemus cum ipso tanquam membra regnare; cum ipso indui decore & fortitudine. (*Ps. 92.*) Id quomodo? Et quidem quicunque in Christo baptizati estis, Christũ induistis, inquit Apostolus; [*Galat. 3.*] nihilominùs rursùs præcipit: [*Rom. 13.*] Induimini Dominum Jesum Christum. Si Christum induimus, regnamus cum ipso induti decore & fortitudine. [*Psal. 92.*]

S. Anselmus.

Christus Sapientia est, ait S. Anselmus, *& justitia & sanctificatio & veritas & omnes simul virtutes.* Quare qui assumpserit Christum,

dicitur

dicitur ipsum indutus esse. Christum sumite, id est, formam Christi, sumite vestem & habitum, & forma illius undiq; fulgeat & repræsentetur in vobis. Quomodo dicit, induimini? inquirit S. Chrysostomus, *undiq; nos illo circumdari iubet. Vult enim animam nostram illi domum esse, illoq; nos quasi vestimento circumdari, ut omnia in nobis sit, sive interna sive externa respicias.* Alibi imperat Doctor gentium: (*Eph.* 4.) Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis; qui novus homo est Christus. Ita equidem induimus Christum, si illum imitamur in decore justitiæ & sanctitatis, & in fortitudine virtutis subigendo carnem & mundum, & diabolum superando. Ipse est exemplar nostrum, ipse robur nostrum. Fortitudinem meam ad te custodiam, ait Psaltes *Ps.* 58. quia Deus susceptor meus es; super quo S. Augustinus ait: *Si recedo cado, si accedo fortior fio. Videte etiam, quid est Fratres in anima humana: non habet ex se lumen, non habet ex se vires. Totum autem quod pulchrum est in anima, virtus & sapientia. Sed nec sapit sibi, nec valet sibi, nec ipsa sibi lux est, nec ipsa sibi virtus est. Est quædam origo fonsq; virtutis, est quædam radix sapientiæ, videlicet Christus, per quem, & in quo induimur decore luminis, instruimur luce sapientiæ, vestimur fortitudine virtutis.* Benè Angelus dicens JESUM Nazarenum, addidit Crucifixum; (*Mar.* 16.) quia ipse est nobis sapientia à Deo & virtus & justitia. 1. *Cor.* 1.) Prædicamus, ait Apostolus, *Ib.* Christum crucifixum, ipsis vocatis Judæis atq; Græcis, Dei virtutem & Dei sapientiam. Eleganter S. Pater monstrat, quomodo & exemplo suo nos roborat, & gratiâ coronat. *Utrumq; es mihi Domine JESU & speculum patiendi, & præmium patientis. Utrumq; fortiter provocat ac vehementer accendit. Tu doces manus meas ad prælium* (Ps. 143.) *exemplo virtutis tuæ, tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentiâ majestatis: sive quia pugnantem Te aspecto, sive quia Te expecto non solùm coronantem, sed & coronam.* Pro coronide adnecto in humanitate sua singulariter Christum Dominum decore indutum fuisse per dotem gloriæ & claritatis, per dotem impassibilitatis & immortalitatis induisse fortitudinem, per dotē subtilitatis & agilitatis præcinxisse se virtute (*Ps* 92.) ad iter cæleste, ut ad Patrem remearet. Sed de his Deo dante in Ascensione Domini; nunc concludamus, & Domino Victori ac Regnatori nostro applaudamus, speciosum formâ præ filijs hominum decore & fortitudine indutum, ac præcinctum virtute admiremur atque imitemur: Nazareno crucifixo conjungamur, imò ipsum induamus qui de se ait: (*Mar.* 16.) Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Quia Deus reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere nos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso. *Col.* 1. Moriamur cum ipso in cruce, quia vita nostra abscōdita est cum illo in Deo; (*Coloss.* 3.) ut cùm apparuerit Christus vita nostra, & nos appareamus cum ipso in gloria *Ib.* speciosi, decori, fortes, candidi

S. Chrysost.

Quomodo illū induere debemus?

Anima humana se solâ nihil præstare valet.

D. Bernard.

Quomodo Christus exemplo suo nos roborat?

Cum quo moriendum nobis in cruce.

didi puritate mentis, & amore dilectionis rubicundi, Martyrum, Confessorum, & Virginum consortes, in Christo JESU Domino nostro, formâ præ filijs hominum specioso.

Sermo in Annuntiatione B. V. MARIÆ.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Psalm. 44.

Genus humanum, vinea Dei.

QUod de domo Israel dictum est apud Isaiam Prophetam, *c.* 5. illam esse vineam Domini exercituum: hoc idem de toto genere humano, quòd sit vinea Dei, potest convenienter adaptari. PP. RR. FF. DD. Sicut enim Deus & sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular exstruxit in ea: *Ib.* ita fecit cum Protoparentibus humani generis, sepivit eos custodiâ gratiæ suæ, obstacula lapidum offensionis sustulit, plantavit in paradiso à se plantato velut electos, omnibus donis justitiæ & innocentiæ originalis illos dotando; ædificavit in medio animæ eorum turrim (*Ib.*) rationis, è qua tanquam specula suæ consulerent indemnitati, torcular bonæ voluntatis exstruxit in illis, per quam vinum boni operis exprimeretur. Sed ecce expectavit ut faceret uvas obedientiæ in præcepto suo, & fecit labruscas *Ib.* sylvestris ac feræ rebellionis: expectavit ut faceret judicium, discernendo malum à bono, & ecce iniquitas per acceptationem pessimæ transgressionis; & faceret justitiam, (*Psal.* 118.) & ecce clamor, peccatum clamans in cœlum, ita ut Deus illos quærere cogeretur & vocare: Adam ubi es? (*Gen.* 3.) Quid est, quod ultra facere debui vineæ meæ? (*Is.* 5.) Quia in omni perfectione tam quoad animam, quàm quo ad corpus creati sunt. Ego te plantavi vineam electam, omne semen verum, id est perfectum, ait Deus, (*Jer.* 2) quomodo ergo conversa es in pravum vinea aliena? quia sub jugum diaboli à me alieni translata. Inde concomitans pæna, ablata seps, diruta maceria: *Is.* 5. Divinæ gratiæ protectio cessavit, vinea facta in direptionem & conculcationem spirituum malignorum: posita est deserta à Deo, subjecta illi, qui orbem posuit desertum. (*Is.* 14.) Non putabatur & non fodiebatur, *Is.* 5. quia in statu naturæ nulla fuit hortorum cultura per aliquam legem, ascenderunt vepres & spinæ, *Ibid.* multimoda vitia & peccata succreverunt, dum & ipsa terra spinas & tribulos hominibus germinaret; *Gen.* 3. nubibus mandatum, ne pluant super eam imbrem, *Is.* 5. quia cælum per peccatum clausum fuit, ita ut cogerentur Prophetæ orantes clamare: Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum. *Is.* 45.) Singillatim tamen in genere humano à Deo plantata vinea, fuit Synagoga Judæorum. *Custodia Dei*, juxta Origenem, *fuit seps vineæ: turris, templum: torcular, locus libaminum sive altare.* De hac Dei custodia loquitur Isaias: *c.* 26. Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus & antemurale. Et apud Zachariam: *c.* 2. Absque muro habitabitur Jerusalem: ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu. Est & Angelorum custodia

Quomodo plantata?

Ejus omnimoda perfectio.

Conversa in pravum,

datur in direptionem.

Synagoga Judæorum, vinea singulariter à Deo plantata.

Cujus seps, custodia Dei,

& Angelorũ,

todia, seps: de qua Regius Vates: (*Ps.* 33.) Immittet, sive castra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et ruiùs Deus apud Zachariam: *c.* 9. Circumdabo domum meam, in Hebraico legitur, castra metabor domui meæ ex his, qui militant mi- hi euntes & revertentes Angelos utique denotat, quos Jacob vidit per scalâ ascendentes & descendentes. (*Gen.* 28.) Particulariter quoq; seps fuerunt Israëli lex & præcepta DEI, quibus muniretur & se in pietate ac cultu DEI vero contineret; quin & viri justi erant se- pes uti Loth in Sodoma, & populus Israël in Ægypto, quibus abeuntibus, & Sodoma & Ægyptus perierunt. (*Ex.* 10.) Lapides ex vinea collecti & ablati, fuerunt idola, peccata, & omnia debitæ Religionis impedimenta. Turris denotat & templum, & in eo doctrinam sacræ Scripturæ, atq; Doctores ac Legisperitos, qui excubias in vinea agere tenentur, tum etiam ipsum DEI cultum in templo. Fuit plantata à Deo vinea electa [*Jer.* 2.] Sorec, id est, optima, tempore patriarcharum Abrahæ, Isaac, & Jacob, ita ut Deus ab ipsis sibi nomen inderet tanquam viris sanctis, qui uvas & fructus bonorum operum Deo produxerunt. Sed postea ex vinea electa facta fuit labrusca, id est, vitis sylvestris, non uvas svaves & vinum dulce fidei, virtutum & operum bonorum germinans, sed uvas putridas & fœtentes, atque omphacium acetumque infidelitatis, injustitiæ, superbiæ, libidinis & aliorum vitiorum progenerans: etiam in cruce dilecto Domino acetum ac fel propinans. (*Matth.* 27.) Planè de vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis & botri amarissimi; fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. [*Deut.* 32.] Hic enim est dilectus Jesus, cui Canticum suum Propheta canit dicens: Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. [*Is.* 5.] Cornu symbolum potentiæ, signum Regiæ potestatis datæ Judæis in Davide; cornu quoque est forma sitûs Judææ, unde in cornu Syrus vertit, in angulo loci: & Arabs legit, in extremitate terræ, in qua jacet Palæstina. Pro cornu Pagninus vertit in colle; quia & cornu est excelsum, & in locis altioribus vineæ optimè plantantur apertæ ad Austrum, clausæ ad Aquilonem. Cornu vocatur filius olei, id est oleo abundans, olei ferax, vel pingve & fertile: acsi diceretur vineam plantatam in loco sublimi, non sterili sed fructuoso, evectam ad forte & potens Regnum instar cornu, simul & pingve, quia lacte & melle manans: (*Deut.* 6.) sed & copiâ olivarum dives: deniq; Regiâ & Sacerdotali dignitate, quæ olei unctione insignitur, eminentem. Hinc apud Zachariam *c.* 4. dicitur: Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori terræ, videlicet Princeps Zorobabel, & Sacerdos Jesus filius Josedec. Quin etiam Judæa filia olei, quod in lampade est materia ignis & luminis, quia per ipsam Deus, qui ignis (*Deut.* 4.) & lux est, (1. *Joan.* 1.) multis gentibus innotuerat. Hæc vinea propter infidelitatem suam non credens in Messiam, Christum à DEO missum nudata fuit sepe protectionis

Lex & præcepta Dei, Viri justi.

Quid lapides ex vinea ablati?

Quid turris?

Deus plantavit vineam electam,

ex qua postea facta est labrusca.

Cornu quid denotat? I. II. III.

Judæa filia olei.

Hæc vinea propter infidelitatem sepe nudatur;

Dei & Angelorum, qui ante obsidionem & excidiũ Jerosolymæ,
Josepho, in templo voces dabant: migremus hinc; acsi dicerent,
ravimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam. (*Jer*

deserta,

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, prophetavit ipsa D
na Veritas, (*Luc.* 13.) non putata, non fossa, quia inculta relicta;
nubes Apostolicæ imbrem Evangelij pluebant, ad gentes se tran
rendo, quod sic intelligi debere docet Joël Propheta: (*c.* 2.) d
vobis Doctorem justitiæ qui fuit Christus, & descendere ad vos f
et imbrem matutinum & serotinum. Hic autem dicit: (*Is.* 5.) nu

nubes non pluunt super eam imbrem.

bus mandabo, ne pluant super eam imbrem, nimirùm doctrin
cœlestem, pluviam voluntariam segregatam hæreditati suæ, (*Ps.*
illis nubibus quas admiratur Propheta; qui sunt isti qui ut nubes
lant? (*Is.* 60.) Apostolis missis in universum orbem. [*Matt.* 2.
De hac vinea fusè Regius Propheta in Psalmo suo 79. ubi ait: vi
de Ægypto transtulisti, videlicet populum Isráëliticum, ejecisti g
tes Chananæas, & plantâsti eam, & reliqua. Ipse quoque Chri
Dominus per modum parabolæ textum Isaiæ repræsentat dice
(*Mat.* 21.) Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam. Ho

S. Chrysost.

hic Deus est, qui dicitur *homo* juxta S. Chrysostomum, *similitudi*

Loco Synagogæ alia vinea, scilicet Ecclesia plantata.

non veritate; naturâ Dominus est, benevolentiâ Pater. Sed ecce
cò synagogæ alia vinea plantata est, Ecclesia Christi. Ad utramq
diversis temporibus à manè usque ad undecimam horam condu
& conducit operarios, (*Mat.* 20.) misit servos suos ad agricolas
colonos, deniq; & ipse Filius Dei missus est, quem finaliter ejecer
extra vineam, quia extra civitatem, & occiderunt. [*Mat.* 21.] H
hodie per missum à Deo Gabrielem Sanctissimæ Virgini Mariæ a

Christus vitis in vineam humani generis implantatur.

nuntiatur, & ab ipsa in utero conceptus est, (*Luc.* 1.) tanquam vi
in vineam humani generis, ac sigillatim electi populi Dei implant
tus, ipsâ auctrice, quia consentiente. Diffusa enim erat gratia in l
bijs ejus, (*Ps.* 44.) dicentis: fiat mihi. (*Luc.* 1.) *Idcirco etiam* tes

D. Hilarius. *Cur carnem assumpsit?*

D. Hilario, *Christus carnem assumpsit, ut illi quasi viti nos homin*
carnei, quasi palmites inseri possemus. Nihilominùs, dicente Sole D
ctorum, *quamvis Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen is*
gratiam palmitibus non præberet, nisi Deus esset. Per humanitate
est nobis implantatus, vim tamen palmites, id est, omnis generis f
deles & Sanctos producendi, habet ex Divinitate. Ego sum vitis ve
ra, inquit de se, (*Joan.* 15.) & Pater meus agricola est. Et iterùm
(*Ib.*) ego sum vitis vera, & vos palmites. Dicit vitis vera, spiritua
lis, electa, eximia, incorruptibilis, angularis, & præstantissima, cu
aliæ vites comparatæ, umbræ sunt vitium: veritatis fructum profe
rens, viti naturali simillima, quia omnes ejus qualitates & proprieta

Quare soli viti se assimilavit?

tes exprimens. Ac ideo nulli alteri arbori præterquam viti se assimi
lavit ex multis rationibus, quæ in vite sola unitim reperiuntur. Vit
enim est inter omnes plantas fæcundissima, cui uxorem compara
Psaltes dicens: (*Ps.* 127.) Uxor tua sicut vitis abundans. Fructu

suavissi

suavissimum & gustosissimum generat, ex quo exprimitur vinum lætificans cor hominis, (*Ps.* 103.) aliosque effectus causans adventûs Christi fructibus consimiles, mentem excitans, spiritus reficiens, vitam fovens, loco ligni vitæ serviens hominibus; germinans virgines (*Zach.* 9.) purissimas & immortales. Virgo enim semper virens symbolum est immortalitatis, & vitis est quasi virgo, cujus ænigma tale:

Fructus vitis suavissimus.

Applicatio moralis ad omnes vitis proprietates.

Vitis quasi Virgo.

Nolo toro jungi, quamvis placet esse maritam,
Nolo virum thalamo, per me mea nata propago est:
Nolo sepulchra pati, scio me submergere terræ;

Ænigma illius

quæ omnia viti conveniunt, uti & virgini ex parte. Ramos longè latèque diffundit, expandit, per quod Ecclesiæ Catholicæ universalitas designatur in figura populi Israelitici, dicente Prophetâ: [*Ps.* 79.] Extendit palmites suos ad mare, & usque ad flumen propagines ejus. Flores habet odoratos, inde dicit Epithalamium: (*Cant.* 2.) Vineæ florentes dederunt odorem suum; qui flores sunt virtutes in Christo. Folia possidet latissima, quibus facit umbram: quæ in Christo sunt gratiæ externæ conversandi, loquendi, evangelizandi, prophetandi, & Scripturas interpretandi. Ex vite tantò potentiora sentiuntur vina, quantò propior fuerit uva terræ. Sic Christi potentiam sensimus, quando descendit in terram, & ex ea carnem assumpsit. *Nec est ulli ligno æternior materia*, teste Plinio, *quàm viti*; qui etiam asserit, *vitem solam bis parturire, cùm primò emittit uvam, & iterum cùm digerit*: dicitque *vetustiores vites melius vinum producere, novellas verò copiosius*; quæ omnia possunt moraliter applicari. Certum est quòd vites multiplici, magnâ, eâque continuâ egeant curâ & culturâ. Oportet enim eas fodere, plantare, statuminare, alligare, pastinare, ablaqueare, stercorare, putare, defrondare, & alia; quæ etiam spiritualiter ad culturam Ecclesiæ vel animæ sanctæ, Christo tanquam viti insertæ, sunt necessaria. *Occidit vitem frigus gelu suo*: sunt & alia contraria viti, quæ recenset Plinius. *Læditur odore aut succi mixturâ raphanus & laurus vitem. Odit vitis caulem & olus omne, odit & corylum. Nitrum quoque & alumen, marina aqua calida, & fabæ putamina, viti ultima venena sunt.* Pari modo Ecclesia, vel anima sancta quasi emoritur frigore acediæ, nitro iræ, alumine odij, marinâ aquâ turbulentiæ: læditur raphano acerbitatis, lauro ostentationis, oleribus vanitatis, corylo æmulationis. Denique peculiaris vitium principatus est Italia, *ut eo*, teste Plinio, *omnium gentium bona vicisse videatur.* Sic vitis Ecclesiæ principatus, est Romæ in Italia in supremo Pontificatu. Interea quandoquidem Christus Dominus immediatè Eucharistiam instituerat, atque sub specie vini Sangvinem suum Apostolis dederat bibendum, & posteris fidelibus in sæcula sumendum reliquerat, ut eo quasi musto amore ejus exardescerent, unde & dixit: Manete in dilectione: manete in me, & ego in vobis; (*Joan.* 15) aptissimè vitem se nominavit, ut veluti palmes semper inhærens viti non permittit se ullo frigore, vento, fulmine, alijsque adversis

Ramos latè expandit,

Flores habet odoratos,

folia ejus latissima,

quò terræ propior, eò potentius vinum illius

Plinius.

Continuâ cultura eget,

frigore occiditur, læditur à varijs.

Principatus illius in Italia,

habet palmites sibi semper inhærentes.

versis ab ea avelli, sic Apostoli videntes Christum capi, pati, crucifigi, occidi, in fide & amore ejus persisterent, nec per hanc Passionem ac mortem se ab ipso separarent.

Christus Dominus in cruce vitem & uvas sibi appropriat

Deinde Christus progrediens ad passionem crucis, & mortis suæ terminum, optimè vitem cum uvis sibi appropriat; quia sicut ex calcata uva vinum excellens & sapidum exprimitur: ita ex calcato & attrito propter scelera nostra (*Is.* 53.) Christo, in torculari passionis & crucis expressus est sangvis, pretium redemptionis mundi, lytrum universi. Hinc dicit de se: (*Is.* 63.) torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum: quia ipse solus est Salvator & Redemptor mundi. Alludit quoque Christus Dominus ad Prophetiam Jacobi Patriarchæ, loquentis de Juda Primore Christi: ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ô fili mi asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sangvine uvæ pallium suum; pulchriores sunt oculi ejus vino. (*Gen.* 49.) Unde S. Hilarius inquit:

S. Hilarius.

Ad consummanda Passionis sacramenta exurgens, corporeæ assumptionis mysterium pandit, per quam & nos tanquam viti palmites insumus. Glossa quoque sic inducit loquentem: *Me præcedentem ad Passionem debetis sequi, quia ego sum vitis,* (Joan. 15.) *id est, ejusdem naturæ vobiscum.* Autor Tractatûs de Passione, qui S. Bernardo nô rectè attribuitur propter styli differentiam, dicit *vitem de vite natam esse Christum, quasi Deum de Deo, genitum Filium de Patre; sed ut majorem ferret fructum, plantatum in terra, in Beatissima Virgine Maria conceptum:* ubi omnes vitis conditiones Christo accommodat.

Qualis vitis Christus?

De præcisione autem vitis hæc profert. *Quomodo amputata fuit in Christo gloria? Cultro ignominiæ. Potentia? Cultro abjectionis. Voluptas? Cultro doloris. Divitiæ? Cultro paupertatis.*

Præcisio vitis.

Sed non minùs in Ecclesiastico (*c.* 24.) vitem se nominat Divina Sapientia, quæ Christus est. Ego quasi vitis fructificavi svavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis. Hic similitudine floris odorati & fructûs honorati se monstrat commendabilem tanquam vitem. Hæc ipsa Sapientia (*Prov.* 9.) immolavit victimas suas, miscuit vinum & proposuit mensam suam.

Mixtura vini quid denotat? I.

Mixtura vini quid denotat? Anastasius Nicenus ait: *Christus suam Divinitatem carni univit, tanquam vinum merum aquâ diluens.*

S. Hiero. II.

Sanctus verò Hieronymus inquit: *Sapientia in cratere misto prætereuntes ad se convocat. Corpus Domini, craterem magnum debemus accipere, in quo non meraca Divinitas ut in cælestibus fuit, sed propter nos humanitate mediâ temperata est, & per Apostolos in scyphos parvulos & crateres in toto orbe credentibus effusa est.* Sapientia quidni misceat vinum, quando in Sacrificio Missæ aqua affunditur, uti de latere Crucifixi sangvis & aqua profluxit? *Joan.* 19)

S. Greg. III.

Christus præceptorum suorum poculum, juxta S. Gregorium, *ex narratione Historica & intelligentia spirituali contemperavit; Ecclesiam enim suam ex Judæis velut mero, ex Gentibus velut aqua in unum commiscuit*, ex sensu Cæsarij Arelatensis.

Quid aqua vino mista?

Cæterùm aqua vino mista, potest etiam denotare, Deum suis fidelibus adversa cum prosperis miscere

nscere. Ast quò deflexímus? Annuntiatio est hodie Beatissimæ V. Mariæ. Conceptio est Filij DEI Caro facti in utero ipsius. Et sic bnè. Utiq; implantatio est vitis in ipsa velut vinea. Sic eam nominat S. Damascenus: *Vinea uberrima ex Anna pullulavit, atq; uvam suavissimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitã æternam. Vinea*, idem asserit, *cujus spirituales cultores fuerunt inspiratio Divini, Patris potentia, Filij sapientia, Spiritûs Sancti disciplina, monitio Angelica, propria diligentia, & Patris ac Matris doctrina.*

Beatissima Virgo vinea, S. Damas.

Vinea facta & electa à Domino, qui eam primò plantavit in radicibus, id est, in antiquis Patribus per virtutum ipsorum imitationem; quia præceptum Beatissimæ Virgini fuerat à Domino: in electis meis mitte radices. (*Eccli.* 24.) In Abraham fides & obedientia, in Isaac spes & patientia, in Jacob charitas, & in Davide humilitas. Istæ fuerunt radices Beatissimæ Virginis, & ex istis radicibus incepit ipsa pullulare mediantibus Parentibus Annâ & Joachim.

plantata à Domino in radicibus.

Quæ quales?

Hæc vinea hodie visitata in Angelica missione; ideo ipsa Beatissima Virgo orabat dicens: [*Ps.* 79.] Respice de cœlo, & vide & visita vineam istam, & perfice eam quam plantauit dextera tua. Hæc vinea floruit, quãdo Salvatorem concepit, ubi virga de radice Jesse egressa florem habuit ascendentem; (*Is.* 11.) fronduit, quando obumbrans ei Altissimi virtus, (*Luc.* 1) & Angelis & hominibus mysterium occultavit; fructificavit, quando quẽ sinè contagione conceperat, sine dolore partu produxit.

Vinea ista hodie visitata per Angelum, floruit in conceptione, fronduit, obumbrante virtute altissimi, fructificavit in partu.

Vinea pacifico, id est Christo, qui vera vitis voluit in ea germinari. *Beatorum propago*, juxta Honorium Augustodunensem. *Vinea pro cujus fructu vir affert mille argenteos*, (Cant. 8.) *hoc est, quivis fidelis omnia, quæ habet dat, ut fructum hujus vineæ Christũ lucrifaciat. Vinea nostra*, ex mente D. Alberti Magni, *quæ floruit, quia vulpes parvulæ, hoc est, peccati motus nihil in ea demolitæ sunt.* (*Cant.* 2) *Vinea* secundùm Ernestum Pragensem, *quam plantavit Noë, id est Deus, bibensq; vinum devotionis ejus, inebriatus est, & nudatus jacuit in tabernaculo* [Gen. 9.] *uteri Virginalis. Vinea* docente Dionysio Cartusiano, *de qua in Canticis*; (c. 8) *vinea mea coram me est. Nam Virgo Beatissima ab æterno valde specialiter fuit in prædestinatione & in luce sapientiæ atq; in bonitate complacentiæ Dei, & gratiosissimè fuit cum ea specialissimam habens curam ipsius. In assumpta quoque humanitate filialiter & familiarissimè cum ipsa conversatus est.*

D. Alber. M.

Ernes. Prag.

Vinea quam tradidit Deus custodibus, id est Angelis sanctis custodiendam, non ne peccaret, quia erat in bono confirmata in tantum, quòd nec venialiter posset peccare; sed ad reverentiam ejus & consolationem, ad profectum ejus atque obsequium. Sub cruce quoque eam tradidit Sancto Joanni Apostolo & Evangelistæ custodiendam; (*Joan.* 19.) similiter Principi Apostolorũ tanquam totius Ecclesiæ Præsuli ac Prælato fuit humillimè subjecta.

Hæc vinea à Deo ad custodiendum tradita Angelis, S. Joanni Apostolo, & S. Petro.

Vinea Engaddi botrum cypri dilectum producens, (*Cant.* 1.) simul quoq; & vitis docente Sancto Hildefonso: *Mater Domini quasi vi-*

Vinea Engaddi.

tis fructificavit suavitatem odoris, & protulit cunctis gentibus fru honestatis & gratiæ. (*Eccli.* 24.) Planè flores ejus fructus honoris & honestatis; (*Ib.*) flos virginitas, fructus fœcunditas; & sic est t

Flos & fructus illius quales?

flos quàm fructus simul, quia in ea est Virginea fœcunditas & fœ da Virginitas, omni honestate conspicuâ & omni honore veneran

D. August.

O miracula! ô prodigia! exclamat D. Augustinus, *naturæ jura mu tantur; in homine Deus nascitur, Virgo sinè viro gravidatur, ut nesciam sermo Dei maritat: simul facta est Mater & Virgo, Ma facta sed incorrupta, Virgo habens Filium sed nesciens virum, se per clausa sed non infœcunda. Deum hujusmodi decebat nativitas,* it

S. Bernard.

mellifluus Doctor noster, *quâ nonnisi de Virgine nasceretur. Ta congruebat Virgini partus, ut non pareret nisi Deum.* Viris erat,

Beatissima Virgo vitis,

Deipara juxta S. Antonium Paduanum, *in qua erant tres propa- nes, crescens paulatim in gemmas, & post flores uvis maturescen.* (*Gen.* 40.) Tres propagines ejus fuerunt, Angelica salutatio, Spi-

cujus tres propagines.

tûs Sancti superventio, & Filij Dei inenarrabilis conceptio, ex quib propaginata proles fidelium, quotidie per totum mundum fide pr- paginatur & multiplicatur. Gemmæ humilitas & virginitas, flor

Gēmæ, flores & botri illius.

fœcunditas sinè corruptione, partus sinè dolore. Botri uvarnm pa- pertas, patientia & abstinentia. Vitis quæ germinavit vinum germ- nans Virgines. (*Zach.* 9.) Occurrit mihi nunc quintum verbum De-

Quintum Mariæ verbum in nuptijs Canæ Galilææ,

paræ Virginis in nuptijs Canæ Galileæ prolatum ad Filium ex mi- ricordia tanquam Advocatæ pauperum: vinum non habent. (*Joa.* 2.) *Equidem vinum in primis nuptijs Adami & Evæ deficiens,* ju- ta Rupertum, *fuit status innocentiæ per ipsos deperditus.* Ita prim Patres nostri comederunt uvam acerbam, unde usq; nunc dentes fi- liorum obstupescunt. [*Jer.* 31.] Non habemus vinum gratiæ Divin concepti & nati in peccatis, quis illud procurare potest? Mater gr- tiæ, gratiâ plena, & adhuc semper inveniens gratiam. [*Luc.* 1.] Se fortassè quis reprehensionem aliquam in responso Christi dicenti

Quid mihi & tibi est mulier, S. August.

quid mihi & tibi est mulier, nondum venit hora mea; (*Joan* 2) co siderabit. Verùm audiamus S. Augustinum: *Dicta est mulier secun dùm fœmineum sexum, non secundùm corruptionem integritatis.* Au

qualiter accipiendum? I. II. III.

diamus Euthymiū: *non dixit, Mater, sed mulier, tanquam Deu* Audiamus V. Bedam: *significat se Divinitatem, quâ miraculum era patrandum, non temporaliter accepisse de Matre, sed per æternitate semper habuisse de Patre.* Acsi dicat, ait Glossa interlinearis: *quid e commune Deitati meæ, & tibi Matri secundùm carnem? Non t*

IV.

genuisti Deitatem meam, inquit S. Augustinus, *quæ facit miraculum.*

S. Chrys. V.

S. Chrysostomus addit: *ita loquitur, ne suspectum esset miraculum, f ctum & ex composito simulatum. Ab his enim qui indigebant, roga oportuerat, non à Matre. Illa tamen ex innata pietate, & necessar charitate breviter innuit defectum vini. Et is quidem sermo,* S. Pat

D. Bern. VI.

noster ait, *certissimus index ingenitæ mansuetudinis, & Virginal verecundiæ fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans, sust*

ne

ere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Manifestè jam ideo, subinfert idem Doctor noster, quòd non velut indignans, aut nfundere volens teneram Virginis Matris verecundiam dixeris: uid mihi & tibi; (Joan. 2) sed propter nos, ut conversos ad Domium jam non sollicitet carnalium cura Parentum. Prævidens tamen quod petijt impetraturam, dixit ministris: (Ib.) quodcunque dixet vobis, facite. Unde S. Chrysostomus: Licèt ita responderit, Marnis tamen precibus obtemperavit, ut Matri honorem exhiberet, & on contumax videretur Matri, neve Genitricem tam multis præsenbus pudore afficeret. Et S. Cyrillus: quantus honor debeatur Parenbus, ostendit, cùm statim ad actum propter Matrem accedit. Et Euymius: nam quòd eam honoraret, & ex alijs multis manifestum est, ex eo, quòd ipsius complevit exhortationem. Optimè Sanctus Gauentius Brixianus: non mandaret Mater: (Joan. 2) quodcunq; dirit vobis facite, nisi Spiritu Sancto post partum plena, faciendi à hristo vini ex aqua universum ordinem prævidisset. Cur? Quia diffsa erat gratia in labijs ejus. (Ps. 44.) Jam ergo sequamur exemum Sancti Doctoris nostri, qui inquit: [cum quo & ego indignus em dicere possum] hìc nonnunquam vinum deficit, gratia scilicet votionis & fervor charitatis. Quoties mihi necesse est Fratres, post crymosas querimonias vestras exorare Matrem misericordiæ, ut sugrat suo benignissimo Filio, quoniam vinum non habetis. (Joan. 2.) t ipsa, dico vobis Charissimi, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit cessitati nostræ, quoniam misericors est & Mater misericordiæ; pulntibus aperiet sinum pietatis, & impleri faciet hydrias nostras aquâ fertas, bono vino servato usq; adhuc, (Ib.) usq; ad finem seculorũ. remus igitur cum mellifluo Patre nostro: defecit vinum in cadis stris; vinum scilicet lætificans cor hominis, (Ps. 103.) de quo Proeta: quod germinat Virgines. (Zach. 9.) Hujus pincerna Tu, vellifera Tu, vexilla Regis prodeunt in nobis Te agente pro nobis. Ca in manu Tua, (Ps. 74) in potestate Tua, vini meri, amoris Dini; calix hujus vini inebrians quàm præclarus est! (Ps. 22) inebri ad contemptum mundi, calefacit quia ferventes facit, acuit quia udit, audaces facit contra adversa, fortes & invincibiles à carne, undo, & dæmonibus; obliviosos eorum, scilicet quæ retro sunt, & in tura extensos, discretos, quia erudit ad justitiam, somnolentos ad mporalia, & tædiosos, ad invisibilia verò contemplanda pronos & omptos. Concludo verbis nostris. O Vinea! ô Vitis Veræ Vitis ater! in cujus non tantùm labijs gratia diffusa est, (Ps. 44) sed & tota anima. Non habemus vinum gratiæ Divinæ, Tu illud nobis npetra, ut positi in vera vinea Ecclesia Dei, ex labruscis malæ vitæ stræ omphacium & acetum procedens à nobis propellamus, & ex tris bonæ vitæ bonum vinum proferamus, adeoque tanquam vivi lmites Viti Veræ Filio Tuo implantati, per ipsum, cum ipso, & ipso fructum bonorum operum faciamus in vitam æternam.

Idem. VII.

S. Chrysost. VIII.

S. Cyrill. IX.

Euthymius. X

S. Gaudentius. XI.

S. Bernardus.

Ad obtinendũ gratiæ vinum Misericordiæ Mater imploranda.

Idem.

Sermo in Feſto S. Benedicti.

Specioſus formâ præ filiis hominum. Pſalm. 44.

SAnctus Benedictus *Vir vitæ venerabilis*, *gratiâ benedictus &* *nomine*, teſte Summo Pontifice D. Gregorio Magno, quidni tam in ſe, quám in prole ſua fuit ſpecioſus, normam hujus ſpeciei in Regula ſua deſcribens & effigurans? PP. RR. FF. DD. Et quidem in ſe, *ſoli Deo placere cupiens*, religioſam rigoroſè tenuit diſciplinam, per quam ad ſummum perfectionis apicem pervenit, adeò ut etiam virtutes magnorum Patriarcharum, Abrahæ, Iſaaci, Jacobi, Moyſis, Eliæ ac Eliſæi in ſuo pectore complecteretur. In prole autem ſua, e-orundem Patriarcharum benedictionem adeptus eſt, imò benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, (*Eccli.* 44.) quando per totum terrarum orbem longè latèq; ſub Regula ipſi⁹ militantia Aſceteria collocavit, ita ut de ipſis juremeritò dici poſſit illud Scripturæ ſacræ encomium: Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael, ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri propè aquas! [*Num.* 24.]

S. Benedictus quomodo in ſe, quomodo in prole ſua ſpecioſus?

Omnis autem pulchritudo iſta profluxit ex accurata Regulæ illi⁹ ſanctæ obſervantia, quæ tanquam diſcretione præcipua, cuncta decori lineamenta manifeſtat. Porrò habitationes Religioſæ benè tabernacula vel tentoria nominantur, quia hæ ſpecialiter ſerviunt itinerantibus & militantibus; in vita autem Religioſa & Regulari ſigillatim iter peragitur ad cælum, ac ſoli Deo militatur: quantumvis generatim omnes homines non habemus hìc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus; [*Heb.* 13.] & militia eſt vita hominis ſuper terram. (*Job* 7.) Multipliciter tamen ſumitur in Scriptura ſacra nomen tabernaculi, ita ut etiam per illud non tantùm portatiles, ſed & ſtabiles intelligantur manſiones, prout ex diſcurſu patebit. Quadruplex autem ſimilitudo tabernaculis Regularibus applicatur. Prima eſt comparatio ad valles nemoroſas, in quibus magna cernitur arborum viriditas, pulchritudo, diſpoſitio, obumbratio, & refrigerium. Secunda ad hortos juxta fluvios irriguos, ſemper virentes, & dantes fructus copioſos in tempore ſuo. Tertia ad tabernacula, quæ fixit Dominus, ſolida nimirùm, firma & immutabilia, utpote à *Deo*, qui de ſe dicit: (*Mal.* 3.) Ego Dominus & non mutor; fixa & ſtabilita. Hanc tamen ſimilitudinem vertit Chaldæus & Vatablus, ita ut pro tabernaculis dicat Caſſiam, vel arbores aromaticas, quas plantavit Dominus. Quarta aſſimilatio tabernaculorum eſt ad cedros juxta aquas; *Num.* 24.) arbores nimirùm proceras, excelſas, odoriferas, ac imputribiles, ſitas propè aquas, ſupercæleſtes illas, ab ipſo Deo profluentes. Nec enim eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. *Deut.* 4) O præſtantiſſima idea Monaſteriorum Ordinis D. Benedicti, vel Ordinum ſuper Regulam ejus fundatorum, velut tabernaculorum à Deo

Pulchritudo iſta unde?

Habitationes Religioſæ, benè tabernacula nominãtur.

Quadruplex ſimilitudo tabernaculis Regularibus applicata. I.

II.

III.

IV.

Deo fixorum! in quibus valles amœnæ & horti fructiferi cernuntur; ubi justi ut palma florent, sicut cedrus libani multiplicantur, (*Ps. 91.*) habentes copiosum decursum aquarum, nimirùm abundantiam gratiarum Spiritûs Sancti; nam fluminis impetus lætificat civitatem Dei, & sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. (*Ps. 45.*) Verè de singulis Monasterijs dici potest illud Apocalypseos: *c. 21.* ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Et quidem tabernaculum tale fuit humanitas Christi, in qua habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter: [*Col. 2.*] fuit Beatissima V. Mater ejus, in qua velut Sole posuit tabernaculum suum per novem menses, & ex qua fuit procedens tanquam sponsus de thalamo suo. (*Ps. 18.*) Unde meritò ipsa de se loquitur: *Eccli. 24.* Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Est quoque tale tabernaculum Dei cum hominibus [*Ap. 21.*] Ecclesia militans, est Ecclesia triumphans; sunt Ordines & Congregationes Religiosorum, sunt singuli fideles justi, in quibus Deus inhabitat & inambulat, uti habetur in Levitico, *c. 26.* ubi ipse Deus pollicetur: Ponam tabernaculum meum in medio vestrî, ambulabo inter vos & ero Deus vester, vosque eritis populus meus. Tale tabernaculum fuit & ipse Divus Legislator noster, Deum in se habitantem semper possidens, per quem & Divina patravit miracula, & multa prædixit futura. Quid quòd totum mundum in uno solis radio collectum conspexit? Super quo Divus Gregorius inquit: *quòd ipsi videnti Creatorem angusta erat omnis creatura.* Totus orbis erat admodum in conspectu D. Benedicti, *quem quasi aridum cum flore despexit, ut soli Deo placere cupiens soli ipsi intenderet & adhæreret.* Verè fuit sollicitus cum Regio Vate dicens: (*Ps. 131.*) Si introiero in tabernaculum domûs meæ; quam deseruit, quando *relictâ domo rerumq; Patris, sanctæ conversationis habitum quæsivit:* si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & requiem temporibus meis, *Ib.* terrâ pro cubili utens, & insomnes noctes ducens, donec inveniret locum Domino, tabernaculum Deo Jacob, *Ib.* Ordinem nimirum à se institutum velut tabernaculum Dei. Jam verò ut quis possit esse tabernaculum Dei, quatuor ad hoc requiruntur conditiones. Primò ut erigatur & elevetur per cœlestem contemplationem. Proprium enim tabernaculorum est, seorsùm erigi, & in locis eminentibus collocari, atq; adinstar pyramidis superiùs acuminata extolli: quidni forma humanæ staturæ signatur, quæ non deorsùm instar brutorum, sed sursùm ore in sublime posito debet cælum spectare? Norma quoque hic traditur contemplationis ad cælestia elevandæ, ut pyramidaliter instar ignis tendat: quod fit, quando in meditatione exardescit ignis (*Ps. 38.*) Divini amoris. Deinde tabernaculum debet ornari pulchrè per honestam conversationem. In tabernaculo fœderis omnia erant aurea, Arca, propitiatorium, mensæ, laminæ, Cherubini ex auro purissimo. Quid pretiosius, quid speciosius auro? Decor conversationis honoratæ nihil monstrat nisi aurũ dilecti-

Pulchritudo tabernaculorũ Regularium.

Humanitas Christi tale fuit tabernaculum, fuit Beatissima Virgo,

est Ecclesia militans, & triumphans, cum Religiosis Ordinibus,

fuit & D. Benedictus.

S. Gregorius.

Ut quis Dei sit tabernaculum, quatuor conditionibus opus:

I.

II.

III. onis ad invicem. Ulteriùs necesse est, ut claudatur tabernaculum per virtutum occultationem. Operuit nubes tabernaculũ testimonij, dicit Exod9, c. 40 & gloria Domini implevit illud. Diligens custodia clausuræ sit, & humilis abscondat & tegat gloriã Domini, quæ in perfectione virtutum nidulatur. Aliàs per inanem gloriam virtus perditur, & pulveres præsumptionis ac superbiæ inficiunt illud, si non sit coopertum. De tabernaculo fœderis refert Exodus, quòd tribus operimentis erat opertum. Primò sagorum, quæ de pellibus caprarum pungentibus fiebant, & denotant timorem mortis valde pungentem, & corpus fætidum instar capræ facientem. Secundum opertorium erat pelles arietum rubricatæ, signantes timorem inferni, ubi rubor igneus & furor sangvineus invenitur. Tertium velamentum erat ex pellibus hyacinthinis coloris cærulei sive cælestini, designantibus amorẽ cœlestis gloriæ. Hæc tria, mortis timor, horror inferni, & amor cæli debent tabernaculum Dei in nobis claudere & velare, atque à cunctis evagationibus constringere & arcere. Fortasse huc illud, (*Mt.* 17.) faciamus hic tria tabernacula, posset applicari. Non igitur in virtutibus nostris debemus esse aperti sed operti, non ad apparentiam exculti, sed per humilitatem occulti; non per inanem gloriam elati, sed per exinanitionem nostri sublati. Postremò opus est ut semper tergatur & purgetur tabernaculum per culparum abdicationem & expiationem. Quis enim sordidum, peccatis infectum, abominationibus repletum Deo omnis puritatis authori & amatori præsentabit tabernaculum? Tales sunt de quib9 dicitur: polluerunt tabernaculum nominis tui; (*Ps* 73.) unde mox nubes puritatis, nimirùm nubes mundans & purificans recessit quæ erat super tabernaculum. Ac ideo si volumus esse tabernaculum DEI, habeamus munditiæ puritatem, custodiam humilitatis, virtutum decorem, & contemplationis ardorem. Hæc eminenter in Beatissimo Patriarcha nostro excelluerunt, quæ sat superque tam vita ipsius, quàm Regula vitæ Monasticæ, atque in ea singillatim instrumenta bonorum operum manifestant. Puritas ejus patet, quòd *ab ipso pueritiæ suæ tempore nulli animum dederit voluptati*, unamque cogitationem impuram, totius corporis in spinis & vepribus volutatione castigaverit. Custodia humilitatis elucet, quando plùs appetijt mala mundi perpeti quàm laudes; latere malui in specu & nesciri, quàm vitæ hujus favoribus extolli, benè sciens suas abscondere & celare virtutes, in quibus quàm decorum & speciosum fuerit tabernaculum ejus, quis edisseret? Verè pulchritudinis studium habuit, quando dilexit decorem domûs Dei, (*Ps.* 25.) tam interioris in anima, quàm exterioris in Ecclesia. Erectionem verò ejus ad cœlestia per contemplationem quis penetrabit? Quando non tantùm in uno solis radio totius mundi conspexit compendium idque de nocte, sed & animam Sororis suæ Scholasticæ in columbæ specie vidit secreta cœli penetrare; & Sancti Germani Episcopi Capuani animam intuitus est ab Angelis in sphæra ignea in cœlum deferri. D

IV. *Tabernaculũ fœderis tribus operimentis tegebatur.* I.

II.

III.

Tabernaculũ Dei, tria in nobis claudere ac velare debet.

Hoc quomodo purgandum e

S. Benedicti puritas, humilitatis custodia,

Studium pulchritudinis,

Contemplatio cælestium.

xi antecedenter tabernaculum esse duplex, portatile videlicet plicabile & temporale: esse quoque stabile, fixum & æternum. De primo loquitur Rex Ezechias: (*Is.* 38.) generatio mea ablata est, & convoluta est quasi tabernaculum pastorum. Sicut enim pastores complicant & mutant tabernacula, ita mors corpora nostra, quæ sunt animæ tabernacula, transfert. Hoc ipsum Princeps Apostolorum innuit: (2. *Pet.* 1.) velox est depositio tabernaculi mei. Quid mirum corruptibile corpus ex terra ortum, esse adinstar tabernaculi transitorij, quando de ipsa terra prophetat Isaias: (*c.* 24.) agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum unius noctis? Dat causam Vates: *Ib.* gravabit eam iniquitas sua, & corruet, & non adjiciet ut resurgat. Hæc est terra, quæ devorat habitatores suos, *Num.* 13. homines terrenos, terrigenas, terræ adhærentes, terrena sectantes, cœli obliviosos. In hac juxta Jobum, *c.* 12 abundant tabernacula prædonum, divitum & potentium, qui audacter provocant Deum, cùm ipse dederit omnia in manus eorum, qui inde præsumunt & dicunt: manus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia; [*Deut.* 32] vel infernalium latronum, de quibus Job (*c.* 19.) asserit: quòd obsederint in gyro tabernaculum ejus. Inde venit vastatio juxta Jeremiam: (*c.* 4.) vastata est omnis terra, repentè vastata sunt tabernacula mea, subitò pelles meæ. Veniunt incendia super Babylonem, de qua idem Propheta: (*c.* 51.) commovebitur terra & conturbabitur, quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, ut ponat terrã Babylonis desertam & inhabitabilem: & post pauca: incensa sunt tabernacula ejus, contriti sunt vectes ejus. In hac terra onager ferus reperitur, figura mundi dissoluti, cui data in solitudine domus. Quin & ipse mundus desertum est, Deum deserens, à Deo desertus; & meritò, quia sapientia mundi inimica est Deo. (1. *Cor.* 3.) Sed & mundus benè dicitur solitudo, quia ibi verè est solitudo ubi Deus non est; hinc & ipse Filius Dei dicit: ego non sum de hoc mundo. (*Joan* 8) Porrò tabernacula hujus onagri sunt in terra salsuginis, [*Job* 39] quia in pruriente & salaci voluptate mundus hic immundus subsistit. Ab hac terra sic constituta, & mundo ejus inhabitatore fugiendum nobis est, fugiamus Babylonem terram confusionis, eligamus abjecti esse in domo Dei magìs, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, (*Ps.* 83.) & rogemus Deum ut nos abscondat in tabernaculo suæ protectionis, ut non appropinquet malũ tabernaculo animæ nostræ, imò in die malorum protegat nos in abscondito tabernaculi sui, (*Ps.* 26.) gratiæ suæ peculiaris prævenientis & subsequentis, ut tandem possimus dicere cum Propheta Regio: transibo in locum tabernaculi admirabilis usq; ad domum Dei. (*Ps.* 41.) Hoc est secundum tabernaculum, cœlum, de quo Deus: (*Act.* 7.) cœlum mihi sedes est, verè admirabile, cujus pulchritudinem non tantùm admirari, sed & desiderare oculus potest universorum. De hoc Isaias: (*c.* 40.) qui extendit velut nihilum sive rem tenuem; alius legit nebulam, alter

Tabernaculum duplex:

I. Terra,

quæ habitatores suos devorat,

in qua abundant latrones infernales,

quam ferus onager inhabitat,

Terra hæc & habitatores ejus fugiendi

II. Tabernaculum, Cœlum,

S. Chrysost. cortinam, 70. vertunt cameram, cœlos; quod S. Chrysostomus in terpretatur: *Deum ita facilè creâsse cælos, acsi faceret pulveris atomum tenuissimum.* Prosequitur Propheta: *Ib.* Et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Hoc tabernaculum est fixum, immobile, quod fixit Dominus, de quo Esaias: *c. 33.* Respice Syon civitatem solennitatis nostræ, oculi tui videbunt Jerusalem; illam utique quæ sursùm est, liberam, quæ est mater nostra; (*Gal. 4.*) habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & funiculi ejus non rumpentur; quia solùm ibi magnificus est Dominus noster. (*Isa. 33.*)

quod est æternum, Est æternum, dicente ipsâ Veritate: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. (*Luc. 16.*)

splendidum, Est splendidum, nec unquam obfuscandum, quia in sole posuit tabernaculum suum ille, [*Ps. 18.*] qui lucem habitat inaccessibilem. (1. *Tim. 6.*)

sanctum, plenū lætitiæ, Est sanctum & incontaminabile, quia sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. (*Ps. 45.*) Est plenum lætitiæ & jucunditatis, quia vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum. [*Ps.* 117.]

pulchrum, securum, Est pulchrum & decorum, juxta superiorem textum: [*Num.* 24.] Quàm pulchra tabernacula tua Jacob. Est securum & inexpugnabile, quia sedebit populus meus, ait Deus apud Isaiam, (*c. 32.*) in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.

amabile. Est amabile & desiderabile, ita ut jure exclamandum sit cum Rege Prophetarum: (*Ps. 83.*) Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Est tabernaculum amplius & perfectius, non manufactum, non hujus creationis, (*Hebr. 9.*) sed est Sancta Sanctorum, æternâ Christi redemptione inventa, in quæ Pontifex futurorum bonorum introivit, [*Ib.*] & nos illuc introducit.

In hoc tabernaculo quis habitabit? Sed ecce Vates Vatum sanctissimus interrogat Deum: (*Ps. 14.*) Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Nullus equidem, nisi qui fuerit hic in terris tabernaculum Dei, quemadmodum D. Pater noster Benedictus. Quem hìc Deus inhabitat, ille ibi cum Deo habitabit. Qui in hac peregrinatione solo corpore constitutus, totâ cogitatione & aviditate in illa æterna Patria conversatur, huic meritò cælum confertur.

S. Benedict9 Audiamus ipsum S. Legislatorem in Prologo Regulæ nos docentem:

Quomodo ad illud perveniatur? *quodsi volumus in cælestis regni tabernaculo habitare, nisi illuc bonis actibus currendo minimè pervenitur.* Ubi etiam ex Psalmo ostendit viam ipsius tabernaculi, tandem concludit: *Cumq; interrogassemus Dominum Fratres de habitatore tabernaculi ejus, audivimus habitandi præceptum: sed si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cælorum.* Quidni ipsemet & viam tabernaculi perfectè tenuit, & habitatoris officium complevit, & seipsum Deo exhibuit tabernaculum Deo speciosum?

Cuj9 virtute? Cæterùm cujus virtute ad tabernaculum cæleste perveniatur, videtur insinuare Regius Propheta, dicens: (*Ps. 42.*) Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt

duxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Lux Christus, (*Joan.* 12.) Spiritus Sanctus est Spiritus veritatis: (*Joan.* 14.) hi sunt duo deductores & adductores nostri, á Deo pro nobis dati. Cæterùm & ipse qui lux est, est & Veritas; (*Ib.*) est Verbum Dei plenum gratiæ & veritatis. (*Joan.* 1.) Gratia (quæ etiam lux est) & veritas per Jesum Christum facta est. (*Ib.*) Utrumq; requiritur, ut quis fiat & sit tabernaculum Dei. Uterque, Filius Dei & Spiritus Sanctus debent inhabitare illum, qui vult ad montem Dei & ejus tabernacula pervenire. Hosce inhabitatores quidni habuit D. Patriarcha, qui & Deum dilexit, & sermones ejus servavit? *Joan.* 8) Unde in ipso verificata fuit promissio Filij Dei: Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Joan.* 14) Haud dubiè & Spiritus Sanctus requievit super ipsum humilem & quietum, & trementem sermones Dei. (*Is.* 66.) Sed ecce in initio Sermonis laudantur tabernacula Jacob, & tentoria Israel. Equidē D. Benedictus erat pulchrum tabernaculum Jacob, quia fuit supplãtor mundi, carnis, diaboli ejusque vitiorum; pulchrum tentorium Israel, quia fuit prævalens hostibus, potens in virtute, dominans cum Deo, videns Deum. Hinc moriens viam habuit apertam ad cælum, certè speciosam, quia luminaribus refertam, via enim lucida recto Orientis tramite ab ejus cella in cælum usque protendebatur. Hæc est via, teste cælesti indice, quâ dilectus Domini Benedictus ascendit in æterna tabernacula. *Ibi præmium ejus est videre Deum*, prout Mellifluus Doctor noster speciositatem cæli describit, *vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo esse de Deo, qui erit omnia in omnibus; habere Deum, qui est summum Bonum. Et ubi est summum Bonum, ibi est summa felicitas, summa jucunditas, summa libertas, perfecta charitas, æterna securitas, & secura æternitas Ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo. Ibi est pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gloria, laus, requies, amor, concordia, dulcedo, vita perennis.* Concludo cum exclamatione Divi Augustini: *O vita, quam præparavit Deus his, qui diligunt illum! Vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, vita nescia tristitiæ, vita sine labe, sinè corruptione, sine anxietate, sine perturbatione, sinè mutatione. Vita totius elegantiæ & dignitatis plenissima, ubi non est adversarius impugnans, nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus & timor nullus, ubi dies æternus & unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hôc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. O tu vita felicissima! ô regnum verè beatum! carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum.* Antequam illuc perveniamus, sumus interea in tabernaculo Ecclesiæ militantis, ubi hoc agendum primariò nobis est, quod de se dicit Psaltes: Circuivi & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis, (*Psalm.* 26.) vel jubilationis, ut continuò cantemus, &

Filius Dei, & Spiritus S. inhabitare debēt volentem ad Dei tabernacula pervenire

D. Benedictus erat pulchrum tabernaculum Jacob, & tentorium Israel. In quo?

Typus æternæ beatitudinis ex S. Bernardo.

ex S. Augustino.

Quid faciendum nobis in tabernaculo Ecclesiæ militantis?

psalmum cantemus Domino. (*Ps.* 26.) Hoc enim primarium officium est omnium nostrûm, qui sumus D. Benedicti sequaces. Utinam id semper usque ad finem vitæ quàm optimè persolvamus, nos ipsos simul hostias viventes, sanctas, Deo placentes eidem immolando, (*Rom.* 12.) In tabernaculo veteris testamenti fuit primò atrium, deinde Sanctum, tandem Sanctorum Sancta. In tabernaculo novi testamenti, quæ est Ecclesia, sunt incipientes, sunt proficientes, sunt perfecti, qui Sancta Sanctorum cum Christo & S. Benedicto ingrediuntur. Utinam meritis & intercessione Divi Patriarchæ nostri omnes tam in statu spirituali quàm sæculari, in Ordine nostro sigillatim, ac Monasterio simus hic in terra perfecti, sim' speciosa, nimirùm pura, virtuosa, secreta & erecta sursùm tabernacula Dei, ut cum animabus agonizantibus & purgantibus in illa cælestia, ad illam vitam beatam & perennem transferri mereamur.

Sermo in Ascensione Domini.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psalm. 44.

REgem nostrum post Resurrectionem suam Victorem omnium hostium, nimirùm mortis utriusque, corporalis & spiritualis, quæ est peccatum, ejusq; authoris diaboli, & fautorum illiu', mundi ac carnis debellatorem simul ac triumphatorem jam regnantem, Dominum decore gloriæ indutum ac fortitudine, *Ps.* 92. Rex Prophetarum speculatus, ascensum quoq; ipsius ad Thronum Majestatis Regiæ multifariàm repræsentat. PP. RR. FF. DD. Ac primùm currum

Regis ascendentis currus triumphalis.

triumphalem indigitat nubem dicens: (*Ps.* 103.) Ponit nubẽ ascensum suum Dominus, qui ambulat super pennas ventorũ; nubes enim suscepit eum ab oculis Apostolorum atque credentium discipulorum.

Vectores illius quales?

(*Act.* 1.) Vectores innuit Cherubinos: (*Ps.* 17.) Ascendit super Cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum.

Quà,

Quà porrò ascendit, explicat: [*Ps.* 67.] qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi;

quò,

& quò ascendit, docet: qui ascendit super cœlum cœli; &

per quam mundi plagam ascendit &

per quam plagam mundi, aperit dicens: ad Orientem. Solennitatem verò ascensionis manifestat: (*Ps.* 46.) ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ. Occursum cœlestium ad augmentum pompæ demonstrat in triumpho: (*Ps.* 67.) currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium spirituum Angelicorum, Dominus in eis in Syna in Sancto.

Comitatus ascendentis.

Deniq; comitatum ascendentis Regis exponit: *Ps.* 67 ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem; & fructum ascensionis declarat: accepisti dona in hominib', quod Apostol' legit: dedit dona hominibus. *Eph.* 4. Ipsum autem Regem ac Dominum consideremus qualis sit, inquiens: Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confessionem ac decorem induisti; (*Ps.* 103.) verè speciosus formâ præ filijs hominum, (*Ps.* 44.) amictus lumine sicut vestimento. [*Ps.* 103.] Tandem post omnia applaudit ascendenti sæpiùs inclamans: [*Ps.* 107.] exaltare super cœlos Deus, & super omnem

terram

terram gloria tua; exaltare Domine in virtute tua, cantabimus & psallemus virtutes tuas. (*Ps.* 20.) Postremo de sede & throno gloriæ passim loquitur: (*Ps.* 102.) Dominus in cœlo paravit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur; parata sedes tua ex tunc, id est, postquam regnâsti, decorem induisti, à seculo tu es. (*Ps.* 92.) Sedes tua DEUS in seculum seculi; & de sceptro: virga directionis, virga regni tui. (*Ps.* 44.) Differentiam autem throni insinuat per loquentem Deum Patrem: (*Ps.* 88.) thronus ejus sicut sol in conspectu meo, ille utpotè cœlestis in Ecclesia triumphante, & sicut luna perfecta in æternum, hic terrestris in Ecclesia militante, & testis in cœlo fidelis, quando parabit in Judicio thronũ suũ (*Ps.* 9.) sedens super Iridem, (*Apoc.* 4.) & veniens in nubibus cœli cum potestate magna & majestate; (*Luc.* 21.) sicut enim ascendit, ita veniet (*Act.* 1.) vivos & mortuos judicare. (2. *Tim.* 4.) Singula hæc interpretari longum esset. Unum ex omnibus eligamus hodie trutinandũ, illud quod promisi: videlicet quomodo Dominus in corpore suo glorioso speciosus existit, decore claritatis indutus, fortitudine (*Ps.* 92.) impassibilitatis vestitus; præcinctus virtute subtilitatis & agilitatis; quæ sunt dotes quaternæ corporum beatorum resurgentium. Has dotes exprimit Doctor Gentium dicens: [1. *Cor.* 15.] Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Incorruptio agilitatis, gloria claritatis, virtus impassibilitatis, spiritalitas subtilitatis dotes videntur denotare. Et quidem prima claritas in Christo Domino quæ in Transfiguratione visa fuit, ubi facies ejus resplenduit sicut sol; vestimenta autem ejus facta fuêre alba sicut nix, *Mat.* 17. in Resurrectione utiq; auctior potuit esse, ac talis qualem vidit Sanctus Ioannes in Apocalypsi, *c.* 1. ubi concludit: & facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. Quod ipsũ Sanctis appromittit æterna Veritas asserens: (*Mat.* 13.) Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Quod etiam prædixit Sapientia: *c.* 3. Fulgebunt justi & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Hoc Doctoribus sigillatim promittitur apud Danielem; (*c.* 12.) Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Hoc verò fiet virtute Salvatoris Domini nostri JESU Christi, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. (*Phil.* 3.) In hac porrò claritate erit differentia. Alia claritas Solis, inquit Apostolus, (1. *Cor.* 15.) alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. (*Ibid.*) Hanc porrò claritatem videbunt damnati in Christo, quia videbunt, in quem transfixerunt; (*Joan.* 19) & in Sanctis, qui videntes turbabuntur timore horribili, & mutabuntur in subitatione insperatæ salutis, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes. [*Sap.* 5.] Justi autem accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini, *Ib.* ut & ipsi sint speciosi

Thronus illius

Quomodo Dominus in corpore suo glorioso speciosus existat?

Prima dos gloriosi corporis, claritas.

Ejus differentia.

osi & conformes specioso formâ præ filijs hominum, Domino ac Regi suo. Secunda impassibilitas, cui annexa immortalitas, de qua Apostolus: (*Rom. 6.*) Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: est dos corporis beati valde necessaria, de qua in Apocalypsi: *c.* 21. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neq; luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt, id est, tribulationes, passiones, persecutiones, & his similia. Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. (*Ib.*) Modus autem impassibilitatis sic describitur à Divo Thoma Angelico. *Omnis passio fit per victoriam agentis super patiens, aliàs non traheret ipsum ad terminos suos. Impossibile est autem, quòd aliquod dominetur super patiens, nisi in quantum debilitatur dominium formæ propriæ supra materiam patientis, loquendo de passione, quæ est contra naturam, de qua nunc loquimur. Non enim materia subjicitur uni contrariorum sinè hoc, quod tollatur dominium super ipsam, vel saltem diminuatur. Corpus autem humanum & quidquid in eo est, erit perfectè subjectum animæ rationali, sicut anima perfectè erit subjecta Deo: & ideò in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam, quâ perficitur ab anima, & ita corpora illa erunt impassibilia.* Hæc Doctor Angelicus: qui etiam asserit, *illam sicut dotem claritatis non futuram in omnibus Sanctis æqualem, sed secundùm causam suam, quæ est dominium animæ supra corpus, futuram in uno quàm in alio majorem. Secundùm se verò prout est negatio vel privatio passibilitatis, non suscipiet magis minus, ideoq; erit æqualis. Nec per impassibilitatem excludetur sensus in actu à corporibus gloriosis, quandoquidem eadem speciei natura in homine & omnibus ejus partibus remanebit tempore resurrectionis. Spiritualiter tamen à rebus, quæ sunt extra animam, immutabuntur. Sensus enim corporum erit per susceptionem à rebus, quæ sunt extra animam: ubi organa sentiendi duplici modo immutantur; vel immutatione naturali, quando organum disponitur eâdem qualitate naturali, quâ disponuntur res extra animam, quæ agit in ipsis, sicut cùm manus fit calida ex tactu rei calidæ, aut odorifera ex tactu rei odoratæ: vel immutatione speciali, quando recipitur qualitas sensibilis in instrumento secundùm esse spirituale, id est, species sive intensio qualitatis, & non ipsa qualitas; sicut pupilla recipit speciem albedinis, & tamen ipsa non efficitur alba.. Prima receptio immutat naturam recipientis: & hæc non erit in corporibus gloriosis, sed secunda, quæ per se facit sensum in actu, nec naturam recipientis immutat. Et quamvis occupatio Sanctorum maxima erit in contemplatione Dei & amore, non impedietur hæc per occupationem circa sensibilia sentienda, vel alia aliqua contemplanda vel agenda, quia Deus apprehenditur à Sanctis ut ratio omnium, quæ ab eis agentur vel cognoscentur.* Porrò omnes sensus in actu erunt post Resurrectionem. Cùm enim natura in Beatis futura sit in summa perfectione, perfectior autem est

Secund impassibilitas.

Modus impassibilitatis.

D. Thomas.

Idem.

Omnes sensus post resurrectionem erunt in actu,

potentia actui conjuncta; idcircò omnes sensus erunt in actu. Excipitur solus gustus, juxta mentem D. Thomæ, quia nihil ibi sumetur per modum cibi & potûs, nisi fortè dicatur, quòd erit ibi gustus in actu per immutationem lingvæ ab aliqua humiditate adjuncta. Quòd enim dicit: (*Ps.* 33.) Gustate & videte quoniam suavis est Dominus; de gustu animæ spirituali intelligendum est. Tertia proprietas corporis gloriosi, erit subtilitas tanquam corporis spiritualis, seu similis spiritui, qui omnem corporis excedit subtilitatem. Per subtile autem sumitur penetrativum, quod ad intima rei pertingit. Subtilitas hæc erit propter completissimam corporis perfectionem, quæ ex dominio animæ glorificatæ, tanquam formæ corporis, procedet super ipsum; ratione cujus corpus glorificatum dicitur spirituale, quasi omninò spiritui subjectum. Prima autem subjectio, quâ corpus animæ subjicitur, est ad participandum esse specificum, prout subjicitur sibi ut materia formæ. Altera subjectio est, quâ animæ subjicitur ad alia ejus opera, prout anima est motor. Juxta D. Gregorium, *Corpus gloriosum dicitur subtile per effectum spiritualis potentiæ.* Jam verò utrùm unum corpus cum alio corpore possit esse in eodem loco, disquiritur; ad quod D. Thomas respondet negativè, quia corpora gloriosa sunt spiritualia, id est, spiritibus quantùm ad aliquid similia: sed duo spiritus non possunt esse simul in eodem loco, quantumvis spiritus & corpus possint esse in eodem loco; idcircò nec duo corpora poterunt in eodem loco subsistere. Tum etiam, quia in Beatis debitus ordo servatur, qui distinctionem requirit, non erit conveniens id fieri, ut simul existendo unum ab alio penetretur. Quod ipsum etiam esset ignobilitatis, quæ omninò aberit à corporibus gloriosis. Divinâ tamen virtute & per miraculum hæc corporum penetratio potest fieri, quod reverâ accidit in Nativitate Christi Domini, ubi claustro pudoris integro infans prodijt: & in Resurrectione, quando ex clauso & obsignato exiit gloriosus: & ad discipulos congregatos clausis januis penetravit. Cæterùm corpus gloriosum necessariò in loco sibi æquali existet, cùm eædem sint dimensiones loci & locati; nec corpus cōparatur ad locum, nisi mediantibus proprijs dimensionibus, secundùm quas corpus locatum ex contactu corporis locantis circumscribitur. Recta quoq; corporis humani dispositio determinatum situm & distantiam partium requirit. Unde subtilitas corporis gloriosi non inducit hanc penetrationem, sicut nec impalpabilitatem. Ipsemet enim Dominus palpari voluit, dicens: [*Luc.* 24] Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet. Sciendum tamen omne corpus palpabile esse tangibile, sed non è converso. Omne namq; corpus est tangibile, quod habet qualitates, quibus sensus tactus natus est immutari. Sed palpabile ulteriùs addit, quòd resistat tangenti. Unde aer est tangibilis, sed quia facillimè dividitur, nec resistit transeuntibus, non est palpabilis. Cùm igitur corpus erit omninò subiectum spiritui, in potestate ejus erit, ut secundùm qualitates, natas

excepto solo gustu.

Tertia dos gloriosi corporis, est subtilitas.

D. Greg.

Vtrùm unum corpus cum alio in eodem loco esse possit?

Corporum penetratio, quomodo fieri potest?

immutare tactum, quas habet à natura, vel immutet tactum, vel non immutet. Similiter ex natura ipsi competit, ut resistat cuilibet alteri corpori transeunti: Divinâ tamen virtute poterit contingere ad nutum ipsius, ut sit cum alio corpore in eodem loco, & sic non resistat ei transeunti.

D. Gregor.

Cur palpandā carnem Dominus præbuit?

Seu proinde ex sensu Divi Gregorij, *Dominus palpandam carnem præbuit, quam clausis januis introduxit, ut perfectè ostenderetur post Resurrectionem corpus suum esse & ejusdem naturæ, & alterius gloriæ.*

Quarta dos corporis gloriosi est agilitas.

Quarta & ultima dos corporis gloriosi erit agilitas: per omnimodam enim subjectionem animæ glorificatæ reddetur nobile & agile sicut anima, ut ei sit habile ad obediendum. Quia anima conjungitur corpori, non tantum velut forma sed etiam ut motor, & sic subijcietur ei, ut sit expeditum & habile ad obediendum spiritui in omnibus animæ motibus & actionibus, quibus ad placitum utetur. Et sicut corpus Christi Domini glorificatum in Ascensione motum est, ita corpora gloriosa agilitate suâ, ut eis libitum fuerit, movebuntur; current juxta Isaiam, (*Cap. 40.*) & non laborabunt, ambulabunt & non deficient, & quidem postquam de terra resurrexerint, ad cœlum Empyreum ascendent: ubi verisimilè est, quòd aliquando pro suæ libitu voluntatis movebuntur, ut illud quod habent in virtute, actu exercentes, Divinam sapientiam ostendant commendabilem. Neque per motum aliquid eorum deperibit beatitudini quæ in visione Dei consistit, quâ Deum ubique præsentem habebunt; & fiet in ipsis, quòd fit cum Angelis, de quibus Sanctus Gregorius,

S. Gregor.

quòd intra Deum currunt quocunque mittantur, quia semper vident faciem Patris, qui in cœlis est. (*Matth.* 18.) Utrùm autem in instanti movebuntur, & num ex uno loco in alium transibunt medium non pertranseundo, variæ sunt opiniones.

Corpora gloriosa utrùm movebuntur?

Divi autem Thomæ sententia est, *quòd corpora gloriosa cum maneant in natura corporis, ideoque determinatum situm habeant, in tempore movebuntur, sed propter brevitatem imperceptibili.* In motu etiam locati spatium & motus & tempus simul dividuntur, sed spatium, quod transit corpus gloriosum, est divisibile, ergo & motus & tempus erunt divisibilia. Instans autem non dividitur. Et sic non poterunt moveri in instanti. Nec obstat quod juxta Apocalypsim (*Cap.* 10.) post Resurrectionem tempus non erit, quod est numerus motûs cœli, erit tamen tempus consurgens ex numero prioris & posterioris, in quocunque motu. Hæc sunt, quæ fusiùs ex mente Angelici Doctoris volui explanare, pro majori beatitudinis æternæ cognitione, quò ad corpus potissimùm, quod hodie in persona Christi Domini supra omnes coelos & super omnes Angelorum choros ad dexteram DEI Patris est elevatum. (*Marc.* 16.)

Quid faciendum nobis ut in resurrectione corpora habeamus gloriosa?

Equidem corpora nostra quæ corrumpentur, nunc animam aggravantia, *Sap.* 9. si volumus in resurrectione nostra habere speciosa, gloriosa, induta decore & fortitudine ac virtute præcincta, *ps.* 92. debemus ad exemplum Christi Domini ac Regis nostri mortificationem ejus in corporibus nostris circumferre, ut & vita Jesu manifestetur in

corporibus

corporibus noſtris. (2. *Cor.* 4.) Exhibeamus idcircò corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem (*Rom.* 12.) in cruce, ut vetus homo noſter ſimul crucifixus ſit; ut deſtruatur corpus peccati; ut ultra non ſerviamus peccato: (*Rom.* 6.) nec regnet peccatum in noſtro mortali corpore, ut obediamus concupiſcentijs ejus. (*Ibid.*) Eapropter cum Apoſtolo (1. *Cor.* 9.) caſtigemus corpus noſtrum & in ſervitutem redigamus, ut ſic obediens animæ & ſpiritui, unde glorificemus & portemus Deum in corporibus noſtris: (1. *Cor.* 6.) ſtigmata Domini Jeſu portemus in illis, (*Galat.* 6.) atque omnimodè conformemur Domino Redemptori noſtro in omnibus, ut abundent paſſiones ejus in nobis. (2. *Cor.* 1.) Si enim complantati facti erimus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus. (*Rom.* 6.) Aſcendit enim, iter pandens ante nos, ut hâc viâ crucis quà ipſe præivit, ſequamur in cœlum aſcendentem; & cum illo regnemus in ſæcula ſæculorum.

Sermo pro Dominica Pentecoſtes

Speciosus formâ præ filijs hominum. Pſalm. 44.

Peccata hominum, cælum claudunt; ne pluat.

PEccata hominum cælum claudere, ita ut non pluat, in ſacris literis eſt nobis paſſim manifeſtum. PP. RR. FF. DD. De peccatis idololatriæ Moyſes monet in Deuteronomio: *c.* 11. Cavete ne fortè decipiatur cor veſtrum, & recedatis à Domino, ſerviatisq; Dijs alienis, & adoretis eos: iratusque Dominus claudat cælum, & pluviæ non deſcendant. De alijs quibusvis edocet Salomon in libro Regum: 3. *c.* 8. Si clauſum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum. Idem repetit in libro Paralipomenon: 2. *cap.* 6. Si clauſo cælo pluvia non fluxerit propter peccata populi. Quòd autem ipſe Deus illud claudat, ipſemet ibidem conſequenter declarat: 2. *Par.* 7. Si clauſero cælum, & pluvia non fluxerit; ubi ad clauſuram cæli tollendam, medium inſinuat: (*Ibid.*) ſi converſus populus meus deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſſimis; acſi dicat, cœlum clauſum aperit pœnitentia. Interea uti pluvia habetur pro ſummo Dei beneficio: ita eâdem inundante uſus fuit Deus in pœnam hominum pro peccatis eorum, quando rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluvia ſuper terram, quadraginta diebus & quadraginta noctibus; [*Gen.* 7.] ubi Deus adduxit aquas diluvij ſuper terram, ut interficeret omnem carnem in qua ſpiritus vitæ erat ſubter cœlum, quia omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram. (*Ibid.*) Diluvio autem ceſſante clauſi ſunt fontes abyſſi & cataractæ cæli, & prohibitæ ſunt pluviæ de cælo, tales nimirùm quæ totam terræ ſuperficiem inundarent. Cæterùm de clauſo cœlo ipſa Veritas Divina innuit [*Lucæ* 4.] in diebus Eliæ annis tribus & menſibus ſex: quod D. Jacobus orationi Eliæ attribuit. Elias, inquit homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & orationem oravit ut non plueret ſuper terrâ,

Claudit illud quoq; Deus ipſe.

Clauſum reſerat pænitentia.

Quando fuit clauſum? I.

& non pluit annos tres & menses sex. Qui idem iteratâ oratione cælum aperuit. Et rursum, ait, (*Ib.*) oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. Aggæus Propheta *c.* 1. quoq; asserit, eò quòd domus Dei esset deserta, & festinaret unusquisque in domum suam; (acsi diceret: satagitis quisque rerum suarum, & negligitis res
II. Divinas) propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum. Nunquam tamen magis
III gis clausum fuit cælum, quàm quando in Paradiso primi Parentes nostri mandatum Dei transgressi sunt; fueruntque è Paradiso voluptatis ejecti, collocato ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeo gladio atque versatili, (*Gen.* 3.) in signum clausi coram genere humano cæli. Hinc Prophetæ clamabant: (*Is.* 45.) Rorate cæli desuper, & nubes pluant Justum. Et iterum: (*Is.* 64.) Utinam dirumperes cælos & descenderes. Et quidem per Malachiam *c.* 3. promisit Deus: Probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundan-
Binæ cæli apertiones. tiam. In figura verò binas reperio cæli apertiones, unam factam Israelitis in deserto, de quo Psalmista: (*Ps.* 77.) Mandavit nubibus
I. desuper, & januas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducan-
II. dum. Alteram ab Ezechiele conspectam, qui ait: *c.* 1. Aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei, in quibus novi Testamenti mysteria fuerunt detecta; non tamen verè & realiter cœlum fuit apertum, nisi
Cælum quomodo verè fuit apertum? tunc, quando Filius Dei inclinavit cœlos & descendit, (*Ps.* 17.) & facta est cum Angelo evangelizante gaudium magnum pastoribus,
I. multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, ubi postea factum est, ut discederent ab eis Angeli in cœlum, (*Luc.* 2.) illuc nimirùm unde
II. venerant. Dein cæptum est aperiri cœlum, quando Jesu baptizato & orante apertum est cœlum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est: tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. (*Luc.* 3.) Haud dubiè
III. & in Transfiguratione Domini facta est apertio cœli, quandoquidem similis vox audita fuit: hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè
IV. complacui, ipsum audite. (*Matt.* 17.) Ultimariò tamen cœlum per peccatum Protogenitorum nostrorum clausum, verè & realiter apertum fuit per ascensionem Domini. Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cælo. [*Joan.* 3.]
Quomodo Christus descendit de cælo? Sed quomodo descendit? Prophetizavit Rex Prophetarum: (*Ps.* 71.) descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Allusio hìc cernitur ad votum Gedeonis, qui bis oravit: (*Judic.* 6.) si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas; & iterum: (*Ibid.*) oro ut solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens.
Votum Gedeonis quomodo accipiendum I. Quod quidem licèt sic intelligatur, *ut pluvia sit Christus Messias qui missus est*, ad mentem Rufini, *vellus, Judæa; terra, gentium multi-*
II. *tudo:* & juxta Divum Augustinum, *aream intelligamus orbem terrarum, locum velleris populum Israël; apud quem hoc munus erat in vellere,*

vellere, id est in velamine, quia nondum fuerat revelatum; nunc autem videmus, ait S. Doctor, *Orbem terrarum jam revelato rore saginari per eundem Christum: quod tunc in illo tegmine figurabatur: illam verò gentem amisso Sacerdotio, quod habebat, quia in Scripturis non intelligit Christum, tanquam in sicco vellere remansisse.* Confirmat D. Ambrosius dicens, *quòd nunc fidei rore totus Orbis humescat.*

S. August.

III.

Licet inquam, sic possit accipi hoc votum Gedeonis, melius tamen ex sensu Sanctorum Patrum, vellus est Beatissima V. Deipara, imò vellus aureum, in quod imber aureus descendit Christus. Vellus ovinum innocentiâ vitæ & candore sanctitatis insigne, de cujus sinu egressus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. (*Joan.* 1.) Vellus est lana ab ovibus avulsa, est lana sinè carne, imò à carne per virginitatem & mortificationem abstracta. *Vellus cùm sit de corpore*, ait D. Petrus Chrysologus, *nescit corporis passiones, sic Virginitas cùm sit in carne, vitia carnis ignorat. Cœlestis ergo imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota Divinitatis unda bibulo se nostræ carnis celavit vellere, donec per patibulum crucis expressum terris omnibus in pluviam salutis effunderet, & sicut stillicidia stillantia super terram*, (Ps. 71.) *ut vitalibus partita stillicidijs tempora fidei rigarent, germina non necarent.* Consonat S. Ambrosius. *Quid tam silenter & sinè strepitu fit, quàm cùm imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit, sed sinè inquietudine ovium totum imbrem per multiplices diffusum partes toto corpore in se trahit, unius meatûs scissuram nesciens, solidâ mollitie plures præbens meatus, & quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Rectè ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, ut toto eum hauriret corpore, ne ejus discissuram corporis pateretur, sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Rectè inquam Maria velleri comparatur de cujus fructu salubria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu Agnus egressus est, qui & ipse hominis lanicium, hoc est, carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lanâ suffunditur, Christi fovetur sangvine, & ut sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur.* Hæc melleo ore D. Ambrosius de cœlesti rore in vellus & aream, quando mellifluì facti sunt cæli per incarnationē Filij DEI. Sed ecce post rorem venit pluvia super terram, post Filium Dei venit Spiritus Sanctus supra homines. Non tamen citiùs, quàm post cœlum ascensione Filij hominis apertum, quæ erat conditio summè necessaria, sinè qua non, de qua ipsemet ait: (*Joan.* 16.) Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Quàm pulchra vicissitudo! Corpus Christi ascendit ad summum cæli, Spiritus Dei Sanctus descendit ad imum terræ. *Quidni fidelissimum fieret gratissimumq; commercium*, inquit Mellifluus Pater noster, *inter cœlum & terram, inter Angelos & Apo-*

Beatissima Virgo, vellus aureum,

S. Chrysol.

in quod cælestis imber quomodo illapsus?

D. Ambros.

Cælum post Ascensionem Christi, primùm apertum.

S. Bernard.

stolos, ut exhiberetur illis Caro Christi, istis vinum cæli, esset\& in terra Spiritus, caro in cœlis, ac deinceps omnia omnibus communia in æternum? Tunc planè cœli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël. (*Ps. 67.*) Aperti cæli per gratiam, qui fuerunt clausi per peccatum. Sed quid distillaverunt, indicat consequenter: (*Ib.*) pluviam

S. Bernard. voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ; quam S. Pater noster explicat: *Hodie, Dilectissimi, cæli distillaverunt à facie Dei Sinai à facie Dei Israel, & pluvia voluntaria segregata est hæreditati Christi. Spiritus enim Sanctus largiori munere suæ Majestatis in Apostolos supervenit, & tribuit eis charismatum dona.* Hodie [liceat addere] Divini fluminis impetus lætificat civitatem Dei, hodie sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. [*Ps. 45.*] Duplicem pluviam

Duplex pluvia, matutina & serotina reperio in Prophetis: matutinam & serotinam; quod de autumnali & vernali intelligitur: quæ licèt per adventum Filij Dei in carnè à Propheta Osee indigitatur venisse, dicente: *c. 6.* Quasi diluculum præparatus est egressus ejus, & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ. Idem patefacit apud Joël: *c. 2.* Filij Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, & descendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum & serotinum; tamen ex sensu aliquorum Sanctorum Patrum, matutina pluvia fuit nobis Filius Dei Incarnatus, serotina verò Spirit⁹ Sanctus, de

Quid significant? cujus instar aquæ effusione, teste Apostolorum Principe, prædixit Joël Propheta: *c. 2.* Et erit post hæc, in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, *& ultra.* Quia in monte Sion & in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, & in residuis quos Dominus vocaverit;

Salvatio in monte Syon. quod adimpletum fuit in cænaculo posito in monte Sion, ubi post Ascensionem Domini congregati fuerunt Apostoli cum Discipulis & mulieribus perseverantes unanimiter in oratione. (*Act. 1.*) Idem clariùs vaticinatus est Isaias. *c. 44.* Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam Quales aquas? explicat mox. (*Ibid*) Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Quòd ipsum manifestat nobis ipsa Veritas Christus, dicens: (*Joan. 7.*) Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; quod Sanctus Evangelista Joannes exponens subdit: *Ib.*

Quid effusio aquarum super credentes? Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Idem declarat Ezechiel, operationes Spiritûs Sancti simul denuncians; *c. 36.* Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos. Quæ autem hæc aqua sit, explicat dicens: *Ib.* Et spiritum novum ponam in medio vestrî, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum novũ ponam in medio vestrî. Hic est pluvia voluntaria, (*Ps. 67.*) Spiritus S. hodie descen-

Pluvia voluntaria quæ? dens super Apostolos: pluvia spontaneæ & liberæ voluntatis Divinæ, pluvia munificentiarum ut vertit Arias, pluvia primaria & principalis

sic dicta, quia de cœlo venit: pluvia cœlestis & Divina, quia & ipse De⁹ Patri & Filio consubstantialis, coæqualis & coæternus. Pluvia voluntaria (Ps. 67.) tam ex parte sui, quia per voluntatem Patris & Filij procedens, utriusq; amor essentialis: quàm ex parte Patris & Christi, qui eum propter nimiam charitatem, quâ nos diligunt, & ex summa liberalitate mittunt tanquam summum bonum & amplissimum donum. Est quoq; pluvia voluntaria, (Ps. 67.) quia volentes irrigat, refrigerat, reficit & fœcundat. Os meum aperui & attraxi spiritum, ait Propheta. (Ps. 118.) Os voluntatis nostræ & desiderij mandata Dei concupiscentis aperire debemus, de quo alibi Deus apud eundem: (Ps. 80.) Dilata os tuum & implebo illud. Quod os aperiendum est in oratione juxta consilium Siracidis, & juxta exemplum Salomonis dicentis: (Sap. 7.) Invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ. Ore sic aperto attrahitur Spiritus. *Non enim ultrò ingruit*, inquit S. Hilarius; *expetendus est, attrahendus est, & infantium modo tanquam lac innocens hauriendum.* Sæpius nimirum ore animæ & corporis ingeminandum: Veni Sancte Spiritus: sic fiet nobis pluvia voluntaria. (Ps. 67.) Causæ porro hujus pluviæ quatuor assignantur, ex quibus ejusdem effectus patefiunt. I. Ut sterilitas amoveretur à terra, & hæreditatis infirmitas curaretur. Et infirmata est inquit. (Ps. 67.) II. Ut post sublatam sterilitatem & curatam infirmitatem perficeretur; ait enim: tu vero perfecisti eam. Ita equidem verbo Domini cæli, id est Apostoli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. (Ps. 32.) Placet scire vivificos & salvificos effectus Spiritûs Sancti? Audiamus Sanctum Eucherium: *Spiritus Sanctus secretâ & ineffabili potentiâ lavat culpas, infectas ad infectũ redigit maculas, absolvit reas & purificat conscientias, quarum solus emundator, solus est cognitor. Ipse ad regenerandas animas steriles benedicit aquas, ipse sacri fontis irriguum, illâ quâ dudum Mariam locupletavit, virtute fœcundat.* Quis hic non fatebitur per Spiritum Sanctum animas hominum á peccatis emundatas, & virtutum decoribus exornatas, reddi speciosas, & conformes specioso formâ præ filijs hominum, ex sterilibus speciatim fœcundas? Audiamus S. Cyrillum Jerosolymitanum: *Sicut aridum lignum aquâ irrigatum flores emittit, sic & anima peccatrix, quæ per pœnitentiam Spiritu S. digna est reddita, justitiæ racemos progenerat.* Denique Propheta asserit: [Ps. 103.] Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Porrò quàm speciosam reddat animam Spiritus Sanctus varijs donorum suorum charismatibus, quis edisseret? Enarrat nobis idem S. Cyrillus: *Paradisum suum fons unus irrigat, & una pluvia in universum descendit mundum, quæ alba quidem fit in spinis, rubra autem in rosis, purpurea verò in hyacinthis, ac in diversis speciebus diversa, & in omnibus omnia, cùm ipsa nihilominùs eadem ejusdemq; sit speciei. Neq; enim seipsam transmutans pluvia, alia & alia descendit, sed cuicunq; modo sese adjunxerit, illi fit incrementum. Sic & Spiritus Sanctus cùm sit unus & idem*

Marginalia: I. — II. — *Ore in oratione aperto spiritus attrahitur.* — *Pluviæ hujus causæ 4. & earum effectus.* I. — II. — *Salvifici effectus Spiritûs Sancti.* S. Eucheri⁹ — S. Cyrillus. — *Anima speciosa redditur ex donis Spiritus Sancti.* Idem.

& *non divisibilis, dividit gratiam prout vult.* Hæc S. Cyrillus. Ita renovata, ita fæcundata, ita decorata facies terræ; id est Ecclesiæ vel animæ sanctæ, per Spiritum Sanctum sive donis, sive gratijs, sive fructibus, sive charismatibus, ô quàm pulchra, ô quàm speciosa, ô quàm amœna redditur in conspectu Dei! Nonne juremeritò potest dicere Speciosus formâ præ filijs hominum: hæreditas mea præclara est mihi? (*Ps.* 15.) Quid, quòd omnes in ea habitare & pasci possunt? Et hæc est tertia causa simul ac effectus adventûs Spirit⁹ Sancti. Animalia tua habitabunt in ea, (*Ps.* 67.) videlicet hæreditate. Sint homines imperiti & abjecti instar brutorum animalium; homines & jumenta salvabis Domine. (*Ps.* 35.) Sint gentes conversæ & mansvefactæ, quæ ostensæ sunt S. Petro, Apostolorum & Ecclesiæ Capiti *Act.* 10. in forma omnium quadrupedium, & serpentium terræ, & volatilium cæli, sive fuerint munda sive immunda, tamẽ imperabatur illa occidere & mãducare. Sint animalia Angeli, quos versio Chaldaica indigitat dicens: Animalia tua collocasti in ea, præparasti exercitus cætuum Angelicorum, ut benefaceres pauperibus Dei. Uti & apud Ezechielem, (*c.* 1.) & in Apocalypsi *c.* 4. quatuor animalia visa plena oculis ante & retrò, quæ creduntur esse primarij Angeli Principes & Administratores Dei, circa curam Ecclesiæ & regimen hominum totius mundi. Sed & Zacharias (*c.* 1.) vidit equos rufos varios & albos missos à Domino, ut perambulent terram, per quos Angeli Rectores regnorũ denotantur. Sint animalia Apostoli, de quibus in forma equorum Abacuc. (*c.* 3.) Qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio; vel juxta *S.* Ambrosium *& equitatus tuus sanitas*; ubi exclamat: *O bonorum equorum dodecajugum mirabile, quibus frana pacis, habenæ sunt charitatis, constricti inter se concordiæ vinculis, & jugo fidei subjecti; quatuor rotis Evangelij mysterium totius orbis finibus invehentes, bonum aurigam portantes Dei verbum, cujus flagello fugatæ sunt illecebræ seculares, exterminatus mundi istius Princeps, justorum cursus impletus est. O rationabilium equorum grande certamen! ô mirandum mysterium!* ita S. Ambrosius. Sint animalia Evangelistæ, quib⁹ sigillatim quatuor animalium species applicantur. Deniq; sint animalia omnes fideles, populus ejus & oves pascuæ ejus. (*Ps.* 78.) Omnia hæc sunt animalia *Dei*, animalia Christi habitabunt in ea, (*Ps.* 67.) Dei & Christi hæreditate, quæ est Ecclesia. Neq; simplicia pascua credenda sunt, quæ Spiritus S. præparavit, plena sunt dulcedine. En quarta causa imo & effectus adventũs Spiritûs Sancti, parasti in dulcedine pauperi Deus. (*Ibid.*) Quid dulcius Manna quod omne delectamentum & omnis saporis svavitatem in se habebat, (*Sap.* 16.) & substantiam Dei & dulcedinem ejus, quam in filios habet, ostendebat? (*Ibid.*) Et hoc Manna licet sit gratia Novi Testamenti & Eucharistia, est tamen quoq; Spiritus Sanctus primariò, de quo Sapientia: (*c.* 12.) O quam bonus & svavis est Domine Spiritus tuus in omnibus! Quomodo non svavis tanquam amor Divinitat

Tertia causa & effectus adventûs Spiritûs Sancti.

Quomodo homines & jumẽta dicitur Dominus salvare?

Anĩalia quæ?

S. Ambros.

Quarta causa & effectus, adventûs Spiritûs Sancti.

Spiritus Sanctus est Manna.

[D]ivinitatis essentialis. Hic verè est Manna de cælo distillatum. Sanctus Chrysostom⁹ recensens beneficia Judæjs facta per manna, per descensum ignis, quo sacrificium ab altari abreptum, per demissionem pluviæ sub Elia, (3. *Reg.* 18) infert: *Magna sunt hæc & admirabilia, sed multò majora sunt præsentia. Non Manna, ignis & pluvia demissa est hodie, sed pluvia spiritualium donorum, nimbi desuper sunt dejecti, quibus non jam ad fruges proferendas tellus excitatur, sed naturæ persvadetur humanæ, ut virtutis fructum hominum agricolæ reddat. Quiq; guttam inde exceperant, naturæ suæ confestim oblivifcebantur, & Angelis omnis terra subitò replebatur, Angelis non cælestibus, sed qui humano in corpore potestatem incorporearum virtutum exhiberent. Non enim illi deorsum descenderunt, sed quod mirabilius fuit, qui deorsum erant, ad illorum virtutem ascenderunt. Non enim carne depositâ nudis animabus incedebant, sed naturam retinentes animi proposito Angeli fiebant.* (*Isa.* 33) Hæc aureo ore Chrysostomus. Manna erat panis Angelorum, quem manducavit homo: (*Ps.* 77.) Spiritus Sanctus est manna non ab Angelis formatum in nube, quia à Patre & Filio procedit, (*Joan.* 15.) excelsior Angelis; sed Angelos faciens in terra. Pluviam mannæ præcedebat ventus purificans terram: Christus daturus Spiritum Sanctum prius insufflavit in Apostolos, ac deinde dixit: *Joan.* 20) Accipite Spiritum Sanctum. Ante lingvas igneas fact⁹ est de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, replentis totam domum. (*Act.* 2.) Spiritus sapientiæ non vult habitare in corpore subdito peccatis, (*Sap.* 1.) in anima culpis infecta: nec permanet Spiritus Dei in homine, quia caro est, (*Gen.* 6) quando carnalis est. Manna summo mane colligebatur: [*Ex.* 16.] utique vigilantibus & diligentibus adest Spiritus Sanctus. Incalescente sole liquefiebat manna & fiebat inutile; (*Ibid*) ardor concupiscibilis & irascibilis potentiæ in homine dissolvit, dissipat; imo expellit Spiritum Sanctum. Manna servivit ijs quotidie, quibus nulla farina Ægypti aderat, vel fructus terræ Chananeæ: Spiritus Sanctus præsto est illis, qui mundi & carnis illecebris se privant. Denique sicut Manna erat, omnis saporis & delectaméti, ita Spiritus Sanctus est omnibus omnia in omnibus. Sed hoc Manna dulcedinis non datur nisi pauperi, sic enim dicit Psaltes: (*Ps.* 67.) Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? ait Deus apud Isaiam. (*cap.* 66.) Nonne à sapientibus & prudentibus abscondit Deus secreta sua, mysteria sua, charismata sua, & revelat ea parvulis, teste ipsa æternâ Veritate. [*Mat.* 11.] Qui ergo vult frui Spiritu Sancto, vult gaudere pluvia voluntaria hæreditatis *Ps.* 69.) Christi, vult esse in pascuis Christi, debet esse jumentum ejus, debet esse parvulus, debet esse pauper spiritu; & sic per Spiritum Sanctum erit si quoque Regnum cælorum (*Mat.* 5.) apertum, quod clausum [fui]t superbis Angelis & Protoparentibus, apertum humilibus Apostolis

S. Chrysost.

Quomodo?

Nonnisi pauperi datur.

Parvulus sit, qui Spiritu Sancto frui desiderat.

lis & fidelibus. Hinc optimè in forma lingvarum apparet, quatenus lingvas Apostolicas faceret claves regni cælorum per quas clausura & porta cæli omnibus patens redderetur. Pro conclusione interrogabit fortasse aliquis, quomodo Spiritus Sanctus est pluvia aquea, sicut stillicidia stillantia super terram, (*Ps.* 71.) qui hodie in pluvia lingvarum ignearum descendit? (*Act.* 2.) Contraria inter se sunt hæc, ignis & aqua? Ita est, naturaliter loquendo: sed in supernaturalibus & Divinis minimè hæc sibi opponuntur. Idem ipse Spiritus Sanctus est fons aquæ salientis in vitam æternam, (*Joan.* 4.) sordes abluens, vivificans, & fœcundans: Est quoque ignis consumens, (*Deut.* 4.) ignis conflans & emundans, purgans filios Levi, colans quasi aurũ, & quasi argentum (*Mal.* 3.) exurens peccata, calefaciens & accendens corda ad amorem Dei & proximi, tanquam Amor originalis. Est lumen mentium, illuminans intima fidelium: denique est omnibus, ut dictum, omnia in omnibus, tanquam omnium artifex, omnium habens virtutem, omnia prospiciens, omnia operans unus idemq; Spiritus, & dividens singulis prout vult. (1. *Cor.* 12.) Aperiamus igitur & nos ora nostra, ut attrahamus Spiritum Sanctum per ardens desiderium, per continuam orationem, per constantem invocationem: Veni S. Spiritus, apertis cælis descende sicut pluvia in nos; anima nostra sicut terra sinè aqua tibi. *Ps.* 142 Irriga quod in nobis est aridum, fæcunda quod est sterile, lava quod est sordidũ, redde speciosũ quod est fædum, dulcifica quod est amarum, rectifica quod est obliquum, robora quod est infirmum, erige quod est depressum, flecte quod est rigidum, mollifica quod est durum, illumina quod est tenebrosum, accende quod est frigidum, rege quod est devium, absume quod est iniquum, exure quod est impurum, annihila quod non est tuum: deniq; da nobis, qui volumꝰ esse in anima nostra Axæ, id est, per te eleganter calceati, adornati, & composito gradu incedentes, nimirùm modesti, quieti & passionibꝰ nostris dominantes, cum Apostolis pariter in eodem loco sedentes, *Act.* 2. unanimes in domo Dei: da nobis inquam, irriguum superius, vel juxta Symmachum, *possessionem in superioribus*, facultatem nempe cælestis & Divinæ contemplationis per meditationem & orationem: da & irriguum inferiꝰ, sive possessionem in inferioribus per humiliationem nostri & mortificationem. Da, ex mente D. Gregorij, irriguum superius & inferius, ut tam amore Dei & cælestis regni desiderio in lachrymis nos affligamus, quàm timore æternorum suppliciorum flendo conspergamur. Unde cum D. Augustino oramus: *Da nobis evidens signum amoris tui, irriguum lachrymarum fontem jugiter manantem, ut ipsæ quoq; lachrymæ tuum in nobis testentur amorem, ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantùm te diligat anima nostra, dum præ dulcedine amoris tui nequeunt se à lachrymis continere.* Hisce medijs pœnitentiæ & amoris, cælum clausum aperitur. Postremò adeò nos refræna & transforma, ut è terrestribus hominibus simus Angeli cælestes; tuis instinctibus & nutibus

Quomodo Spiritus Sanctus est aquea pluvia?

Spiritus Sanctus fons aquæ, & ignis consumens.

Lumen mentium, omnia in omnibus.

Invocatio Spiritûs Sancti

D. August.

sem

semper obtemperantes, facientes verbum Dei ad audiendam vocem sermonum ejus, (*Psal.* 102.) facientes voluntatem ejus, ut per te illuc unde descendisti, cum omnibus Statibus viventium in hoc seculo, agonizantium & ibi in altero purgantium mereamur aperto jam cælo elevari & transportari ad vitam æternam.

Sermo In Festo Sanctissimæ Trinitatis.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psal. 44.

QUanta vanitas & insipientia fuerit generis humani circa rectam Dei veri cognitionem, potissimùm primis mundi creati sæculis, Liber Sapientiæ manifestat P. ac F. D. dicens: *c.* 13 Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neq; operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex. Duplicem hìc vanitatem hominum carentium scientiâ Dei aperit, quòd ex visibilibus bonis summum & invisibile bonum, quod est; videlicet à se, per se, in se realiter & essentialiter est, & à quo omne esse provenit, non fuerint assecuti; & quòd ex operibus, nimirùm creationis, non cognoverint Creatorem. Scientiam Dei nominat non illam simplicem & speculativam, quâ per intellectum Deus cognoscitur, sed & illam practicam, quæ in se Dei cultum, timorem, obedientiam & amorem complectitur. Progreditur ultra, & specificat errorem Gentilium, qui aut ignem aut spiritum, aërem, nempe subtiliorem, vel citatũ aërem, id est ventum; aut gyrũ stellarum, sivè Zodiacum dixeris, sive omnes alias constellationes totumq; coelum stellatum, vel firmamentũ quod in scripturis *Deut.* 7.) militia cæli vocatur, adoratum à Judæis idololatris; aut nimiam aquam, id est mare violentum, fluctibus suis exundans; aut solem & lunam Rectores Orbis Deos putaverunt. Et quidem ignem Vulcanum, ætherem Jovem, aërem Junonem, ventum Æolum, mare Neptunum, solem Apollinem, lunam Dianam appellavêre. Aliter recenset D. Augustinus dicens, *Gentiles solem, lunam, stellas, elementa, velut membra Dei coluisse: quòd ipse in æthere sit Jupiter, ipse in áère Juno, ipse in mari Neptunus. In inferioribus etiam maris ipse Salacia; in terra Pluto, in terra inferiore Proserpina, in foris domesticis Vesta, in fabrorum fornace Vulcanus, in sideribus Sol, Luna & Stellæ; in divinationibus Apollo, in merce Mercurius, in Jano Initiator, in termino Terminator, Saturnus in tempore, Mars & Bellona in bellis, Liber in vineis, Ceres in frumentis, Diana in sylvis, Minerva in ingenijs.* Hæc D. Augustinus. Prosequitur Sapiens: *c.* 13. Quorum si specie delectati Deos putaverint, sciant quantò his Dominator eorum speciosior est; ex Græco melior, juxta S. Cyprianum *pretiosior.* Speciei enim generator hæc omnia constituit, juxta Græcum, nam pulchritudinis genesiarchia creavit ea; nimirùm pulchræ generationis auctor, vel Princeps pulchritudinis generandæ Deus. S. Dionysius Areopagita ait *Deum es-*

Duplex vanitas hominum scientiâ Dei carentium.

Scientia Dei quomodo accipienda?

Error Gentilium in agnitione Dei.

Dij ipsorum fabulosi qui?

D. August.

S. Dionysius Areopag.

Deus immensè pulcher.

se pulchrum, & per omnia pulchrum, & supremè pulchrum, & semper eodem modo pulchrum, & universi pulchri principalem pulchritudinem in seipso ante omnia habere, ac proinde ipsum esse fontem omnis pulchritudinis, & causam omnium pulchrorum, quæ in mundo sunt.

Boëtius.

Pulchrè Boëtius de Deo: *Tu cuncta superno ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens, similiq; in imagine formans.*

Lactantius.

Mundus à munditie dictus, Græcè Kosmos, id est ornatus, à sui specie & pulchritudine; de quo Lactantius: *Opus mundi est, quo nihil potest esse nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec majus ad molem.* Unde Sapiens ultra discurrit: (*Ib.*) Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri. Hoc ipsum declarat Apostolus: (*Rom.* 1.) Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas. Invisibilia sunt attributa Dei spiritualia, quòd sit æternus, immensus, infinitus, omniscius, optimus, maximus. Virtus Dei est omnipotentia, per quam est causa omnium rerum efficiens, gubernans & providens. Divinitas est Dei essentia & majestas, quòd sit primum Ens à se perfectissimum, primum omnium principium, à quo omnia proveniunt & dependent, & omnium ultimus finis, ad quem omnes creaturæ, ac potissimùm homo, debent tendere & collimare; videlicet latriæ cultum, preces, vota, sacrificia Eucharistica & propitiatoria ipsi offerendo.

Dei virtus est omnipotentia.

Divinitas est ejus essentia & majestas.

Benè posuit Sapiens: cognoscibiliter videtur; quod Græcus vertit, *analogicè*, id est per analogiam, comparationem, collationem, & illationem; quod ipsum expressit Apostolus, (*Rom.* 1.) dicendo: intellecta conspiciuntur; quia per discursum intellectûs ex creaturis potest cognosci Creator. *Ex operibus agnoscitur Opifex*, ait *S.* Athanasius, *ex effectu causa.* Unde ex magnitudine & pulchritudine molis hujus mundanæ potest comparativè cognosci, quanta sit Factoris ejus magnitudo & pulchritudo. Deinde colligitur, *quodsi tanta perfectio & excellentia in sole, sideribus & cœlis, cæterisq; creaturis finitis & limitatis*, prout pulchrè quidam Neotericus discurrit, *quanta debet esse in Creatore infinito & omnimodè illuminato, qui suâ essentiâ, præsentiâ & potentiâ cœlum & terram implet, imò super omnes cœlos, per omnia spatia vacua & imaginaria, per immensitatem suam se extendit in immensum.* Hæc enim est creaturæ cum Creatore analogica comparatio. Inde concluditur, quòd Dei magnitudo, pulchritudo, potentia & majestas sit cum omnibus alijs ejus attributis absolutè infinita, ita ut eis nihil possit addi. Infinito enim aliquid finiti additum nihil auget, ideoque totus mundus Deo ne quid minimum, ne vel hilum adijcit, adeoque Deus solus in se tantus est sinè mundo, quantus est cum mundo. Quid enim mundus, nisi umbra Dei? Ecquid umbra solis soli adijcit lucis? Idipsum

Ex creaturis cognoscitur Creator.

Dei magnitudo, pulchritudo &c. absolutè infinita.

S. Justi-

S. Justinus

S. Justinus eleganter deducit inquiens: *Sicut quod unum aut unitas est numeri, principium nil confert ad ej9 perfectionē, nam & cùm non essent numeri, principium perfectum erat, & factum principium numeri, non auctum est: sic Deus ante creationem erat perfectus, & post creationem non est auctus. Nihil ergo eorum, quæ ex creatione sunt, Deum auget.*

Nihil eorum, quæ ex creatione sunt, Deum auget.

Ergo à magnitudine speciei & Creaturæ, uti ait Sapiens, (*Cap.* 13.) cognoscibiliter poterit Creator horum videri: si virtutem & opera eorum mirati sunt, (ponit antecedenter,) intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. Ita planè si vim stupendam in sole, luna, stellis, cælis, elementis, ac potissimùm igne, in ventis, pluvijs, tonitruis, fulminibus, in terrestribus plantis, herbis, arboribus admirati sunt Ethnici, poterant intelligere longè majorem magisq; admirandam esse Dei omnipotentiam, omnium virium creatarum auctricem, quas etiam potest facere multò fortiores & efficaciores; & quas cùm ipsi libet, rebus creatis adimere potest & revocare.

Dei mirabilia in sole, in igne, in leonibus, in mari.

Patuit hoc in sole, cujus motum & cursum stitit ad imperium Josue, (*c.* 10) quem retrogradi fecit decem lineis pro signo vitæ Ezechiæ Regi prolongandæ. *Isa.* 38.) Patuit in igne, cui vim urendi tres pueros ipsi fideles, in fornace Babylonica ademit; *Dan.* 3.) in leonibus, quibus fauces ad nocendum Danieli præclusit; (*Dan.* 6) in mari cujus fluxum impedivit, quod divisit, ita ut aquas ad instar muri stare fecerit ad Moysis jussionem, ut filij Israel transirent per siccum in medio ejus. (*Exod.* 14.) Ita Author naturæ cursum rerum potest cùm voluerit immutare. Voluntati enim ejus quis resistere potest? (*Rom.* 9.) Ita Deus Regi Job ex magnitudine terræ, maris nubium, pluviarum, tonitruorum, fulminū, Behemoth, id est elephantis ac Leviathan, id est Ceti seu Balenæ, aliorumq; suam ad oculum magnificentiam repræsentat.

S. Dionysius

Sic ergò juxta Sanctum Dionysium *Deus conspicitur ex ordinatissima creaturarum omnium dispositione; quia mundi fabrica Divinarum rerum quæ non videntur, est integumentum;*

Plato.

& secundùm Platonem *ex pulchritudine rerum creatarum pulchritudo quædam cernitur admiranda Divinitatis.* Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. (*Ps.* 18.) Plena est omnis terra gloria ejus. (*Is.* 6)

S. Augustin.

Pulcherrimè D. Augustinus alloquitur Deum: *Cælum & terra clamant, quod facta sunt. Tu Domine fecisti ea, qui pulcher es, pulchra sunt enim; qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim. Sed nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut Tu Conditor eorum: cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt.*

Cælum & terra in comparatione Creatoris, nihil sunt.

Nec minùs in Confessionibus suis præclare fatetur: *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua & tam nova, serò te amavi. Et ecce intus eras, & ego foris & alibi te quærebam, & in ista formosa quæ fecisti, deformis irruebam.*

Idem.

Et in Soliloquiis inquit: *Circuibam omnia quærens te, & propter omnia derelinquens me,* (ubi terram, aërem, cælum, solem, lunam & stellas, ac denique totam mundi molem interrogat) *Dic mihi si es Deus an non?*

Cuncta creata Deum loquuntur.

Et respondit voce forti. Non sum, inquit, ego, sed per ipsum sum eg
quem quæris in me, ipse fecit me. Super me quære eum qui regit m
qui fecit te. Interrogatio Creaturarum, est profunda consideratio ip-
sarum. Responsio earum, est attestatio ipsarum de Deo, quoniam om-
nia clamant, Deus nos fecit & non ipsi nos. [Ps. 99.] Ac tande
Idem. adnectit. *Tu Domine principium omnium atq; finis, qui es ante pr-*
mordia seculorum & ante omnes seculorum origines. Tu es Deus me
& Dominus omnium bonorum quæ creasti, & apud te omnium stab-
lium sunt causæ, & omnium mutabilium apud te immutabiles sta
& manent origines: & omnium rationalium & irrationalium atq
temporalium sempiternæ vivunt rationes. Hæc augustè S. Augusti

Naturæ viribus cognosci potest, Deum esse, & esse unum.

Hic licet arguere, quòd viribus naturæ possit cognosci Deum esse, &
esse unum: Trinum autem esse, non nisi per revelationem verbi D-
vini Incarnati nobis innotuisse. Aliquam quidem in Deo pluralita
indicat Scriptura Sacra, in Genesi *c*, 1.) Deum inducens loquente
Faciamus hominem, (*ubi Deus Pater alloquitur suum Filium & Spi-*
ritum Sanctum, teste Sancto Basilio *quasi collegas suos ejusdem se*
naturæ, potentiæ & operationis) faciamus adjutoriū simile sibi: Ecc
Adam quasi unus ex nobis factus est. *Gen.* 3. Trinitatem tamen &

Trinitas & unitas innuitur.

I. Unitatem specificè illi Seraphini apud Isaiam *c.* 6. clamantes, Sanct
Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, manifestant. Declara
II. & Regius Vates ter Deum replicans: (*Ps.* 66.) Benedicat nos De
Deus noster, benedicat nos Deus. Nec minus Moyses indigitat dicēs
III. Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est. Hebræo textu le-
gitur, Deus Deus noster Deus unus est. Sed & ipse Deus Moysi im-
IV. perans: *Exod.* 3. Hæc dices filijs Israel Dominus Deus Patrum vestro-
rum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob misit me ad vos; ter-
na Dei repetitione Triadem in Monade patefacit, juxta D. Basilium
Nomen enim Deus ter repetitum significat unitatem essentiæ in tri-
V. bus personis. Rursus Abraham repræsentat Deum Patrem, Isaac Fi-
lium, Jacob Spiritum Sanctum, qui uti Jacob ex Abraham per Isaac
ita ex Patre per filium procedit. Nomina porrò Dei apud Hebræos

Nomina Dei 10 apud Hebræos.

decem esse notat D. Hieronymus. *El* id est fortis: *Eloha* quô provi-
dens, gubernans, judicans & vindicans designatur: *Elohim* quod est
pluralem antecedentis multitudinem denotans: *Sabaoth* quod satiùs
est cognomen Dei, quod adjungitur Domino, & significat Copias,
exercitus, virtutes: *Elion* id est excelsus: *Eieaser eje* sum qui sum,
vel qui est: *Adonai* id est Dominus: *Jah* abbreviatum ex *Jehova*,
uti patet in Halleluia, quod est laudate Deum: *Saddai* munificus, li-
beralis, omnipotens, mammeus, sive cornucopiæ: *Jehova* nomen Dei
ineffabile, nec; ab Hebræis nominabile nisi per literas *Jod*, *he*, *vau*,
he; quod in se cōtinet mysterium Sanctissimæ Trinitatis. *Jod* enim
litera est index & principium numeri denarij, significans primam per-
sonam Patris. *He* designat essentiam & substantiam à Radice *haja*,
quæ esse significat, monstratq; esse Filio commune cum Patre, cui est

consub-

onſubſtantialis. *He* quoque denotat per Filium omnes res creatas
ſſe, ſuamq; ab eo eſſentiam accepiſſe. Omnia enim per Verbum fa- *Explicatio literarum Jehovah.*
ti ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. (*Ioan.* 1.) Tertia *vau* tertiam
erſonam Spiritûs Sancti indigitat, quæ eſt copula ſignificans & vel
tq; quia Spiritus Sanctus eſt copula, unio & amor Patris & Filij no-
ionalis. Quarta litera *he* geminata duas naturas in Filio Divinam &
umanam exponit: quæ etiam in nominibus Abram & Sarai fuit
uperaddita, ut vocaretur Abraham & Sarah, (*Gen.* 17.) ad indican-
um Filium Dei ex ipſis fore incarnandum. Græcus Scholiaſtes pro
o quod habetur: & nomen meum Adonai, (in Hebræo eſt Jeho-
a) non indicavi eis, (*Ex.* 6.) vertit, *non indicavi eis nomen Patris
& Filij & Spiritus Sancti.* Cur autem nomen Jehova ſit quadrilite- *Cur ſit quadriliterum?*
um ratio eſt, quòd apud Hebræos nomina perfecta talia ſunt; tres e-
im thematis ſive radicis literas habent, cui quartam *hee* manticam,
ve nominis formationem addunt. Sed etiam numerus quaternarius
t ex paribus: primus perfectus, conſtans principio, medio & fine; *Numeri quaternarij perfectio.*
ſtituens quadrum ſive quadratum geometricum quæ eſt figura ſo-
idiſſima & firmiſſima. Unde & Civitas cæleſtis in quadro poſita di-
itur in Apocalypſi *c.* 21. eſtq; hic numerus virtute omnia repræſen-
ns. Omnis qualitas habens in ſe longitudinē, latitudinem, altitu-
inem & profundum; omne elementum ignis, aëris, aquæ, terræ:
mnis virtus prudentiâ, juſtitiâ, temperantiâ, & fortitudine conſtãs.
inc etiam coram Deo apud Ezechielem *c.* 10. quatuor Cherubim,
Apocalypſi *c.* 4. quatuor animalia. Cùm autem hæ quatuor lite-
e nominis Jehova ſint apud Hebræos quieſcentes, in Deo ſolo ve-
m & ſolidam quietem conſiſtere manifeſtant. Porrò dicitur Deus *Deus excelſus dicitur propter triplicem ſublimitatem.*
xcelſus (*Pſ.* 77.) propter triplicem ſublimitatem, quam in Deo ve-
erari tenemur: Entis, quòd ſit primum & ſummum Ens; cauſali- I. II.
tis, quòd ſit prima cauſa à qua cæteræ cauſæ dependent univerſæ;
perfectionis quòd ſit ſumma & infinita perfectio. Ultimariè Sapi- III.
s innuit magnam horum abſurditatem, miſeriā & infelicitatē dicēs:
13. Infelices autē ſunt & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appel- *Infelicitas Gentilium, opera manuum hominum pro Dijs habentiū.*
verunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis
ventionem & ſimilitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus
anus antiquæ: Vbi etiam ex ligno fabrefacta inducit. Similiter in-
hiam & indignitatem eorum redarguit Doctor gentium, (*Rom.* 1.)
i mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imagi-
s corruptibilis, hominis & volucrium & quadrupedium & ſerpen-
um; qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium. Sanctus
uguſtinus nominat adhuc pejorem hanc veſaniam: *Eſt alius dete-
or & inferior cultus ſimulachrorum* inquit, *quo phantaſmata ſua co-* S. Auguſt.
*nt, & quidquid animo errante cum ſuperbia ac tumore imaginati
erint, religionis nomine obſervant.* Et hæ fuerunt fatuæ vanitates
ominum Gentilium, Dei ſcientiam non habentium, Deum verum
norantium. Sed hoc intolerabilius eſt, quando fideles Deum co-

gnoſcentes alios ſibi formant Deos quibus ſerviunt. Hi ſunt, quorum Deus venter eſt, (*Phil. 3.*) carnis voluptatibus dediti, qui ſerviunt mammonæ, divitijs immerſi, qui mundum in maligno poſitum (*1. Joan.* 5.) diligunt, & ea quæ in mundo ſunt, (1. *Joan.* 2.) ipſo ſæculo abutuntur. Hi ducunt jugum Diaboli cum infidelibus, [*2. Cor.* 6.] qui tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum, id eſt mundum, & huj⁹ dominum non invenerunt. Contra hanc trinitatē mundi perverſam & iniquā, videlicet concupiſcentiā carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ 1. *Joan.* 2.) ſit nobis Sanctiſſima Trinitas Patris & Filij & Spiritûs S. in amore, cultu & veneratione, cui Eccleſia noſtra cum Monaſterio eſt dedicata. Ipſe verò mundus, qui eſt liber Divinitatis, & hoc ſeculum, quod eſt ſpeculum Divinorum, ſerviat nobis pro ſcala ad Deum cognoſcendum, contemplandum, diligendum, & quærendum. Undique nobis omnia reſonant Conditorem; *& ipſæ ſpecies Creaturarum* teſte Divo Auguſtino, *voces ſunt quædam Creatorem laudantium.* Orbis hic eſt pictura pulcherrima, rapiens ad ſe oculos, ſed magis ad authorem hujus picturæ pulcherrimum, qui eſt ſpecioſus formâ præ filijs hominum, [*Pſ.* 44] & præ omnibus creaturis. Orbis terræ eſt totius mundi templum, in quo velut tabernaculo faciamus quod fecit Rex Vatum: (*Pſ.* 26.) Circuivi, nimirum omnes creaturas, & immolavi in tabernaculo ej⁹ hoſtiam vociferationis; omnis laus, omnis oblatio omnium ad Deum referenda. Pro *hoſtia vociferationis* S. Auguſtinus legit *hoſtiam jubilationis*; aitque: *immolamus hoſtiam lætitiæ, hoſtiam gratulationis, hoſtiam gratiarum actionis, quæ verbis explicari non poteſt.* Vnde ſubinfert. *Si in iſtis creaturis ſic laborat humanus ſermo (quis enim explicet laudibus univerſam creaturam? in Creatore quid agit? niſi ſola reſtat ſermone deficiente jubilatio.* Concludo ejuſdem ſummi Doctoris verbis. *Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati & diffuſi aeris, interroga pulchritudinem cæli, interroga ordinem ſiderum, interroga ſolem fulgore ſuo diem clarificantem, interroga lunam fulgore ſuo ſequentis noctis tenebras temperantem, interroga animalia quæ moventur in aquis, in terris, quæ volant in aere, latentes animas, perſpicua corpora, viſibilia regenda, inviſibiles regentes. Interroga iſta & reſpondent tibi omnia: Ecce vide pulchra ſumus; pulchritudo eorum confeſſio eorum eſt. Iſta pulchra mutabilia quis fecit, niſi incōmutabilis pulcher in ſeipſo?* Ita D. Auguſtinus. Planè confeſſio & pulchritudo in cōſpectu ejus, ſanctitas & magnificentia in ſanctificatione ejus. (*Pſ.* 95.) Sed ſi ex hoc magno mundo Deum agnoſcere & amare debemus, quantò majora motiva habemus ex nobis ipſis, qui ſumus parvus mundus, Deum cognoſcendi & amandi? ſumus compendium & horizon univerſi, ſuperius hemiſphærium, cælum & Angelos, & inferius terram & bruta diſterminantes, quia ex utroq; participantes. Tempus vitæ noſtræ eſt horizon æternitatis, diſtingvens æternitatem beatam quæ in cælis; & pænoſam

Iniquitas fidelium, relicto Deo vero, ſervientium ventri, mammonæ, mundo, falſis Dijs.

Contra hanc trinitatem, SS Trinitas colenda.

Orbis terræ, totius mundi templum.

In quo quid faciendum?

S. Auguſt.

Idem.

Omnis creatura in cælo & ſub cælo Deum confitetur.

pænosam, quæ apud inferos est, utriusq; habens participium. Hoc tempus sic illi Trinitati Divinæ, ad cujus imaginē creati sumus, per memoriam, intellectum & voluntatem in anima impendam⁹, ut specie nostri, & creaturarum minimè delectati, Dominatorem eorum speciosiorem, *Sap.* 13.) & omnis speciei Genesiarcham respiciamus, æstimemus, diligamus, quatenùs damnatorum æternitatem evadamus, beatorum perennitatem in cælo omnium locorum speciosissimo adipiscamur.

Tempus vitæ nostræ, SSmæ Trinitati quomodo impendendum?

Sermo In Festo Corporis Christi.

Speciosus forma præ filijs hominum. Psal. 44.

QUid enim bonum ejus est, nimirum filiorum Sion, populi Dei, Ecclesiæ fidelium, interrogat Propheta Zacharias, *c.* 9. & quid pulchrum ejus? Respondetque sibi: nisi frumentum electorum & vinum germinans Virgines? Quid clarius, quid apertius, quid evidentius de mysterio Sanctissimæ Eucharistiæ potuit unquam prophetizari & edici? in quo quod optimum & quod pulcherrimum in orbe potest adinveniri, reperitur: videlicet Filius Dei & Filius Virginis cum corpore & sangvine suo sub speciebus panis & vini conclusus, verè Deus absconditus & Salvator, (*Is.* 45.) ille ipse Magister bonus (*Matt.* 19) pascens nos corpore suo, & sangvine potans, speciosus forma præ filijs hominum. O quàm profusa bonitas! & pulchritudo Dei quàm stupenda! Quomodocunque sumatur hic textus; si ad literam, quid magis desiderabile quàm frumentum pro panis manducatione, & vinum tam pro sitis refrigerio, quàm pro corporis nutrimento? Acsi diceret: O quantæ bonitatis & pulchritudinis erit ager ille populo suo assignatus, qui frumentum generabit, quod electos juvenes faciet & robustos; panis enim ex frumento confect⁹ confortat cor hominis: & vinū germinabit, quod lætificans cor hominis, virgines florentes, nitidas & pulchras exhibebit. Si mysticè in figura intelligatur, & pro alimonia spirituali sumatur, quàm bona & pulchra fuit lex & doctrina Moysis ac Prophetarum, mentes Judæorum tam juvenum quàm virginum pascens, sed ob persecutiones collapsa: per Machabæos verò cum Dei cultu erecta, & in integrum restituta. Unde Chaldæus vertit: Quàm bona & pulchra est doctrina legis, & judicium veritatis directum in congregatione! vel si meliùs secundùm veritatem accipiatur pro lege & doctrina Evangelica, à Christo & Apostolis prædicata ac mentes hominum pascente, verè bona, verè pulchra! per quam electi juvenes semper, quia crescentes & proficientes ad fortitudinem, & Virgines ad castitatem animantur. Verùm optimè & præclarissimè tam quo ad literam, quàm quo ad mysticum sensum, frumentum hoc & vinum est Eucharistia, in qua Corpus Christi Domini sub speciebus panis è frumento confecti; & sangvis sub speciebus vini realiter & substantialiter per virtutem verborum Christi has species consecrantium ponitur

Text9 8. Scripturæ SS. Eucharistiæ accommodatus,

quid denotat literaliter?

quid mysticè in figura?

quid mysticè in veritate?

nitur, & præſentialiter ſiſtitur in altari, per quod Apoſtoli à Domi-
no electi & fideles ſelecti nutriuntur, corroborantur, ad certandum
fortiter contra hoſtes accenduntur; per vinum autem ſigillatim non
ad luxuriam ſed ad caſtitatem ſervandam excitantur, & à terrenis ad

Bonitas Chriſti in SS. Euchariſtia admiranda.

cæleſtia elevantur. Nonne hic bonitas Chriſti admiranda pateſcit?
Ipſe enim, qui eſt Summum bonum, ſe ipſum tantus quantus eſt,
cum tota Divinitate & humanitate ſua per immenſam bonitatem
hominibus communicat, & integrè dat ad manducandum & bi-

Pulchritudo illius,

bendum, eoſque ſibi incorporat, & tam in corpore quàm in animâ
conjungit. Nonne hìc maxima pulchritudo Chriſti eluceſcit? Ipſe
enim qui eſt in forma Dei, (*Phil.* 2) Verbum, imago, (*Colos.* 1.) &
pulchritudo Patris, & in forma hominis ſpecioſus forma præ filijs ho-
minum, (*Pſ.* 44.) ſe in panis & vini ſpeciebus velut ſol ſub nube ſpe-

cauſat pulchritudinem electorum.

cierum quidem latens, ſed fidei oculis patens, ſubſtantialiter præſen-
tat. Deinde in alijs cauſat pulchritudinem electorum & virginum
quæ ſpecioſiſſimæ ſupponuntur: quandoquidem in electis effici
florentem ſpiritûs & animæ juventutem, ad omne opus bonum ala-
crem (*Luc.* 22.) & vegetam; omnique Virgineæ caſtitatis puritate
excellentem, de quâ Sapiens: *O quàm pulchra eſt caſta generatio
cum claritate!* O quàm pulchra, dicere poſſumꝰ, nutritio electorum

Myſterium Paſſionis in SS. Euchariſtia repræſentatur.

& germinatio virginũ per SS. Euchariſtiæ Sacramentum! Rurſus pul-
cherrimè myſterium Paſſionis repræſentat, videlicet Chriſtum Do-
minum in Cruce immolatum quaſi occiſum & mortuum per ſepa-
rationem corporis à ſangvine. Et quænam in toto orbe victima fu-
it vel eſſe poteſt inter omnes pulcherrima in conſpectu Dei, & pre-
tioſiſſima, ipſoq; Deo digniſſima ac gratiſſima, ab immolatione Abel
juſti incipiendo uſque ad finem ſeculorum, præter hanc Dei homi-
nis in cruce? Hujus memorativum Sacramentum eſt Euchariſtia,
ſicut ipſemet præcepit: (*Luc.* 22.) Hoc facite in meam commemo-

Per quam pleniſſima Deo pro peccatis hominum fit ſatisfactio.

rationem. Per hanc pleniſſima & perfectiſſima pro injuria Deo per
peccata hominum illatâ fit ſatisfactio, honoris Divini per transgreſ-
ſionem mandati ejus reparatio, & hominum integra redemptio atq;
cum Deo reconciliatio. Deniq; quidni omni convivio præſtantiſſimo
eſt ſpecioſiſſima Euchariſtia, per quam Deus cum hominibꝰ conviva-
tur, proponitque eſcam dictam quidem Angelorum, qui eâ fruun-
tur, non tamen per Sacramentalem unionem, ſed per beatificam vi-
ſionem; verùm re ipſa Divinam, adeoque optimam & pulcherrimam
ſimul ac magnificentiſſimam; quandoquidem hâc majorem Deus

Majorem cibo Euchariſtico Deus exhibere non poteſt.

facere non poteſt. Confeſſio & magnificentia opus ejus, dicit Rex
Prophetarum. (*Pſ.* 110.) In Hebræo pro confeſſione eſt gloria, pro
magnificentia eſt decor vel pulchritudo: ſed fit confeſſio, quia ex
parte noſtra fateri cogimur Deum nos miſeros homines ſummè ex
parte ſua magnificaſſe. In quo tamen memoriam fecit mirabilium
ſuorum. *Ib.* Equidem quid mirabilius Deum pro homine, Creato-
rem pro creatura in cruce mori? Hoc fecit Chriſtus & præcepit per
Apoſto-

Apoſtolum fidelibus dici: (1. *Cor.* 11.) quotiescunque manducabisis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Ecquis fecit hanc memoriam mirabilium ſuorum? Miſericors & miſerator Dominus; (*Pſ.* 110.) miſericors per habitum virtutis miſericordiæ, miſerator per actum ejus. Quid fecit? Eſcam dedit timentibus ſe. *Ibid.* Nec ſimplicem; quia cibavit eos ex adipe frumenti. (*Pſ.* 80.) Hic conferamus textus adinvicem. Confeſſio & magnificentia opus ejus, inquit Propheta: (*Pſ.* 110.) Confeſſio hæc eſt laudis & gratiarum actionis pro ſummi Dei magnificentia. Ita Arabs vertit, Gratiarum actio & magnitudo decoris opus ejus. Syrus autem jungit: Glorioſa ſunt & magna opera ejus. Et juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi. Hoc ergo opus DEI, quod eſt Euchariſtia, eſt confeſſio, eſt laus DEI, eſt ſacrificium laudis quod honorificat hominem, & illic iter, quo oſtenditur ſalutare Dei, *Pſ.* 49. ibidem præſentis: eſt magnificentia Dei, tum quia in ſe maxima continet miracula & mirabilia, tum quia ſummam gratiarum abundantiam profundit in ſumentes ſe, manducantes ſe. Eſt juſtitia Dei, quia auget in juſtis gratiam, & vitam ſpiritualem juſtitiæ dat ipſis tanquam *Vita bonis.* Eſt juſtitia, quia *mors eſt malis* atque judicium ſibi manducat & bibit, qui non dijudicat Corpus Domini; (1. *Cor.* 11.) non tantùm judicium æternum ſed & temporale, quia ideo inter vos, ait Apoſtolus, *Ib.* in firmi multi & imbecilles, & dormiunt multi, id eſt moriuntur ante tempus. Sed ad ſumptionem hujus eſcæ datæ timentibus ſe, requiritur confeſſio peccatorum Sacramentalis. Probet autem ſeipſum homo, imperat Apoſtolus, *Ib.* id eſt, num dignus, num indignus, an eſt in ſtatu gratiæ, an peccati; quantumvis nemo ſcit, utrùm amore an odio dignus ſit: (*Eccl* 9.) probet ad lydium lapidem conſcientiæ; & ſic de pane illo edat & de calice bibat. (1. *Cor.* 11.) Poſt hoc *magnificentia Divina ſequitur confeſſionem*, ait Mellifluus Doctor: nam juxta Divum Auguſtinum *quid magnificentius quàm juſtificare impium?* Hæc eſt magnificentia Domini, juſtificatio peccatoris. Ita equidem ecquid magnificentius poteſt Deus facere, quàm hoſtem ſuum admittere ad gratiam propter pœnitentiam, & hoſte formare ſibi amicum, eumque ſanctificatione ſuâ beare, ſiq; conformare, omnes virtutes ſupernaturales, fidem, ſpem, charitatem, religionem & juſtitiam, ac alias reſtituere vel de novo infundere, ut ubi abundavit delictũ, ſuperabundet gratia. (*Rom.* 5.) Hæc ſanè eſt *magnificentia* juxta Divum Thomam, *magnarum & excelſarum rerum cum animi quadam ampla & ſplendida propoſitione cogitatio & adminiſtratio.* Ad correſpondendum huic magnificentiæ Divinæ, requiritur etiam ex parte noſtrâ magnificentia, quæ eſt magnorum & heroicorum operum efficientia ac munificentia. Hilares & liberales datores diligit Deus. (2. *Cor.* 9.) Virtuoſos cum magna reſolutione actus formare oportet ſi volumus reciprocâ uti magnificentiâ. Denique juſtitiam ſectari tenemur, quæ eſt Chriſtus, imò indu-

Quomodo confeſſio & magnificentia eſt Euchariſtia?

S. Thomas.

Ad ſumptionẽ SS. Sacramenti neceſſaria confeſſio.

S. Bernard.

S. Auguſtin.

Magnificentia Domini in quo?

S. Thomas.

Ad reſpondendum huic magnificentia, quid facto op9?

ere Christum ipsum in Eucharistia, uti mandat Apostolus, *Rom.* 13. qui est Sol justitiæ. *Mal.* 4 Sic erit anima mulier amicta sole. *Apoc.* 12.) Maximè Sacerdotes ejus induantur justitiam, (*Ps.* 131.) quod repetit alibi Propheta, dicens paulò aliter: Sacerdotes ejus induam salutari; quod S. Hieronymus vertit, *vestimento JESU*, quasi IESVS sit indumentum. O quàm pulchrum! ô quàm exoptandum! Sciendum tamen tam confessionem nostram quàm magnificentiam & justitiam esse opus Dei in nobis, unde pro hoc opere opem ejus debemus implorare. Deus est, teste Apostolo, [*Philip.* 2.] qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate, quod etiam fatetur Isaias: (*cap.* 26,) Omnia opera nostra operatus est in nobis. Et ipsemet Salvator ait: (*Joan.* 15.) sinè me nihil potestis facere. Ergo omnia per ipsum & cum ipso & in ipso possumus, tanquam palmites in vite manentes. Confessio & pulchritudo in conspectu ejus: hoc enim est pulcherrimum coram ipso, nihilum suum & turpitudinem suam confiteri: ipsum autem summum & omne bonum, summum & omne pulchrum agnoscere & amare, ac potissimùm in Eucharistia, quia nihil melius, nihil pulchrius reperitur, quia in ipsa omnis bonitas & pulchritudo Dei & Christi ejus, ac nostra comprehenditur. Snigillatim tamen Eucharistia est anacephalæosis & compendium omnium operum Dei mirabilium. Estne mirabile quid, creatio mundi? Omnino. Ecce hic nova & magis admiranda ejus creatio, quando ipse Dominus & Creator mundi, ac mundus in ipso, quasi creatur super altare, & integræ rerum substantiæ ac naturæ commutantur per realem panis in corpus Christi, & vini in Sangvinem ejus transsubstantiationem. Estne stupendum quid & ineffabile opus Dei Incarnatio? Imo vel maximè: per quam Verbum Caro factum est & habitavit in nobis. (*Joan.* 1.) Nonne in Eucharistia novo quodam modo fit incarnatio, quando de novo Verbum Divinum per verbum humanum quasi incarnatum sistitur & humanatum? Quis non miretur Filij Dei incarnati passionem, crucifixionem ac mortem, adeoque per hæc totius mundi redemptionem? Et hæc omnia commemorantur in Eucharistia & repræsentantur. Mirabile quid fuit Manna dictum panis cæli, panis Angelorum. (*Ps.* 77.) Multò mirabilior Eucharistia, quæ est panis verus, qui de cælo descendit. *Joan.* 6.) Patres antiquì manducaverunt Manna & mortui sunt. *Ibid.* Qui manducat hunc panem, vivet in æternum; *Ib.* quia hic panis Deus est, qui de cælo descendit, *Ibid.* [Non enim quà homo sed quà Deus descendit Christus] & dat vitam mundo: manducatus manet in homine semper præsens & assistens ei per Divinitatem suam, ipsique continuò vitam aspirans. Stupenda fuêre miracula per Christum Dominum patrata in vita: aquæ in vinum mutatio, (*Joan.* 2.) cæcorum, mutorum, surdorum, claudorum, leprosorum, paraliticorum curatio, dæmonum expulsio, mortuotum resuscitatio; hæc omnia miracula per eundem specialiter in Eucharistia exercentur; imò longè sublimiora

Confessio nostra & magnificentia, est opus Dei in nobis.

Eucharistia compendium est mirabilium Dei: Creationis mundi,

Incarnationis,

Est manna.

Eucharistia omnium Christi miraculorū maximum.

blimiora. Nonne excellentior est vini in sangvinē propriū quàm aquæ in vinum conversio; panis in carnem propriam transmutatio, quam panum aliquot multiplicatio? (*Joan.* 6) Jam quàm magnificata, quàm incomprehensibilia sunt opera tua Domine! (*Ps.* 103) quomodo totus quantus es, sedens ad dexteram Patris, Deus & homo, in uno hostiæ puncto consistas, imò in omnibus & singulis punctis integer comprehendaris; quomodo unus denique nōn in uno loco, sed in omnibus totius mundi partibus in tot Ecclesijs & altaribus reduplicatis, & unicuique homini exponis te ad manducandum: nec id uno tempore, sed singulis diebus per tot secula usque ad finem mundi, idque demùm supra naturæ cursum, accidentia panis & vini faciens per se subsistere sinè subjecto, acsi essent substantia. Quis hic non exclamet? Magnus es tu & magnitudinis tuæ non est finis, (*Ps.* 144.) faciens mirabilia, (*Ps.* 85.) tu es Deus solus. Sacrificia porrò quæ fuere ab initio mundi figurativa, hoc Eucharistiæ Sacrificium in se complectitur universa: per quod summè & præstantissimè Deus honoratur; quandoquidem ei non creatura aliqua sed ipse Deus & homo offertur, immolatur, ejusq; honori, laudi, & gloriæ quasi de novo mactatur & consumitur. Quin *ipsemet* ex sensu Sancti Patris nostri, *est Sacerdos & Sacrificium, qui offert, & ille cui offertur, & hoc quod offertur*: ubi ad imitationem ejus Sacerdos fit mediator Dei & hominum, (*1. Tim.* 2.) Deum hominibus propitium reddens, veniam ab eo, & omnes gratias pro omnibus vivis & defunctis impetrans, denique Deo pro cunctis peccatis satisfaciens, & pro omnibus beneficijs gratiarum persolvens actiones. Reverà quid bonum ejus est, & quid pulchrum ejus? nisi hoc frumentum electorum & vinum germinans virgines. (*Zach.* 9.) Hic dicit Christus: pulchritudo agri mecum est. (*Ps.* 49.) Est flos campi, [*Cant* 2.] sed habet pulchritudinem agri, in quo & frumenta seminantur, & vineæ plantantur, unde quidquid speciei in campis & agris habetur, ipsi debetur. Quidnam illud? Omne genus florum & herbarum; videlicet omnes virtutum decores, quia est verè objectum, circa quod omnes virtutum actus sunt exercendi. Magna hìc & viva fides requiritur, contra omnes sensus humanos credere præsentiam Corporis & Sangvinis Christi sub speciebus panis & vini. Spes insignis exoritur ex eo, *quod si ipsum totum nobis hic in terris Christus Dominus in cibum & potum donavit, multò magis id in futuro faciet*, uti ait S. Chrysostomus; *si ille qui nobis filium suum unigenitum dedit, quomodo non omnia nobis cum ipso donavit?* Religio summa hìc locum habet, ubi cultus latriæ Deo abscondito, (*Is.* 45.) exhibetur, acsi imperaretur è cœlo: Hìc Deum adora. Hìc reverentia tremendæ potestatis, adoratio immensæ Majestatis, æstimatio pretiosissimæ dignitatis, admiratio incomprehensæ bonitatis, benedictio profusæ benignitatis, anhelatio æternā felicitatē, gratiarum actio & vox laudis *Isa.* 51. pro inexhausta liberalitate, glorificatio augustissimæ Deitatis, desiderium Divinæ

Cuncta sacrificia figurativa ab origine mundi, in se complectitur.

S. Bernardus.

Omnes virtutum actus circa Eucharistiam sunt exercendi; singillatim Fidei, &

Spei,

S. Chrysost.

Religionis,

Amoris.

satietatis; super omnia autem amor Amoris infiniti exercendus, & ex intimis cordis visceribus ejaculandus; ubi Christus Amor amorum, accendens in nobis ardorem charitatis, velut ignis amoris inextingvibilis suum fixit tabernaculum. Ecce enim hic verè est tabernaculum Dei cum hominibus, & habitat cum eis, [*Apoc.* 21.] & erit usque ad consummationem seculi.! [*Matt.* 28.] O verè bonum! O verè pulchrum! pulchrum pro intellectu hominum, bonum pro voluntate eorũ & concupiscentiâ. Quid pulchri, quid boni quærimus Fratres in creaturis, cùm in hoc electorum frumento & vino virgines germinante, (*Zach.* 9.) summum & omne tam pulchrum quàm bonum possidemus? Quis hanc bonitatẽ, hanc pulchritudinem omni cultu, veneratione, æstimatione & dilectione non complectatur, sed & timore & tremore non concutiatur, Dominum Majestatis, Dominum universorum videndo & in se suscipiendo? Exclamemus cum Divo Augustino.

Eucharistia omnis boni & pulchri compendium.

S. Augustin.

O æterna veritas, & vera charitas & chara æternitas! Contremui amore & horrore, tanquam audirem vocem tuam de excelso: Cibus sum grandium. Cresce & manducabis me. Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. O pulcherrima bonitas! O optima pulchritudo speciosi formâ præ filijs hominum *Ps* 44. totum se impertientis filijs hominum & filiabus, ut sint electi juvenes, & selectæ virgines Divino hoc fructu frumenti & vini pasti, nutriti, & multiplicati, fructum resurrectionis beatæ, & vitæ æternæ ab eo, qui est resurrectio & vita, reportantes! Juremeritò dicendum mihi esset quæ præparatio sit facienda ad tantum bonum sumendum. Sufficiat unum innuisse, quòd sicut optimum cibi condimentum est fames, ita optimus accessus fiet per excitationem appetitûs. Provocetur orexis, nimirum ardens desiderium fruendi hoc cibo & potu, continuò ingeminando cum Amatore Jesu Mellifluo

Ad hanc quis accessus,

S. Bernard.

Desidero te millies, mi Jesu quando venies, me lætum quando facies, me de te quando saties. Ad talem accessum accedat similis recessus, videlicet per ingens desiderium, semper in se retinendi tam magnum & pulchrum bonum, cum eodem dicendo: *Mane nobiscum Domine, & nos illustra lumine, pulsâ noctis caligine, mentem replens dulcedine.* Pro utroque subnecto sententias binas.

quis recessus faciendus?

Media pro accessu,

S. Chrysost.

Pro accessu doceat nos Aureum Os, quomodo instar famelicorum infantûm, ad ubera matrum anhelantium sit accedendum: *Nonne videtis,* inquit, *quantâ promptitudine parvuli papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt.* Accedamus cum tantâ nos quoque alacritate ad hanc mensam, quinimò cum longè majori, trahamus tanquam infantes lactentes spiritûs gratiam, & unus sit nobis dolor hâc escâ privari. Benè gratiam esurire debemus ab Eucharistiâ, quia est bona gratia. Pro recessu ut hoc bono & pulchro quàm diutissime fruamur, illudque planè gustemus & sapiamus, debemus illud ipsum post sacram Synaxim diu & quàm devotissimè cum jubilo, & gratiarum actione ruminare, tantoque hospiti quàm strictis-

pro recessu.

simè

simè nosipsos totos unire atque impendere, qui totum se nobis largitus est. In quo consilium Sapientis sequamur dicentis: (*Eccli.* 14.) Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Sit ergo nobis *Jesu dilectio gratia mentis refectio, replens sinè fastidio, dans famem desiderio.* Qui hoc frumentum comedunt, adhuc esuriunt; qui hoc vinum bibunt adhuc sitiunt, desiderare nesciunt, nisi hoc bonum & pulchrum, utpote Jesum, quem diligunt incessanter & sine finè.

Sermo In Festo S. Joannis Baptistæ.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psal. 44.

COmmuniter quod pulchrum est, dicimus esse Angelicum; & quod deforme, diabolicum nominamus. PP. RR. FF. D. Et jure meritò, quia pulchritudo à virtute, deformitas à peccato trahit originem. In Angelis fuit virtus obedientiæ & humilitatis erga Deum: in diabolis fuit peccatum rebellionis & superbiæ contra Deum; inde illi gloriâ & honore decorati, isti ignominiâ & abjectione fædati extitêre. De Capite istorum & Antesignano loquitur Sacra Scriptura apud Ezechielem: *c.* 28. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore in delicijs paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentũ tuum, aurum opus decoris tui. Quid pulchrius, quid speciosius? Tales sunt omnes Angeli in cælo. Sed quid? dicit Deus: Peccasti, & ejeci te de monte Dei, & perdidi te. At quomodo peccavit? Elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam, speciem tuã in decore tuo. Sic in multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ (quâ alijs Angelis Lucifer eandem per modum alicujus commercij persvasit elationem mentis) polluisti sanctificationem tuam. (in qua à Deo creatus fuit) Pro his sceleribus quæ pœna? Producam ergo ignem de medio tui, (ita ultor peccati ignis ex ipso oritur peccatore) qui comedet te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te: denique nihili factus es, & non eris in perpetuum. (*Ibid.*) Volueras esse Deus pulcherrimus, factus es Satanas turpissimus. Hoc fit illis, qui volunt ascendere in montem superbiæ, *in quem*, ait D. *Augustinus ascendit Angelus, & descendit diabolus.* Ecce hodie per nativitatem Angelus nobis præsentatur, utique pulcherrimus quia humillimus. Hic est, testatur ipsa Divina Veritas, (*Luc.* 7.) de quo scriptũ est: (*Malac.* 3.) Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Angelicus ergo Joannes hodie nascitur; quidni & ipse speciosus formâ præ filijs hominum? (*Ps.* 44.) Non enim surrexit, teste eâdem Divinâ veritate, (*Matt.* 11.) Joanne Baptistâ major inter natos mulierũ. Et licet dicatur de Moyse in Deutoronomio, *c.* 34. quòd non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses: tamen adjungitur statim resolutio, dùm dicitur: quem nôsset Dominus facie ad faciem in omnibus signis & portentis, quæ misit per eũ, ut faceret in terra Ægypti, Pharaonis videlicet.

Pulchritudo Angelica & deformitas diabolica, in quo?

Superbia, ruina Luciferi.

Ejus pœna.

D. August.

S. Joannes in Nativitate sua Angelus.

In familiari Dei colloquio & potentia signorum Ægyptum vestati-
S. Joannes Moyse & cæteris Prophetis major. um non fuit similis Propheta Moysi, sed in alijs ipsi fuit similis Sa-
ctus Joannes, major ipso cæterisque Prophetis, quia hoc edicit ipsu
Dei Verbum, (*Mat.* 11.) quòd fuerit plùs quàm Propheta. Ergo &
Quare? I. plus quàm Moyses. Quare? Quia in utero sanctificatus, exultatione
suâ præsentiam Messiæ prophetavit, [*Luc.* 1.] quod nemo Prophe-
II. tarū fecit; quia primus baptismum instituit & exercuit, eoque Chri-
III. stum baptizavit; (*Mar.* 1.) quia primus regnum cælorum prædica-
IV. vit, multosque convertit, & in illud induxit; quia fuit homo missus à
Deo, (*Joann* 1.) ut esset Christi Præcursor ac Paranymphus, illum
orbi indicaret unicum Dei filium & Messiam promissum, quod offi-
cium tantæ est dignitatis, ut omnia Prophetarum officia transcenda;
V. quia à Malachia Propheta c. 3. Angelo comparatus, & diu ante pro-
missus, nec non per Eliam, Jeremiam & alios Prophetas præfiguratus;
VI. quia longè sublimior & abundantior fuit in Joanne spiritus prophe-
tiæ, genus vitæ, & gestorum ac mortis conclusio. Deniq; Joannes fuit
Joannes continuum quasi miraculum in conceptione, continuum quasi miraculum in conceptione ex parentibus sterilibus;
in utero Christum agnoscens, salutans & adorans, (*Luc.* 1.) in nati-
nativitate, vitate admirationem omnibus & gaudium pariens, in circumcisione
Patri loquelam restituens, *Ib.* in vita desertum viginti septem annis
in vita, inhabitans, locustis & melle sylvestri pastus; (*Mar.* 1.) in baptismo
in baptismo, vocem Patris cælestis audiens, & Spiritum Sanctum sicut columbam
in morte. descendentem in Filium Dei conspiciens: (*Matt.* 3.) in morte pe
adulteros capite plexus (*Matt.* 14.) licet innocentissimus. Omnia
hæc sunt in Joanne mirabilia & miraculosa, quæ nulli Prophetarum
Quomodo minor in regno cælorum, major Joanne? nec Moysi conveniunt. Addit tamen Veritas ipsa: Qui autem minor
est in regno cælorum, major est illo. (*Luc.* 7.) Quod quidem intel-
ligi potest de minimo Beatorum, quòd sit major Joanne mortali ad-
huc & viatore. Potius tamen sumendum est de ipso Christo, qui æ-
tate & opinione vulgi fuit Joanne minor in prædicando: sed major in
efficacia prædicandi, gratiam fidelibus infundendo, ut Regnum cælo-
S. Augustin. rum consequi mererentur. Sic explicat Divus Augustinus. *Ego Chri-
stus, qui Joanne minor sum ætate, eodem tamen major sum majestate,*
S. Cæsarius. *æternitate, potestate, gratiâ & gloriâ.* Et S. Cæsarius, *Christus* inquit
qui in regno cælorum est Angelis minor, (juxta Divum Paulum *Heb.*
2. modico quàm Angeli minoratus) *hìc tamen major est Joanne.* Mi-
In quo minor Angelis Christus? nuisti eū paulò minùs ab Angelis, id est, Christum, ait Propheta, (*Ps.*
8.) quo ad naturam humanam, idque in parva re, & parvo tempo-
re; videlicet in hac vita, in Cruce & morte habendo corpus mortale
& passibile, cùm Angeli sint immortales & gloriosi: sed nihilominus
eodem Apostolo teste (*Hebr.* 1.) Christus Dominus tantò melior
Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui
enim dixit Angelorum aliquando: Filius meus es tu, ego hodie ge-
nui te. Et licet apud Jobum c 38. Angeli vocentur filij Dei ab ipso
Deo dicente: Cùm me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes
filij

filij Dei; attamen solus Christus est Filius Dei naturaliter & essentialiter, quem cùm iterum introducit in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei. [*Hebr* 1.] nimirùm post resurrectionem & ad judicium extremum. Alias etiam primò per incarnationem introductũ in orbem terræ multitudo militiæ cælestis cum Angelo annunciante gaudium, adoravit. (*Luc.* 2.) Jam igitur *Joannes Angelus est non naturâ sed gratiâ*, uti Author operis imperfecti loquitur. *Mirabilis fuit, qui humanâ naturâ Angelicam sanctitatem transgressus est, & obtinuit, quod non habuit à natura per gratiam Dei.* Videamus quomodo Angelorũ qualitates Joanni conveniant. Ac primùm uti Angeli sunt nuntij Dei ac legati ad homines, ita Joannes fuit homo missus à Deo (*Joan.* 1.) non minùs ad populum Israel, ut ipsum ad cognitionem veri Messiæ Christi perduceret, tanquam testimonium perhibens de lumine, *Ibid* præeundo ante faciem Domini parare vias ejus. (*Luc.* 1.) Deinde Angeli creati sunt cum pleno usu rationis, judicij & liberi arbitrij, infantiæ ignari; Joannes sex tantùm menses infantiæ habuit in utero Matris, abhinc à Beatissima Christifera visitatus, sanctificatus in utero prophetavit, usumque rationis obtinuit, quando præ gaudio exultavit, atque Christum in utero matris agnovit, salutavit & adoravit. *Ib* Angeli nullo cibo corporali vescuntur: Joannes valde modico usus, ut pene instar Angeli vixerit in deserto. Hinc S. Basilius *totam vitam Joannis* asserit *fuisse continuum quoddã jejunium.* Quid dicemus de castitate ejus Angelica? *Si* juxta Divum Athanasiũ, *virginitas vita est Angelorum*, vel juxta Divum Augustinum, *virginalis integritas Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio*; equidem S. Joannes fuit instar Angeli, virgo natus ex parentibus sterilibus à concupiscentia defæcatis, ita ut per miraculum purus formaretur terrestris Angelus, isque perpetuus, etiam pro castitate occisus, redarguens Herodis adulterium cum Herodiade, (*Matt.* 14.) laureolam virginitatis laureola martirij coronavit. Ita sanè dicente Divo Hieronymo, *statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam familiam sibi instituit, ut qui ab Angelis adorabatur, haberet Angelos in terris.* Quæ autem sit differentia inter hominem castum & Angelum, docet S. Pater noster inquiens: *differt homo pudicus & Angelus non felicitate sed virtute: & illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur.* Hinc benè D. Ambrosius: *Quæ non nubunt neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei*; (Mat. 22.) ubi infert: *nemo ergo miretur si Angelis comparentur, qui Angelorum Domino copulantur.* Quodsi Angeli perpetuò vident faciem Patris qui in cælis est, (*Mat.* 18.) Joannes trimulus eremum incolens, cælesti vacans contemplationi, cum Deo tantùm & Angelis conversabatur, adeoque intellectu suo Deum semper respiciebat; Et sicut Angeli Deo astant & serviunt in cælo: ita Joannes velut Angelus præcessit Deum Incarnatum, eique ministravit. Unde de illo S. Petrus Damianus: *Joannes ita in terris, quasi in cælo versabatur.*

Filius Dei introductus in orbem terræ, & introducendus.

Joannes Angelus non naturâ sed gratiâ

Huic quomodo Angelorum qualitates conveniunt? I.

II.

III.

S. Basilius.

IV.

S. Augustin.

S. Hieron.

Differentia inter castum hominem & Angelum.

V.

VI.

S. Damian.

batur. Naturæ namq; necessitate superatâ mirabile quoddam peregi iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit; nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua semper offerebat colloquia. Si Angeli in gratia confirmati perstiterunt in statu suo;

VII. quidni Joannes acceptam semel gratiam sanctificationis in utero materno, eandem nunquam perdidit, imò nunquam peccando ad mortem illam conservavit? Si Angeli superiores docent inferiores, homines

VIII. quoque purgant, illustrant, perficiunt; hoc de Joanne testatur ipse ejus prænuntius Archangelus Gabriel, idem qui & ipsius Christi Domini fuit annuntiator: Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. (*Luc* 1.) De-

IX. *S. Joannes Spiritu Sancto Doctore usus in deserto.*

nique Divus Joannes nullũ alium Doctorem habuit in deserto præterquã Spiritum Sanctum, qui ei quævis altissima Dei & Christi mysteria revelavit, non tanquam homini sed velut Angelo, ex sensu Doctorum Ambrosij & Chrysostomi. Ibi intelligentiam scripturarum, imò virtutem loquendi & scribendi instar Hagiographi, ibi sapientiam zelum & ardorem hausit, ut esset Doctor orbis & Prædicator, ad fidem Messiæ conciliandam, nec esset simplex Angelus, sed illuminatus velut Cherubinus, accensus ut Seraphinus, nimirum juxta senten-

X. tiam æternæ Veritatis, lucerna ardens & lucens. (*Joan* 5.) Sanctitate enim suâ, virtutibus & officio omnes Angelos inferiores superavit. Hinc à Judæis æstimatus fuit tanquam Christus Messias. (*Joan* 1.) Notandũ tamen, quod post prædictum Angelum Præcursorem Messiæ, idem Propheta subnectit: (*Malac* 3.) Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quẽ vos vultis. Post illum Angelum alterum nominat Angelum testa-

Angelus testamenti quis?

menti, qui est ipse Messias legatus fœderis juxta Tigurina; & secundũ Arabicum, Nuntius vel Apostolus testamenti. Et quidem plurimi Sancti Patres censent Deum in veteri Testamento Abrahæ, Moysi & alijs in forma Angelorum apparentem fuisse Filium Dei, ad realem suum in carnem adventum præsignificandum, & ut ei typicè & umbraticè in corpore specietenus assumpto præluderet, adeoq; primum vetus testamentũ instituens & paciscens fuerit unius nuntius, quod Apostolus videtur innuere, dicens (*Gal* 3.) legem veterem datam in manu mediatoris, nimirum Christo mediante. Potissimùm tamen

Filius Dei in veteri testamento Patriarchis in forma Angeli apparebat.

Christus quomodo propriè Angelus testamenti?

& propriè Christus Dominus fuit Angelus sive legatus vel internuntius, conciliator & institutor novi testamenti, quod Deus per ipsum cum hominibus inijt, & per quod eis non bona carnalia, terrena & temporalia uti Judæis in antiquo fœdere, sed spiritualia, cælestia & æterna

Quæ bona exhibuit?

exhibuit per vetus pactum adumbrata. Illa autẽ fuêre remissio peccatorum, justitia, gratia, salus, vita æterna in regno cælorum, primò Judæis, deinde gentibus collata per Angelum nostrum, qui à 70 Interpretibus apud Isaiam *c.* 9. magni consilij Angelus vocatur. Fuit

autem Angelus novi Teſtamenti id eſt reconciliationis humanæ cum Deo, Pax noſtra imò Princeps pacis, (*Iſ.* 9.) de quo Rex vatum: [*Pſ.* 71.] Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis: abolitoque vetere Moſaico novum fœdus inter Deum & homines concluſit, quo Deus hominibus credentibus & pœnitentibus veniam, gratiam, & gloriam æternam ſe daturum obſtrinxit; cui homines viciſſim fideles ad obedientiam, & mandatorum ejus cuſtodiam, omnemq; cultum ſe obligârunt. Nonne magnum fœdus in ſe ipſo fecit, carnem aſſumens, terram cœlo, hominem Deo copulans, ac per vinculum unionis hypoſtaticæ tanquam arctiſſimo fœdere conjungens? Vltimò teſtamentum propriè dictum ſub ultimam cœnam ante mortem ſuam in ſanctiſſima Euchariſtia conſtituit, ſupremam voluntatem ſuam declarans, Corpus ſuum in cibum, Sangvinem in potum offerens: Hic eſt Sangvis novi Teſtamenti. (*Mat.* 26.) Denique ex ſenſu Divi Auguſtini, *Chriſtus dicitur Angelus propter Evangelium quod nunciavit hominibus. Nam ſi Græca iſta interpretemur & Evãgelium bona nunciatio eſt, & Angelus Nuncius eſt.* Quem vos vultis, dicit Propheta, (*Malac* 3.) nimirùm quem deſideratis, quem expectatis, uti deſiderium collium æternorum, (*Gen.* 49.) uti deſideratum cunctis gentibus (*Ag.* 2.) Meſſiam, de quo Moyſes ad Deum: Mitte quem miſſurus es. Duo igitur hìc Angeli nominantur, unus præcurrens & indicans ſequentem, alter ſubſequens præcurrentem, qui propriè dicitur Angelus teſtamenti. [*Exod.* 4.] Ille enim propter iſtum. Poſt me venit qui ante me factus eſt, ait Ioannes, & ego veni ut teſtimonium illi perhiberem. Et ſtatim poſt Ioannem venit, idem prædicans quod Ioannes: pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cælorum. (*Mat.* 3.) Vterq; tanquam Angelus cæleſtis, regnum cœlorum evangelizans, modumque porrigens per pœnitentiam ad ſtatum Angelicum & regnum cœlorum perveniendi. Joannes tamen utriusque legis tam veteris quàm novæ fuit horizon, fuit juxta Divum Thomam, *terminus legis & initium Evangelij*; juxta S. Gregorium Nazianzenum: *mediator novi & veteris Teſtamenti*; ſecundùm S. Chryſologum, *legis & gratiæ fibula, ad quem deſineret Judaiſmus, & à quo inciperet Chriſtianiſmus.* Verè poſt Chriſtum non ſurrexit major Joanne Baptiſtâ. *(Joan.* 1.) *Præcellit cunctis*, teſte Sancto Ambroſio, *eminet univerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & quiſquis ex muliere eſt, inferior eſt Joanne. Quiſquis Joanne plus eſt*, ait Sol Doctorum, *non tantùm homo, ſed & Deus eſt.* Pulchra Gerſonis conſideratio de Sancto Joanne: *videtur*, ait, *Joannes Baptiſta primus poſt Mariam poſitus in ordine Seraphinorum locò Luciferi. Dignus equidem locus Joanne velut magno Angelo poſt Reginam Angelorum, ſupra quam ſolus Deus, infra quam omne quod Deus non eſt.* Juremeritò ſedem Luciferi D. Joannes occupavit, quia uti ille Divinitatem ſibi arrogare præſumpſit: ideoq; corruit nihili factus, ita iſte Chriſti dignitatem,

Chriſtus pax noſtra.

Novum fœdus in Incarnatione,

novum teſtamentum in Euchariſtia.

Cur Chriſtus Angelus? S. Auguſt.

Angelus præcurrens Joannes, ſubſequẽs Chriſtus.

S. Joannes quid? D. Thomas. S. Gregorius Nazian. S. Chryſol.

S. Ambroſ.

S. Auguſt. Gerſon.

Locus S. Joannis in cælo.

Opponitur Lucifero.

licèt in opinione hominum poterat Christus æstimari, refugit ac de-
trectavit, confessus enim est & non negavit, Confessus est quia non
II. sum ego Christus, (*Joan.* 1.) ideoque surrexit major. Quin interro-
gatus quis esset ultimò respondit: Ego vox clamantis in deserto,
(*Ib*) quod Lucifer fecit, qui orbem posuit desertum [*Isa.* 14.] &
planè siluit omnis terra in conspectu ejus, *Ib.* siluit à laude Dei. Ni-
hil vilius, nihil exilius, nihil modestius voce assumere potuit Joannes
ad se patefaciendum quis esset; benè tamen vocem se dixit ad silen-
tium à Lucifero factum tollendum, post quem ipsum Verbum Dei
deberet clamare, & quasi tuba exaltare vocem suam. (*Isa* 58.) Op-
III. timè & pulcherrimè summæ Luciferi superbiæ summa Joannis respon-
det humilitas, & sicut ille tenebras peccatorum induxit in orbem ter-
rarū, sic iste velut Lucifer testimonium perhibuit de lumine venienti
Tertullian. in hunc mundum: (*Joan* 1.) *sicut Lucifer*, juxta Tertullianum, *finis*
fuit noctis & diei initium. Nox præcessit per damnatum Luciferum
IV. Angelum tenebrarum, dies appropinquavit (*Rom.* 13.) per electum
Luciferum Angelum lucis Joannem. Sic decebat ut solem justitiæ
(*Malac* 4.) præcurreret lucifer, speciosus speciosum formâ præ fili-
is hominum, (*Ps.* 44.) Quidni speciosus uterque, siquidem uterque
Angelus. Placet nobis ut simus Angeli? Audiamus S. Chrysostomi.
S. Chrysost. *Ergo si virtus Angelos facit, utiq; Angelos possumus facere etsi non na-*
Quomodò pos- *tura, certè proposito & electione. Nam hoc quidem absente nulla u-*
sumus fieri An- *tilitas est, Angeli esse naturam, id quod diabolus indicat qui ante*
geli? *Angelus fuerat. Hoc autem præsente, nullum damnum est hominem*
esse naturâ, ut in Joanne & Elia perspicuum est, qui in cœlum ascen-
Quæ virtus fa- *dit.* Sed quæ virtus nos facit Angelos? Nulla alia nisi puritas men-
cit Angelos? tis & corporis, mundities cordis. Et hæc quomodò acquiritur? Per
continuam pœnitentiam. Hujus autem quæ maxima basis & decor?
Humilitas. Ac proinde in Joanne exemplum humilitatis sequamur,
puritatem animæ & corporis imitemur, pœnitentiæ opera exequa-
mur, deformes diabolos eorumq; vitia exhorrescamus, pulchris An-
gelis eorumque virtutibus conformemur, ut hisce duobus speciosissi-
mis Angelis, Christo & Joanni in regno cœlorum conjungamur.

Exhortatio duorum post peractam pænitentiam propter Apostasiam.

AD exortū huj⁹ Luciferi Angelici, gratiæ prænuntij expergiscimini
vos quoq; qui hactenus in pulvere pœnitentiæ habitâstis, (*Is.* 26.)
non ut eam abjiciatis, quinimo ut eam continuetis, ita ut qui soli
DEO teste illam persolvebatis, jam nunc in facie omnium, in con-
sortio Fratrum ex modio in lucem sublati eandem præsentetis, qua-
tenùs cuncti videant opera vestra, (*Matt.* 5.) opera pœnitentiæ, &
terrestres quidem ædificentur, cœlestes verò gaudeant super vobis
pœnitentiam agentibus, & utrique glorificent Patrem luminum, à
quo omne datum bonum & omne donum perfectum, (*Jac.* 1.) eti-
am

jam pœnitentiæ provenit: Patrem qui in cœlis est, ut & vos velut filij prodigi, sed jam verè in vobis ad eum conversi dicatis: Pater peccavimus in cœlum & coram te, jam non sumus digni vocari filij tui; fac nos sicut mercenarios in domo tua, (*Luc.* 15.) ut pro mercede æterna DEO serviatis. Fuistis hactenùs in deserto solitudinis, manete in eodem soli cum Deo, Deo soli & vestræ saluti intendentes per observantiam Regulæ Sanctæ, & votorum vestrorum quæ distinxerunt Deo labia vestra. (*Ps.* 65.) Vovistis stabilitatem vestram & conversionem morum vestrorum, & obedientiam secundùm Regulam S. Benedicti coram Deo & omnibus Sanctis ejus? Ergo reddite vota vestra eidem Deo terribili, qui aufert spiritum Principum, (*Ps.* 75.) quidni vestrum omni momento auferre potest? Interea in silentio & spe sit fortitudo vestra, (*Is.* 30.) & recumbetis in novissimo loco, donec vobis dicatur: ascendite superiùs; (*Luc.* 14.) qui enim se verè humiliat exaltabitur. Sola pœnitentia & humilitas potest vos in gradum pristinum restituere, inde consurget vobis honor coram discumbentibus. (*Ib.*) Custodite innocentiam & videte æquitatem, declinate à malo in quo fuistis, & facite bonum (*Psal.* 36.) ad quod venistis, & inhabitate in domo quam elegistis. (*Ps.* 131.) Eligite magis hic esse abjecti in domo Dei, quàm habitare in habitaculis peccatorum, (*Psal.* 83.) & erunt reliquiæ vobis hominibus pacis, reliquiæ honoris, æstimationis, & reputationis apud DEUM & apud homines.

Sermo in Festo SS. Petri & Pauli

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psal. 44.

EGo ipse qui loquebar ecce adsum, pollicetur Verbum Dei adventum suum in carnem apud Isaiam Prophetam: (*cap.* 52.) quia veraciter juxta Apostolum, (*Heb.* 1.) multifariam multisq; modis olim *D*eus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio suo Verbo caro facto pleno gratiæ & veritatis. [*Joan.* 1.] Hic ascendens è terra in cælum electis à se Apostolis id est Legatis suis missis in orbem terrarum legatione ejus fungentibus 2.*Cor.* 5. imperat: (*Mar.* 16.) Euntes in mundum universum, totique pedibus, prædicate Evangelium omni creaturæ, id est homini, qui est compendium omnium creaturarum. Hosce pedes advenientis Filij Dei, & Apostolorum ejus considerans Isaias consequenter exclamat. (*c.* 52.) Quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicēs Syon: regnabit Deus tuus. Hunc textum magnus Apostolus enunciat de Apostolis dicens. (R*om.* 10.) Quomodò prædicabunt nisi mittantur, sicut scriptum est: quàm speciosi pedes evangelizantium pacē, evangelizantium bona? Quia & ipsius Christi Domini pedes quando non tantùm circuibat totam Galilæam prædicans Evāgelium regni Dei, sed etiam circuibat omnes civitates & castella do-

Apostoli Legati à Verbo Dei missi.

Pedes Christi & Apostolorū

cens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem langvorem, & omnem infirmitatem; & pertransijt benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, (*Act.* 10.) erant verè speciosi tanquam speciosi formâ præ filijs hominum; (*Psal.* 44.) & Apostolorum pedes quando non tantùm egressi circuibant per castella evangelizantes & curantes ubique; (*Luc.* 9.) sed multò magis quando profecti in mundum universum prædicaverunt ubique, Domino cooperante & sermonē confirmante sequentibus signis; (*Mar.* 16.) quidni pulchri & speciosi erant pedes ministrantium præfato speciosos præ filijs hominum, ab ipso omnem speciositatem participante! Quid tamen est, quod non caput in quo sapientia residet, non facies in qua exteriùs virtutum interiorum resplendet forma, non os & lingva inservientes evangelizationi, non manus quæ ad fortia mittuntur genuinæ bonorum operum effectrices, non alia membra in evangelizantibus Apostolis laudantur, sed pedes? Crediderim, quia totius corporis bajuli sunt, omnia præfata gestantes, & evangelizandæ pacis cum Deo, annunciandorum bonorum, prædicandi verbi Divini, gratiæ & salutis propalandæ primarij fuêre Ministri speciosa portantes ipsi quoque speciosi. Laus pedum sumi potest à velocitate, quæ in Apostolis tanta erat, ut currerent & non deficerent atque velut nubes volarent. Quisque Apostolus poterat gloriari cum Propheta: (*Ps.* 17.) perfecit pedes meos tanquam cervorum, super excelsa statuens me, quia supra montes evangelizabant; è cathedra loco altiore prædicabant, ut ab omnibus viderentur & audirentur. Nec minùs à fortitudine & firmitate pedes celebrantur. Supra petram seipsum statuit pedes Apostolorum, ita ut nemo eorum posset dicere: motus est pes meus; (*Ps.* 93.) pes eorum stetit semper in directo, (*Ps.* 25.) nimirùm Evangelio Christi intentè prædicando. Non dedit Christus in commotionem pedes [*Ps.* 120.] Legatorum suorum. Nec postrema pedum laudatio est à munditie. Hæc ut adesset pedibus Apostolorum, juremeritò Christus Dominus lavit pedes eorum. (*Joan.* 13.) Quid super hac lotione Christi discurrat S. Augustinus, audiamus. *Quid mirum, si surrexit à cœna & posuit vestimenta sua, qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinanivit? Quid mirum, si misit aquam in pelvim unde lavaret pedes discipulorum,* (Joan. 13.) *qui in terram sangvinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? Quid mirum, si linteo quo erat præcinctus pedes quos laverat tersit,* (Ib.) *qui carne quâ erat indutus, Evangelistarum vestigia confirmavit?* Hæc D. Augustinus. Nec propter solam munditiem hæc lotio pedum à Christo Domino facta est, sed primariò juxta S. Cyrillum, *ad exemplum summæ humilitatis, immensæ charitatis imitandæ tam Apostolis quàm reliquis fidelibus demonstrandum.* Hinc dixit: si ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis ita & vos faciatis. (*Ib.*) Deinde pate[t] exind[e]

Marginal notes: *speciosi,* — *Cur nulla membra sed pedes tantùm laudantur?* — *Laus pedum I. à velocitate,* — *II. à fortitudine & firmitate,* — III. *à munditie.* — S. August. — *Cur lotio pedũ Apostolicorum facta?* I. — S. Cyrillus. II. — III.

exinde pœnitentiam, quæ eſt lotio animæ ſpiritualis, præmittendam eſſe Euchariſtiæ. Sic in veteri Teſtamento Sacerdotes ad ſacra facienda acceſſuri in labro æneo lavabant manus & pedes (*Ex.* 30.) corporalis puritatis gratiâ, quidni in novo id faciant causâ munditiei ſpiritualis? Ex hac lotione Apoſtolica pedum à Chriſto facta eliciunt SS. Patres Chriſtum in baptiſmo abluiſſe caput originalis peccati & manus actualium peccatorum; abluendo verò pedes reliquias peccati originalis, id eſt, motus concupiſcentiæ expurgâſſe, adeoq; pedes, id eſt, affect⁹ roborâſſe ut generosè cupiditatibus reſiſtant. Ac ideo Petro offerenti ſe ac dicenti: Dñe non tantùm pedes meos ſed & manus & caput, (*Joan.* 13.) reſpondit Chriſtus: qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. *Ib.* Quod dixit non tam alludendo ad morem balneantium, qui in corpore toto loti, nudos pedes quibus terram calcant poſtremò abluunt tanquàm à terra inquinatos; ſed etiam de ſpirituali lotione indigitando, acſi diceret: qui caput & manus per baptiſmum vel contritionem & pœnitentiam abluit, totus eſt in anima mundus, nec eget niſi ut pedes, id eſt, animi affectus, qui ex terrenarum rerum, cum quibus & in quibus verſantur & commorantur infectione ſubinde maculantur, levesque contrahunt ſordes, ſæpè per actus contritionis & mortificationis expurget, idque potiſſimùm ante ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem. Auſcultemus deſuper Sanctum Patrem noſtrum. *Lotus eſt, qui gravia peccata non habet, cujus caput id eſt intentio, & manus id eſt operatio & converſatio munda eſt, ſed pedes qui ſunt animæ affectiones dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi eſſe non poſſunt, quin aliquando vani tati, aliquando voluptati & curioſitati plùs quàm oporteat, cedat animus vel ad horam. In multis enim offendimus omnes.* (Jac. 3.) *Verumtamen nemo contemnat aut parvi pendat. Impoſſibile enim eſt um eis ſalvari, impoſſibile eſt ea dilui niſi per Chriſtum Jeſum & à Chriſto.* Ita Sanctus Pater. Porrò quod Chriſtus Dominus Apoſtolos baptizaverit, indubium eſt, quibus dixit: & vos mundi eſtis ſed ion omnes, (*Joan.* 13.) nimirùm excepto Juda in ſtatu perditionis onſtituto. Dein' lavit pedes eorũ, peccata venialia in illis expurgãdo, c per tantam humiliationem ſui ipſorum corda compungendo, ita t internam lotionem per contritionem facerent in anima, per quam enialia peccata expurgantur, ut ſic digni cœnâ Dominicâ redderenur; utrumque Dominus proditori ſuo non denegavit, lotionem videlicet ac Euchariſtiæ communionem, licèt ipſi non profuerit ad ſatem, ſed potiùs ad majorem damnationem. Quis non fatebitur Apoſtolorum fuiſſe pedes munditſimos, ab ipſo puritatis fonte emunatos? Inde ſequitur, quarta pedum laus, ſpecioſitas, per quam tàm plendor doctrinæ & ſapientiæ Evangelicæ, quàm fulgor pietatis & irtutis Apoſtolicæ deſignatur. Omnes hæ pedum Apoſtolicorum udationes haud dubiè hodiernis Apoſtolorum Principibus primariò onveniunt, qui à ſolis ortu uſq; ad occaſum laudabile nomen Domini

Quid lotio capitis, manũ & pedum ſignificet.

S. Bernardus

Apoſtoli à Chriſto Domino baptizati ſunt.

IV. *Cur lotio pedum?*

Laus pedum IV.

Pedes Principum Apoſtolicorum laudabiles.

mini (*Ps.* 112.) circumferentes, Asiam, Africam & Europam velociter pedibus suis peragrârunt. In petra Christo firmiter steterunt vestigia ejus fortiter presserunt, qui statuit in loco spatioso orbis pedes eorum, (*Ps.* 30.) ut ponerent inimicos Dei & Christi scabellum pedum Divinorum. Quin ipsimet ponebant pedes super colla Gentium, captivantes eos in obsequium fidei, & sub jugum svave Evãgelij trahentes, omnia subjicientes sub pedibus Christi, ut adoretur scabellũ pedum ej⁹ quoniam sanctũ est, (*Ps.* 98.) quod est Cathedra

Limina Apostolorum veneranda

prima & primaria omniũ Apostolica Romana. Nonne limina eorum sacrosancta etiam Regib⁹ & Principibus frequentata, toti orbi sum̃ sunt venerationi? Nonne jure justissimo pedibus Sedis Apostolicæ e merito Principum nostrorum, & respectu Majestatis Christi osculi infiguntur? ut verificetur vaticinium Isaiæ: (*c.* 49.) erunt Reges nutritij tui & Reginæ nutrices tuæ. Et alibi, (*c.* 60.) Mammillâ Regum lactaberis, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Quodipsum Regius Vates (*Ps.* 71.) asseri de Christo Domino: coram illo procident Æthiopes & inimici eju terram lingent. Hoc autem fieri cœptum est à Constantini Magni temporibus, ubi decus Ecclesiæ Catholicæ affulsit, & speciositas pe

Non tantùm liminibus Apostolorum sed & pedibus Episcoporum aliorum advolvebãtur Reges, Leo Castri9.

dum Evangelicorum radiavit. Hinc non tantùm primariæ Romanæ Sedis Apostolicæ scabello honor hic habitus, sed & aliorum Episcoporum tanquam Vicariorum Christi pedibus Reges & Principes advolvebantur. De Regibus Hispaniæ scribit Leo Castrius; *In vetustissimo codice Ordinis Sancti Benedicti reperi*, inquit, *olim Reges Hispaniæ cùm adirent Episcoporum Synodum, procumbere solitos toto corpore ad terram, ante ipsos Episcopos terram osculari neq; priùs attollere se humo, quàm è suis illi sedibus surgerent, & Reges eorum pedibus circumfusos brachijs attollerent & in sella regia pro dignitate collocarent.* De Regibus Galliarũ & Francorũ docent historiæ id fecisse Carolum Magnum & Avum ejus Pipinum Stephano II Pontifici, Ludovicum Pium Caroli filium Sergio II Pontifici, Clotharium S Lupo Senonensium Episcopo. Nec minùs de Rege Longobardorum constat se ad pedes Corbiniani Episcopi advolvisse. Quid quod

& Imperatores.

ipsi Imperatores id egerunt, uti Theodosius post partam victoriam de Eugenio Tyranno pedibus Sancti Ambrosij provolutus ei gratias egit, hanc ipsi referens acceptam. Ille ipse teste Nicephoro ad pedes Amphilochij Episcopi procubuit veniamque est precatus. Item Justinianus Imperator Niceæ ad Costantini Pontificis pedes procubuit e osq; est osculatus: & Justinus Imperator venienti Constantinopolim Joanni Pontifici cum tota urbe obviam processit pedibusque eju procumbens detractisque sibi Augustalibus insignijs procidens a supplex petijt, ut illis rursùs ipsum adornaret. Ita planè verificatu

S. Ambros.

dictum Divi Ambrosij. *Regum colla & Principum submittuntur genibus Sacerdotum, & osculatis eorum dexteris, orationibus eorum se credunt communiri.* Si hæc in terra degentibus deferuntur; quid

r

ni jam Cœlicolis Apostolorum Antesignanis hic cultus exhibeatur? Jam quæret aliquis, utrum nudis Apostolorum pedibus an calceatis hæc inerat speciositas; potissimùm quando à Christo Domino inter alia, quæ non tollerent secum in via Apostoli, etiam calceamenta notantur. Sed resolvit hanc quæstionem S. Marcus dicens: Apostolos debuisse esse ex mandato Christi sandalijs calceatos. Unde calcei totum pedem tegentes interdicti, sandalia verò sive soleæ plantam duntaxat pedis munientes concessæ fuêre: quandoquidem Judæa saxosa, montosa, aspera & calida est; sic per sandalia pedes Apostolorum contra saxa protecti inferiùs, superiùs contra calorem nuditate detecti exstitêre. Moraliter Divus Augustinus id explicat dicens: *Marcus dicit (c. 6.) calceatos sandalijs vel soleis, quibus scilicet pes nec tectus desuper, nec nudus ad terram; nempe volebat Dominus non occultandum Evangelium, nec terrenis commodis innitendum.* Hic creditur ipsius Christi Domini incessus fuisse, cujus calceamenti corrigiam solvere Divus Joannes censuit se indignum. (*Joan.* 1) Hoc manifestat de Petro Angelus imperans illi: (*Act.* 12.) calcea te caligas tuas, quod Græcè legitur: sandalia subligaculis supernè constricta. Inde juremerito magnus Doctor Gentium docet Ephesios, (*c.* 6.) & in ipsis omnes fideles, stare debere calceatos pedibus in præparatione Evangelij pacis. Calceos qui ex corio vel pellibus animalium mortuorum conficiuntur, memoriam mortis denotare facilè colligitur, vel *vitam mortificationis duram & asperam*, juxta S. Gregorium Nissenum. S. Anselmus autem tropologicè sic exponit: *calceamenta quæ fiunt ex corijs mortuorum animalium, significant exempla Patrū jam defunctorum, quibus ab omni terrena læsione defenduntur pedes nostræ mentis, id est affectiones, quibus tanquam pedibus ad faciendū aliquid movemur. Læditur enim pes prædicatoris à terra, si affectus ejus terrenum commodum ex prædicatione appetit, id est, si propter terrenum commodum, non propter Regnum cœlorum prædicat Evangelium. Et ideo prædictis calceamentis induantur pedes nostri, id est exemplis Patrum muniantur, ut sicut Patres studio supernæ intentionis, non appetitu terrenæ commoditatis prædicaverunt Evangelium, sic & nos faciamus.* Hæc S. Anselmus. Cæterùm propriè calceus Apostolicus est ipsa præparatio Evangelij, quæ est alacris promptitudo animi, & prompta alacritas ac resolutio intrepida, tam ad ambulandum viam Evangelij pacis inoffensè, quàm ad ipsam pacem annunciandam imperturbatè; nimirùm ad dirigendos pedes tam suos quàm alienos in viam pacis, (*Luc.* 1.) præparando viam Domini, rectas faciendo semitas Dei nostri. (*Luc.* 3.) Ita equidem hâc alacritate debent calceari Apostoli & prædicatores, ut non tantùm ipsi-met viam Evangelij calcent, sed etiam alios, etiam barbaros inducāt tam expeditæ prædicationis obsequio, quàm vivo sanctitatis exemplo ad ambulandum in eadem via Evangelica, vivendo juxta Domini præcepta. Hoc vel maximè in nostris primoribus Apostolicis repe-

An nudi vel calceati pedes Apostolorum speciosi?

S. August.

Quare sandalijs utebantur Apostoli?

Quid calcei denotant?

I. S. Greg. Nis.

S. Ansel. II.

Quid calceus Apostolicus?

riebatur, ut non tantùm ipsi Evangelicè viverent, sed & alios tam vo-
ce quàm scriptis ad vitam Evangelicam obeundam inducerent atq;
stimularent. Hìc notandum, quòd Christus Sponsus Sponsam suam

Cur Sponsus singillatim miratur Sponsæ gressus?

Ecclesiam collaudans à multiplici pulchritudine & decore, singillatim
observat cum admiratione pedum ipsius gressum dicens: (*Cant.* 7.)
quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis? Sic sui

S. Gregor.

Sponsam filiam appellat, acsi illud ex Jeremia ipsi inculcaret: (*c.* 3.)

Cur Filia Principis vocatur? Cur laus Sponsæ à pedibus incipit, & in capite desinit; & laus Sponsi è contra?

voca me Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. De hoc S. Grego-
rius: *Filia Principis Sancta Ecclesia dicitur, quia prædicatione Evā-
gelij in vitam novam regeneratur ab eo, qui per Divinitatis potenti-
am omni creaturæ quam condidit principatur.* Hic ergo Princeps
Sponsam suam laudans à pedibus incipit, in capite desinit; ipsa vero
laudem ejus à capite orditur, finit in pedibus; quod ex occasione li-

I.

ceat enucleare; nimirùm laus Sponsi est in descensu, quia è cœlo in
terram descendit, ut sibi Sponsam copularet; laus Sponsæ est in ascē-
ut, quæ è terra ad cœlum evocatur, ut sursum ascendat; vel juxta

Theodoret9.

Theodoretum: *laus Sponsi incipit ab oculis, id est à contemplatione,*

II.

*& desinit in pedibus id est actione, quia ejus actio oritur & dirigitu
à contemplatione; Sponsæ verò laus incipit à pedibus id est actione, &
desinit in capite id est contemplatione; quia ipsa ab actione incipiat o-
portet, ut ab ea pergat & proficiat ad contemplationem.* Quid ergo
in ipsa laudat? An uti Holofernem sandalia Judith rapuerunt oculos
ejus, & pulchritudo illius captivam fecit animam ejus? (*Judith* 16.)

S. Hieron.

Sanctus Hieronymus hos gressus in calceis accipit pro decore castita-

Spōsa laudatur ingressibus propter calceamentum virginitatis, I.

tis dicens: *Sponsus laudatur à Sponsa, laudat vicissim Virginem Spō-
sam, & dicit ei:* (Cant. 7.) *speciosi facti sunt gressus tui in calcea-
mentis filia Aminadab, quod interpretatur, populi sponte offerentis.
Virginitas enim voluntaria est, & ideo gressus Ecclesiæ in castitatis
pulchritudine collaudantur.* Consonat S. Ambrosius. *Bonum animæ*

S. Ambros.

calceamentum est pudicitia, bonus gressus vestigium est castitatis; ubi

& pudicitiæ II

tandem concludit: *utamur ergo corpore tanquam calceamento ad in-
feriora opera virtutis; ad ministerium non ad præcipitium, ad obse-
quium non ad delectationem, ad obedientiam non ad dissensionem: &
in via sapientiæ vestigium collocemus, ne gressus nostros vis aliqua tor-
rentis concludat.* Sanctus autem Gregorius cum Sancto Anselmo

S. Greg. III.

jam citato convenit asserens: *quid sunt calceamenta Ecclesiæ, nisi e-
xempla præcedentium Patrum, quibus in via mundi hujus munimur,
ut per omnes tribulationes quæ exurgunt, confidenter calceata gradi-
atur? Calceamenta quippe de mortuis animalibus fiunt; & nos pedes
spiritualiter calceamus, quando à Patribus Sanctis carne mortuis e-

Idem. IV.

xempla sumimus, ut ad eorum similitudinem mundi hujus tentationes
expugnemus.* Idem magnus Ecclesiæ Doctor rursùs ait: *potest tame
intelligi, quòd Ecclesia calceatur, quando in prædicatione sua ad per-
ferenda insurgentia mala morte Christi munitur.* Pulchri ergo sunt
Sponsæ gressus calceatæ, quæ filia est Principis, quia coram Divini

oculi

oculis placet officium cujuslibet electi secundùm exempla Patrum prædicantis. In hac Ecclesia sic gradiente in calceamentis, quis magis emicuit quàm Maria? Pulchrè eam alloquitur Alanus: *gressus tui gloriosa Virgo sunt nobilitas generis, integritas carnis & mentis, fecunditas prolis. Calceamenta sunt affectus in meditationibus, effectus in operationibus, profectus in desiderijs, excessus in gaudijs. Tu autem es principalis filia Principis, Dei videlicet, qui est Princeps Principum & Dominus Dominantium*, (Apoc. 19.) *qui te specialiter per gratiam genuit, specialiter informavit, ita tamen Dei Filia, quòd & Mater intacta*, Vel per pedes & gressus intelliguntur mentales affectus, qui omnino purgati & decorati fuerunt in Incarnatione Christi, per calceamenta figuratur Incarnatio Divina. Huc tendit S. Ambrosij sententia: *In hoc calceamento speciosè processit Maria, quæ sinè ulla commixtione corporeæ consvetudinis authorem salutis Virgo generavit.* Unde egregiè Joannes ait; (*Luc.* 3.) non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus; id est, non sum dignus Incarnationis mysterium comprehendere angustijs humanæ mentis, atque inopis vilitate sermonis absolvere; generationem ejus utramq; quis enarrabit? (*Is.* 53.) Jam verò in quo decor calceamentorum fuerit, patefacit Deus apud Ezechielem dicens de Ecclesia: (*c.* 16) calceavi te hyacintho vel janthino, acsi diceret: tu quæ in Ægypto velut mancipium nudipes incessisti & servivisti, jam inde educta in signum libertatis, accipe calceum eumque violacei & cœlestis coloris, ut scias vitam tuam, spem & conversationem tuam debere esse in cœlis, *ut terrena relinquens*, dicente S. Gregorio, *festines ad cœlestia, ut cogites Sponsum tuum & amorem tuum esse in cœlo, Deum ipsum, qui te hoc calceo armat, & decorat, ut alacriùs & perfectiùs ambules, viamq; ad cœlum alijs prædices ac demonstres.* Denique siquidem hyacinthus vestis est Regalis, (teste Ecclesiastico dicente, (*c.* 40.) ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, id est, Rege, usq; ad eum qui operitur lino crudo, utpote pauperem & plebejum) ut animum assumas Regalem, qui in cœlo fixus omnem terrenum calcat dominatum. Hæc omnia apprimè Principibus Apostolorum Petro & Paulo convenire dignoscuntur; quorum pedes in Ecclesia Dei pulchros gressus faciebant, in calceamentis; sive præparationē Evangelij pacis in se & alijs accipiamus, sive ascensum per actionem & contemplationem sumamus, sive pulchritudinem puritatis intelligamus, sive exempla Patriarcharum & ipsius Christi interpretemur, sive corpus mortale hoc per calceamentum indigetemus, sive cœlestem conversationem in libertate Spiritûs Evangelicâ respiciamus, omnia hæc abundanter & supereminenter in hisce Capitibus Ecclesiæ excellebant, ut verè de ipsis dici possit: (*Rom.* 10.) quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, annuntiantium bona, evangelizantium salutem? O quàm pulchri gressus eorum in calceamentis, horum nempe Filiorum Principis Christi, & Principum Ecclesiæ! dicentium Syon,

Beatissima Virgo quàm pulchrè gradiens in calceamentis?
Alanus.

Per calceamenta figuratur Incarnatio Divina.
S. Ambros.

Quid calceus hyacinthinus?
I.
S. Gregor.
II.

Apostolici Principes pulchros gressus faciebant.
I. II. III. IV. V. VI.

toti fidelium universitati: regnavit Dñus Deus noster; [*Ap.* 19.] regnavit Messias, qui fecit nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes. (*A*. 1.) Ad illorum exemplum curemus & nos speciosos habere pedes, per eam virtutum congeriem, quas recensuimus. Oremus DEUM per merita Apostolorum, ut perficiat gressus nostros in semitis suis, ut non moveantur vestigia nostra; (*Ps.* 16.) non veniat nobis pes superbiæ, (*Ps.* 35.) non sint moti pedes nostri, neque effusi sint gressus nostri (*Ps.* 72.) ad malum currendo; quin potiùs convertamus pedes nostros in testimonia Dei; (*Ps.* 118.) cùmq; per pœnitentiam eos abluerimus, respondeat quisque nostrûm cum Sponsa mundo, carni, diabolo nos ad volutabrum luti revocantibus: lavi pedes meos, quomodò inquinabo illos? (*Cant.* 5.) mortis demùm memores ad cœlestia tendamus, puritate mentis corpora nostra velut calceamento proteramus, ut sic cum Sanctis Apostolis speciosio formâ præ filijs hominum placeamus.

Quomodo speciosi pedes habendi?

Sermo in Festo Visitationis B. M. Virginis.

Speciosus formâ præ filijs hominum:
Diffusa est gratia in labijs tuis. Psal. 44.

PRima voluntatis Divinæ executrix, Verbi Divini vix Incarnati prædicatrix, gratiæ Divinæ in terris orituræ inventrix & dispensatrix, denique salutis humanæ annunciatrix & collatrix est Sanctissima Dei Genitrix Maria. PP. RR. FF. DD. Quemadmodùm Eva prima Mater viventium (*Gen.* 3.) hominum, fuit prima Divinæ voluntatis prævaricatrix, Verbi Divini vix per præceptum Adæ dati contemptrix, gratiæ Divinæ perditrix & propulsatrix, demùm perditionis humanæ auctrix & propagatrix. Diffusa fuit in labijs Evæ in gratia creatæ cum serpente confabulantis malitia peccati, gratiæ Dei inimica; propterea maledixit eam Deus in æternum. Diffusa fuit in labijs (*Ps.* 44.) Mariæ jam ab initio creationis suæ gratiâ plenæ cum Angelo colloquentis gratia, peccati hostis, propterea benedixit eam Deus in æternum. (*Ibid.*) Illa maledicta in mulieribus, & maledictus fructus ventris ejus; hæc benedicta inter omnes mulieres, & benedictus fructus ventris illius. (*Luc.* 1.) Sed ecce verè admirãda gratia Dei. *Impleta est Maria gratiâ*, ait Divus Augustinus, *& Eva vacuata est culpâ.* Maledictio Evæ in benedictionem mutatur Mariæ. Quid felicius? quid optabilius? quid beatius? sed quomodò diffusa est gratia in labijs Mariæ? In tribus verbis per labia ejus gratissima emanatis. Primũ erat, quoniam virum non cognosco, (*Luc* 1.) in quo patuit gratia Virgineæ castitatis. Secundum fuit, ecce Ancilla Domini, in quo gratia profundissimæ humilitatis se declaravit. Tertium; Fiat mihi secundùm verbum tuum; (*Ibid.*) in quo gratia promptissimæ obedientiæ se manifestavit. Quid dulcius, quid speciosius, quid gratiosius eloqui potuit Maria? Optimè Sponsus de illa; favus distillans labia tua Sponsa. Et quidem ipsius Sponsi labia in quibus

Parallela inter Evam & Mariam.

S. August.

Quomodo diffusa gratia in labijs Mariæ?
I.
II.
III.

bus loquitur Psalmus noster diffusam esse gratiam, nonne favus distillans erat? Quid tale? Mellis dulcedinem, quæ in favo nidulatur distillans utiq; gratiæ suavitatem, quâ Verbum Caro factum erat plenum. [*Joan.* 1.] *Christus enim*, juxta Sanctum Chrysostomum, *fons est & radix omnium bonorum, non in seipso bonorum divitias retinens, sed in universum diffundens.* Mirabantur omnes in verbis gratiæ, ait D. Lucas, (*c.* 4.) quæ procedebant de ore ejus. Quid dulcius gratiâ Dei, quæ per Jesum Christum facta est, (*Rom.* 7.) & diffusa in labijs ejus, sed & ex labijs in omnes est profusa. Favus proinde labia ejus; quia eloquia & judicia ejus dulciora sunt super mel & favum mundanæ vel carnalis delectationis; distillantia mel & favum cœlestis ac Divinæ suavitatis. Hinc ait Regius Vates: (*Ps.* 118.) quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! *Mel sapientia est*, ait Sanctus Augustinus, *primatum tenens dulcedinis in* [e]*scis cordis*; unde de se dicit apud Ecclesiasticum: [*c.* 24.] spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum. *Melli similis est aperta doctrina sapientiæ*, teste Divo Augustino, *favo vero* [e]*a quæ abstrusioribus Sacramentis tanquam de cellis cereis ore disseren*[t]*is velut mandentis exprimitur.* Quid quòd ipsa Sapientia Dei Incarnata favus est mellis, dicente Hugone Victorino: *favus Verbum* [C]*aro factum in Virgine distillans, redundantiam mellis signat; ipse e*[n]*im totum redundans & gratiam fundens, quia quod fecit & dixit,* [d]*octrina fuit, fuit medicina. Alterum exemplum, alterum remedium,* [&] *de plenitudine ejus omnes accepimus.* (Joan. 1.) *Ideo distillans,* [q]*uia unicuiq; secundùm mensuram gratiam infundens. Quia dicente Doctore gentium,* (Eph. 4.) *unicuiq; nostrûm data est gratia secun*[d]*ùm mensuram donationis Christi; ipsi verò non ad mensuram De*[u]*s dedit spiritum, in quo plenitudo Divinitatis habitat corporaliter.* (Colos. 2.) *Rex Sapientissimus imperat hoc mel sapientiæ comede*[r]*e: comede fili mi, ait,* (Prov. 24.) *mel, quia bonum est, & favum* [d]*ulcissimum gutturi tuo: sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ quam* [c]*ùm inveneris, habebis in novissimis spem, & spes tua non peribit.* Sic [&] ipse Messias Sponsus butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare [m]alum & eligere bonum; (*Isa.* 7.) & Sponsa asserit: comedi fa[v]um cum melle meo. (*Cant.* 5.) Porro *mel in cera*, docente V. Be[d]a, *Divinitas est in humanitate*: & sic præfatus Hugo discurrit de Chri[s]to & Beatissima Virgine. *Favus mel & ceram habet, mel Divinitas* [e]*st, cera humanitas. Favus Verbum Caro factum est in Virgine; ac*[si] *Deus dicat: Ego expertus sum quod laudo. Favus distillans labia tua.* (Cant. 4.) *Ego devinctus tibi charitate osculo oris mei labia tua* [imp]*ressi, simulq; dulcedinem infudi, & à dulci dulcedinem expressi.* [V]*alde impressi dulcedinem, & verè expressi suavitatem, quando me*[u]*m tuo in te sociavi, & per tuum à te cum meo pariter & tuo ex*[pressi]. *Mea Divinitas mel erat, & tua humanitas cera erat, & inde* [m]*eipsum favum feci.* Ita Mariæ labia fuêre favus distillans, quia nihil

Labia Sponsi favus distillans.
Mel gratia Dei.
S. Chrysost.
Mel sapientia.
S. August.
Idem.
Favus Verbum Caro factum in Virgine.
Hugo Victo.
V. Beda.
Quid mel in cera?
Hugo Vict.
Maria labia favus distillans.

aliud ruminabant, nihil masticabant, nihil distillabant ex ore nisi ve- bum Dei quod conservabat conferens in corde suo. (*Luc. 2.*) JESU erat in ore ejus mel, in aure melos, in corde jubilus. Hinc addit Spon- sus: mel & lac sub lingva tua, (*Can. 4.* de quo idem Hugo Victo- rinus: *Verbum sub carne tua; sub lingva tua, quia Verbum; sub ca- ne tua quia absconditum. Mel & lac Deus & homo, mel Divinita lac humanitas Mel de cœli rore venit, quia Divina natura sup omnia est. Lac de carne exprimitur, quia humanitas de deorsum a- cepta est. Ipsemet quoq; Sponsus habet mel & lac sub lingva, id e refectionem robustorum & consolationem parvulorum.* Jam ali Sponsus de labijs Sponsæ sic loquitur: (*Cant. 4.*) sicut vitta coccine labia tua. Labiorum commendatio est à tribus qualitatibus: A sit ut non sint oblonga, crassa, extantia vel hiantia sed gracilia, rotund & sibi invicem compacta, adinstar vittæ; A colore, ne sint nigra, l tea vel pallida sed coccinea, sangvineo rubore suffusa, purpurea qua & rosea, Virginalem decorem & pudorem repræsentantia: A clausu- ra, ut sicut vitta sint colligata & constricta ne defluant, & aliquo h atu dentes patescant. De labijs Beatissimæ Virginis Nicephorus e Epiphanio refert, *fuisse florida & verborũ suavitate plena, quia*, u loquitur ante, *Beatissima Virgo erat omnibus in rebus honesta, gravi pauca admodùm eaq; necessaria loquens.* Hoc patet in omnibu sententijs ipsius quas scriptura recenset, ne jota unum reperiri super fluum, uti in ultima singilatim patet sententia; qua ministris nuptia rum imperavit: (*Joan. 2.*) quodcunq; dixerit vobis, videlicet Chri stus, facite. Prosequitur Nicephorus Deiparam describens: *ad audi endum facilis & perquàm affabilis, honorem suum & veneratione omnibus exhibens decenti dicendi libertate adversùs omnes homine usa est sinè risu, sinè deturbatione & sinè ira maximè.* Theodoretu censens alludi ad funiculum coccineum Raab, [*Josve. 2.*] inquit: *s gnum hoc Sponsus in ore Sponsæ tanquam in fenestra collocatum in tuetur dicens: sicut funiculus coccineus labia tua;* acsi dicat: *Duxi colorem ex sangvine os tuum, & verba profert veritatis, quibus tan quam funiculo quodam capiuntur auditores & vinciuntur. Nam elo quium tuum eos demulcet & retinet, nec discedere permittit, sed labii tuis cogit inservire.* D. Gregorius, *labia Ecclesiæ* vocat *prædicatores per quos populis præcepta vitæ loquitur. Qui benè*, ait S. Doctor, *si cut vitta dicuntur, quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus restringunt, quasi sparsos crines ne immoderate dif fluant reprimunt. Sed quid est, quòd non tantùm vittæ coccineæ com parantur, nisi quia per coccum flamma charitatis intelligitur, quâ ill ardent & per alios accenduntur; per quos eloquium Sanctæ Eccle- siæ dulcoratur? Quia dùm quæ dicunt faciunt, prædicationes suas ho- minibus quasi sapidas escas apponunt.* De utraque porro labiorum si- militudine sic discurrit V. Beda, quomodo sint simul favus & vitta *Cùm hic*, inquit, *satiando fauces delectet, illa crines vinciendo con- stringat*

Hugo Vict.

Labia commẽ- dantur
I.
II.
III.

Labia Beatissi- mæ qualia?
Nicephorus ex Epiphanio.

Nicephorus

Theodoret.
Labia Sponsæ coccinea,

S. Gregor.
Ecclesiæ, Idem
sicut vitta coccinea.

Quomodo labia & favus & vitta?
V. Beda.

stringat; iste intùs respiciat, illa foris liget. Sic Doctores & vittæ sunt in præceptis salutaribus, & favus in promissis cœlestibus. Vittæ, cùm nos à fluxu carnalium voluptatum refrænant; favus, cùm supernorum nobis gaudiorum dona promittunt. Item vittæ sunt in eis, qui apertè agenda vel vitanda esse docent; favus in illis, qui typicè gesta vel dicta, quid intùs arcani salutaris habent, pandunt. Jam verò de labijs Beatissimæ Virginis Rupertus sic loquitur: *In labijs tuis confessio & pulchritudo est, in labijs tuis sanctimonia & magnificentia est.* (Ps. 95.) *Tu enim magnificâsti Dominum mente ardentissimâ, voce suavissimâ, & hæc est vitta coccinea, quia charitas est ignea, quâ benè cum eo ligata sic Domino adhæsisti, ut unus cum eo spiritus sis.* (1. Cor. 6.) *Hinc eloquium tuum dulce,* (Cant. 4.) *quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur,* (Luc. 6.) *& dulcedinem quæ abundat interiùs, sapit sermo qui redundat exteriùs.* Quid tamen est, quòd Sponsa labia Sponsi aliter deprædicet dicens: (*Cant.* 5.) labia ejus lilia distillantia myrrham primam vel electam? Candorem ejus eloquij declarat, & decorem tanquam speciosi formâ præ filijs hominum simul & formam; quia labia uti lilia sunt repanda: tùm & colorem manifestat, eò quòd sint exteriùs candida ut lilia, interiùs rubea, aurea & splendida, veluti lilia Syriæ excellentia sunt purpurea: nec minùs odorem indicat, labia enim ejus sunt expirantia svavissimum oris anhelitum instar liliorum; quin etiam subtilitatem & mollitiem quib⁹ lilia pollent, ac deniq; eloquentiæ aperit venustaté, ita ut rosas loquatur & lilia; ante omnia autem candidã puritaté de qua Rex Prophetarũ: *Ps.* 11. eloquia Dñi eloquia casta, argentum igne examinatum probatum terræ purgatum septuplum. Quæ myrrham pœnitentiæ, continentiæ, austeritatis & mortificationis distillabant amariorem, scilicet: Pœnitentiam agite, (*Mat.* 3.) Beati pauperes spiritu, beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur, & his similia; de odio inimæ suæ, (*Joan.* 12.) de dilectione inimicorum, (*Matt.* 5.) de derelictione omnium, (*Matt.* 19.) de crucis gestatione. (*Luc.* 14.) Quidni idem Sponsus Sponsæ & Matri suæ dilectissimæ omnes has liliorum & myrrhæ virtutes impressit in labijs ejus purissimis & myrrham crucis ac passionis suæ distillantibus? Accedamus ad hodierna labiorum ejus eloquia. Nonne primò Sponsus Incarnatus stans post parietem [*Cant.* 2.] uteri ipsius invitabat eam ad iter faciendum in obsequium Joannis positi quoque in carcere uteri? En dilectus meus loquitur mihi, inquit: (*Ib.*) surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: quod Rupert⁹ sic deducit; tu amica mea per humilitaté, columba mea per amoré, formosa mea per castitaté: surge per fidẽ, propera per spem, veni per charitatem. Deniq; *audit Sponsa,* ait Sanctus Pater noster, *ut surgat & properet, haud dubium quin ad animarum lucra; ut Joannem Christo lucrifaciat.* Hinc deinde Elizabeth desiderans præsentiam ejus inclamat: (*Cant.* 2.) ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua

singillatim Doctorum

ac Beatissimæ Virginis. Rupertus.

Quomodo Sponsi labia sunt lilia distillantia myrrham? I. II. III. IV. V. VI.

Quid sit myrrha?

Maria labia labijs Sponsi similia.

In Visitatione quæ labiorum eloquia? I. Sponsi.

S. Bernard.

II. *Elizabethæ.*

dulcis & facies tua decora. Sequitur ductum Verbi in se loquenti
III. Mariæ. Maria & obsequitur. Exurgens abijt in montana cum festinatione, (*Luc.* 1.) vocemque dulcissimam è labijs suis velut favo distillanti mella, vocem gratiæ diffusam facit resonare in auribus Elizabethæ, quæ usque ad cor Joannis & aures penetravit. O! quanta exultatio filij? quantum gaudium Matris ex voce salutationis Marianæ? Sed

Diversi salutationum effectus, Maria turbatur in salutatione Angeli; Elizabeth lætatur in salutatione Mariæ: Quare?

advertite diversos salutationum effectus. Salutatur Maria ab Angelo, & ecce turbatur in sermone ejus, cogitatque qualis esset ista salutatio. (*Luc.* 1.) Salutat Maria Elizabetham; & ecce exultat infans (*Ibid.*) Mater præ lætitia jubilat, & erumpit in voces benedictionis. Ita est: Angeli salutantis vox causavit turbationem & silentium; Mariæ vox non potuit causare nisi vocem exultationis & salutis in tabernaculis justorum. (*Ps.* 117.) Ibi namque opus erat imprudentem & impudentem loquacitatem simul ac facilem & levem credulitatem Evæ, cum Angelo tenebrarum formam serpentis induto diluí prudenti ac modesto silentio, ac præmaturâ solidâque reflexione Mariæ super sermonibus licèt Angeli lucis, ne fortè ex Angelo tenebrarum esset transfiguratus: (2. *Cor.* 11.) hic verò luce verâ illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum, (*Joan.* 1.) soleque justitiæ (*Malach.* 4.) nubibus uteri duntaxat velato jam tamen radiante, lux orta est justo [*Ps.* 96.] sive à peccato Evæ originali justificato, in hunc etiam mundum venienti Joanni infusa per labia Mariæ in aures & uterum Elizabethæ, quidni juremeritò oriretur rectis corde lætitia, (*Ps.* 96.) ut lætarentur & exultarent justi, gloriarentur omnes recti corde, (*Ps.* 31.) & confiterentur memoriæ sanctificationis [*Ps.* 96.] per Jesum & Mariam Joanni impertitæ? Et

Quæ gratia diffusa in labijs Mariæ?
S. August.

hæc est gratia diffusa in labijs Virginis Dei Genitricis Mariæ, gratia justificationis & sanctificationis. Explicat illam fusè Sol Doctorum Augustinus dicens. *Diffusa est gratia in labijs tuis.* (Ps. 44.) *Venit nobis cum verbo gratiæ, cum osculo gratiæ. Quid istâ gratiâ dulcius? quò pertinet gratia ista? Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata.* (Ps. 31.) *Si severus Judex veniret nec offerret istam gratiam diffusam in labijs suis, quis de salute aliquid speraret? Quis non sibi hoc timeret, quod peccatori debebatur? Ille veniens cum gratia non exegit quod debebatur; solvit quod non debebat. Num enim non peccator debebat mortem? Aut verò sibi peccatori debebatur, nisi supplicium? Debita tibi dimisit & in debita sua exolvit. Magna gratia? Quare gratia? Quia gratis, propterea tibi gratias agere licet, referre non licet, non enim potes.* Hæc præclarè Augustinus. Hujus gratiæ justificantis prima in orbe dispensatrix Maria. Hodie diffusa fuit hæc gratia in labijs ejus; quando voce salutationis suæ fecit Joannem in utero exultare, infantem fecit (*Luc.* 1.) nomine Joannem, re ipsâ DEO gratiosum, DEI gratiâ refertum,

Tituli Mariæ.

eumq; primum post se ipsam gratiâ plenam. Unde nunc realiter cæpit esse DEI & hominum mediatrix, gratiæ Divinæ promaconda,

Genitrix

Genitrix vitæ spiritualis, Mater salutis æternæ in Joanne, quô inter natos mulierum non surrexit major, (*Mat.* 11.) vel ex hoc ipso, quòd per labia Mariæ distillantia melleam gratiam, mellitam sapientiam, & myrrham primã, (*Cant.* 5) myrrheam passionem, per labia, inquã, Deiparæ velut vittam coccineam, (*Cant.* 4.) meritum sangvinis Christi è sangvine Mariæ concepti & nutriti in utero ejus indicantem, virtute futuræ passionis & mortis Christi fuerit in utero Matris sanctificatus. Nonne Verbum Dei Incarnatum primam redemptionis suæ efficaciam per vocem Mariæ detexit, ut verè Aquæductus gratiarum Divinarum sit Maria? Juxta Theophylactum: *vox Virginis, vox erat incarnati in illa Dei.* Unde quàm benè vox Mariæ, verbo Dei unita & conformis, vocem clamantis in deserto (*Luc.* 3.) peccato originali captivã & emortuã fecit à mortuis exurgere; ut illuminaretur à Christo, ut vivacitatẽ primæ per exultationẽ prædicationis cõsequeretur, ut ipse fieret per gratiã à voce speciosæ promanantẽ, specios[9] similis speciosô formâ præ filijs hominũ. (*Ps.* 44.) Quis non agnoscat hìc Mariam primam Verbi Divini evangelizatricem, gratiæ Divinæ dispensatricem, salutis humanæ productricem, voluntatis Divinæ operatricem; ideoque Virginitate suâ puritatis inductricem, humilitate suâ gratiæ effectricem, & obedientiâ suâ salutis collatricem, maternitate suâ Verbi Divini propagatricem in Joanne? Occurrit hìc mihi pro coronide verbum ultimum Deiparæ Virginis in Cana Galileæ prolatum & superiùs insinuatum: Quodcunque vobis dixerit, facite. (*Joan* 2.) O compendium totius scripturæ! O summa Evangelij universi! O Breviarium omnis doctrinæ Divinæ! Quod fecit docuit; verè Apostola, verè Evangelista, verè Doctrix primaria Ecclesiæ Dei in terris. Hoc quod dixit Deus, quod Verbum Divinum elocutum est, fecit tam in Incarnatione Divina, quàm in Visitatione hodierna, & toto vitæ suæ decursu fuit exemplar obedientiæ, speculũ humilitatis, norma perfectionis Divinæ. Quid ampliùs volumus? quid ultra requirimus? quid sollicitè investigamus? hoc unum Mariæ & ultimum in scripturis verbum sufficit nobis, ad salutem. Corona & coronis facinorum nostrorum est facere quod dicit Deus, quod vult Deus, quod verbum Divinum imperat; deniq; sequi Mariam in obsequendo Deo, in exequenda voluntate Dei, in prosequenda gratia ejus, in assequenda salute nostra per gratiam Christi speciosi formâ præ filijs hominum diffusam in labijs Mariæ, ut & nos propterea benedicat Deus in æternum. (*Ps.* 44.) Surge propera Domina nostra, & veni (*Can* 2.) ad nos tenebris peccatorum oppressos, tu Aurora consurgens, *Cant.* 6. discute cœcam mentis caliginem, Tu pulchra ut luna, *Ib.* propulsa noctem animæ damnosam, Tu electa ut sol *Ib.* irradia corda nostra tuæ gratiæ splendore, accende Tuæ intercessionis calore, condecora Tuorum meritorum speciositate; Terribilis ut castrorum acies ordinata defende, protege & conserva nos contra omnes hostium insultus, ut cum Joanne & Tecum in conspectu Dei gratiosi & speciosi cõpareamus in illa ultima visitatione Dei super nos ad beatam æternitatem.

Labia Mariæ quid distillaverunt in salutem Joannis.

Vox Virginis vox Dei.

Tituli Mariæ.

Ultimum verbum Mariæ in Cana Galileæ explicatur.

Tituli Mariæ.

Compendium salutis humanæ in verbo Mariæ:

Invocatio Virginis Beatissimæ.

Sermo in Festo S. Stephani Abbatis Cistercij.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Psal. 44.

ERis corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in m-
nu Dei tui, promittit Propheta (*c.* 62.) Jerusalem. & Syon;
cujus promissi quantumvis effectus secutus sit inchoativè in E-
Ecclesia Christi est corona gloria in manu Domini; tam terrestris quã cælestis: & Ordo Cisterciensis. clesia Christi, velut terrestri Jerusalem, quæ ædificatur ut Civit
Dei; & velut Syone, qui est Mons Sanctus *D*omini, atq; sequet
completivè in illa cælesti Jerusalem; nihilominùs aliqualem etiam sp-
ciem in Ordine nostro, qui est pars Ecclesiæ Christi, per specios
Sancti Stephani virtutes verificatam possumus speculari. Quid eni
Stephanus Corona Stephanus, nisi corona? Qui præventus in benedictionibus (*Ps.* 2(
Domini, Divi Benedicti Regulam amplexus, ejusq; exactâ obse-
vantiâ, & scuto bonæ voluntatis Divinæ coronatus, (*Ps.* 5.) an
omnia coronam omnium virtutum mirificè coluit charitatem. Ind
singillatim Ordinis Cisterciensis. factus est corona Ordinis Cisterciensis à Divo Roberto instituti, &
à Divo Alberico continuati, ac per Sanctum Bernardum filium eju
Spiritualem propagati; ita ut & ipsum Ordinem efficeret corona
gloriæ Divinæ, & diadema Regni in manu Dei sui; (*Isa.* 62.) cu-
jus spiritus unxit eum, ut lugentibus Syon, è seculo nimirùm a
Deum conversis & verè pœnitentibus, daret coronam pro cinere
oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mæroris; vocaren
turq; in ea videlicet Religione Cisterciensiũ, ejus Professi, *fortes ju-*
Textus Isaiæ. Capitis 6. applicatur Ordini Sancti Benedicti. *stitiæ, plantatio Domini ad glorificandum*, (*Is.* 6.) adimpletumq; e
in eis quod sequitur apud Isaiam: (*Ib.*) quòd *ædificabunt deserta à se-*
culo, in solitudinibus exstruentes Monasteria, *& ruinas antiquas eri-*
gent, videlicet Regularem disciplinam in Ordine Divi Benedicti de-
perditam; *& instaurabunt civitates desertas*, Cænobia utpotè ejus-
dem Divi Legislatoris desolata & dissipata per neglectum obser-
vantiæ Regularis, *in generationem & generationem.* Nonne comple-
Item ex capite 61. tum est ultra idem oraculum? (*Is.* 61.) *Vos Sacerdotes Domini vo-*
cabimini, offerentes corpora vestra, hostiam viventem, sanctam,
Deo placentem, (*Rom.* 12.) sacrificium spiritûs contribulati, (*Ps.* 50.)
sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta, (*Ib.*) reddentes vi-
tulos labiorum vestrorum (*Ib.*) per continuum Divinæ laudis offi-
cium; *ministri Dei dicetur vobis*: (*Is.* 61.) ministri justitiæ, (2. *Cor.*
11.) ministri verbi Dei, satagentes circa frequens ministerium (*Luc.*
10.) animarum: *fortitudinem gentium comedetis* (*Is.* 61.) in præ-
claris fundationibus Monasteriorum, per Pontifices, Reges, Prin-
cipes, Duces, & Illustres viros institutis; *& in gloria eorum*
superbietis, (*Ib.*) per sumptuosas Ecclesiarum & Claustrorum exstru-
ctiones: *& sic scient in gentibus semen eorum, & germen eorum*
in medio populorum; (*Ib.*) *quando ad exteras & barbaras usq;*
Alexander Papa III. *nationes Sanctæ Religionis instituta transmissa sunt*, teste Summo
Pontifice Alexandro III. *& Monasteriorum fundationes extensæ.*

Omnes

Omnes qui viderunt eos, cognoverunt eos, & dixerunt: quia isti
sunt semen cui benedixit Dominus (*Ib.*) per Regulam Sancti Be- *Omnia de capite 6. Isaiæ*
nedicti rigorosè observatam. Omnia hæc debentur Divo Stephano, *impleta in S.*
per Sanctum Bernardum, amplificatori Ordinis Sacri: *circa quem* *Stephano,*
corona Fratrum, quasi plantatio cedri in monte libano; in monte
planè arduo propter austeritatem vitæ; & libano, quia plùs mun-
ditiâ cordis quàm vestitûs candido; adinstar cedrorum sublimium in
virtute & contemplatione; & imputribilium, quia liberorum à cor-
ruptionibus peccatorum: *sic circa illum steterunt tanquam rami pal-* *circa quem steterunt*
mæ; (*Ib.*) steterunt super vias suas, & viderunt, & interrogaverunt I. II.
de semitis antiquis, (*Ier. 6.*) quæ sit via bona; & ambulaverunt in III.
ea: steterunt in fine, viriliter egerunt & confortabantur vigilantes, IV.
(*Jerem. 6.*) steterunt & noluerunt iterùm jugo servitutis indisciplina-
torum contineri, [*Gal. 5.*] steterunt adversùs insidias diaboli, indu- V. VI. VII.
ti armaturam Dei; (*Ephes. 6.*) steterunt in omnibus perfecti, succin-
cti lumbos in veritate, & induti loricâ justitiæ; (*Ib.*) steterunt in uno VIII.
spiritu unanimes, collaborantes [*Phil. 1.*] fidei Evangelij; steterunt IX.
perfecti & pleni in omni voluntate Dei; *Col. 4.* steterunt in Domino *quasi rami*
quasi rami palmæ, (*Eccl. 50*) qui cum Victore Divo Stephano erant *palmæ.*
vincentes mundum, carnem, & diabolum, quibus sic vincentibus
data est corona vitæ. (*Apoc. 2.*) Primus inter omnes ac primarius sic *Primus sic*
stans fuit Sanctus Pater noster Bernardus cum 30. Sociorum collegio: *stans S. Ber-*
verè dignissima corona Fratrum, quibus quidni illud classicum Apo- *nardus cum 30*
stoli canebat S. Stephanus? *Itaq; Fratres mei charissimi & deside-* *Socijs.*
ratissimi, (planè tales quia in magna paucitate fratrum erat tunc Ci-
stercium recenter fundatum) *gaudium meum & corona mea*; sic sta-
te, sicut recensui, *sic state in Domino charissimi.* [*Phil. 4.*] Ita pla-
nè per Sanctum Stephanum Protomartyrem Ecclesia Sancta in pri- *S. Stephanus*
mordijs suis erat redimita. Legimus in Apocalypsi (*c. 12.*) mulie- *corona Ordinis*
rem 12. stellarum coronam habentem in capite suo: fortasse & nos *Cisterciensis*
reperiemus 12. lapides virtutum pretiosos instar stellarum effulgen- *12. stellæ vir-*
tes, quos S. Pater noster Stephanus Religioni Cisterciensi sole gra- *tutum reful-*
tiæ Divinæ amictæ, & lunam mundi instabilem prætereuntem cum *gens.*
figura sua, & transeuntem cum concupiscentia sua calcanti; ac con-
tra draconem infernalem pugnando in desertum duabus alis timoris
& amoris Divini confugienti indidit & inseruit: ac singulas velut to-
tidem coronas exposuit. Ac primùm virtus pœnitentiæ & asperitatis I.
in corona Domini Jesu de spinis confecta jacit primordia boni Ordi-
nis; quam comitatur virtus patientiæ; corona planè rosea de spinis II.
orta, & virtus humilitatis de cinere prodiens corona. Post hanc suc- III.
cedit corona sapientiæ, timor Domini; [*Eccl. 1.*] corona longani- IV.
mitatis & perseverantiæ, quæ instar scuti bona proposita firmat &
conservat; ut quis dicere possit: scuto bonæ voluntatis tuæ coronâ- V.
sti me Domine. Inde sequitur sensûs maturitas atq; prudentia, de VI.
quâ Ecclesiasticus: (*c. 25*) corona senum multa peritia; morum di-

gnitas & excellentia, de qua Psalmista: (*Ps.* 8.) Gloriâ & hono
VII. VIII. coronâsti eum; benignitas & benevolentia, de quâ idem Regius v
IX. tes: *Ps.* 64. benedices coronæ anni benignitatis tuæ; pietas & mis
ricordia, de hac iterum Rex Prophetarum; *Ps.* 102. Qui coronat
X. in misericordia & miserationibus: Mentis puritas & innocentia, qu
lis est auri puri, obrizi purgati septuplum essentia, quo DEU
Mensa triplex. mensam ornari mandavit in Exodo; *c.* 25. mensam videlicet consc
I. II. III. entiæ, mensam conversationis, mensam totius vitæ in aperto pos
tam, factam de lignis sethim, quæ sunt propter imputribilitatem sym
bolum innocentiæ, dicens: inaurabis eam auro purissimo, faciesq
ei labium aureum per circuitum, ut nimirùm per hoc labium, spe
cimen boni exempli loquatur hæc mensa; & ipsi labio coronam in
terasilem altam quatuor digitis, ut in quatuor cardinalibus virtuti
bus perfectio elevetur; & super illam alteram coronam aureolam, &
hæc est corona gloriæ. Quidni mensa talis sit, quando & ipsa arc
Dei de lignis Sethim compacta, quæ est anima justi: legem Dei i
tabulis lapideis expressam, Virgam Aaronis floridam, virorem scili
cet & vigorem disciplinæ Sanctæ; ac Manna cælestis gratiæ in se con
servans, similiter ordinatur. (*Ex.* 25.) Deaurabis eam auro mun
dissimo intùs & foris, ait Deus, faciesq; supra coronam auream pe
Corona XI. circuitum. Duæ adhuc coronæ virtutum restant, mentis eminenti
per contemplationem cœlestium & æternorum, quæ est illius qui u
titur hyacintho, juxta Ecclesiasticum; *c.* 40. colorem cælestem ha
XII. bente & portante coronam: atq; fervens charitas, ut plurimùm pe
mulieris formam expressa parvulos infantes nutrientis, & hæc est in
Proverbijs, *c.* 12. mulier diligens, quæ est corona viro suo; illi viro què
fœmina circumdedit, (*Jerem.* 31.) illi viro uni ex millibus electo,
(*Cant.* 5.) illi viro potenti opere & sermone coram Deo & omni
Primaria & omnimoda charitas debetur Christo. populo. (*Luc.* 24.) Primaria enim & omnimoda charitas debetur il
li, qui ponentem animam suam, non pro amicis sed inimicis nemo ma
jorem habuit charitatem; (*Joan.* 15.) illi qui est speciosus formâ præ
filijs hominum, (*Ps.* 44.) cui deliciæ sunt esse cum filijs hominum.
(*Prov.* 8.) Omnes hæ virtutes speciosè resplenduerunt in Divo Ste-
phano gloriâ & honore coronato à Deo; & Coronante Ordinem
suum Cistercienfem hisce duodecim stellis, totidem adinstar coronis,
ut & istæ virtutes in illo tanquam SACRO Ordine sic à Sumis Ponti-
ficibus intitulato coruscarent; essetque Corona gloriæ in manu Do-
Impiorum coronæ. mini, & diadema regni spiritualis manu Dei sui. (*Is.* 62.) Sunt &
I. *Carnalis.* impijs coronæ, qui apud Sapientem *c.* 2. loquuntur: coronemus nos
coronis antequam marcescant; & hæ sunt coronæ carnalium volup-
tatum in fine mordentium ut coluber, (*Prov.* 23.) pungentium ut
spinæ, facilè marcescentium. Omnis enim caro fœnum, & omnis
gloria ejus quasi flos fœni: (*Isai.* 40.) sunt coronæ vanitatis munda-
II. *Vanitatis mundanæ.* næ facilè arescentis; de qua Propheta: (*Ps.* 89.) Mane sicut herba
transeat, mane floreat & transeat, vespere decidat, induret, & ares-
cat.

cat. His accedunt coronæ peccatorum variorum ſingillatim ſuperbiæ, quæ eſt initium omnis peccati. (*Eccl.* 10.) Huic comminatur Iſaias Propheta c 28: væ coronæ ſuperbiæ ebriorũ Ephraim & flori decidẽti gloriæ exaltationis ejus, nimirùm Samariæ ſuperbæ & guloſæ metropoli Ephraim in monte Somer exſtructæ & ſuperbis ædificijs inſtar coronæ cinctæ, per quam figuratur Hieroſolyma & in ea Judæi, non tam vino quàm furore ebrij, coronâ ſpineâ Chriſtum coronantes, qui etiam per LXX leguntur mercenarij, utpotè mercede Judam ex vico Ephraim Iſcarioth oriundum conducentes, & hic erat flos conſortij Apoſtolici à Chriſto electus, ſed per ebrietatem avaritiæ deperditus & decidens, quando cum Judæis voce Chriſti fuit in terram dejectus & proſtratus; ac tandem per ſuſpendium cadens in abyſſum deſperationis, corruit in abyſſum gehennæ. In hac corona perverſitatis cingentis Chriſtum, velut *D*avidem, quem cinxit Saul cum exercitu ſuo in modum coronæ, (1 *Reg.* 23.) maximè coronæ ſuperbiæ maledicitur, quâ Scribæ & Phariſæi eminebant & quâ humilitatem Chriſti perſequebantur. Sed quid fiet illi? Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim, & erit flos decidens gloriæ exultationis ejus, (*Iſaiæ* 28.) tam temporaliter, quando Jeroſolyma concidit coanguſtata & ad terram proſtrata, quàm perenniter quando impij projecti in infernum traditi ſunt in conculcationem pedibus ſpirituum malignorum. Ejuſmodi coronas ignominiæ peccaminoſæ jure ſequitur illud Iſaiæ: (*c.* 22.) coronans coronabit te tribulatione; quod accidit Sobnæ Præpoſito templi, cui tiara Pontificia ablata, & in ſervitutem Aſſyriorum ductus ibidem mortuus eſt. Sedeciæ quoque fædifrago DEUS per Ezechielem (*c.* 21.) imperat: tu autem profane, impie Dux Iſraël, cujus venit dies in tẽpore iniquitatis præfinita, [conſummatâ enim malitiâ & impietate venit Regni finis & conſummatio] hæc dicit Dominus Deus: aufer cidarim, tolle coronam, quia ſub jugum captivitatis ibis abductus à Nabuchodonoſore. Nonne hæc eſt, quæ humilem ſublevavit & ſublimem humiliavit? Dùm enim humilis eſſet Sedecias, pervenit ad coronam Regni, à qua dejectus eſt propter ſuperbiam. Et hanc coronam ſuperbiæ nominat ter: iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam; (*Ib.*) quod Hebraicè legitur: perverſitatem, curvitatem, obliquitatem. Ternario enim numero & multitudo & univerſitas denotatur; cùm unum & duo non ſint multa nec omnia, tria autem ſunt prima omnia, & prima multa; unde in corona ſuperbiæ & multa & omnis iniquitas reperitur. Concluſit hoc totum D. Joannes (1. *Joan.* 2.) non minùs in tribus dicens: omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Oppoſitum fert ſecum contemptus & derelictio mundi, quæ fit per Ordinem Religioſum, ubi tria regnant & coronantur; obedientia, caſtitas, & paupertas. Hæc quantùm ſervaverit & ſervari fecerit in Sacro Ordine Ciſtercienſi à ſe propagato Divus Stephanus,

III. ſuperbiæ

Vbi exemplũ Samariæ.

Quæ mala corona ſequitur ſuperbiam? Exemplum in Sobna, & Sedecia.

Quid ternario numero deſignatur? I. generaliter, II. particulariter malè. III. particulariter benè.

nus Patriarcha noster, nemo non potest ignorare. Sunt enim hæ
omnium fundamentalia vota Religionum. Per hæc fortiter certat
contra illa primaria mundi vitia, per hæc acquiritur corona vitæ. Sc
non coronabitur nisi qui legitimè certaverit, [2. *Tim.* 2.] utì magn⁹ A
postolus de se gloriatur: (2. *Tim.* 4.) cum quo & S. Stephanus ri

Quomodò S. Stephanus cum S. Paulo potest gloriari?

potest gloriari: bonum certamen certavi per obedientiam, quæ so
loquitur victorias; cursum consummavi per castitatem, quæ propt
munditiam cordis & corporis bravium visionis Divinæ consequitu
in consummatione vitæ; fidem servavi per paupertatem, credenc
me in Deo omnia possidere, omnia arbitratus utì stercora, ut Chris
lucrifaciam, (*Philip.* 3.) in quo sunt omnia. In reliquo reposita e

Corona justitiæ,

mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justu
Judex: 2. *Tim.* 4. quæ est corona vitæ in qua sunt omnia, de quo eleg-

S. August. *in qua sunt omnia.*

ter D. Augustinus: *omnia dici possunt de illa ineffabili fruitione v-
ritatis, & tantò magìs omnia dici possunt, quantò minùs aliquid d-
gnè dici potest. Nam & lux est illuminatorum, & requies exercita-
torum, & patria redeuntium, & esca indigentium, & corona vin-
centium.* Tandem in unum omnia colligit Sol Doctorum inquiens

Idem.

*& quæcunq; bona temporalia transeuntia per creaturarum partes er-
ror appetit infidelium, veriora & in æternum manentia in Creator
omnium simul inventura est pietas filiorum.* In illa die omnino repe
rientur omnia, quando in illa die erit *Dominus* corona gloriæ, &
sertum exultationis residuo populi sui, (*Is.* 28.) residuo planè e
tot multis vocatis, paucis electis, (*Matt.* 20.) quando & ipsi erun
corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei sui

Qui vult accipere coronam justitiæ, debet diligere advẽtum Domini. S. Anselmus. S. Gregor. S. August. *Tria ad salutẽ requisita.*

(*Is.* 62.) Sed hi qui volunt accipere coronam justitiæ, debent dilige-
re adventum Domini. *Adventum enim Judicis non diligunt*, ait S.
Anselmus, *nisi qui in causa sua habere se justitiæ meritum sciunt*; ve
juxta Sanctum Gregorium, *nisi qui se habere causam in judicio bon-
nôrunt*; & *qui* secundùm Divum Augustinum, *eundem sinceritat
fidei, firmitate spei, & ardore charitatis expectant.* Ecce & hìc tri
sive tres virtutes Theologicæ sunt omnia ad æternam salutem requi-
sita. Hunc adventum describit Sanctus Joannes in Apocalypsi: *c.* 14
vidi nubem candidam, & supra nubem sedentem similem filio homi-
nis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem
acutam; cùm de primo ejus adventu dicat: (*Ap.* 6.) ecce equus al-
bus, & qui sedebat super eum, habebat arcum; Christus Dominu
videlicet arcu Sacræ Scripturæ & Evangelij munitus, insidens Apo-
stolis, per quos exivit vincens ut vinceret (*Ibid.*) totum orbem fidei

Corona Christo data, qui tria nomina habet.

suæ & obedientiæ subjugando. Huic data est corona, quem rur-
sùm dilectus Jesu Apostolus sedentem super equum album, eique
tria nomina esse declarat. Primò dicit: (*Ap.* 19.) vocabatur fidelis &
verax, deinde habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse;
quod tamen mox explicat: (*Ibid.*) & vocatur nomen ejus Verbum
Dei. Deniq; habet in vestimento & femore suo scriptum, Rex Re-

gum

gum & Dominus Dominantium. Ecce & hic tria nomina, in quib⁹ omnis Christi Domini natura, virtus, & dignitas comprehenditur. Ante Patris ejus thronum 24. Seniores mittebant coronas suas, (*Ap.* 4.) cadentes coram ipso Agno, & cum citharis ac phialis plenis odoramentorum canticum novum cantantes; quia ipse est qui fecit nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes. (*Ap.* 5.) Ab ipso omnes profluunt coronæ, ad quarum tres singulares easque aureolas invitat nos S. Augustinus dicens: *certent nunc charissimi singuli ad utrosq; honores, amplissimas accipere dignitatum coronas vel de virginitate candidas, vel de Passione purpureas, vel de doctrina laureas.* Harum coronarum participio frui Sanctum Stephanum minimè ambigendum est, qui & castitatis merito, & mortificationis martyrio, & doctrinæ dispensatione eas potuit mereri. Interea ille florentissimus sub ipsius disciplina secundùm Regulam Sancti Benedicti Ordo per aliquot secula sic perdurans fortasse potest lamentari cum Jeremia: (*Thren.* 5.) defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri. Væ nobis! Quare? Quia peccavim⁹. Quomodo? Disciplinâ regularē laxando. Sunt forsitan Monasteria quorū singula dicere possunt, & conqueri cum Jobo: *c.* 19. exspoliavit me gloriâ meâ, abstulit coronam de capite meo. Quid tale? Dissolutio, licentia, & libertas vivendi, repugnantia primitivo rigori, asperitati, & austeritati. Quid tale? Superbiæ luxus, gulæ illecebræ, acediæ rusticitas, quæ alicubi irrepserunt. Timendum ne sequatur quod Job dixit ultra: (*Ib.*) destruxit me undique hæc relaxatio, & pereo; quod avertat Deus: & quasi avulsæ arbori abstulit spem meam, quod hâc tempestate videtur Provinciæ nostræ imminere. Id, ut à nobis avertat Dominus assiduè orandus est. Quinimò faciat quisque nostrûm juxta possibilitatem suam, cum Dei adjutorio quod Christus imperat Episcopo Smyrnæ: Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. (*Apoc.* 2.) Sibi hoc imperari à Domino, unusquisque et nobis arbitretur. Esto fidelis veram & vivam fidem Christi, ex qua justus vivit (*Galat.* 3.) servando, fidelis fideliter omnia servitia peragendo; fidelis fideliter Regulam quam Deo vovisti ejusque minima puncta exequendo, fidelis Deo per amorem semper adhærendo, nec unquam à Deo per peccata desciscendo: fidelis fideliter in omnibus virtutibus Sanctum Stephanum primosque Sanctos Patres imitando. Ita equidem dabitur tibi corona vitæ (*Apoc.* 2.) æternæ, corona justitiæ, [2. *Tim.* 4.) corona decoris (*Ezech.* 16.) & gloriæ (*Ps.* 28.) à specioso formâ præ filijs hominum: (*Ps.* 44.) qui juxta Isaiam (*c.* 28.) erit corona gloriæ & sertum exultationis tibi, & ponet in capite tuo coronam de lapide pretioso; (*Ps.* 20.) ut & tu fias coram ipso speciosus; habeasque coronam auream super caput tuum expressam signo sanctitatis, *Eccl.* 45.) ut sit gloria honoris, & opus virtutis, juxta Sapientem: (*Eccl.* 45. desideria oculorum ornata specie suâ vitæ regulatæ tam cœlestium quàm terrestrium oculos oblectan-

Ante thronum Patris ejus 24. Seniores mittunt coronas.

Ab ipso omnes profluunt coronæ, tres præsertim aureolæ S. August.

Lamenta super Ordinis Sancti Benedicti defectum

propter disciplinæ regularis relaxationem.

Causæ defectûs. I. II.

Effectus hujus defectûs.

Corona vitæ datur fideli I. II III. IV. V.

Variæ coronæ fideli dandæ.

lectantia per bonum Religionis, ordinem & observantiam vitæ re-gularem, juxta exemplum Sancti Patris Stephani, ejusque speciosa Disciplinæ Religiosæ institutionem. Et quia videtur nos Deus in præsentiarum tribulatione coronare, spineam mortificationis corona assumamus, in amaritudine animæ, in rigore vitæ Dominum supplicemus; quatenus ab ipso per merita Sancti Stephani Patriarchæ nostri audire mereamur: in die tribulationis invocâsti me, & liberavi te: (*Ps.* 80.) videlicet à conculcatione coronæ Monasteriorum nostrorum, quæ illis videtur per Commendas eorum devastatrices imminere. Fiat, fiat.

Sermo in Festo Assumptionis B. M. V.

Speciosus formâ præ filijs hominum;
Concupiscet Rex decorem tuum. Ps. 44

HOdierna Virginis DEI Matris Mariæ è tumulo constituto ad montem Oliveti, à quo Filius DEI & ipsius suam non minus super omnes cœlos absolvit Ascensionem, in cœlum assumptio meritò omnium hominum & Angelorum oculos atque animos ad se potest rapere & attrahere, tanquam omnium speciosissima, solennissima, & gloriosissima. Opponet fortasse statim aliquis dicens: nunquid non speciosior & gloriosior fuit ipsius Filij DEI ex ipsa Incarnati ascensio? Ita equidem quoad personam ejus Ascendentis fatendum est: sed quoad assistentiam & apparatum præsens Assumptio magis speciosa & gloriosa est censenda. Quid enim? Fuerit sanè tota curia cœlestis cum omnibus Hierarchijs suis effusa in occursum ascendentis Regis gloriæ, (*Ps.* 23.) fuerit comitatus Patriarcharum & Prophetarum cum omnibus Sanctis veteris quàm plurimis, & novi Testamenti paucis, Joanne Baptistâ nimirùm, Sancto Josepho & Innocentibus è limbo eductis præclarissimus; fuerint spectatores ipsa Mater Sanctissima cum toto Apostolorum & Discipulorum ac Mulierum Sanctarum collegio: fuerit super omnia susceptio à tota Sanctissima Trinitate humanitatis Christi eminentissima; nihilominùs in Assumptione Deiparæ Virginis non tantùm hæc universa adfuit assistentia obviam occurrens, imò auctior consortio S. Stephani Protomartyris & aliorum fidelium ante ipsius obitum defunctorum, sed etiam ipsamet quæ in Ascensione Christi fuit beata viatrix jam hîc beatior, imò beatissima agnoscitur plenitudine luminis gloriæ circumdata; unde splendidior, speciosior, & magnificentior Assumptio ejus non tantùm à Sanctissima Triade, verùm singillatim ab ipso Filio gloriosissimo Rege gloriæ, tanquam Reginæ gloriæ debet ritè considerari. Ac ne solis tantùm oculis gratia æstimaretur, quin etiam naribus accepta ostēderetur, cum stupore inquiritur: quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibꝰ myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarij. *Cant.* 3. Neve gratia eloquij deesse crederetur, utrumq; desiderat Rex in accubitu suo: ostende mihi faciem tuam

Comparatio Ascensionis Christi & Assumptionis B. Virginis.

Descriptio Ascensionis Christi Domini:

& Assumptionis Beatissimæ Virginis.

Gratia oculorum, narium,

& eloquij.

tuam, in qua ſedes eſt pulchritudinis; ſonet vox tua in auribus meis. Quare? Vox enim tua, inquit, dulcis, & facies tua decora. (*Cant.* 2) Quanta autem fuerit ejus ſpecioſitas, decor, & pulchritudo, nec humanus intellectus, nec Angelicus conceptus poteſt penetrare. Liceat tamen de tanto decore glorioſiſſimæ Virginis DEI Genitricis quantum noſtra mentis debilitas poteſt aſſurgere, aliquid prælibare. Et quis illius pulchritudinem meliùs valet depingere, quam ipſe author pulchritudinis ejus? ille ipſe Sponſus, qui & filius in epithalamio ſuo alloquitur Sponſam: ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, (*Cant.* 1.) oculi tui columbarum; (*Ib.*) pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, (*Ib.*) collum tuum ſicut monilia. (*Ib.*) Jam dicit illi: ô pulcherrima inter mulieres! (*Ib.*) Jam admiratur ipſius formam; quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! [*Cant.* 4.] Quàm pulchra & quam decora chariſſima in delicijs; (*Cant.* 7.) denique concludit: tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. (*Cant.* 4.) Dicet quis hos textus convenire Eccleſiæ tanquam Sponſæ Chriſti? Ita eſt, in ſenſu primario & adæquato; verùm in ſenſu principali congruunt omnes Matri DEI Virgini, tanquam Principi poſt Chriſtum caput totius Eccleſiæ membro; uti & in ſenſu partiali cuivis animæ fideli & juſtæ poſſunt applicari. Iidem textus de laudibus Sapientiæ Divinæ, Matri Sapientiæ accommodantur. Nolo omnes membrorū Sanctiſſimæ Virginis deſcriptiones à Sponſo factas & duplici laudatione expreſſas percurrere. Generatim duntaxat dicendū cum filiab' Syon, Angelicis ſpiritibus & animabus beatis, quòd una unica ipſa ſit columba, (*Cant.* 6.) ſpecioſa, amica, dilecta; electa Matri ſuæ, (*Cant.* 2.) & dilecta Genitrici ſuæ Eccleſiæ, cujus & ipſa eſt Mater & Genitrix. Viderunt eam filiæ Syon, & beatiſſimam prædicaverunt. (*Cant.* 6.) Multæ filiæ congregaverunt ſibi divitias, hæc ſupergreſſa eſt univerſas; (*Pr.* 31.) vultum ejus deprecabuntur omnes divites plebis. (*Pſ.* 44.) Inde omnes comparationes rerum pulcherrimarum ipſi adaptantur. Nunc dicitur de ipſa cum admiratione: quæ eſt iſta quæ progreditur velut aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? (*Cant.* 6.) Jam quæritur: quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? (*Cant.* 3.) Et hoc in Cantico Canticorum. Porrò ex cæteris Sacræ Scripturæ locis quidquid pulcherrimi reperitur, ipſi appropriatur. Juxta S. Damaſcenum, *eſt paradiſus terreſtris arborem vitæ ferens*; ſecundùm D. Ephrem, *eſt ipſum lignum vitæ*: rursùs è mente S. Damaſceni, *eſt arca intùs & foris auro contexta.* Ex ſententia S. Andreæ Cretenſis, *eſt ferculum Salomonis, cujus columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, aſcenſus purpureus, & thronus Salomonis eburneus.* Dicente S. Petro Damiani: *quidquid pulchrarum mulierum textus Sacer recenſet, figuræ fuerunt Virginis Dei Matris, Sara, Rebecca, Abigail, Jobi filiæ, Judith, Eſther, & ſi quæ aliæ reperiuntur. Hâc tamen differentiâ, quòd harum pulchritu-*

Pulchritudo Mariæ deſcribitur in Cantico Canticorum,

quæ & Eccleſiæ Chriſti ſervit,

& cuivis animæ juſtæ.

Comparationes rerum pulcherrimarum Beatiſſimæ Virgini adaptantur.

Auroræ, lunæ, ſolis, ſtellarū. *Variæ ex ſcripturis ſacris panegyres Mariæ.*

S. Damaſc.
S. Ephrem.
S. Damaſc.
S. Andreas Cretenſis.

Paradiſi, ligni vitæ, arcæ fœderis, ferculi Salomonis.

S. Petrus Damiani.

do ad libidinem & concupiscentiam carnalem spectatores provocabat ipsius verò purissimæ Virginis species omnem castitatem & pudicitiam inspirabat, testibus Divo Ambrosio & Doctore Angelico. Unde

Gregor. Nicomed.

meritò exclamandum nobis est cum Gregorio Nicomediensi *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum*! *O Dei Genitrix pulchrorum omnium ornamentum!* vel cum Sancto Andrea Cretensi

S. Andreas Cretensis.

O eximia pulchritudo, à Deo sculpta statua, vivi Archetypi imago

Mariæ etiam Corpore pulcherrima super omnes mulieres,

Quidni decuit Matrem Dei etiam corpore pulcherrimam esse & speciosissimam, ipsâ Evâ à Deo creatâ pulchriorem, quando ipse Deus corpus ex illa sola assumere debebat, ut medium fini aptaretur, & materia effectui condignè præpararetur.? *Quemadmodùm corpus Christi*, ait Dionysius Carthusianus, *quod Deus supernaturaliter per*

Dionysius Carthus.

seipsum formavit, est perfectissimum & pulcherrimm in natura quod fieri potuit secundùm statum viæ; sic corpus Virginis ad hoc immediatè ordinatum fuit pulcherrimum secundùm statum viæ, quod natura

in statu viæ,

per se operans facere potest. Ideo dicimus, quòd sicut Christus fuit speciosus formâ præ filijs hominum, (Ps. 44.) *sic Virgo pulcherrima fuit inter filias hominum, & quòd ipsa habuit summum & perfectissimum, quod potuit esse in mortali corpore fœmineo, secundùm statum viæ operante naturâ.* Hæc Dionysius.

multò magis in statu Patriæ.

Sed in statu Patriæ nonne corpus ejus post Christi corpus fuit, est, & erit super omnia corpora gloriosissimum & speciosissimum? Imò necessarium fuit, ut Mater Filio esset in specie corporis quàm simillima, ut ex fructu arbor cognosceretur, & amor potentior etiam ex similitudine utrinq; formaretur; quia simile simili gaudet.

S. Bonaven.

Inde S. Bonaventura: *arbor pulcherrima*, inquit, *est Maria, pulchra in folijs oris, pulchrior in floribus cordis, pulcherrima verò in pulcherrimo fructu ventris, ut qualis Mater, talis Filius esset.*

Majestas pulchritudinis Marianæ in corpore à Sancto Dionysio Areopagita indigitatur,

Quanta autem fuerit majestas pulchritudinis Marianæ, sufficit testis oculatus S. Dionysius Areopagita per Sanctum Joannem ad eam videndam inductus, qui visâ Virgine Christiferâ præ stupore ruens in terram defecit, ac dein' ad se reversus & consurgens hoc protulit effatum: *nisi ex ratione & fide cognoscerem Deum invisibilem, non aliã putarẽ Deitatẽ, quàm Virginẽ hanc sublimem.* Et hæc sunt, quæ de pulchritudine Parthenicæ Deiparæ quoad

sed longè major animæ,

corpus proferri possunt; sed de pulchritudine animæ reddentis etiam speciosum corpus, quis indigitabit? Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, inquit Rex Prophetarum in Psalmo nostro 44. Sed ex quo motivo concupiscet? Anteponit quatuor requisita, quæ sunt: audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui. (*Ps.* 44.)

ex ratione 4. virtutum, Obedientiæ, fidei cum prudentia, humilitatis & castitatis.

En quatuor virtutes primariæ Matris Dei Virginis, & Filiæ Dei Patris. *Audi Filia* per obedientiam, & *vide* per fidem cum prudentia, & *inclina aurem tuam* per humilitatem, & *obliviscere populi tui & domûs tuæ* per castitatem. Hæ sunt pulcherrimæ virtutum species quæ concupiscentiam decoris in anima Virginea effulgentis Sponso

causârunt. Trutinemus singulas, ac primùm in generali audiamus Chrysippum Jerosolymitanum discurrentem. *Audi filia, sermo meus ad te quæ desponsanda es Regi magno. Et vide, adeò diligenter aus culta, ut etiam ipsis notitiæ oculis intuearis effectum. Et inclina aurem tuam; hoc enim faustum nuncium est de redemptione mundi. Et obliviscere populum tuum: populus enim à quo cognationem contraxisti, nequam est, ignominiam tibi affert.* Prima igitur virtus Beatæ Virginis fuit obedientia, per quam in auditu auris obedivit Deo, sicut primum vitium Evæ fuit inobedientia: *sic pro inobedientia* dicente Sancto Augustino, *obedientia commutatur.* Verbum Mariæ Fiat, (*Luc.* 1.) fuit verbum obedientiæ supereminentis, quâ Divinæ voluntati, Angelo annuncianti præbens assensum, obtemperavit. Idipsum præbuit & hominibus; ac primariò Parentibus, Sacerdotib⁹ & Sponso suo Josepho. Denique etiam Principi temporali Augusto Imperatori, eundo Bethleem pro conscriptione licèt partui vicina; adeò ut credatur etiam tanquam omnium Religiosorum primiceria, voto obedientiæ, paupertatis, & castitatis se obstrinxisse. *Et vide:* Ecce primarium obedientiæ opus; fides cum prudentia. Credidit Maria Deo per Angelum annuntianti, ita ut meritò ab Elizabetha laudaretur: beata quæ credidisti. (*Luc.* 1.) *Ita fides pro perfidia Evæ compensatur*, ex sensu magni Doctoris Doctorum, qui etiam ait: *sacratissima Virgo beatior fuit per fidem perfectam, concipiendo Deum in anima quàm in corpore. Nam etsi tanta sit dignitas Dei Matrem esse, ut major homini conferri non possit, ea tamen sola jus ad immortalem gloriã non dedit, sed fides vivacissima.* Hæc charitati juncta Virginem super universos Angelorum ordines erexit. Ita sanæ vivæ fidei jungitur charitas; quia non potest non amari quod creditur esse summum bonum. Fides habuit ducem prudentiam. Quomodo fiet istud? inquit. *Prudentia est recta ratio agibilium*, docente Sancto Thoma Angelico, *sive sapientia in rebus humanis, & consistit in ratione practica, virtutes omnes adjuvat, & in omnibus operatur.* Quidni ad basim omnium virtutum Fidem est necessaria, quantumvis intellectus in obsequiũ fidei captivetur. Dat nobis *S.* Doctor operationes prudẽtiæ, *Ista*, inquit, *regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat; postremò humanarum pariter & Divinarum scientiam affert: ergo & fidei. Hæc est quæ confusa discriminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat.* Cogitabat qualis esset ista salutatio; (*Ib.*) hoc erat opus prudentiæ. *Et vide*, inquit, *vide fide, sed oculo prudentiæ munitâ.* Fides habuit sociam spem; quia contra spem in spem credidit, *Rom.* 4. sicut Abraham, ut esset Pater multarũ gentiũ. *Eccli.* 44. Mariæ igitur fides fuit viva, videns per prudentiam, in spe operans per charitatem. *Inclina aurem tuam*, sequitur; quod denotat humilitatem. Hæc planè incomparabilis. Ecce Ancilla Domini, inquit: [*Luc.* 1.] & iterum: respexit humilitatem

Chrysippus Jerosolymit.

Prima virtus Beatissimæ Virginis obedientia.

S. August.

Secunda fides cum prudentia,

S August.

& charitate,

S Thomas Aquinas.

& spe.

Tertia humilitas.

Ancillæ suæ. Hanc admiratur mellifluus Pater. *Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit? Mater Dei eligitur, & Ancillam se nominat. Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblatâ tantâ gloriâ oblivisci humilitatem. Non magnum est, esse humilem in abjectione; magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. O verè gloriosa Mariæ humilitas; quæ porta paradisi efficitur, scala cœli constituitur. Facta est certè humilitas Mariæ scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras.* Sic præstantissimè humilitate Mariæ, Evæ superbia est eliminata. Vltimū innuitur, quod primum fuit in Virgine, castitas Virginalis ab infantia voto firmata in perpetuum absq; præcepto Dei, absq; consilio, & absq; exemplo hominum. Hoc est, *oblivíscere populum tuum & domum Patris tui.* (*Ps.* 44.) Quomodò fiet istud, ait, (*Luc.* 1.) quoniam virum non cognosco? Per votum Virgineæ Castitatis, *oblita est populi sui & domûs Patris sui* (*Ps.* 44.) nolens illam per Matrimonium multiplicare. Nec desiderabat illam benedictionem Israëli datam in Deutoronomio: (*c.* 7.) non erit apud te sterilis utriusq; sexûs tam in hominibus quàm in gregibus tuis. Nec timuit quæ Isaias *c.* 47. comminatur: venient tibi duo hæc, sterilitas & viduitas. Multo minùs quæ Jechoniæ Jeremias intentat; (*c.* 22.) scribe: Virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Neque illam lamentationem curabat ex Isaia: (*c.* 49.) Ego sterilis & non pariens, transmigrata & captiva. Quæ omnia carnalem denotare possunt sterilitatem, populiq; & domûs suæ oblivionem. Virum enim non cognoscens, utiq; naturaliter sterilis esse debet. Sciebat tamen Virgineam sterilitatem posse fructificare, ex Isaia, (*c.* 54.) ubi dicitur: lauda sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij desertæ magìs, quàm ejus quæ habet virum. Noverat purissima Virgo illud Sapientis: [*c.* 3.] Felix est sterilis & incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Non sicut Eva, quæ per concupiscentiam corrupta & coinquinata, facta Mater cunctorum viventium, (*Gen.* 3.) vel satiùs morientium, habebat fructum in despectione animarum damnatarum. Ita equidem promeruit habere benedictum fructum ventris sui, (*Luc.* 1.) communem cum Deo Patre: cujus instructionem per hanc sententiam, *Audi filia*, secuta est. Et ideò concupivit Rex speciosus formâ præ filijs hominum decorem ejus, ex hisce magnis virtutibus; videlicet fidelis obedientiæ, vivæ fidei cum illuminatâ prudentiâ, spe, & charitate operosâ animatæ, profundissimæ humilitatis, atque Virgineæ castitatis resultantem: quæ potissimùm animam ipsius exornabant. Nam cæterarum omnium virtutum decora utì paupertatis, patientiæ, mansvetudinis, misericordiæ, abstinentiæ, mortificationis, justitiæ, fortitudinis, & omnigenæ pietatis ex fundamento istarum profluebant, ut verè circumamicta varietatibus virtutū esse cognosceretur, & pulcherrima non tantùm omniū mulierum,

Quarta Castitas.

Non timendo maledictionem sterilitatis,

& sciens Virgineam sterilitatem posse fructificare.

Concupivit Rex speciem ejus.

Omnes virtutes in Maria.

lierum, [*Cant.* 5.] ſed omnium hominum & Angelorum haberetur. Quid enim in ea ſpecioſitatis deeſſe potuit, in quam omnium creaturarum terreſtrium & cœleſtium decora confl xêre, & quæ etiam Divinæ pulchritudinis fuit ſacrarium atq; compendium? Quantò ſatiùs de illa poterat dici quàm de Eſther Regina: erat enim formoſa valde & incredibili pulchritudine, (*Eſth.* 2.) omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur. Quidni omnium? quæ etiam ipſius Dei oculis ita placuit; ut concupiſceret Rex decorem ejus. (*Pſ.* 44.) Meritò proinde à Sancto Andrea Cretenſe nominatur *Pulchritudo Jacob, quam elegit Deus, & in qua habitavit, & ex qua proceſſit tanquam ſponſus è thalamo, & nos renovavit. Pulchritudo eximia & excellentisſima* juxta eundem; & ex mente Sanctæ Brigittæ: *pulchritudo nova, ſuavisſima, clariſſima, potentisſima, honeſtisſima, pretioſisſima, deſideratisſima; pulchritudo quam omnes videre optabant Patriarchæ, de qua omnes cecinerunt Prophetæ, de qua omnes electi gaudent*; & juxta Iſidorum Theſalonicenſem: *pulchritudo magnificentisſima, pulchritudo orbis univerſi*; quinimò eodem dicente, *pulchritudo ſacratisſima expresſisſimè referens Deum*; & ex ſententia S. Alberti magni, *ſingillatim pulchritudo Eccleſiæ. Quid enim decoris in Eccleſia eſt quod non inveniatur in Maria?* Deniq; ſecundùm Gregorium Nicomedienſem, *Pulchritudo pulcherrima omnium pulchritudinum.* Pulcherrima in Conceptione ſua, quia ſinè macula primigenia. Pulcherrima in Nativitate, velut aurora ſolis non tantùm prævia, ſed productrix. Pulcherrima in Præſentatione, velut templum Dei animatum. Pulcherrima in Annunciatione, tanquam ſanctuarium Dei, ipſumq; Sanctum Sanctorum, (*Num.* 4.) non tam arcam Dei quàm ipſum Deum in ſe poſſidens & complectens. Pulcherrima in Viſitatione, pulchritudinem & lætitiam alijs affundens. Pulcherrima in Purificatione, tanquam ſpeculum ſine macula (*Sap.* 7.) ſpeculum omnis puritatis. Pulcherrima ſtans ſub cruce; nigra quidem ex amaritudine doloris, ſed formoſa ſpecie compaſſionis, decolorata à ſole [*Cant.* 1.] tunc occidente. Pulcherrima in ortu Reſurrectionis, & in meridie Aſcenſionis Filij ſui, ab eo omnem participans pulchritudinem. Pulcherrima ſub deſcenſum Spiritûs Sancti, qui jam antè in ipſam ſupervenerat, jam iteratò eam replens, auxit in illa chariſmatum decorem. Tandem nonne ſuper hæc omnia pulcherrima in Aſſumptione ſua? Ubi omnium pulchritudinum concurſus Virginem Beatiſſimam inundavit, & ipſammet illam infinitæ pulchritudinis abyſſum ſedens ad dexteram Filij penetravit, Quia reverà, dixit Dominus Dominæ noſtræ, ſede à dextris meis; (*Pſ.* 109.) potiori jure & honore, quàm Betſabee à dextris Salomonis. (3 *Reg.* 2.) Quidni nunc illi quoq; dixit utì Salomon: pete Mater mea, neq; enim fas eſt, ut avertam faciem tuam. Quidni velut Aſſver⁹ Eſther (*c.* 5.) requiſivit: quid vis Maria Regina? Quæ eſt petitio tua, etiamſi dimidiã partem Regni petieris, dabitur tibi. *Pete igitur ô Domina noſtra, Regina*

Margin notes: *Beata Virgo eſt omnis pulchritudo.* — S. Andreas Cretenſis. — S. Brigitta. — Iſidorus Theſſalonic. — S. Albertus Magnus. — Gregorius Nicomed. — *Maria pulcherrima.* — I. (Conceptione) II. (Nativitate) III. (Præſentatione) IV. (Annunciatione) V. (Viſitatione) VI. (Purificatione) VII. (ſub cruce) VIII. (Reſurrectionis, Aſcenſionis) IX. (Spiritûs Sancti) X. (Aſſumptione) — *Oratio ad Beatiſſimam Virginem.*

na nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, imò quoq; *Mater no- stra.* Dilexit in te decorem domûs suæ & locum habitationis glori suæ, & nunc introduxit te in locum tabernaculi admirabilis, (*Ps.* 41. lucis inaccessibilis, (1. *Tim.* 6.) atq; in throno gloriæ supremæ collo cavit. Dilige & tu in nobis eundem decorem, redde nos virtutibu per preces ac merita Tua speciosos, gratos, amabiles in cônspect Dei. Semel locutus est Deus in Verbo suo, quo fecit & refecit omnia duo tamen hæc audivi, quia potestas Dei est, [est Filius Dei] & ti bi Domine misericordia, (est & Filius hominis filius tuus) cui dat est potestas in cœlo & in terra (*Mat.* 25.) potestas judiciaria: omn enim judicium dedit Pater Filio. (*Joan.* 5.) Ex ipso Tibi Domi na est quoque misericordia, quæ es Mater misericordiæ, hoc est di midium Regni sui quod Tibi dedit. *Sileat misericordiam Tu am*, loquor cum Tuo Mellifluo filio quem lactâsti & Patre nostro ô *Virgo Beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis sib meminerit defuisse. Equidem omnibus ades, præstò es invocantibus te* Adesto & nobis, adesto toti Ecclesiæ utroq; statu præfulgenti, fac eam Sponsam sinè macula, sinè ruga (*Ephes.* 5.) sicut tu fuisti. Adesto Or- dini Nostro, Olivæ tuæ, Tibi devotis, ut Tuarum virtutum deco- rem, im tentur. Adesto & animabus tam ultimum spirantibus hali- tum quàm ultimam luentibus pænam, ut in luce miserationum tu- arum, (*Eccli.* 36.) omnes possimus ad lucis tuæ pulchritudinem in æternum videndam pervenire.

Filius dedit Matri suæ dimidium Regni sui, misericordiam.
S. Bernardus.

Sermo in Festo S. Bernardi Abbatis.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Ps. 44.

IN quo maximè species & forma humanæ pulchritudinis consi- stat, nemo meliùs Sponsâ cælesti videtur indicasse. PP. RR. FF. DD. Dùm enim à filiabus Jerusalem interrogaretur: qualis Dile- ctus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, id est, præ filijs alijs dilectis? repetitâ vice desiderium sciendi exaggerantibus, respondit. (*Cant.* 5.) Dilectus meus candi- dus & rubicundus. Hinc colligendum in candore & rubore omnem Sponsi Divini pulchritudinem. *Candidus dicitur Dilectus Christus, propter Divinitatis splendorem*, teste Divo Gregorio, *qui per cando- rem rectè designatur.* Dicitur etiam candidus, propter pulchritudinē integræ justitiæ, quia sinè macula peccati; nitidus, ob virginitatis de- cus; niveus, propter innocentiam vitæ; limpidus propter puritatem doctrinæ; serenus propter fulgorem sanctitatis instar solis meridiani, & hæc omnia per candidum significantur. Jam rubicundus propter sangvineum humanitatis ruborem; *quia partus est Virginis*, docente Sancto Ambrosio. *Candidus enim est claritate Divinâ, rubeus specie coloris humani, quam Sacramento Incarnationis assumpsit.* Rufus uti primus Adam è terra rufa plasmatus; rufus & amabilis aspectu, uti Rex David: (1. *Reg.* 16.) rutilus & igneus ardore charitatis, fulvus

Dilectus candidus & rubicundus & ideò speciosus:
Candidus I. S. Gregor.
II.
III. *Nitidus.*
IV. *Niveus*,
V. *Limpidus*,
VI. *Serenus.*
Rubicundus I. S. Ambros.
II. *Rufus.*
III.
IV *Rutilus & igneus.*
V. *Fulvus.*
VI. *Coccineus & purpureus.*

auro probatissimo igne passionis excocto, coccineus & purpureus proprij sangvinis profusione. Candidus est & rubicundus tam in pace quàm in bello, tam Confessoribus quàm Martyribus, præmia distribuens, & pro justitia candidas, & pro patientia rubeas donans coronas. Colores igitur hi duo albi & rubei secum attemperati rosæ candidæ & rubicundæ speciem referentes, supremæ in filijs & filiabus hominum pulchritudinis ac formositatis sunt indices & authores. Divus Ambrosius de obitu Valentiniani Imperatoris perorans, sic illius decorem depingit: *Valentinianus meus candidus & rubicundus, habens in se imaginem Christi.* Licebit mihi quoq; de Sancto Patre nostro Bernardo idem asseverare. Bernardus noster candidus & rubicundus, imaginem Christi in se repræsentans. Dubitamus? Non equidem ambigendum, ubi vix ortum in utero præclara visio Matris catellum toto corpore candidum, in dorso subrufum fuisse manifestat: utique candidum & rubicundum. Et sanè talis fuit in ortu, talis in toto vitæ decursu, semper candidus innocentiâ vitæ, mentis puritate, nitore castimoniæ; & rubicundus tam in mortificatione sui, quàm in amore Dei ac proximi. Albedo vestium quam Mater Dei candidissima novellæ plantationi Cistercienſi per Sanctum Albericum contulerat, est species candoris, estque symbolum præfatarum virtutum, est signum lætitiæ spiritualis in Deo, est præsagium gloriæ cœlestis. Sumitur autem similitudo albedinis à materialibus, iti dicuntur à Jeremia (*Thren.* 4.) Nazaræi, candidiores nive, nitidiores lacte. Nazaræi intelliguntur separati, utì sunt Religiosi à mũlo segregati, consecrati nimirùm Deo & sanctificati à Deo ac coronati. Hi se DEO devovebant, à vino & sicera abstinebant, (*Deut.* 4.) utì dicitur (*Luc.* 1.) de Sancto Joanne: Nazaræus vocabitur pur iste, vinum & siceram non biber, nec immundum manducabit ex itero Matris suæ. Iidem comam non tondebant, *& multi eorum à nulieribus*, testibus DD. Epiphanio & Augustino *se continebant.* Hæc gitur abstinentia & continentia eos speciosos reddebat, utì contigit Danieli & socijs ejus. (*Dan.* 1.) Et sanè temperantia & parsimonia nater est venustatis, utì ingluvies & gulositas est mater fœditatis. Et lla equidem utì in primordijs Ordinis à Sanctis Patribus plurimùm ulta fuit, ita à Beatissimo Patre nostro erat vel maximè observata, ui puritate vitæ nivem, nitore exempli lac superabat. Additur de Nazaræis, (*Thren.* 4.) fuisse ipsos rubicundiores ebore antiquo, & pphiro pulchriores. Hoc sic sumendum literaliter est, quòd fuerint n vultu & toto corpore candicantes & lactei, capite verò & capillis avescentes, rutilantes, & quasi aurescentes; per colorem autem saphiri cœlo, quod cæruleum est, inhiare notabantur. Ita & veri Religiosi toto vitæ tractu puri & candidi, sunt quoque charitatis ardore bentes, & cærulei cœli desiderio fulgentes. Hoc quoq; Sancto Pai nostro summè convenit, qui puritate omnimodâ candescens, ferore dilectionis ebur purpureo colore tinctum, ac sapphirum colore

Colores albus & rubeus pulchritudinis indices.

S. Bernardus candidus & rubicundus.
In visione Matris I.

II. in vitæ decursu.

Albedo vestium est species cãdoris,
symbolum virtutum,
signum lætitiæ & præsagium gloriæ cœlestis.

Nazaræi candidi,
separati,
abstinentes,

continentes,

& rubicundi.

Religiosi debẽt esse tales.

cœlesti conspicuum cœlicâ conversatione referebat, imò superabat.

Lamentatio de denigratione ordinis & defectu.

Liceat hic subnectere id, super quo Propheta in Threnis suis ibidem consequenter lamentatur: (*c.* 4.) denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis; adhæsit cutis eorum ossibus, aruit & facta est quasi lignum. Utinam non verificetur hoc de Successoribus Patrum nostrorum, ac potissimùm Sancti Patris nostri, qui solutâ vel dissolutâ potiùs disciplinâ, à prisco fervore & primitivo rigore defecerunt & deciderunt, quibus Deus illud Amos (*c.* 9.) dicere potest: nunquid non ut filij Æthiopū vos estis mihi filij Israël, ait Dominus. Candor ille deperijt, nitor obsorduit, rubor extinctus est, sapphirus luteus est factus, adeoque denigrata est super carbones facies eorum. *Nigri enim post candores fiunt*, ait Sanctus Gregorius, *& frigidiores carbonibus extinctis, id est, frigidis mentibus evadunt.* Hinc obscuritas Ordinis ex ariditate devotionis & frigiditate mentis. Qui erant sicut lignum viride dans fructum in tempore suo, facti sunt velut lignum aridum infructuosum in ignem mittendum.

S. Gregorius

Albedo nivis in Transfiguratione.

Sed redeo ad albedinem, quæ potissimùm in nive excellit. Unde Transfigurati Domini vestimenta dicuntur facta alba velut nix. (*Matth.* 17.) Hinc etiam pœnitentibus verè promittit Deus per Isaiam: (*c.* 1.) si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Idipsum de se pœnitente & misericordiam Dei flagitante Regius Vates asserit: (*Ps.* 50.) lavabis me & super nivem dealbabor, id est, à vitiorum maculis emundabor. *Dealbantur autem justi super nivem*, ex mente Sancti Gregorij, *tùm quia fulgebunt sicut sol*, (Mat. 13.) *tùm quia candor nivis facilè præterit cum ipsa nive, candor verò justorum perpetuò durabit.* Avertat Deus, ut simus dealbata sepulchra aut dealbati parietes, (*Mat.* 23.) quod hypocritis servit, *qui foris mundi apparent*, juxta Origenem, *cùm intùs omni vitiorum spurcitiâ sint pleni.* Si lotus fuero quasi aquis nivis, ait Job: (*c.* 9.) quæ sunt lachrymæ pœnitentiæ. *Et quia nix ab alto descendit*, inquit S. Gregorius, *is lavatur aquis nivis, qui cœlestem patriam per lamenta desiderat.* Sic non tantùm nivis albedo, sed & lotio nobis proficit, ut ad albedinem, puritatem videlicet animæ perveniamus.

Pœnitentes dealbantur & lavantur.

Idem.

Origenes.

S. Gregor.

Ab aquis nivium ad calorem nimium transeundum est.

Sic juxta Job: (*c.* 24.) ab aquis nivium transitur ad calorem nimium; ut cum muliere forti non timeamus domui nostræ à frigoribus nivis, quando omnes domestici nostri vestiti erunt duplicibus, (*Pr.* 31.) duplici nimirùm charitate Dei & proximi post pœnitentiam calefacti & accensi. Tunc Deus dat nivem sicut lanam, (*Ps.* 147.) quando dicente S. Augustino, *frigidos facit aptos ad calefaciendum, & ut sint vestes Christi.* Cæterùm nix cùm sit frigidissima docente S. Gregorio, *iniquitatē significare potest*, (ex ea nimirùm frigiditatis ratione) *quâ abundante refrigescit charitas.* Et ab aquis niviū transeunt ad calorem nimium, (*Job* 24.) qui dum iniquitatum suarum frigora declinant, ad veram fidem & sanctitatis habitum veniunt. Hæc ideò innuisse nobis conveniat, ut si quid frigiditatis in nobis ob fervorem primum religionis

S. Augustin.

S. Gregorius

nis deperditum obveniat, id transitu ejusmodi ad amorem reparemus, per quod ad albedinem nivium pertingemus, poterimusque fieri ad exemplum Sancti Patris candidi & rubicundi. Omni tempore sint vestimenta tua candida, monet Ecclesiastes, (*c.* 9.) quod Philo Carpathius ita explicat. *Dum fidelis anima à peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie minora peccata cum lacrymis lavat, & à majoribus sibi cavet, quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiem suam servat*, habetque addo ego, candidda vestimenta. Sanctus verò Ambrosius sic discurrit: *Quid candidius Virginitate? Quid nitidius intacti vestimento pudoris? Bona quidem castitas conjugalis & castitas viduitatis. Munda omnis castitas, sed fortè non omnis candida, aut non candida in omni tempore. Non candida, quando non habet quis sui corporis potestatem, quando ad tempus sequestratur oratio.* De Virginitate ergo pulchrè dicitur: in omni tempore sint vestimenta tua candida. [*Eccles.* 9]

Omni tempore vestimenta sint candida. Philo Carpathius.

S. Ambrosius Virginitas candida,

Quantus amator & custos fuerit Divus Pater noster hujus Virgineæ puritatis, abhorrentia ejus à consortio fœminarum, & corporis in stagno frigido mortificatio patefacit. Quid vox illa, latrones, latrones denotat, nisi maximum castitatis servandæ zelum? Inde haud dubiè meruit esse Virginis Sanctissimæ candidatus, ab eaque lacte Virgineo pasci.

in S. Bernardo

Cæterùm vestis alba erat indumentum nobiliorum & illustriorum personarum, uti Sanctus Jacobus innuit: (*c.* 2.) si introierit in conventum virorum vir aureum annulum habens in veste candida; usúsque ejus fuit in sacris, uti & nunc Sacerdotes lineis utuntur albis, sic dictis ab albedine. Tùm in convivijs, in dignitatum petitione vel magnatum ambitione, unde tales dicebantur Candidati; in manumissionibus, uti testatur Tertullus, si famulum tuum libertate mutaveris, vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu, mensâque honoratur. In militia quoq; candidæ vestis usus erat in festis & triumphis, in nuptijs & spectaculis, tandem in Paschate; potissimùm autem baptizandi post alias vestes toto vitæ tempore portatas, baptizati per totam ejus Octavam candidas gestabant vestes; unde dies octava Dominica in Albis appellatur.

Vestis alba indumentum Nobilium.

Usus ejus in sacris, in convivijs, Candidati unde dicti, in manumissionibus, in militia & in Paschate, Dominica in Albis unde sic dicta?

Denique quando venerunt nuptiæ Agni illius, (*Ap.* 19) qui pascitur inter lilia, (*Cant.* 2.) uxor ejus præparavit se, & datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido; (*Ap.* 19.) byssinum enim sunt justificationes Sanctorum. Ita tota Ecclesia Christi Sponsa ejus hìc militans celebrat sponsalia in baptismo per gratiam; postea triumphans erit uxor illius per gloriam, cujus nuptiæ in cœlo per totam peragentur æternitatem, ejusque perpeti fruetur conjunctione. Utrobiq; byssinum habet splendens, scilicet mundum & nitidum atque candidum, hic virtutis & gratiæ, ibi honoris & gloriæ. Byssus est subtilissimum & tenuissimum lini genus, signatque purissimam & innocentissimam Sanctorum vitam ac conversationem, quæ in tribulatione maximè resplendet & enitescit, uti byssus maceratione, tunsione, & carmina-

in nuptijs Agni byssinum candidum,

gratiæ & gloriæ.

Byssus tenuissima.

one purius ſemper & candidius evadit. Significat etiam tela byſſi & candida perpetuam felicitatem. Quidni Sanctus Pater etiam in aſcenſu ſuo ad cœlum ex Claravalle candidus fuit, aſcendens in montem Libani, qui candidus interpretatur, ad plenitudinē lucis, celſitudinē claritatis, abyſsū gloriæ Divinæ; non enim poterat ibi niſi candidus comparere. Sed de rubicunditate ej⁹ nobis quoq; dicendū eſt quæ ſignum eſt verecundiæ & modeſtiæ, ſymbolum patientiæ & amoris, mortificationis & martyrij documentum. Dorſo ſubrufus viſus eſt, qui ex geſtatione oneris levis Chriſti, & ex tractione jugi ſvavis, idque ex motivo amoris Dei & proximi debuit rubere. Ita rufus David pulcher aſpectu (1. *Reg.* 16.) dicitur & fervidus charitate ac labore piorum operum, teſte Sancto Gregorio: *Quia ut qui nimium laborat ex labore rubeſcit; ita qui ex charitate operatur, magis ad operandum ſuccenditur.* Sed quidni etiamruberet Div⁹ noſter continuâ Paſſionis Dominicæ memoriâ & meditatione? Nonne faſciculus hic myrrhæ continuò inter ubera ejus commorabatur? (*Cant.* 1.) Hinc meruit ab ipſo Crucifixo amplexum, cùm eſſet ſimilis illi, adeoq; ipſi concrucifixus: *Candidus & rubicundus, habens in ſe* juxta dictum Divi Ambroſij *imaginem Chriſti per candorem & ruborem ſpecioſi forma præ filiis hominum.* Jam verò ſi color albus ſervit Confeſſoribus & Virginibus, rubicundus Martyribus: conſideremus, quid Gaufridus Abbas de S. Patre eloquatur: *Sicut eundem Patrem candor excellentiſſimus totius ſuæ converſationis & vitæ Confeſſoribus ſanctis, & electis Virginibus ſociavit, dorſum quoq; ſubruſum Martyrum ſupparem effecit.* Sed multò magis audiamus, quid Vicarius Chriſti Alexander III. Papa dicat de Confeſſore noſtro Virgine & Martyre: *In afflictione verò corporis ſui* [inquit] *usq; adeo ſibi mundum, ſeq; mundo reddidit crucifixum, ut confidamus Martyrum quoq; eum merita obtinere ſanctorum, quem confeſſionis ordine & parſimoniâ vitæ tam longum conſtat duxiſſe martyrium.* Notemus parſimoniam vitæ, ſuper qua juremeritò cogor hic inſinuare ex epiſtola D. Faſtredi, tertij poſt Sanctum Patrem Abbatis Claravallenſis memorabilem Viri Dei ſententiam, ubi Prælato cuidam ſcribit lautiùs viventi: *Crede mihi Pater mi, ſæpius ſanctum Bernardum pultes ex farina confectas addito oleo & melle cum ſcrupulo edentem vidi ad ſtomachum calefaciendum. Dumq; eum de hac auſteritate accuſarem, mihi reſpondit: Fili mi, ſi Monachi obligationem noſſes, omnis buccella quam edis, lachrimis irriganda foret. In hoc enim Monaſterium intramus, ut peccata noſtra & populi deploremus, & panem quem ſuis laboribus parârunt comedentes, horum peccata comedimus, ut ea tanquam propria lugeamus.* Addebatq; præterea Sanctus Bernardus: *Nec ſufficit Monacho infirmitatem allegare. Sancti enim Patres Majores noſtri valles humidas & declives Monaſteriis exſtruendis indagabant, ut ſæpe infirmi Monachi & mortem ante oculos habentes, ſecuri non viverent.* Ut autem ſciamus quo cibo veſcebantur, in eadem Epiſtola ſic redarguit

notat felicitatem.

S. *Bernardus rubicundus.*

ob geſtationem jugi Chriſti,

ob Paſſionis continuam memoriam,

ob martyrium in mortificatione,

ob parſimoniā vitæ.

S. Faſtredus.

Majores noſtri quo cibo veſcebantur.

guit sibi plus solitò indulgentem. *Non hæc vita est, quam me & te docuit Pater & Prædecessor noster Bernardus felicis recordationis, nec modus quem nostri sacri Ordinis Abbates & Monachi sequuntur, qui nos pane ex avena confecto & herbis sinè oleo & abdomine* (credo sumen suillum intelligi, quod fortè infirmis dabatur) *coctis enutrierunt, & fabis pisisque ipso etiam Paschatis festo die, quæ austeritas vel similis in omnibus Ordinis domibus observatur.* Quid diceret Sanctus Pater, & hicce D. Fastredus, si modernos cibos conspiceret in Ordine frequentatos? Ubi illa antiqua parsimonia victûs? Et tamen ut Nazaræorum ita & Religiosorum quinta vitæ essentia fuit abstinentia & continentia. Albus candor planè requiritur, & candida sinceritas in observantia Religiosa, simul ac rubeus fervor & fervida devotio in ipsius rigorosa atque constanti continuatione, ut non remittatur disciplina regularis vel dissolvatur. Placet scire qualis in tali candore & rubore debeat esse Monachus, ut sit verè Monachus & verè speciosus? Depinxit illum mellifluus Doctor. *Cùm videris*, ait, *Monachum ad contumeliam humilem, ad opprobria patientem, suis devotum Prioribus, in moribus mansvetum, tacitum ad loquendum, assiduum ad silentium, in Claustro attentè legentem, in Ecclesia suis vocibus Christum omni devotione laudantem, si non continuò, tamen quotidie lachrymantem, parcum in refectione, ad obedientiam promptum, ubiq; proclivem, ubiq; inclinatum, ubiq; verecundum; ore cœlum pulsantem, semper ad Deum corde clamantem, cultorem proximi & contemptorem sui, cunctos diligentem, seipsum odientem; tunc dicere poteris: Monachus iste sui Creatoris servat mandatum. O quàm beatus est Monachus talis! Profectò iste laboris sui prœmium habebit Dominum Jesum.* Ita hodiernus Doctor egregius: qui hâc descriptione Monachi seipsum proculdubiò expressit servantem sui Creatoris mandatum; dùm candidus præceptum Domini lucidum illuminans oculos, (*Ps.* 18) rubicundus eloquium Dei vehementer ignitum custodiens (*Ps.* 118.) diligentissimè observaret ac exequeretur. Sed & mel & lac sub lingva (*Cant.* 4.) mellifluí & lactiflui Bernardi dilecti Jesu & Mariæ, idipsum Domini præceptum ac eloquium docentis fuit, qui mel de petra Christo crucifixo, lac de matrice petræ Maria sugens, adeoque ex melle rufus sive rubeus, ex lacte candidus sive albus potuit innotescere & agnosci. Hic finaliter occurrit mihi candor luminis qui in Cherubinis, & rubor ardoris qui in Seraphinis reperitur. Hi Deo qui lux est, (1. *Joan.* 1.) & qui ignis consumens est, (*Deut.* 4.) sunt vicinissimi. Quidni noster Angelicus Bernardus utrumque habuit? Cùm esset lucerna lucens & ardens; [*Joan.* 5.] ita ut candidus esset luce sapientiæ & scientiæ Dei instar Cherubini illuminatus, ac rubicundus igne amoris & zeli inflammatus velut Seraphinus. Omnibus omninò modis & titulis speciosus fuit Theodidactus Bernardus, candorem rubori, ruborem candori conjungens, & quasi sol lucidus & igneus refulgens in firmamento, scilicet in tem-

S. Fastredus.

Qualis candor & rubor in observantia Religiosa esse debeat?

In quo qualis esse debeat Monachus?

S. Bernardus.

Candor luminis Cherubim, & rubor ardoris Seraphin in S. Bernardo.

Quomodo?

plo DEI, in Ecclesia Christi, in Ordine Sacro effulsit & coruscavit Finio verbis Gaufridi quarti Abbatis Claravallensis, ex Sermone eju in Anniversario Sancti obitûs die prædicato. *Sed quid dicimus, quò in corpore toto candido dorsum visus est habuisse subrufum? Cando enim castitas, candor innocentiæ vitæ, candor corporis puritas & acti onis. Quid autem rubor est? Nonne Martyrium? Quid si rufus ap paruisset, nonne Martyr fuisset? Nam dorso portantur onera, dor sum ad flagella præbetur, & quamvis non timuerit currere, quis plù currit in certamine, Confessor ista sustinens, quàm Martyr ictum suf ferens? Humano tamen arbitrio post bonos Martyres Sanctis Con fessoribus gloria in secula tribuitur.* Tandem subnectit: *Felix qui in ter cœlestis Sponsi membra tam celeriter suo conformatus est Capiti, ut quemadmodùm ille candidus & rubicundus, sic iste suo utiq; modo candidus, & sinè passione rubicundus, patientiâ tamen subrufus exstiterit* Ac demùm concludit: *oportet autem nos quoq; imitatores ejus esse, sicut & ipse Christi.* (1. Cor. 11.) Jam igitur nos filij tanti Patris utinam non degeneres, solliciti simus speciositatem illius imitari, omnigenum hunc virtutum candorem & ruborem causantem omnem pulchritudinem adamemus, & in nobis efformemus; disciplinam Regularem in rigore & vigore candidè & ferventer manuteneamus; ad perfectionem duplicis puritatis & charitatis corpus & animam habédo immaculata, Dei & proximi dilectione accensi continuò tendamus: Confessorum, Virginum, & Martyrum candidati effecti, candorem Cherubicum & ruborem Seraphicum æmulemur, ut sic nos quoque haud dubiè speciosi cum Sancto Patre specioso formâ præ filijs hominum Deo homini in æterna gloria conjungamur.

Gaufridus.

Idem.

Candor & rubor D. Bernardi & nobis imitandus.

Sermo in Festo Dedicationis Ecclesiæ.

Speciosus formâ præ filiis hominum. Ps. 44.

Dilexi decorem Domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, gloriatur de se coram Deo Rex Solymæ sanctissimus; (*Ps.* 25) PP. RR. FF. DD. quem ut Deo exstrueret, quantùm fuerit sollicitus, manifestat Psalmus dicens: (*Ps.* 131.) Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob: si introiêro in tabernaculum domûs meæ, si ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis; acsi diceret: non possum nec in domo cedrina, nec in lectis Regalibus ibi positis quiescere, nec somnum capere tranquillum, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Votum ergo David vovit Deo Jacob, invenire tabernaculum Deo Jacob. Cur Deo Jacob? Non potiùs Deo Abraham, Deo Isaac? Crediderim non tantùm ideò, quòd per Jacob Patriarcham multiplicatio vera tribuum numero 12. facta fuerit populi à Deo electi ex Abraham & Isaac; sed etiam quòd in eo loco ubi visionem habuit scalæ stantis super terram, & cacuminis ejus tangentis cælum; Angelorum quoque

Votum Regii Prophetæ super exstruendum Deo templum.

Cur Deo Jacob?

Dei

Dei aſcendentium & deſcendentium per eam, & Domini innixi ſcalæ dicentis ſibi: [*Gen.* 28] Ego ſum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Iſaac; ubi repromiſſionem accepit factam ijsdem Patribus de terra ſancta ipſi & ſemini ejus danda, de auctione ſeminis ejus ſicut pulvis terræ, & dilatatione ad Orientem & Occidentem & Septemtrionem & Meridiem, de benedictione cunctarum tribuum terræ in illo & ſemine ejus, & ſingulari cuſtodia Dei ſuper ipſum; in loco, inquam, illo erexit titulum ſive monumentum; ipſumque, fundens oleum deſuper, in altare conſecravit, primus author altarium & domuum Deo dicatarum. A creatione namque mundi nemo Deo exſtruxit templum, quod hic Jacob Patriarcha fecit, hoc confitens per exclamationem: Quàm terribilis eſt locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cæli. (*Ib.*) Quod Chaldæus ſic vertit: Non eſt locus communis, ſed locus in quo beneplacitum eſt coram Deo, & è regione loci hujus eſt porta cæli. Unde locus ille dictus eſt Bethel, id eſt domus Dei, quod etiam in voto ſuo declarat: Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei. Huic ergo Deo Jacob votum vovit Rex David in memoriam primæ domûs Dei, per lapidem oleo conſecratum à Jacob fundatæ, quam ſanctus Rex & Propheta Deo realiter ædificare deſiderabat. Inde meruit promiſſionem Dei de domo ipſi Davidi exſtruenda. Prædicitque tibi Dominus, ait Nathan Propheta, (2. *Reg.* 7.) quòd domum faciat tibi *D*ominus. Quod ipſum idem Pſalmus 131. inſinuat: Juravit *D*ominus *D*avid, & non fruſtrabitur eum; de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Ubi videtur exprimere, ac ſi *D*eus diceret: Tu juràſti mihi domum ædificare, ego juravi me tibi domum exſtructurum. Quanta reciprocatio bonitatis *D*ivinæ, etiam cum fænore, pro domo temporali Regiam domum æternam, pro terreno loco locum & terreſtrem & cœleſtem impertiri. Quid enim tam in lapide erecto à Jacobo, & domo à David per Salomonem exſtructa, niſi Eccleſia quæ eſt Bethel domus Dei, deſignatur? Quid lapis unctus, niſi Chriſtum lapidem Eccleſiæ angularem denotat, quem unxit Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, (*Pſal.* 44.) qui etiam unxit & ungit nos tam oleo gratiæ ſuæ, quàm unctione Spiritûs Sancti? Et hæc domus Dei per Chriſtum Dominum fundata & erecta, ab ipſoque inhabitata tam ſpiritualiter quàm corporaliter per Sanctiſſimam Euchariſtiam, eſt in terris temporalis, in cœlo autem æterna eſt, eſt templum Domini ſempiternũ; Dominus enim in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus. (*Pſ.* 10.) Sicut ergo illa cœleſtis haud dubiè eſt pulcherrima, quidni & terreſtris ita tractanda eſt, ut & ipſa ſit ſpecioſa pro ſpecioſo formâ præ filijs hominum, authore ejus, exſtructore & inhabitatore? Cogitemus quanta Rex Solymæ coacervaverit pro Dei æde à ſe ædificando. Ego, ait, totis viribus meis præparavi impenſas domûs Domini Dei mei; (alibi addit, in paupertate mea) quæ breviter antè recenſuit

S. Patriarcha Jacob primum Deo templum exſtruxit.

Repromiſſio Davidi facta.

Quid lapis à Jacob erectus, & domus à David exſtructa? Quid lapis unctus?

Domus hæc in terris temporalis, in cælis eſt æterna.

Impenſæ Regis David pro ædificio templi.

it: (1. *Par.* 22.) auri talenta centum millia, & argenti mille milli[um] talentorum, æris verò & ferri non est pondus; vincitur enim nume[-]rus magnitudine. Hæc omnia talenta simul juncta cum ijs quæ po[-]pulus liberaliter contribuit, videlicet septuaginta duos milliones, 92 millia aureorum, & 666. aureos efficiunt, bis mille septingentoru[m] quadraginta quinq; millionum, quinquaginta & unius millium, sex centorum sexaginta sex aureorum, summam planè immensam. E[t] hoc templum Jerosolymitanum à Davide intentũ, à Salomone per fectum, per Nabuchodonosor destructum, à Zorobabel reædificatũ ac rursùs per Gentiles profanatum, à Juda Machabæo emundatum & ornatum, ab Herode demùm Ascalonita ante Christum Domini 18. annis post varios præfatos casus amplificatum fuit & illustratum donec propter necem Domini justo Dei judicio fuit in terram prostra-tum, ita ut lapis super lapidem non relinqueretur. (*Mat. 24.*) Et juremeritò cessare debuit figura, quando ipsa Veritas templi Divini, id est, Ecclesia Dei illuxit. Sic pietas & zelus honoris Divini domos DEI exstruit; impietas & tepor ac neglectus destruit, diruit, & pes-sundat. Quod est templum materiale Deo consecratum, vel tem-plum mysticum Ecclesiæ Dei; hoc est unusquisqúe nostrûm, de quo Apostolus: (1. *Cor* 3.) Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Quod ergo egit David in templo exteriori exstruendo, vel Christus Dominus in templo Ecclesiæ suæ ædificando, hoc quivis ex nobis agere debet in templo animæ suæ interiori erigendo, & cultui ac honori Divino consecrando. Audivimus Regem sanctum, quæ à se removerit impedimenta. Primò quidem, si introiero in taberna-culum domûs meæ, inquit; (*Ps.* 131.) & innuit concupiscentiam di-vitiarum mundi pro se & domo sua aut familia esse abijciendam. De-inde ait, si ascendero super lectum strati mei, carnis concupiscentiã, deliciarumque corporis affectum à se excludendum denotans. Ter-tiò teporem ac torporem cordis pellit in eo quod dicit: si dedero somnum oculis meis. Quartò inconstantiam boni propositi elimi-nat, palpebrarum suarum dormitationem proscribens. Deniq; quin-tò requiem temporibus suis denegans, in vanis & pravis cogitationi-bus quietem propulsat. His omnibus exclusis apprimè domus Dei in anima nostra ædificatur. Ut autem meliùs cognoscamus, qualis sit analogia sive proportio inter fabricam templi corporalis vel mysti-ci, nimirum Ecclesiæ vel Ordinis alicuj' sive Congregationis, & ani-mæ cujuslibet justæ: sciendum est primò, Templum esse domum Dei, uti diximus certis ritibus ipsi dedicatam & consecratam. Quinq; autem sunt primarij actus, quos Sanctus Pater noster recenset. *Aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio & benedictio*, quæ in hac visi-bili domo fecêre Pontifices, quæ & Christus assistens Pontifex futuro-rum bonorum (*Hebr.* 9.) invisibiliter quotidie in nobis operatur. As-persio quidem designat pœnitentiam. *Aspergit nos hyssopo, ut munde-mur, lavemur, dealbemur*, ait S. Doctor. Inscriptio fit digito Dei, qui

Pretium earũ.

Templi bujus ortus & interitus.

Homo est templum Dei.

Quæ impedimenta à se removit Rex David? I.

II.

III.

IV.

V.

Ad consecrationem templi quæ requiruntur?

Hæc quid denotant?

qui est Spiritus Sanctus, in cinere, id est corde contrito, non lapideo, duro & obstinato, quale fuit Judaicum, sed in corde carneo, pio, mansveto, molli & tractabili, quale est fidelium Christianorum vel Religiosorum. Inscribitur autem lex Dei, disciplina Regularis, observantia virtutum salutaris. Beatus quem tu erudieris Domine, ait Psalmista, (*Ps* 93) & de lege tua docueris eum. *Beati*, ait S. Doctor, *qui docti & memores sunt mandatorum ejus, sed ad faciendum ea.* Alioquin scienti bonum & non facienti peccatum est illi, (*Jac.* 4.) & servus sciens voluntatem Domini sui & non faciens, plagis vapulabit multis. [*Luc.* 12.] Sequitur unctio Spiritûs adjuvantis infirmitatem nostram, (*Rom.* 8.) & hæc est spiritualis gratia, quâ multimodæ pœnitentiæ & observantiarum cruces liniuntur. *Quia nec sinè cruce sequi Christum*, inquit mellifluus Pater, *& sinè unctione crucis asperitatem ferre quis posset?* Per gratiam Spiritûs adjuvantis, suavis & delectabilis est pœnitentia nostra, amaritudoque redditur dulcissima. At postquam unctio gratiæ hujus præcesserit, jam lucernam suam Christus non ponit sub modio, sed super candelabrum. (*Mat.* 5.) Post unctionem venit illuminatio operum ex Religione & pietate prodeuntium, quæ luceant coram hominibus, ut glorificent Patrē, qui in cœlis est, (*Ib.*) & ipsimet videant quod imitentur. Postrema est benedictio, quæ signum est gloriæ cœlestis & vitæ æternæ, quæ & gratiam sanctificationis complebit, & præterita opera remunerabitur copiosè. Alterum est, quòd templo consecrato mox adduntur Angeli custodes in eo semper vigilantes. Meretur idipsum anima sancta, quam juxta sensum Divi Patris nostri, *frequenter visitant Angeli atq; Archangeli, & honorificant, utpotè Dei templum & habitaculum Spiritûs Sancti. Esto ergo templum Dei*, hortatur Sanctus Doctor, *& Deus excelsus habitabit in te.* Anima enim Deum habens in se, templum Dei est, in quo Divina mysteria celebrantur. Tertium est, quòd domum Dei tam corporalem quàm spiritualem decet sanctitudo; [*Ps.* 92.] *Deus namq; non tam politis marmoribus*, inquit idem S. Pater ad milites templi, *quàm ornatis moribus delectatur, & puras magìs diligit mentes, quàm parietes deauratos.* Idem asserit Regius Vates: (*Ps.* 64.) sanctum est templum tuum mirabile in æquitate; super quo Divus Augustinus ait: *non dixit; templum sanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis, sed mirabile in justitia.* Hæc est quæ decorem domui Dei addit, quæ in omni virtute excellit. Ad quod requiritur quartum, ut lapides tunsionibus & pressuris expoliantur, crucis & mortificationis exercitijs dolentur & lævigentur; & quintum, ut suis coaptentur locis, & disponantur junctim in sacro ædificio permansuri. Unde sicut lapis in sublimi positus non despicit positum in fundamento vel pavimento, neque iste illi invidet, sed lubens sustinet molem ædificij; ita in Ecclesia Dei Doctores & Prælati inferiores & plebejos non despiciunt, nec hi erga illos invidi tabescunt, sed omnes

Templo consecrato adduntur Angeli Custodes.

Templum hoc decet sanctitudo.

Lapides hujus Templi quomodo expoliantur?

suâ sorte sunt contenti, & vocatione quâ à DEO vocati sunt, (*Eph.* 4.) lætique totam Ecclesiæ fabricam concinnant; ita in anima fideli & sancta nulla despicientia pedi ab oculo, nec oculo invidia à pede, sed suo loco & officio contenti in idem conspirant corpus. Sicut lapides calce compaginantur alioqui ruituri & fabricam eversuri; ita in Ecclesia fideles charitate copulantur, ita in anima pia omnes ejus potentiæ & vires charitate colligantur. Unde S. Pater monet: *videat anima & sollicitè caveat, ne à se invicem membra dissideant, id est, ratio, voluntas, & memoria. Dignum habitaculum parat DEO, cujus ratio non est decepta, nec voluntas perversa, nec memoria inquinata.* Sicut denique in fabrica lapis lapidem portat, ita in Ecclesia vel Religione fidelis fidelem, frater fratrem tolerat in suis moribus & defectibus, *cogitans*, uti ait Sanctus Gregorius, *se vicissim ab alio portari*, & hoc facit charitas. Alter alterius onera portate, hortatur Apostolus: (*Gal.* 6.) & sic adimplebitis legem Christi. Quam legem? Legem charitatis. Hoc est enim mandatum novum, ut vos diligatis invicem; (*Joan.* 13.) ita & in anima sancta invicem se tolerant membra & potentiæ, mutuoque oneri succollant, pro quo servit doctrina melliflui Doctoris. *Redi ad cor tuum, & diligenter discute teipsum. Considera unde venis, quò tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, & quantum quotidie proficis, vel quantum deficis; quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus frequentiùs tangeris, vel quibus tentationum machinis à maligno spiritu acriùs impugnaris. Et cùm totum interioris & exterioris hominis statum & habitum, in quantum possibile est, plenè cognoveris, non solùm qualis sis, verùm etiam qualis esse debeas, ex cogitatione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei.* Hæc Theodidactus noster.

Charitas in Ecclesia fideles, in anima pia omnes ejus potentias colligat.

S. Bernardo.

Idem.

Jam quid agitur in templis? Nonne orationibus, votis, oblationibus, & sacrificijs Deo cultus exhibetur? Et hæc est actio totius Ecclesiæ, omnis Religionis, universarum animarum sanctarum. *Ipse homo*, inquit Sanctus Augustinus, *Dei nomini consecratus ac devotus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est.* Corpus enim fit sacrificium, cùm illud temperantiâ ad Dei honorem castigamus. Anima verò, cùm se refert in Deum, ut igne amoris ejus accensa formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformetur; hinc ei placens, quòd de ejus pulchritudine acceperit. Hoc docet Princeps Apostolorum: (1. *Pet.* 2.) & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum. Hoc obsecrat Coapostolus ejus (*Rom.* 12.) per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. In tali jam templo sive materiali, sive mystico, sive spirituali Deus tanquam Paterfamilias in domo sua adest, præest, preces orantium exaudit, ibi largitur beneficia, pandit oracula, suis instinctibus animat, illustrationibus serenat, impulsibus accendit. Imò quod longè majus est

In templis quid agitur?

S. August.

Corpus & anima quomodo Deo offertur in sacrificium?

In his templis Deus tanquam Paterfamilias præest.

est, Deum trinum & unum in anima justa non tantùm per charitatẽ & dona sua esse præsentem, sed & per seipsum personaliter & substantialiter illi adesse, ita ut si per impossibile prius non fuisset præsens per substantiam, jam per justitiam & sanctitatem fieret substantialiter præsens, ex sensu Divi Thomæ & aliorum Doctorum, quod ipsamet Veritas Divina promisit: (*Joan* 14.) si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quanta hîc Dei dignatio! Quanta dignitas animæ nostræ! Equidem Deus non extra nos est quærendus, qui intra nos est. Regnum Dei intra vos est, asserit ipse Deus; (*Luc.* 17.) *ergo templum sanctum Dei*, juxta Divum Augustinum, *est mens pura, & altare optimum est ei cor mundum.* Hoc efficit recta & bona conscientia, quam Sanctus Pater noster definit variè & describit. *Conscientia bona, ait, titulus est Religionis, sicut ille quem posuit Jacob Patriarcha; templum est Salomonis, quod David disposuit; ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritûs Sancti, liber signatus & clausus, & in die judicij aperiendus. Nihil est jucundius, nihil tutius, nihil ditius bonâ conscientiâ; premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, ipsa erit secura. Cùm mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, transeat, nunquam marcescit bona conscientia. Subjiciatur corpus in pœna, in jejunijs maceretur, verberibus lanietur, equuleo dilanietur, gladio trucidetur, crucis supplicio affigatur, secura erit conscientia.* Hæc melliflué Doctor egregius. Quare erit secura? Quia Deum habet in se habitantem. Providebam Dominum in conspectu meo semper, ait Propheta, (*Ps.* 15.) quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Quis fructus? Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingva mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Verè summum animæ sanctæ gaudium est, Deum semper in se habere præsentem. Jam cogitet quisque, quod docet Sanctus Augustinus: *Quoties aliquod peccatum aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus, templum Dei destruimus, & ei qui in nobis habitat, injurias irrogamus.* Ac ideo faciamus, quod monet Sanctus Cyprianus: *conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare, ut qui cœlestes & spirituales esse cæpimus, nonnisi cœlestia & spiritualia cogitemus & agamus.* Si ergo cum Regio Vate desideramus in nobis DEO domum ædificare, si cum ipso diligimus decorem domûs Dei, (*Ps.* 25.) primò cum Patriarcha Jacob lapidem illum, qui factus est in caput anguli, (1. *Pet.* 2.) petram Christum erigamus in titulum, & tanquam veri Christiani omnia operemur in Christo, cum Christo, & propter Christum, qui est titulus salutis nostræ, fons omnis gratiæ Divinæ, sinè quo nihil possumus facere, qui solus nobis est à Deo sufficientia. (2. *Cor.* 3.) Ad hunc lapidem jaciamus fundamentum fidei veræ, vivæ, efficacis, ac operosæ, tendentis ad

Mens pura, templum est Dei.

S. Bernardus.

Descriptio bonæ conscientiæ

Hæc quare secura?

S. Augustinus.

Per peccatum templum Dei destruitur.

S. Cyprianus.

Modus ædificandæ in nobis Domûs Dei. Lapis angularis,

Fundamentum,

Parietes, pavimentum, tectum, columnæ, turris.

ad omnia ardua pro Deo toleranda. Sint bini parietes timor & spes, sit pavimentum humilitas, tectum charitas, reliqua latera & columnæ sint quatuor virtutes cardinales cum cæteris virtutibus illis annexis. Turris orationis & contemplationis versùs cœlum extollatur, per quam & hostium insidias possimus speculari, & Dei Cœlitumq; ejus subsidia implorare. O quàm pulchra talis domus DEI pro speciosi formâ præ filijs hominum! O quàm amabilis decor domûs hujus! Verè non est hic aliud nisi porta cœli, (*Gen.* 28.) & ut de nostra loquamur, est Oliva fructifera in domo Dei, (*Ps.* 51.) est oliva speciosa in campis, (*Eccli.* 24.) olivam uberem, pulchram, frugiferam vocavit Dominus nomen ejus; (*Jer.* 3.) ex nomine suo oleum indigitans, utinam & possidens & stillans, oleo gratiæ Dei uncta, unctione Spiritûs Sancti supereffluens, oleo lætitiæ in servitio Dei abundans, oleum misericordiæ profundens, oleo sanctificationis excellens, deniq; illo ungvento pistico redolens, ex cujus odore tota domus impletur, (*Joan.* 12.) de quo Psalmista: (*Ps.* 132.) ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in unum; sicut ungventum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus: & hoc ungventum est charitas, est concordia, est unanimitas, est unio fraterna, quæ ipsa est decor domûs Dei, veram Divinis oculis præbens speciositatem. Hanc amplectamur Fratres, hâc stringamur ut simus domus Dei, hâc uniamur, in Dei nihilominùs idque primariò charitate, quæ sola ædificat non tantùm domum, sed & totam supernam civitatem Dei constituit, ordinat, & conservat in æternum.

Oliva fructifera in domo Dei.

Sermo in Festo Nativitatis Beatissimæ Virginis.

Speciosus formâ præ filiis hominum. Concupiscet Rex decorem tuum. Ps. 44.

Deipara Virgo, Regina est cæli, & filia Regis æterni.

VIrgo Deipara sit licet ex dignitate Maternitatis Regina cæli & terræ, utpote quæ Regem totius universi enixa est in bonum cælestium, terrestrium, & infernorum; nihilominùs est quoq; filia Regis sempiterni, Regis sæculorum immortalis, invisibilis, solius Dei, (1. *Tim.* 1.) Domini universorum, (2. *Mac.* 14.) Sic eam utroque titulo noster Psalmus indigitat, primò Reginam nominans: Adstitit Regina à dextris tuis; deinde filiam Regis appellans: Audi filia & vide; & iterum: omnis gloria filiæ Regis ab intùs. Est autem filia Regis nostri, Dei nostri, qui est in sancto, (*Ps.* 67.) nimirùm in abscondito cælorum; non per simplicem adoptionem omnibus alijs communem, quibus filius ejus dedit potestatem filios Dei fieri; (*Joan.* 1.) & quos Deus Pater voluit conformes esse imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; (*Rom.* 8.) sed per singularem supra alios adoptationem, quâ tota sanctissima Trinitas eam ad incarnationem Verbi produxit, & possedit in initio viarum suarum; (*Pr.* 8.) ita ut quantumvis multæ filiæ sibi congregaverint divitias

Quomodo?

filia-

Filia præparationis Domini,

S. Epiphan.

liationis Divinæ, hæc supergressa sit universas. (*Pr.* 31.) Hæc ipsa
odie nascitur filia Patris Joachim & Matris Annæ; filia præparatio-
is Domini in gratia, ut etiam sic filia Dei singularis agnosceretur,
tpore singulariter per Deum parata sedes Dei ex tunc. (*Ps.* 92.) Au-
iamus S. Epiphanium: *Joachim enim interpretatur præparatio Do-
mini, eò quòd ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Vir-
o: Anna rursùs similiter gratia interpretatur, propterea quòd Joa-
him & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem
uctum germinarent, sanctam Virginem adepti:* Ergo Virgo puris-
ima est specialis gratiæ filia, ut non tam dictorum Parentum nata
irtute naturæ, quàm opere miraculi Divinæ gratiæ filia sit; per quã
actum est, ut etiam steriles & infructuosi Genitores talem Virgam
le radice Jesse (*Is.* 11.) præter naturam proferrent & progenerarent,
deoque ex omni ratione Maria Dei filia, filia Regis æterni constitu-
retur. Et ecce hodie prodit in lucem lucis filia, lucis mater futura,
uella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro, *Gen.*
4.) quæ etiam ipso conceptionis suæ instanti solum adamavit Deum,
bsique suam virginitatem consecravit. Utique incognita viro, quan-
o ipsamet Angelo conceptum Dei & partum annuntianti respondit:
Luc. 1.) quoniam virum non cognosco; & exinde quidni Virgo
ulcherrima? Videtur mihi Sponsus in Epithalamio suo egressum
jus ex utero Matris in hunc modum describere, & membratim col-
audare. Ac primùm omnes cæli & terræ spectatores alloquitur jux-
a 70. Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum, (*Cant.* 7.
el, quæ venit sicut chori castrorum? Sulamitis intelligitur pacifica
el perfecta, & talis fuit Virgo Beatissima, non tantùm facta quasi
oram Deo pacem reperiens, sed ipsam pacem nostram, quæ Chri-
tus est, faciens utraque unum, Deum homini copulando concipi-
ns & producens, omnisque perfectionis summarium existens. Cho-
i castrorum sunt choreæ, tripudia & plausus militum triumphantiũ,
unt collectiones & cœtus & ordines psallentiũ & saltantium. Unde
yri versio ait: quid videbitis in Sulamite quæ descendit sicut cumulo
el sicut gaudium Castrorum. Quia juxta Theodoretum *ex castris
unt chori.* Nam cùm in castris vicerint milites, virtutis pæana ca-
entes revertuntur, & choros ducentes victoriæ prœconium laudi-
us concelebrant. Ita Davidi post prostratum Goliath à cæde illius re-
ertenti occurrerunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes
horosque ducentes atque dicentes: percussit Saul mille & David de-
em millia. (1. *Reg.* 18.) *In Beatissima Virgine* hodie nata, dicen-
e Alano, *fuerunt chori canentium quantum ad consonantiam virtu-
um: castra verò pugnantium, secundùm quod Virgo circumsepta &
anctis disciplinis instructa, vitiorum & dæmonum repellebat insultus.*
Equidem Virgo Deipara demerso Pharaone in mari rubro sanguinis
ilij sui sub initium Conceptionis suæ immaculatæ, velut illa Maria
oror Moysis potuit sub tempus Nativitatis suæ sumere tympanum

Filia gratiæ,

Filia lucis.

Descriptio egressus ejus ex utero matris.

Chori castrorũ qui in militibus?

Qui in Beatissima Virgine? Alanus.

laudis Divinæ, præcinens omnibus: (*Ex.* 15.) Cantemus Domino gloriosè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem ejus, peccatum videlicet & diabolum, dejecit in mare paſſionis ſuæ. Jam circa illam quàm ſpecioſi fuêre chori primò cœleſtium caſtrorum, nimirùm Angelorum, quos Jacob in præſidium ſibi obviantes nominavit: Caſtra Dei ſunt hæc. [*Gen.* 32.] Et ſanè talium dicitur eſſe Deus Dominus exercituum. Quidni hi omnes illud Bethuliæ canticum velut alteri Judith Holofernis infernalis debellatrici, cui caput præcidit, id eſt originale peccatum in ſeipſa, concinebant: (*Judith* 15.) Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi Dei; quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eò quòd caſtitatem amaveris, ideò & manus Domini confortavit te, & ideò eris benedicta in æternum? Deinde chori infernorum caſtrorum, Patriarcharum utpote & Prophetarum, veteris teſtamenti Sanctorum, utiq; non minori perfuſi lætitiâ exultabant ſuper nativitate illius, per cujus filium è captivitate inferni erant liberandi. Hi ergo tam cæleſtes quàm terreſtres nonne applaudebant naſcenti & in hunc mundum progredienti, atq; admirantes dicebant: (*Cant.* 7.) Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis? Rupertus aſſerit *ſervos nudipedes, ingenuos autem liberos & nobiles incedere calceatos.* Ita Maria nobiliſſima in calceamentis inceſſit, quia morte Chriſti præmunitæ, adeóque à peccato primigenio liberrimæ, calcaneo ſerpens haud potuit inſidiari, per quod fuit vera filia Principis ſupremi, Regis Regum ac Domini Dominantium. (*Apoc.* 19.) *Ancillæ Evæ calcaneum ſerpens momordit*, inquit Rupertus, *tu autem ô filia Principis benè calceata caput ſerpentis contriviſti, tu maximè ô Princeps & Domina ſingularis dilecta; una columba ejus, una genitrici ſuæ*, (Cant. 6.) *videlicet generationi liberæ, generationi non carnis ſed fidei, quæ me virum non de carne viri ſed de ſpiritu Dei concepiſti & peperiſti Patrem vel Principem filiorum non carnis ſed fidei vel repromiſſionis.* Pulchrè Guillelmus noſter loquitur alio modo de Beatiſſima Virgine: *Non pernicitate pedum ſed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem, videns Deum Deorum in Syon.* (Pſ. 83.) Pulchritudinem autem greſſuum ſic explicat: *Amplectebatur innocentiam Abel, obedientiam Abrahæ, manſuetudinem Moyſis, humilitatem David, patientiam Job, continentiam Danielis. His igitur & hujusmodi Patrum exemplis decentiſſimè calceata inattritis animi greſſibus ibat de virtute in virtutem, & in æmulando virtutes Patrum ipſos etiam Patres, quorum ſe æmulatricem gaudebat, præcipuâ puritate affectuum & prærogativâ actionum transcendebat.* Ita Guillelmus; acſi diceret: pulcherrima omnia Virginis Deiparæ in progreſſu virtutum decora relucebant & eminebant. Poſt conſiderationem greſſuum aſcendunt ad collaudationem femorum dicentes: (*Cant.* 7.) Juncturæ femorum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis: quod Guillelmus noſter explicat ſic; *quòd cùm juxta femora ſit ſedes & motus concupiſcentiæ,*

Canticum chori caſtrorũ cœleſtium,

& infernorum.

Qui nudipedes qui calceati?

Rupertus.

Guillelmus.

Idem.

Pulchritudo greſſuum Beatiſſimæ Virginis.

Laus femorũ illius.

Guillelmus.

piscentiæ, quæ in Virgine Beatissima fuere juncta, operta, & ornata mo-
deli Virginitatis, ut nullum in ijs motum carnis sentiret, fomes enim
fuit in ea extinctus Audiamus Rupertum desuper. *Juncturæ femo-*

Rupertus.

rum tuorum sicut monilia, id est, Virginitatis tuæ integritas, perpesq;

Quæ qualia?

pudicitiæ custodia cœlestibus præsidijs est communita. Cujus est hoc
opus? Cujus virtus? Nimirùm Dei altissimi. Et hoc ipsum, ait Sa-
piens, sapientia est, scire quòd continentia donum Dei sit. Dico igi-
tur non qualiacunque monilia, sed quæ fabricata sunt manu artificis,
id est, quæ solus Deus facere & dare potest vel potuit. Audiamus

Alanus.

Alanum paulò aliter explicantem. *Femora solent esse generationis si-
gna. Junctura autem femorum nihil aliud intelligitur, quàm concor-
dia duarum fœcunditatum, quæ fuerunt in Virgine, una mentis, al-
tera ventris.* Et hæc junctura fuit sicut monile, id est, habuit secum
duplicem comitem, virginitatem carnis, & virginitatem mentis. Per

Quid per monile denotatur?

monile solet notari castitas. Monile enim solet apponi pectori ad
ornandum, & in castitatis signum. Unde dicitur monile, id est mo-
nens castitatem. Est ergo sensus, juncturæ femorum tuorum sicut
monilia, id est, sicut tu prædita es duplici fœcunditate, ita & duplici

Hailgrinus.

Virginitate. Huc alludit Hailgrinus. *Beata fuit non sibi tantùm sed
& nobis, non sibi tantùm casta vel pulchra, sed nobis quoq; castitatis
monitoria; ideo comparatur monilibus, quæ dicuntur monilia, quasi
castitatem monentia. Nam ad continentiæ munditiam ipsa per exem-
plum nos commonet & invitat.* Sequitur laus umbilici & ventris. Um-

Laus umbilici & ventris.

bilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis; venter tuus
sicut acervus tritici vallatus lilijs. (*Cant.* 7.) Quidni hic denotatur
benedictus fructus ventris ejus, (*Luc.* 1.) craterem pretiosissimi san-
guinis sui orbi propinantis, & seipsum ut acervum tritici, ut frumentũ
electorũ in cibũ offerentis? (*Zach.* 9.) De utroq; ita mellitus Ambrosius.

S. Ambros.

Horum mystica explanatio.

*Verè alvus ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat sapientia, quæ
miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis suæ gratiã
Divinitatis suæ plenitudine subministrans. Deinde in Virginis utero
simul acervus tritici, & lilij floris gratia germinabat, quoniam &
granum tritici generabat & lilium. Granum tritici, secundùm quod
scriptum est: amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in
terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* (Joan. 12.) *Sed quia de
uno grano tritici acervus est factus, completum est illud Propheticum:*
(Ps. 64.) *& convalles abundabunt frumento. Quia granum illud
mortuum plurimum fructum attulit. Hoc itaq; granum omnes ho-
mines perpetuâ cœlestium munerum escâ saturavit. Consummatum
est illud Prophetici oris eloquium, dicente eodem David:* (Ps. 80.) *ci-
bavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos. In hoc
grano esse etiam lilium Divina testantur oracula, quia scriptum est:*
[Cant. 2.] *ego sum flos campi & lilium convallium,* Hæc S. Am-
brosius. Jam transitus fit ad ubera, de quibus prædicant: (*Cant*
7.) quòd sint duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Aptè

Ubera Beatissimæ Virginis qualia?

ubera laudantur post ventrem, sic enim & illa mulier Evangelica Matrem Dei beatificabat: (*Luc.* 11.) beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti; & quia eadem est materia ex qua formatur proles in utero, & quâ postea in lac conversâ alitur. Cæterùm Beatissima Virgo hinnulum Divinum, gemellum Christum in gemina natura Divina & humana subsistentem suis lactavit uberibus ex sensu Ecclesiæ, de cœlo plenis. Idem enim Spiritus Sanctus & conceptum Filij Dei ac partum effecit, & lac uberibus Virgineis subministravit. Porrò ubera hæc comparantur hinnulis, quia Christus Filius DEI & filius hominis gemellus, quasi sugens ubera Matris, non minùs eadem priùs lacte replebat, unde ipse lactens, potiùs erat Matrem lactans. Richardus à Sancto Victore pulchrè ubera ad dilectionem & misericordiam applicat. *Virgo*, ait, *habet duo ubera geminæ dilectionis lac fundentia, quia reis impetrat veniam, & justis gratiam. Quæ ubera sunt sicut duo hinnuli capreæ. Hinnulos hos intelligere possumus Angelos & hominum animas ad Regnum jam translatas, qui benè hinnuli dicuntur, quia montem cœlestis habitationis conscenderunt, & Divinæ contemplationis dulcedine reficiuntur sicut hinnuli, & alta petere solent, & lacte nutriuntur. Hi hinnuli gemelli sunt capreæ, id est Christi, à quo capiunt pariter & sugunt lac geminæ dulcedinis, Divinitatis scilicet & humanitatis. Caprea enim est Christus, quia salijt in montibus & transilijt colles*, (Cant. 2.) *& ita saltum dedit in uterum Beatissimæ Virginis, & de hoc in mundum, & de mundo in cœlum, ubi pascit hinnulos istos cœlesti lacte. Itaq; cùm tam Angeli, quàm sanctæ animæ pro peccatoribus solliciti sint, & eis tam meritis, quàm intercessione subveniant, credendum est Beatissimam Virginem tantum in hoc posse, quantum utramq; hanc creaturam; imò utrâq; potior judicatur, quia utraq; per hanc reparatur. Et Angelorum ruina per hanc restaurata est, & humana natura reconciliata est.* Ita Rupertus Victorinus. Progrediuntur ultra in laudem Virginis Natæ spectatores cœlestes: collum tuum sicut turris eburnea; super quo ipsius Christi Domini mysticam in Revelationib⁹ Sanctæ Brigittæ descriptionem auscultemus. Alloquitur Matrem suam Christus: *collum tuum est nobiliter erectum & pulcherrimè elevatum, quia justitia animæ tuæ plenè est erecta ad me, & secundùm velle meum mobilis, quia nunquam inclinata fuit ad aliquod malum superbiæ. Sicut enim collum curvatur in capite, sic omnis intentio & operatio tua flectebatur ad voluntatem meam.* Hailgrinus verò sic exponit. *Beatissima Virgo est turris, ad quam in omni periculo confugiunt miseri, eburnea ob candorem castitatis & firmitatis constantiam.* Et quia ebur est dens elephantis, cui juge bellum est cum dracone; ita Beatissima Virgo vetus ab origine mundi bellum serpenti antiquo ex Dei prædestinatione indixit. Deinde oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis; quod Alanus sic interpretatur. *Oculi Virginis dicuntur vita contemplativa & activa. In activa videt quid agendum*

Richardus à S. Victore.

Quid duo hinnuli gemelli capreæ?

Collum natæ Virginis quale?

Revelationes S. Brigittæ.

Hailgrinus.

Alanus.

Quid oculi B. Virginis.

…um, in contemplativa quid diligendum. Comparantur istæ piscinis, …uæ Virginem speciali refectione satiant, & à macula peccati li…erant. Hæ sunt Hesebon, id est, in cingulo mœroris pro diuturnitate …aboris & miseriæ, & quantum ad contemplativam, pro dilatione pa…riæ: quæ piscinæ sunt in Ecclesia, hoc est, in porta filiæ multitudinis; …ddo ego, in Hesebon, in cingulo mæroris, in hac valle lacrymarum. …andem: nas⁹ tu⁹ sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascũ; …uia Virgo Sanctissima summâ pollebat prospectione & discretione. …a Hailgrinus: *Nasus iste, ait, est discretio Deiparæ, quo & præsentit …iaboli malitiam, & à longè quasi de specula prævidet, ut sicut turris …ro nobis se fortiter opponat; & dicitur sita in Libano, ut ostendatur, …uòd candore Virginitatis suæ tanquam pede valeat caput serpentis …onterere. Fortis,* inquit Rupertus, *est iste nasus discretionis sicut tur…is Libani, dùm ritè spernendo visibilia fortiter resistit, neq; frangitur …nvisibilium incommodis juxta illud: (Ps. 60.) deduxisti me, quia fa…ctus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Quomodò turris …sta respicit contra Damascum? Nimirùm sensui ejus sensum haben…lo contrarium, juxta illud: (*Rom.* 8) qui enim secundùm carnem …unt, quæ carnis sunt sapiunt, qui verò secundùm spiritum, quæ sunt …piritûs sentiunt. Damascus verò repræsentat servum captum & naso …nutilatum, cui similis est homo carens discretione. Hoc opprobriũ …espiciens anima sapiens, nasum, id est discretionem in omnibus con…ervat. Finiunt laudes in capite Virginis & comis dicentium: (*Cant.* …7.) caput tuum ut Carmelus, & comæ capitis tui sicut purpura Re…gis vincta canalibus. Virgo Beatissima post Christum & per Christũ …aput est fidelium Ecclesiæ, eos velut Carmelus, qui mons est pascu…s insignis, fertilitatis & abundantiæ symbolum, pascens, nutriens, & …omni affluentiâ gratiarum replens. Ab hoc monte Ordo Carmeli…anus duxit originem ab ipsis Apostolorum temporibus, qui Fratres …Beatissimæ Mariæ dicti, primam omnium Ecclesiam Beatissimæ Vir…gini dedicârunt. Cæterùm Carmel significat scientiam circumcisio…nis, de quo noster Gvillelmus inducit Christum Matrem alloquentẽ. *…Benè sciebas ó pia Mater, cur populo Dei datum esset remedium cir…cumcisionis, & tamen me, quem sinè concupiscentia ac per hoc non in …peccatis singulariter concepisti, carnali circumcisioni quasi ab originali …labe purgandum subdidisti; neq; hoc insipienter faciebas, sed Divinæ …nspirationi per spiritum edocta serviebas. Quippe oportuit me dato…rem legis factum ex muliere, fieri quoq; sub lege, & hoc dispensatoriè, …ut eos qui sub lege erant redimerem.* (Gal. 4.) Comæ porrò capitis …sicut purpura Regis, quia cogitationes Beatissimæ Virginis assiduè …tingebantur memoriâ & compassione passionis Christi. *Mens tua,* …ait Hailgrinus, *prudenter circumcisa, & cogitationes tuæ tinctæ in san…guine Dominicæ Passionis sic affectæ fuère, quasi recenter viderent …sanguinem de vulneribus profluentem. Fasciculus hic myrrhæ semper …inter ubera memoriæ & intellectûs morabatur,* [Cant. 1.] *donec as-*

Hailgrinus. *Nasus illius qualis?*

Laus capitis & comarum ejus.

Carmel quid significat? Gvillelmus.

Quid comæ capitis Beatæ Virginis denotant moraliter? Hailgrinus.

 sumpta

Gvillelmus. *sumpta fuit.* Fusiùs id exponit Gvillelmus: *Purpura Regis, est propriè rubens sangvine caro Redemptoris. Caro illa sacrum Verbi indumentum erat, ex quo Verbum Caro factum est & habitavit in nobis* (Joan. 1.) *sed tempore Passionis in Regalem purpuram hominibus & Angelis adorandam in proprio sangvine tincta est. Dùm autem sacra illa caro, quam sibi de Virgine propitia Veritas sumpserat pro eliciendo pretio redemptionis humanæ, clavis & lanceâ foderetur, juxta veridici Simeonis Prophetiam piæ Matris animam pertransivit gladius.* (Luc. 2.) *Quot vulnera Filius accipiebat in carne, tot pia Mater accipiebat in corde. Quod quatuor vel tres clavi & una lancea faciebant in carne Filij, hoc unus ille gladius faciebat in anima Matris. Rubebat caro Filij sangvine passionis, rubebant Maternæ illæ cogitationes, ut ita dicam sangvine compassionis. Benè ergo illi dicitur: comæ capitis tui sicut purpura Regis; quòd autem additur, vincta canalibus, significat quòd tincturam illam Regalis indumenti quæ facta est in passione, illicò secuta est abundantia gratiæ ejus, quæ in sacris literis per aquam signatur* Ita Gvillelmus. Unde fatetur Sponsus (*Cant.* 4.) se vulneratum à sorore Sponsa in uno crine colli ejus, videlicet in una semper continuata meditatione effusi sangvinis illius tam in circumcisione quàm in passione. Hic finaliter observandum Regem Sapientissimum usum fuisse comparationibus in speciem tam disparibus & enormibus, oculos Sponsæ piscinis, nasum & colliũ turri, caput Carmelo assimilando, ut excessum Beatissimæ Virginis in dignitate, virtutibus, gratia & gloria super omnes creaturas indigitaret. Concludunt denĩq; omnes Natæ Virginis spectatores ex mente Sponsi cum admiratione: (*Cant.* 7.) Quàm pulchra es & quàm decora charissima in delicijs! Inde sumpsit Ecclesia versum dicens: speciosa facta es & svavis in delicijs tuis sancta DEI Genitrix; planè juxta versionem Aquilæ, *filia deliciarum*; juxta Syrum, *delicatissima & deliciosissima*; juxta Vatablum, *in delicijs primatum obtinens. Quàm pulchra es in Maternitate, quàm decora in Virginitate, quàm admirabilis in utroq;*, ait Hailgrinus. Quis non occinat orienti Virgini Sanctissimæ, delicio Divinitatis, desiderio hominum & Angelorum, gaudio cœli & terræ: sicut lætantium omnium habitatio est in te Sancta Dei Genitrix. (*Ps.* 86.) *In ipsa*, juxta Hailgrinum, *videntur etiam chori castrorum, adhærentes videlicet ipsi acies Sanctorum, qui cum ipsa pro nobis militant contra hostem; unde ipsa Vas castrorum appellatur in Ecclesiastico,* (c. 43.) *ubi sub lumine lunæ de ipsa dicitur: vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriosè.* Et meritò instar lunæ apparet, quia in ipsa tenebrosa peccati originalis per totũ orbem dominantis nocte exorta est; illa ipsa Regina non tantùm cœli uti luna habita est sed & terræ, in Conceptione aurora consurgens, in Nativitate pulchra ut luna, in conceptu Dei & partu electa ut sol, sed ubique terribilis hostibus velut castrorum acies ordinata, (*Cant.* 6.) vas castrorum in excelsis, (*Eccli.* 43.) circa

Rex Salomon cur his comparationibus usus ad describendam speciem Beatæ Virginis?

Quæ tota speciosa & suavis est in delicijs suis.

Hailgrinus.

Pulchra ut luna, electa ut sol.

ta se habens choros castrorum, (*Cant* 6.) ut sicut Filius est Dominus exercituum, & ipsa Mater esset Domina exercituum. Hæc igitur Regina orbis universi, Filia Principis, Filia Regis nascitur hodie speciosa formâ præ filijs hominum, Mater futura speciosi formâ præ filijs hominum. Nec immeritò præ filijs hominum, propter quos tam ipse quàm ipsa potissimùm orbi illuxerunt, ille ut lux vera, illa ut lucis veræ Mater, illuminantes omnem hominem venientem in hunc mundum. [*Joan.* 1.] Salve igitur exoriens stella ex Jacob, [*Num.* 24.] stella maris, illuminatrix mundi, omnium cœli luminarium compendium, auroræ, lunæ, solis, totiusque militiæ cœli simulacrum, omnis pulchritudinis, decoris & speciei sylloge & epitome, verè filia & mater Regis Regum, Regina mundi hodie nata, specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede & regna (*Ps* 44) ubique in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, (*Psal* 134) nosque tibi subditos in omni viæ & vitæ hujus statu irradia, illumina, beatifica; quatenùs lucis hujus & pulchritudinis quâ frueris tam in anima quàm corpore, hìc per gratiam DEI, ibi per gloriam cum omni Statu Ecclesiastico & Politico in agone & igne purgatorio constitutis, spectatores, consortes, & participes efficiamur, fiat, fiat. *Invocatio Beatæ Virginis.*

Sermo in Festo Omnium Sanctorum.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Ps. 44.

CONgregationem omnium Sanctorum in forma turbæ magnæ se vidisse asserunt duo Prophetæ, unus veteris Testamenti Esdras, alter novæ legis Joannes; atque similem & eundem ferè ipsorum decorem & gloriam uterque descripserunt. Ac quidem primus sic inquit: Ego Esdras vidi in monte Syon turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum. Quando nominat montem Syon, credendum est, quòd viderit universos Abrahæ filios electos ex Judæorum Ecclesia, quos tamen S. Joannes numeratos recenset dicens: (*Ap.* 7.) Et audivi numerum signatorum, 144000 signati ex omni tribu filiorum Israël. Sic Esdras illos numerare haud potuit, potuit Joannes, minor enim erit numerus Beatorum ex Judæis velut una familia, quàm Gentilium ex familijs totius universi: qui respectu sui quasi innumerabilis, respectu tamen omnium Gentium salvandarum numerabilis reperitur. Ait tamen superiùs de numero dicens: Surgite & state, & videte numerum signatorum in convivio Domini, qui se de umbra sæculi transtulerunt, splendidas tunicas à Domino acceperunt. Recipe Syon numerum tuum, & conclude Candidatos tuos, qui legem Domini compleverunt. Filiorum tuorum quos optabas, plenus est numerus. Prosequitur Esdras: Et in medio eorum erat Juvenis staturâ celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Hoc innuit liber Sapientiæ. (*c.* 5.) Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum,

Congregatio Sanctorum visa in forma turbæ magnæ;

Esdræ innumerabilis,

Joanni numerabilis.

Quare?

In medio Sanctorum Juvenis staturâ celsus.

orum, & cogitatio eorum apud Altissimum, ideoque accipient regnum decoris & diadema speciei de manu *Domini*. Cùmque interrogaret Angelum Esdras, qui essent hi? audivit: Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem sumpserunt, & confessi sunt nomen *Dei*, modò coronantur & accipiunt palmas. Tandem inquisivit: Ille Juvenis quis est, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? & audivit ab Angelo: Ipse est Filius Dei, quem in sæculo confessi sunt. Quòd autem hæc visio spectat ad Hebræos, patet etiam ex mandato Angeli imperantis Esdræ: Vade annuntia populo meo, [utique populo Israël, qui tunc solus erat populus Dei] qualia & quanta mirabilia Domini *D*ei vidisti. Porrò Div⁹ Joannes suam visionem sic edisserit: (*Ap.* 7) Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & lingvis, stantes ante thronum & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et hæc est Ecclesia Christi ex Gentilibus collecta, cujus propter nimiam multitudinem non est numerus. Suspice cælum, præcipit Deus Abrahæ, *Gen.* 15. & numera stellas si potes: sic erit semen tuum. Et alibi promittit: (*Gen.* 22.) Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli; quod magis de spirituali quàm de carnali propagatione intelligendum est, dicente S. Augustino: *Illa enim repetita comparatione cælestium stellarum mihi magis promissa videtur posteritas cælesti felicitate sublimis.* In visione Sancti Joannis subnectitur quoque interrogatio facta de turba per unum è Senioribus: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & unde venerunt? (*Ap.* 7.) Respondente D. Joanne: Domine mi tu scis, subintulit: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas & dealbaverunt eas in sangvine Agni. Tribulatio ergo est, quæ sanctos facit, ideo gloriantur cum Apostolo in tribulationibus. Differentia visionis est in coronis & stolis: Esdras vidit coronas, Joannes vidit stolas albas, uterque autem palmas conspexêre. In quo notandum primos esse Judæos tempore in numero Beatorum; ex quibus Caput omnium Sanctorum Christus præcessit, ideo in capite coronantur; posteriores verò esse Gentiles, qui in toto corpore stolis albis decorantur. Unde meritò evocantur filiæ Syon animæ fideles ex Judæis ad videndum: (*Cant* 3.) Egredimini filiæ Syon & videte Regem Salomonem pacificum, pacem inter Deum & homines, inter Judæos & Gentiles statuentem; in diademate quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. In Passione à Synagoga matre quidem sed novercante illata fuit coronatio, & cæpit desponsatio; consummata, quando aperto latere atque exeunte sangvine & aqua, ex ipso sopore mortis constricto educta est Eva, illa virago de viro sumpta, (*Gen.* 2.) quæ constituta est Mater cunctorum in *D*eo viventium, Ecclesia ex Judæis & Gentibus congregata, ab ipso æqualiter gloriâ & honore coronata, stolis albis amicta, & palmis honorata: ab ipso accipit

Qui erat filius Dei.

Visio Joannis.

Turba magna ex gentibus collecta, est Christi Ecclesia.

S. Augustin.

Differentia visionis utriusq; in quo?

Initium & consummatio desponsationis Christi.

accipit regnum decoris, & diadema speciei de manu illius. (*Sap.* 5.) Tria igitur præmiorum cælestium omnibus Sanctis collatorum specimina recensentur: coronæ, stolæ albæ, & palmæ. Stola vocatur vestis splendida illustrium personarum, prout Joseph à Pharaone vestitus stolâ byssinâ; eadem David legitur indutus, & Mardochæus; est quoque vestis Pontificia, quâ Aaron jussu Dei induit stolam sanctam; & Simon Pontifex accepit stolam gloriæ, & vestitus fuit in consummatione virtutis. Quin & Jonathas Dux Machabæorum se induisse stolâ sanctâ describitur in festo Scenopegiæ. Christus quoque Dominus monuit caveri à scribis, qui volunt in stolis ambulare. Denique ipsemet à Propheta resurgens cum admiratione consideratur: (*Is.* 63.) Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua. Stola igitur alba est symbolum innocentiæ & puritatis, denotans conscientiæ candorem & cordis munditiem, ac consequenter mentis serenitatem & hilaritatem: estq; vestis felicitatis, honoris & gloriæ, designans beatitudinem animæ in lumine gloriæ & visione ac fruitione Dei, quâ anima corpore nudata & spoliata cooperitur & condecoratur. Ita & Angelus ad sepulchrum coopertus stolâ candidâ visus est à mulieribus. (*Mar.* 16.) Sed undenam hic candor & albedo? Manifestat ille unus ex Senioribus dicens: [*Apoc.* 7.] Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sangvine Agni. Prima lotio animarum peragitur in baptismo, ubi dicitur: Accipe vestem candidam, quam perferas immaculatam ante tribunal Domini nostri Jesu Christi. Deinde continuatur per actus pœnitentiæ & mortificationis, in oratione contritionis & compunctionis, in spiritu contribulato & humiliato; per opera misericordiæ, per assiduas patientiæ, mansuetudinis, charitatis & aliarum virtutum exercitationes; denique per martyrium ipsum lavantur & dealbantur animæ: sed hæc omnia nullo effectu, si non sint unita & incorporata sangvini Agni, & meritis Jesu Christi passi, crucifixi, ac mortui in cruce; per quem solum omnia mundantur, purificantur, & sanctificantur. Ita Divus Joannes: (*ep.* 1. *c.* 1.) Sangvis Christi emundat nos ab omni peccato. Et Sanctus Paulus: (*Heb.* 9.) Sangvis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Sanctus Pater noster inquit: *Animæ Sanctorum dealbatorum, qui laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni, quia exivit eum eo & in eo aqua dealbans, & testimonium perhibet ipse qui vidit.* Ex latere enim Christi D. exivit sangvis & aqua. (*Joan.* 19.) Huc alludit Sanctus Pater. *Aut certè candidas in sangvine Agni novelli,* prosequitur idem ultra, *sangvine lacteo, candido, & rubicundo, sicut ait Sponsa: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus,* (Cant. 5.) *& eligens omnia, per quem omnia, & nos per ipsum, sinè quo nihil possumus facere: Omnia enim per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil, quod factum est.*

Tria præmiorum specimina.

I. Stola alba.

Hâc quis indutus?

Symbolum est innocentiæ.

Prima lotio animarum fit in baptismo,

continuatur per actus poenitentiæ, mortificationis &c

& per martyrium.

S. Bernard.

Stolæ Sanctorum unde candidæ?

Idem.

(Joan. 1.) Hanc ſequuntur omnes amicti ſtolis albis, quocunque ierit. (*Ap.* 14.) Eadem albedo in exercitu ſequente Chriſtum Ducem equo albo inſidentem commendatur in Apocalypſi, *cap.* 19. ubi dicitur: Et exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis veſtiti byſſino albo & mundo. Quin & ipſorũ martyrum ſic & ſangvine purpuratorum exercitus, ab Eccleſia Sancta in Hymno candidatus nominatur. Qui ergo non inquinaverunt veſtimenta ſua, ait ipſe Chriſtus Dominus ad Angelum Eccleſiæ Sardis, (*Apoc.* 3.) ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt: nimirum qui ſinè macula peccati ſunt ante thronum Dei: Et, qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis. Mundi à peccato & victores mundi, carnis & diaboli, ſtolas merentur albas in cælis.

Exercitus cæleſtium totus in albis.

II Corona.

Coronæ & palmæ ſuccedunt poſt ſtolas albas, quia hæ vel maximè deferuntur iiſdem legitimè certantibus & vincentibus glorioſè. Rotunditas coronæ denotat perfectionem, & omnium bonorum atque gaudiorum complexum principio & fine carentem, adinſtar circuli vel coronæ circularis. Vocatur corona juſtitiæ à Divo Paulo, [2. *Tim.* 4.] quia pro juſtitia humana ex juſtitia Divina confertur, Juſtus enim Dominus & juſtitias dilexit. (*Pſ.* 10.) Merces pro operibus bonis, denarius operarijs promiſſus pretium diurni laboris, (*Matt.* 20.) præmium certaminis, eſt corona juſtitiæ nobis debita, quam reddet juſtus Judex. (2. *Tim.* 4) *Reddit debita nihil debens*; teſte Sancto Auguſtino, reddit tamen pro merito operum bonorum, quæ ex ſe proportionata ſunt tali præmio, tum quòd ex gratia & in gratia Dei ſint facta: unde ſunt ſemen gloriæ, gratia enim Dei vita æterna: (*Roman.* 6.) tum quia ex meritis Chriſti ſunt promanantia, in ijsdem fundata, qui nobis in ſe per fidem & juſtitiam exiſtentibus ac manentibus hanc merendi meruit & dedit facultatem. Reddit hoc, quod ex mera liberalitate ſua ſponte promiſit. *Debitorem ſe fecit*, ait S. Auguſtinus, *non tantùm ſibi, ſed & Chriſto & nobis, ut illi dicere poſſimus: Redde quod promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti.* Reddit juſtis quaſi debitum, tam ex veracitate quàm ex fidelitate. Nam ſic vocatur in Apocal. *cap.* 19 fidelis & verax, & cum juſtitia judicat & pugnat. Non enim injuſtus Deus, ait S. Paul' *ad Hebr. c.* 6. ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis & miniſtratis. Sic ergo Deus qui eſt fidelis, verax, & immutabilis in promiſſis, vult ut maneat hoc debitum juſtitiæ, quo ultroneè ex infinita bonitate ſua ſe nobis dignatus eſt obligare. *O magna bonitas Dei!* ait magnus Doctor, *cui pro conditione reddere debemus obſequia, utpote ſervi Domino, mancipia Redemptori; amicitiarum nobis præmia repromittit, ut à nobis obſequia debitæ ſervitutis obtineat.* Et licèt opera noſtra magìs ſint Dei quàm noſtra, omnia enim opera noſtra juxta Prophetam, (*Iſ.* 26.) operatus eſt nobis; tamen tanquam noſtra, quia ex libero arbitrio noſtro procedentia, in nobis coronat & recompenſat: ità ſecundùm Regium Vatem, (*Pſ.* 61.) ipſe reddit unicuiq; ſecundùm

Hujus rotunditas quid denotat?

Merces eſt pro operibus bonis.

S. Auguſtin.

Idem.

secundùm opera sua. Horum omne meritum & omne jus ad mercedem est Dei, totumque à Deo pendet in esse & conservari, quia à Dei gratia omnem suum meritorium accipit valorem uti dixi, & ex meritis JESU Christi Domini nostri, qui etiam dicit: (*Joan.* 15.) sine me nihil potestis facere; neque enim palmes potest fructum ferre à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, ait Vitis vera, nisi in me manseritis. Hæc ipsa corona justitiæ (2. *Tim.* 4.) est corona vitæ juxta Apocalypsim, (*c.* 2.) à Sancto Petro dicta immarcescibilis, [1. *Pet.* 5.] à Sancto Paulo incorrupta, (1. *Cor.* 9.) quia uti Sancti in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, (*Sap.* 5.) quæ est corona vitæ; [*Ap.* 2.] ita & hæc semper vigebit, virebit & florebit in æternum, in qua omne bonum felicitatis, deliciarum, & gloriæ includetur, eritque pretiosissima juxta Regem Prophetarum: (*Ps.* 20.) posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Quinimò erit corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei sui (*Is.* 62.) tota Sanctorum Ecclesia; super quo Divus Hieronymus: *erit quasi corona decoris in manu Domini, quando eam coronaverit turba credentium, & diadema imperij, quod Martyres gemmarum suarum varietate distinxerunt; erit in manu Dei, ut Filium suum eorum coronet victorijs.* Unde & Paulus loquebatur ad Sanctos: gaudium meum & corona mea. (*Phil.* 4.) Ab hoc ipso justi accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu ejus. (*Sap.* 5.) Ipse est sapientia Dei, de qua in Proverbijs (*c.* 4.) monet Salomon: arripe illam & exaltabit te, glorificaberis ab ea cùm eam fueris amplexatus. Dabit corpori tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. Hoc Divus Hieronymus sic legit: *honora illam & amplexabitur te, ut det capiti tuo coronam gratiarum, corona quoque deliciarum proteget te.* Ita denique & Sancti sunt corona Christi, & Christus est corona Sanctorum juxta dictum Sapientis: (*Pr.* 17.) corona senum filij eorum, & gloria filiorum Patres eorum. Cum hac porro corona justitiæ, (2. *Tim.* 4.) corona vitæ, (*Ap.* 2.) justi accipiunt regnum decoris, (*Sap.* 5.) regnum pulcherrimum à specioso formâ præ filijs hominum; (*Ps.* 44.) & sicut in veteri Testamento dixit Deus de Judæis: (*Ex.* 19.) vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, id est, in regnum & Sacerdotium, acsi dicat: eritis mihi Reges & Sacerdotes; ita in novo Testamento Sanctus Petrus asserit: (1. *Pet.* 2.) vos genus electum, Regale Sacerdotium. Hinc benè idipsum expressit Isaias: (*c.* 62.) eris corona gloriæ, & diadema Regni; corona pro Regibus, diadema sive cidaris vel tiara pro Sacerdotibus. Fatentur hoc etiam ipsi Sancti accinentes Christo: (*Ap.* 5.) fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes. Tu nimirùm qui es Rex Regum & Dominus Dominantium, (1. *Tim.* 6.) & qui es summus Pontifex & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, (*Ps.* 109.) qui interpretatur Rex justitiæ, Sanctus Sanctorum omnium, Salvator, Redemptor, & Judex. Postremum præmium sunt palmæ, quæ sunt

Quorum valor meritorius venit à gratia Dei

Corona justitiæ.

Corona gloriæ.

D. Hieron.

Idem.

Sancti sunt corona Christi, & Christus corona Sanctorum.

III. *Palmæ.*

Quæ sunt signa victoriæ. signa victoriæ. Causa in promptu est apud Plutarchum: *in certaminibus placuit palmam signum esse victoriæ, quoniam ejus indolis est,*
Plutarchus. *ut urgentibus opprimentibusq́ non cedat, sed fortiùs assurgat.* Palma
Ecclesia similis palmæ. verò significat, labore manuum acquiri victoriam. Ecclesia similis palmæ dicitur in Epithalamio: (*Cant. 7.*) statura tua assimilata est palmæ, tùm quia palma quò magis premitur eò altiùs exaltatur; ita
Quare? & Sancti qui sunt athletæ Christi, per pressuras crescunt: tùm ex eo, quòd palma inferiùs sit aspera, superiùs verò pulchra & fructibus svavis; sic & justi asperitatem habebunt in corpore, austeritatem in vita, sed ut palma florent (*Psal. 91.*) speciosè, & fructus proferunt dulces. Palma autem manûs victricis est decus & ornamentum, da-
Palma, Victorum decus. turque victori in manum quasi palma palmæ; manu enim & palmâ certando acquiritur palma triumphi. Videturque palma arbor à si-
Similitudo ejus cum palma humana. militudine palmæ humanæ, quæ est concava manûs, sic dicta, quia hæc in digitos desinens patet decorè, illa ad ramos ad modum digitorum sursùm protensos erigit se speciosè. Hinc & fructus dactyli dicuntur, id est digiti, quòd sint similes digitorum. Palmæ ergo sunt in manibus Sanctorum, qui tanquam boni milites Christi bonum certamen certârunt in hac vita sua super terram, quæ est militia, (*Job 7.*) idque contra mundum, carnem, & diabolum. Hugo Cardinalis observat, folia palmæ esse instar gladij vel pugionis arcta & acuta, ut verè tangens illa pungatur & lædatur, per quod significatur palmâ gloriæ nonnisi gladio, id est dimicatione & concertatione comparari, gladiumque certaminis in palmam sive triumphum commutari.
Palma est vitæ longissimæ, Sciendum autem est palmam esse longissimæ vitæ, nec aliunde nisi ex seipsa renasci, perpetuoque virore laurum, oleam, myrthum superare. Harum enim arborum folijs cadentibus alia succedunt, dùm palma nihil sui amittat, atque exinde palma pulchritudine, continuo virore & robore invicto superior est censenda; velut symbolum he-
à fimo aliena. roicæ virtutis & victoriæ. Fertur autem palma à fimo aliena esse, & juxta Theophrastum, solum arenosum & salsuginosum concupiscere, idcirco ubi tale non est, agricolæ salem aspergunt. Ita Sanctorum virtus vitiorum sordibus non se patitur inquinari, sed sale sapi-
Succisa renascitur. entiæ condita intaminatis fulget honoribus. Succisa quoq́, palma rursus renascitur, nomenq́; phœnicis in Græco habet, quæ fertur esse avis moriens & ex seipsa resurgens: ita Sancti etiam morientes ad vitam
S. Ambros. renascuntur immortalem. Concludo verbis melliti Ambrosij: *Palma Martyribus* (dico ego omnibus Sanctis) *svavis est ad cibum, um-*
Palma, Sanctorum ornamentum. *brosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita folijs, semper parata victoriæ,* atque ideo non marcescit *palma, quia victoria Martyrum sive omnium Sanctorum nunquam*
S. Augustin. *marcescit.* Adnecto verba magni Augustini: *Sancti stolis fulgent albis & palmas in manibus habent, quia præmia in operibus percipiunt, dum corpora, quæ pro Domino ignibus ustulari, à bestijs dilacerari, in flagris absumi, per præcipitia dissolvi, ungulis abradi, omnimodo pœ-*

enerè passi sunt dissipati, (addo ego de Confessoribus, omnigenâ mortificationum specie cruciari) *per resurrectionem glorificata recipiunt.* Arrident ne nobis PP. RR. FF. DD. illæ stolæ albæ, illæ coronæ, illæ palmæ omnium Sanctorum? Quidni arrideant? Placeant quoq; nobis certamina eorundem, qui per fidem vicerunt regna, & operati sunt justitiam, ac ideò adepti sunt repromissiones. (*Heb.* 11.) citis quinam rapiunt cælum? Violenti. Cui violenti? Sibi ipsi, passionibus suis, concupiscentijs suis, pravis inclinationibus & habitibus suis; eos reprimendo, subigendo, mortificando. Cui violenti? Mundo, ei abrenuntiando, ea quæ ipsius sunt arbitrando ut stercora, vanitatem ejus abjectione, divitias contemptu, delicias austeritate vitæ superando. Cui violenti? Diabolo, ei resistendo, ejus suggestiones repellendo; arma ejus, mundum & carnem pessundando. Abhinc abuntur stolæ albæ, provenient coronæ, succrescent palmæ. Cum Esdra *l.* 4. *c.* 2. demùm dico vobis: Expectate Pastorem vestrum, (addo, Regem & Sacerdotem vestrum) requiem æternitatis dabit vobis, nimirùm cum omnibus Sanctis, quoniam proximè est ille, qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite umbram sæculi hujus, accipite jucunditatem gloriæ vestræ. Commendatum donum hic gratiæ ibi gloriæ, cum stolis albis, coronis, & palmis accipite, & jucundamini, gratias agentes ei, qui vos ad cælestia regna vocavit. Accipite stolam jucunditatis & coronam pulchritudinis, regnum decoris & diadema speciei (*Sap.* 5.) à speciosissimo omnium Sanctorum, omnium horum bonorum authore & collatore in æternum.

Ad hæc præmia assequenda viriliter certandum.

Sermo in Festo Animarum.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Ps. 44.

HOmo à Deo creatus, ac in delicijs paradisi DEI positus, (*Gen.* 2.) ipse quoque erat adinstar Luciferi signaculum similitudinis DEI, plenus sapientiâ & perfectus decore, (*Ezech.* 28.) ad imaginem & similitudinem Dei factus, (*Gen.* 1.) speciosus tam quoad animam quàm quoad corpus, in statu innocentiæ productus, justitiâ ornatus & gratiâ DEI armatus, quidni gloriosus in conspectu DEI apparebat? Sed ecce unicum peccatum, omnia ferè alia in se concludens peccata, quod erat inobedientiæ, hominem adeò inquinavit, ut omnis deformitatis monstrum omniumque sordium fieret sentina. Nemo erat, qui hominem ex tam abominabili statu eriperet, & ad primigenium statum reduceret, nisi ipse Deus Homo factus, speciosus formâ præ filijs hominum, (*Ps.* 44.) ut sic per ipsũ, in ipso Christo homo nova fieret creatura. Eapropter cùm in forma Dei esset tanquam filius DEI, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus (*Phil.* 2.) est filius hominis, ut homines ad sui similitudinem filios Dei efficeret adoptivos. Ipse ergo splendor gloriæ Paternæ, & figura substantiæ ejus, portans omnia verbo vir-

Homo ad imaginem Dei factus,

per inobedientiam deformatur,

Ad hanc diluendam Deus homo factus,

tutis suæ, (*Heb.* 1.) cùm esset sinè peccato, quia impeccabilis, iniquitates omnium hominum in se assumpsit, & purgationem omnium fecit peccatorum. Ac primùm quidem cùm esset Agnus sinè macula, tollens peccata in se, baptismo aquæ Jordanis omnium scelera abluit; [*Matt.* 3.] deinde vulneratus propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra; (*Is.* 53.) in cruce velut Agnus Paschalis immolatus, igne passionis omnium maculas & sordes excoxit & emundavit. Testatur Psalmista dicens: [*Ps.* 16.] igne me examinâsti, utique ardentissimæ & ab igne amoris immensi profectæ tolerantiæ, & non est inventa in me iniquitas; illa nimirùm, de qua Propheta: (*Is.* 53.) posuit Dominus in eo iniquitatem omniũ nostrûm quia omnis per ipsum deleta est & extincta. Unde non datur alia via purgandi & emundandi animas nostras à peccatis, nisi per aquam & ignem. Patet idipsum in purificatione ipsius orbis terrarum, qui cùm primò ab initio mundi per diluvium aquæ sit emundatus, ultimò in fine mundi consumptione ignis expurgabitur. Quia ecce Dominus in igne veniet, teste Isaia, (*c.* 66.) in igne Dominus dijudicabit. Et teste Sophonia: (*cap.* 1.) in igne zeli ejus devorabitur omnis terra. Eodem modo nos ad initium vitæ purificamur per baptismum in remissionem peccatorum institutum, in fine verò vitæ, quando Dominus veniet nos judicare per ignem ad perfectam emendationem nostri, purgatorium ignem cogemur tolerare, si tamen in vita igne pœnitentiæ vel tribulationis non fuerimus excocti. Testatur id Apostolus dicens: (1. *Cor.* 3.) uniuscujusque opus manifestum erit, nimirùm post mortem, dies enim Domini declarabit. Illa dies, dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde, (*Soph.* 1.) scilicet dies extremi judicij, quia in igne revelabitur, & uniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit. [1. *Cor.* 3.] Si cujus opus manserit quod superædificaverit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Huc præclarè alludit D. Augustinus. *Nunquid lucet aurum in fornace Aurificis? In monili lucebit; patiatur tamen fornacem, ut purgatũ à sordibus veniat ad lucem. Fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat Aurifex. In fornace ardet palea, purgatur aurum. Illa in cineres vertitur, à sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, Aurifex Deus. Quod vult ergo Aurifex, facio; ubi me ponit Aurifex, tolero. Jubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licèt palea ad incendendum me, & quasi consumendum me; illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo.* Ita D. Augustinus. Doctor Gentium (1. *Cor.* 3.) exponit, quæ superædificantur supra fundamentum, quod est Christus, cui fundamento innitimur per fidem, spem, & charitatem; videlicet aurum, argentum, lapides pretiosos, & hæc in bonam partem: ligna, fœnum, stipulam, & hæc in malam partem. Quid aurum, argentum, nisi opera bona? Quid lapides pretiosi, nisi virtutes? Quid ligna? Præterquàm mundana

Agnus sinè macula baptizatus, in passione vulneratus & in cruce immolatus

Emundatio animarum fit nonnisi per aquam & ignẽ

Quando per aquam quando per ignem?

Opus uniuscujusque ignis probabit.

D. August.

Quid aurum, quid lapides pretiosi, quid ligna?

mundana omnia in altum crescentia, virentia, florentia, superexaltata sicut cedri Libani, ac tandem transeunt, præterit enim figura hujus mundi, (*1. Cor. 7.*) decidentia, arescentia, quando securis mortis ad radicem arboris est posita. (*Luc. 3*) Quid fænum? Nisi carnales concupiscentiæ & voluptates. Omnis enim caro fænum. (*Is. 40.*) Quid stipula? præterquàm terrenæ cupiditates & possessiones rerum vilium & ad modum stipulæ abjectarum. Ignis probabit hæc omnia. Nonne ligna, fænum, stipula facilè comburentur? Nonne aurum, argentum, & lapides pretiosi expurgabuntur? Dominus enim Deus noster ignis consumens est (*Deut. 4.*) ea omnia, quæ ignis pabulum sunt; emundans autem illa, quæ per ignem expurgantur. Interrogat Propheta Malachias dicens: (*c. 3.*) ecce venit & quis poterit cogitare diem adventûs ejus? Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Syrus vertit: *quasi sulphur dealbans*; Arabicus legit: *quasi sulphur quod candescit.* Et sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi; (*Ib.*) id est, non tantùm veros & reales Sacerdotes, sed etiam spirituales & mysticos, qui sunt fideles, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Confirmat hoc Princeps Apostolorum alloquens omnes Christianos: (*1. Pet. 2.*) Vos genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Audiamus D. Hieronymum desuper loquentem: *Ipse*, ait, *veniet quasi ignis conflans; ignis enim in conspectu ejus ardebit, & in circuitu tempestas valida. Tunc vocabit cœlum desuper ut dijudicet populum suum;* (Ps. 49.) *flumina ignis trahent ante eum peccatores, quosq; volventia. Ignis autem dicitur Dominus, & ignis consumens,* (Deut. 4.) *ut ligna nostra, fænum, stipulamq; comburat. Et non solùm ignis, sed & herba fullonum,* (Mal. 3.) *Ipse his, qui peccant graviter, ignis conflans est atq; consumens; qui autem levia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis munditiam restituat.* Ita D. Hieronymus. Cùm igitur nemo sit mundus à sorde etiam infans unius diei super terram, necessariò aquâ pœnitentiæ, & igne tribulationis debet quotidianos excessus suos emundare & expurgare, ne quid restet post mortem igne purgatorio expiandum. Huc accedit, quod Deus imperat Moysi: (*Num. 3.*) aurum & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. Quidquid autem ignem non potest sustinere, aquâ expiationis sanctificabitur. En ignis & aqua sola sunt, quæ serviunt plenariæ expurgationi. Postquàm pœnitens Rex petijt à Deo: (*Ps. 50.*) dele iniquitatem meam, superaddit: ampliùs lava me ab iniquitate mea adulterij, & à peccato meo homicidij munda me. Dat causam Innocentius: *Quia culpa quæ nunc recenter dimittitur, licèt tota per pœnitentiam diluatur, adhuc tamen pœnitenti fætet & sordet, qui securitatem & serenitatem conscientiæ nondum habet.* Job inquit:

quid fænum?

quid stipula?

Deus, ignis consumens.

Ignis conflans.

Quare?

Aquâ pœnitentiæ & igne tribulationis peccata expurganda.

Cur Psalmista iteratò ampliùs se lavari petijt ab iniquitate?

Innocentius.

Post factam emundationem in anima adhuc fœditas manet in vestimentis. D. Greg.

(c. 9.) Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. *Acsi apertè dicat*; explicat D. Gregorius, *Quamvis lamentis supernæ compunctionis infundar, quamvis per studia rectæ operationis exercear, in tua tamen notitia video, quia mundus non sum: intentam quippe adeo animam ipsam adhuc corruptibilis caro diverberat, ejusq; amoris pulchritudinem obscœnis & illicitis cogitationum motibus fœdat; unde & subditur:* (Job 9.) & abominabuntur me vestimenta mea. *Quid enim vestimenti nomine nisi hoc terrenum corpus exprimitur, quo induta anima tegitur, ne in subtilitatis suæ substantia nuda videatur. Hinc etenim Salomon ait:* (Eccles. 9.) Omni tempore sint vestimenta tua candida, *id est, membra corporis à sordidis actibus munda. Hinc Isaias ait.* (c. 9.) Vestimentum missum in sanguine erit in combustionem. *Sangvine quippe vestimentum miscere, est desiderijs carnalibus inquinare: quibus nimirum se pollui Psalmista formidaverat cum dicebat.* (Ps. 50.) Libera me de sangvinibus Deus Deus salutis meæ. *More autem sacri eloquij vestimenta nostra nos abominari referuntur, quia abominabiles reddunt, ubi Deus nos sordibus intingere dicitur, id est, intinctos sordibus demonstrare: quia quantò ad illum versùs per bona opera surgimus, tantò subtiliùs vitæ nostræ sordes agnoscimus, quibus ab ejus munditia discordamus.* Hæc Magnus Gregorius. Consonat aliqualiter Origenes dicens: *Etiamsi quis mundetur à peccato, & non sit jam in opere peccati, ipsa tamen vestigia sceleris commissi purgatione indigent.*

Quorum nomine quid denotatur?

Ampliùs & ampliùs à peccatis lavari tenemur.

Ita sanè, ampliùs & ampliùs à peccatis lavari tenemur, quia nemini prorsùs certa est culpæ & pœnæ remissio. Inde monet Sapiens: (*Eccli.* 5.) De propitiato peccato noli esse sinè metu. Continuâ purgatione opus per aquea pœnitentiæ & ignea mortificationis opera, ut in nobis reperiantur Domini eloquia casta, argentum Domini examinatum, purgatum septuplùm. (*Ps.* 11.) Hinc Regius Vates asserit: (*Ps.* 65.) Igne nos examinâsti sicut examinatur argentum; videlicet, ut omnis scoria peccati absumatur. Si igitur speciosus formâ præ filijs hominum tam perfectam pulchritudinis speciem in nobis requirit, quantum credimus purgationis ad animas nostras reddendas Deo speciosas, ne in ultimo ac rigidissimo Dei judicio quidquam reperiatur per ignem purgatorium emundandum? Ecce excoxi te, ait Deus apud Isaiam *c.* 48. ad populum Judæorum, sed non quasi argentum, te enim totum absumpsissem, si omnem scoriam tollere voluissem. Elegi te in camino paupertatis, videlicet nulla in te reperiens merita, solis meritis Salvatoris tuam formans electionem. Jure meritò proinde hoc die animarum dum consulimus aquâ pœnitētiæ & igne mortificationis earum pænis sublevandis, consulamus & nostris animabus, ut simul cum illis jam liberis à pæna dicere possimus: Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium: (*Ps.* 65.) mereamurque ab ipso *Deo* audire illud Isaiæ: *c.* 43.

Servus

Servus meus es tu; cùm pertransiêris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flãma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus. Cæterùm bona est oratio cum jejunio, ait Raphael Archangelus, (*Tob.* 12.) pro vivis, utiq́ue & pro animabus defunctorum, singillatim tamen, inquit, quòd eleemosyna, quæ quidni est actus misericordiæ? à morte liberat, (*Ibid.*) & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam. Ubi deest corporalis, adsit spiritualis ex misericordia impensa. Nonne, teste Sapiente in Proverbijs, *c.* 15. per misericordiam & fidem purgantur peccata? Equidem judicium sinè misericordia erit illi, qui non facit misericordiam; apud illũ, cui proprium est misereri & parcere. Ille ipse purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextingvibili. (*Matt.* 3.) Et hic est ignis infernalis, de quo Innocentius: *Ignis enim gehennæ nec lignis nutritur, nec flatu succenditur, sed à Deo creatus est inextinguibilis ab origine mundi.* Scriptum est enim: *Job* 20. devorabit eum, videlicet impium, ignis, qui non succenditur, quem avertat à nobis ille, cujus misericordiæ non est finis.

Per misericordiam & fidem purgantur peccata.

Sermo in Festo Præsentationis B. M. V.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Ps. 44.

VIrginem DEI Matrem Spiritus Sanctus cum magna admiratione intuendo exclamat: (*Cant.* 1) ecce quàm pulchra es amica mea! ecce quàm pulchra es! Quidni amica Spiritûs Sancti, quæ adhærendo Domino unus spiritus erat cum eo? (1. *Cor.* 6.) Et hæc illa pulchra non simpliciter sed dupliciter. Pulchra in anima, pulchra in corpore; pulchra in utroq́ue quoad castitatem, pulchra in utroq; quoad humilitatem. Ecce, inquit, ut denotet novitatem & raritatem, remq; inauditam se monstrare dicat, ecce bis repetit. Ecce Virgo concipiet, dicit Isaias; (*c.* 7.) Ecce concipies & paries, dicit Archangelus. [*Luc.* 1.] Quàm pulchra es amica mea (*Cant.* 4.) in copiosa gratiarum atq; donorum cœlestium plenitudine! quàm pulchra es in magna virtutum tuarum supereffluentia! quàm pulchra es in aperta & oculta sanctitatis tuæ tam interioris, quàm exterioris claritate! Et quidem lex vetus non conferebat veram Sanctitatis perfectionem, teste Divo Paulo dicente: (*Heb.* 9.) munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodò in cibis & in potibus, & varijs baptismatibus, & justitijs carnis usq; ad tempus correctionis impositis. O sancta correctio! O quàm necessaria emendatio! & quid mundum in hoc immundo mundo fuisset? Si non post legem antiquam venisset per legem novam Christi correctura? Hæc, quod erat in veteri Testamento vacuum, inane, & defectuosum, lege Evangelica ad summam reduxit plenitudinem & perfectionem. Audiamus ipsam Veritatem DEI fulminantem contra Scribas & Pharisæos: [*Matt.*

Beatissima Virgo in quo dupliciter pulchra?

Legis Evangelicæ summa perfectio.

23.] Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia quod deforis est calicis & paropsidis, intùs autem pleni estis rapinâ & immunditiâ. Hinc imperat cum energia: Pharisæe cœce, munda priùs quod intùs est calicis & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. Quàm eximiè cœcum nominat, qui veram non videt pulchritudinem! Manuum lotionem, & his similia credebat munditiem; animæ verò mundationem non curabat. Quàm benè vocat hypocritas, qui solam externam sanctitatis faciem simulabant, internam non habebant! Deniqúe dicit in alio loco ipse DEUS Veritas: (*Luc.* 6.) Pharisæe hypocrita, eijce primò trabem de oculo tuo, & tunc valebis eijcere festucam de oculo fratris tui. Quidni cœci, qui trabem in oculo habebant nec illam videbant, & illam partem calicis & paropsidis, quam nec potus nec cibus tangebat, mundare curabant, illud autem, quod de potu & cibo in calice interiùs erat sordium & spurcitiei, emundare haud satagebant. Non hæc Sponsæ Spiritûs Sancti pulchritudo, intùs est primariò, ab extra est secundariò. Sic Psalmus noster 44. Loquitur. Omnis gloria filiæ Regis ab intùs in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus. Astitit enim Regina a dextris sponsi in vestitu deaurato circumdata varietate. Omnis gloria ejus ab intus, quia principalis pulchritudo ejus est in Spiritu per gratiam, est super naturalium virtutum, ac maximè charitatis excellentiam. Cernis fimbrias aureas, opera sancta in Virgine hodie præsentata à Parentibus, & seipsam Deo in templo præsentante? Ab auro interiori gratiæ charitatis deaurantur. Ipsa enim est vera arca fœderis, quæ intùs & foris erat auro mundissimo deaurata. Idcircò dicit Sponsus: (*Cant.* 1.) ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, verè speciosa præ filijs hominum. Ad primam pulchritudinem adjungit, amica mea; quia vera amicitia interno decori copulatur. Ad secundam non repetit, quia externorum operum pulchritudo ab interno & intrinseco promanat. Utique bona arbor bonos producit fructus. (*Matt.* 7.) Homo verò videt in faeci, Deus autem in corde, Dominus cor intuetur. (1. *Reg.* 16.) Bona arbor intùs habet virtutem bonitatis, fructus autem speciem bonitatis extra præseferunt. Hinc maximè curandum, ut primò coram Deo simus pulchri & Sancti, deinde corã hominibus, qui videntes opera nostra bona glorificent Deum, qui in cœlis est. (*Matt.* 5.) Et hoc est, quod monet Apostolus: (*Rom.* 12.) ut provideamus bona, non tantùm coram DEO, sed etiam coram omnibus hominibus. Notum haud dubiè nobis est hoc, quod Vas electionis (1. *Cor.* 7.) desiderat à Virgine & innupta, cogitante quæ Domini sunt, qualis fuit Virgo Beatissima, ut sit sancta corpore & spiritu, nimirùm ut duplicem habeat pulchritudinem, tam corporis quàm animæ. Hæc porrò pulchritudo oritur ex duplicium virtutum genere, duo vitiorum genera expellentium, quæ à D. Gregorio & Doctore Angelico vocantur carnalia & spiritualia. Emundantes nos, ait Doctor Gentium, (2. *Cor.* 7.) ab omni inquinamento carnis &

Pharisæorum in lege veteri cæcitas.

Pulchritudo Sponsæ Spiritûs Sancti ab intùs.

Quid curandũ, ut coram Deo simus pulchri?

& spiritûs. Placet scire virtutes corporales, carnis vitia coercentes? Hæ sunt: temperantia, sobrietas, castitas sive Virginitas, modestia, silentium, oculorum refrænatio, aliorumque sensuum custodia, in quibus potissimùm exterioris hominis decor & splendor apparet. Libet nôsse virtutes spirituales, quæ maximè spiritum ejusque affectus ac actus dirigunt & perficiunt. Istæ sunt: fides, spes, charitas, & aliæ virtutes infusæ, per quas summus animæ decor solidatur. Sed ecce hæc geminata pulchritudo à gemina laude Sponsi participatur. Legistisne quid antecedenter Sponsa dicat? Fasciculus myrrhæ dilectus meus, inquit: (*Cant.* 1.) botrus cypri dilectus meus mihi. Advertistisne quòd fasciculus myrrhæ inter ubera collocatus ornet corpus exteriùs, botrus autem cyprius interiùs reficiat animam? Myrrha à corruptione servat corpus, botrus in vinum expressus cor hominis lætificat. Agnoscitisne, quòd ex contemplatione Christi & imitatione hæc duplex virtutum pulchritudo acquiratur, per quam caro & spiritus foris & intùs sanctificantur, adeoque ad illum felicem innocentiæ statum, in quo caro erat subjecta spiritui, reducuntur. Hæc omnia perfectissima erant in suprema omnis perfectionis consummatione Maria; quæ quidsi semel & iterum pulchra dicitur propter pulchritudinis incrementa? In primo enim Conceptionis momento habuit summam primæ gratiæ & primæ charitatis pulchritudinem; ita ut ab omni labe mortifera existeret immunis, ibique vera Dei amica constitueretur, essetque omnino speciosa præ filijs hominum. Amicitia hæc primariò à Deo profluxit, per præservationem à culpa. Id manifestat Deus apud Ezechielem (*c.* 16.) sub figura Jerusalem: perfecta, inquit, eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus. *Deus enim*, dicente Sole Doctorum, *amavit nos priùs, qui semper est pulcher.* Et quales amavit, nisi fœdos & deformes? Non ut deformes dimitteret, sed ut pulchros faceret. Id tamen non dicendum de Matre Dei Virgine, de qua ipse dicit: (*Cant.* 4.) Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; adeoque nunquam fuit fæda aut deformis. Hoc autem perfectæ pulchritudinis opus est, non contentum esse primæ gratiæ pulchritudine, sed eandem bonis operibus novisque meritis semper nutrire, ac indies de virtute in virtutem procedendo augmentare. Sic enim à DEO imperatur: (*Apoc.* 22.) qui justus est, justificetur adhuc, & qui sanctus est sanctificetur adhuc. Talis fuit hodie progrediens quindecim gradibus in templum, Deoq; se præsentans Maria. Nonne illam admiratur Sponsus dicens: [*Cant.* 6.) Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens in primæ gratiæ splendore: pulchra ut luna, luminare quod minuitur in consummatione per humilitatẽ, ac rursùs crescens mirabiliter in consummatione, idque in virginitate sua; electa verò ut sol, & terribilis ut castrorum acies ordinata in Dei maternitate. Quid quod, si Mariæ opera consideremus, castellum est in quo Martha activa, & Maria contemplativa inhabitant & dominantur;

Virtutes corporales, carnis vitia coercentes.

Virtutes spirituales, spiritũ perficientes.

Harum pulchritudo unde acquiritur?

Beatissimæ Virginis in primo conceptionis momento, pulchritudo qualis?

S. Augustin.

Pulchritudo illius in Præsentatione.

nantur: utrinque pulchra, & in sollicitudine Marthæ, & in quiete Mariæ, & in fæcunditate Liæ, & in Rachelis venustate. Jam quis duplicem Mariæ pulchritudinem non admiretur in amore Dei & proximi? Nolo quoad hoc excurrere: dicam adhuc aliquid admirandum juxta mentem mellifluì Patris nostri: *In Maria geminam esse pulchritudinem per innocentiæ conjunctionem cum humilitate. Rara enim*, inquit egregius Doctor, *avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimoniâ non excludi. Et ideò beata anima quæ utramq; retinuit. In eo, qui graviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet, & nihilominùs humilitatem jungit, meritò admirandus, quia geminum animæ retinet candorem.* Ubi vulgata nominat amicam, ibi 70 legunt proximam. Ita sanè, quia per humilitatem propiùs accedit ad Deum, qui humilib⁹ appropinquat, à superbis elongatur. Sic docet Lumen Theologorum: *Licet Deus sit altus, si te erigis, fugit à te; si verò te humilias, descendit, ut sit prope te.* Liceat adhuc cum Origene binam pulchritudinem Sponsi declarare & Mariæ, sive tunc dum præsentiâ fruitur, sive tunc quando patitur ejus absentiam. Novit enim placere ipsi tam in consolatione, quàm in desolatione, parata & ad prospera & ad adversa, ad gloriam & ignominiam, per arma justitiæ à dextris & à sinistris, 2. *Cor.* 6. promptitudinẽ suã cum Propheta declarans: (*Ps.* 107.) paratum cor meum Deus, paratum cor meum, & te velut fasciculum myrrhæ in passione amplecti, & velut botro Cypri frui in resurrectione. Ad hoc optimè accedunt oculi columbarum (*Cant.* 1.) simplices, casti & innocentes. Oculi animæ nostræ sunt fides sincera, & pura intentio. Dùm enim oculus rectæ fidei Deum respicit ubique præsentem, primum rerum omniũ principium & ultimum finem, summum ac unicum bonum propter semetipsum diligendum, eumque esse omnium remuneratorem; tunc oculus puræ, rectæ, ac in Deum solum directæ intentionis intendit, eique soli ut placeat, attendit. Quidni bis pulchra dicenda anima, quæ binos oculos tales habet pulcherrimos instar columbarum puros & simplices? Paraphrasis Chaldaica hoc manifestat dicens: *duo oculi tui sunt velut duo pulli columbarum, qui mundi sunt ut offerantur in altari meo.* Hinc sæpiùs præcipiebatur in lege veteri offerri par turturum, aut duo pulli columbarum ad purgandam immunditiam vel lepram. Utrumque autem præstant hi duo oculi mundi. Fides enim purificat corda & justificat animam; pura verò intentio purificat & mundat opera. Hæc quantùm in Virgine Sanctissima emicuerint & eminuerint, quis ignorat? Beata quæ credidisti, alloquitur eam Elizabetha. Ipsamet de se ait: (*Luc.* 1.) magnificat anima mea Dominum, utique per puram intentionem. Ab his oculis desumitur animæ pulchritudo vel fæditas, pietas vel impietas. Impij habent oculos vulturinos, lupinos, vulpinos, bona mundana & sensibilia respicientes, ut ea perquirant & ad se rapiant. Stultorũ quoq; oculi

S. Bernard.

in conjunctione innocentiæ cum humilitate.

S. Augustin.

Oculi animæ nostræ qui?

Pulchritudo Deiparæ in oculis columbinis.

Impiorum oculi quales?

oculi, juxta dictum Sapientis, (*Prov.* 17.) in finibus terræ, quia huc illucque vagantur, instabiles & immodesti, terrenis inhiantes; & secundùm Zachariæ vaticinium, (*c.* 5.) oculus eorum in universa terra fixus; & in amphoram, [fortasse & illam portatoriam, quâ pascuntur ebriosi] in amphorâ dico, ubi sedet mulier, cui nomen iniquitas; omnes enim impiorum conatus ad iniquum finem tendunt; ubi pij & justi oculis columbinis per fidem & puram intentionem in Deum & Christum ejus habent defixos juxta Ecclesiasten: (*c.* 2.) Oculi sapientis in capite ejus, qui est Christus. Notandum, quod ipse dicit: (*Mat.* 6) Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Cur hic in singulari oculus dicitur à Christo, ibi autem in plurali vocantur oculi columbini à Spiritu Sancto? Crediderim multos oculos, nam & ipse Agnus septem oculos legitur habere, qui sunt 7. dona Spiritûs Sancti, ad unum posse reduci: quia simplex intentio generaliter unica est ad unicum finem Deum, & unum Mediatorem Christum JESUM tendens; & hæc est, de qua Sponsus alloquens Sponsam: (*Cant* 4.) Vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum. Multi autem oculi propter diversos bonos fines consequendos, v. g. castitatis, patientiæ, humilitatis, obedientiæ, ac potissimùm charitatis, qui tamen in unico fine Deo concluduntur. Pulchrè D. Ambrosius, sed paulò aliter: *Oculus mentis, & oculus corporis unum fiunt, cùm caro & mens diversa non cupiunt, sed unum inquirunt, ita ut intenti ad eum, qui dicit:* (Joan. 10.) *Ego & Pater unum sumus; ipsi quoq; se unum confiteantur, quia uno eodemq; desiderio & officio funguntur:* nempe illo, de quo Propheta: (*Ps.* 26) Unam petij à Domino, hanc requiram; videlicet uni Deo servire & placere per obedientiam, fidem & amorem puræ intentionis. Ad quid hodie Divina Virgo Deo præsentatur, præsentatque se in templo? Non ad aliud sanè, nisi ut uni soli Deo se consecraret, essetque coram illo speciosa præ filijs hominum. Unde jure meritò illam alloquitur: *Cant.* 1. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Superaddit: absque eo quod intrinsecùs latet: quod utique majus est, quàm dici queat. Latet Spiritus Sanctus hos oculos acuens & dirigens ad videndum. Latet unio eorum cum Spiritu Sancto, cujus ductum sequuntur. Latet inæstimabilis Divinæ Majestatis appretiatio ipsis oculis insita. Latet abnegatio proprij sensûs, & judicij proprij subjectio, quâ velatur & captivatur intellectus in obsequium fidei. Latet incomprehensibilitatis Dei confessio, ita ut cum Seraphinis canentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dñus Deus exercituum, duabus alis caput, duabus alis pedes velentur & obtegantur. *Is.* 6. In hac ergo Præsentatione Beatissimæ Virginis præsentemus nos quoq; Deo cum ea duplici & multipliciter duplici puchritudine ejus, cum his oculis columbinis, cum subjectione nostri intellectûs, ut ad unum necessarium nobis pertingamus, semper ubique in hoc mundo velut templo DEI in Monasterio ut tali agentes ac conversantes, donec in templo gloriæ ejus per mediationem Deiparæ mereamur præsentari.

Oculi stultorũ.

Oculi justorũ.

Quomodò multi oculi ad unum possunt reduci?

D. Ambros.

Beatissima Virgo cur se in templo præsentat?

In hac Præsentatione quid nobis faciendum?

Sermo in Susceptione *Fr. Venceslai* ad Novitiatum

ECquis non tenetur petere misericordiam à Deo, qui se in statu miseriæ esse recognoscit? Quæ autem major miseria, quàm esse constitutum in regione umbræ mortis, (*Is.* 9) expositum tempestatibus maris inconstantis, limo profundi (*Ps.* 68) & luto fæci immersum? (*Ps.* 39.) Hic status est hominum in sæculo degentium mundi hujus habitatorum, voluptatum & illecebrarum carnis sectatorum. Jam quæ major misericordia Dei, quàm ab hoc seculo nequam liberum esse, eripi de laqueo venantium, [*Ps.* 90.] ad locum quietis transferri? Hic status est Religiosorum, vanitatum mundi contemptorum, à delicijs & concupiscentijs seculi abstractorum: soli Deo adhærentium, qui verè Dei misericordiâ & miserationibus coronantur. (*Ps.* 102.) Est autem misericordia Dei duplex, præveniens & subsequens. De illa dicit Regius Propheta: (*Ps.* 58.) misericordia tua præveniet me. De hac inquit: (*Ps.* 22.) misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Utraque nobis est necessaria; *Deus* enim *gratiâ suâ*, quæ provenit ex ipsius misericordia, *nos prævenit* dicente Sancto Augustino, *ut sanemur, subsequitur ut sanati vegetemur: prævenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur.* Unde præveniens gratia nos præservat à malo, & inducit ad bonum; subsequens nos sustentat ne cadamus, & in casu adjuvat ut resurgamus, ac finaliter salvemur. Hoc videtur Rex Prophetarum in Psalmo suo optâsse: Deus, inquit, [*Ps.* 66.] misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri. Ad quid bina vice repetit petitionem misericordiæ? Proculdubiò ut per primam petitionem impetret prævenientem cum benedictione Dei, per secundam verò exoret subsequentem cum illuminatione vultûs Divini, quatenùs nimirum post agnitas vias vitæ adimpleatur lætitiâ cũ vultu Dei, & delectationes in dextera ejus (*Ps.* 15.) consequatur usq; in finem beatæ æternitatis. Prævenit te *Frater Venceslae* Dei gratia ex ejus misericordia procedens, quando eduxit te de loco tenebrarum mundi hujus, & vocavit in admirabile lumen suum. (1 *Pet.* 2.) Subsequetur te eadem, quando ostendet tibi vias vitæ juxta Regulam Sancti Benedicti, ut & tu jam benedictus sequaris Divum Antesignanum in omnibus vijs ejus, vijs humilitatis & obedientiæ, vijs castitatis & paupertatis, vijs patientiæ & mortificationis: deniqúe benedictionem dabit Legislator, ibis de virtute in virtutem, (*Ps.* 83.) donec per te videatur Deus Deorum in Syon. Hanc Dei misericordiam percepimus & nos; hanc juxta praxim Sacri Ordinis impertimur tibi, ut primam illius instructionem suscipias in loco Candidatorum ejus, donec per Professionem sanctam in album nostrum admittaris. Et quia jam es Sacerdotio initiatus, quantò altiori præ alijs aliquibus fungeris munere, eò profundiori humilitate infra eosdem refulge, ut Dei misericordiam, qui humilibus dat gratiam, [*Jac.* 4.] eo faciliùs adipiscaris. Progredere igitur feliciter *Frater Venceslae*, sintque tibi cantabiles

Status secularium.

Status Religiosorum.

Misericordia Dei duplex.

S. Augustin.

Effectus gratiæ prævenientis & subsequentis.

tabiles Dei miserationes in omni tempore. (*Ps. 118.*) Repleat Dominus in bonis desiderium tuum, renovetur ut aquilæ juventus tua. (*Ps. 102*) Notas faciat tibi vias suas misericors & miserator Dominus, secundùm altitudinem cæli à terra, corroboret misericordias suas super te, (*Ib.*) ut & tu miserearis animæ tuæ placens Deo, (*Eccli. 30.*) tam prævenienti quàm subsequenti gratiæ Dei conformiter cooperando, ut & finalem consequaris, jubeatque te Dominus ad suam misericordiam in cælum pervenire: ubi omnium Sanctorum Ordinis nostri, quorum hodie festa dies agitur, consortio merearis sociari.

Sermo in Susceptione Fratrum *Roberti & Stephani* ad Professionem.

FRustra petit misericordiam is, qui se ejus exhibet incapacem. Non est dignus misericordiâ Dei, qui se illâ per ingratitudinem reddit indignum. Qui misericordiæ Dei undiq; ponit obices & obstacula, eandem non meretur. Non hìc memorabor Caini, qui de misericordia Dei desperans dixit: (*Gen. 4.*) Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Neque Esau commemorabo, de quo Apostolus: (*Heb. 12.*) ne quis fornicator aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua, cui similes sunt illi, qui propter cibum vel potum murmurant, & primitivam virtutum deserunt charitatem. Prosequitur Doctor Gentium: (*Ib.*) Scitote, quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Et quod majus est, non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisivisset eam. Videte, quòd non omnis pœnitentia meretur misericordiam. Ubi desperata est plaga, ibi non datur locus misericordiæ. Ubi primogenitura gratiæ Divinæ in charitate radicatæ posthabetur, neque ibi poterit misericordia reperiri. Saulis tamen haud possum oblivisci, cui præcepit Deus: [*1 Reg. 15.*] Vade interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum. Nobis præcipitur interficere populum lambentem, qui est Amalec, concupiscentiam carnis, quæ nos lambit, illicijs voluptatis nos demulcens, lactans, & devinciens. Quid Saul? Versus ad prædam tulit oves & boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ad immolandum Domino. Audite quid Samuel inferat: (*Ib.*) nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. Et quid primarium est in votis nostris? Nonne obedientia? Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare in faciem Deo in Superioribus imperanti resistere. Et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. (*Ib.*) Ecce pæna refractarij & rebellis citra obedientiam. Pro eo ergo, ait Samuel ad Saul, [*Ib.*] quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex. Quid ille? Petit misericordiam inquiens: peccavi Domino. Non erat in ipso vera pœnitentia, & ideo respondet Samuel: Triumphator

Ingrati, misericordiâ Dei sunt indigni.

Non omnis pœnitentia meretur misericordiam.

Primaria in votis obedientia.

Poena inobedientiæ in Saule.

tor in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur, tali nimirùm non verâ, non sincerâ, non cordiali; neque enim homo est ut agat pœnitentiam, videlicet ut pœniteat eum decreti sui semel lati. Reiterat Saul suum peccavi, neque tamen invenit misericordiam. Quàm longè diversum fuit Davidis verbum, peccavi Domino; verè detestatus est peccatum suum, verè humiliatus, verè confessus, eapropter meruit audire à Nathan: Dominus quoque transtulit peccatum tuũ, non morieris. (2. *Reg.* 12.) Misereamur impio & non discet justitiam, terribiliter loquitur Deus apud Isaiam. (*cap.* 26.) Impius intelligitur protervus, in malo obstinatus, incorrigibilis; deniq; qui cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit, nec Deum timet, nec homines reveretur. Audiamus mellifluum Patrem id discutientem. *Tunc magìs irascitur Deus, cùm non irascitur. Misereamur, inquit, impio, & non discet facere justitiam. Misericordiam hanc ego nolo,* ait Sanctus Pater, *super omnem iram miseratio ista, sepiens mihi vias justitiæ. Satiùs profectò mihi juxta Prophetæ consilium* (Ps. 2.) *apprehendere disciplinam, ne peream de via justa. Volo irascaris mihi Pater misericordiarum,* (2. Cor. 1.) *sed illâ irâ, quâ corrigis devium, non quâ extrudis de via. Illud nobis tua benigna animadversio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Cùm enim sentio iratum, tunc maximè confido propitium; etenim cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* (*Iob.* 3.) Confirmat hoc sententia Psalmi Davidici 98: Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum; Moysen loquitur, Aaronem, & Samuelem quos præmiserat, & hoc vocat propitiationem, quòd eorum non pepercerit excessibus. I nunc tu ergo, atque hanc tibi excludito in æternum. An non istud est malum dicere bonum, & bonum malum? An non ex hac odiosa impudentia pullulabit mox impœnitentia mater desperationis? O quàm horrendum sequitur Dei decretum super impio misericordiam experiente nec discente justitiam! In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini. (*Is.* 26.) Justa retributio ejus, qui ad DEI misericordiam non se corrigit, manet in malo obstinatus, lumini rebellis existit, in iniquitate sua utì Pharao obduratur. Judicabo te dicit Deus apud Ezechielem, (*cap.* 7.) juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas, & non parcet oculus meus, neq; miserebor; sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt. Opponet hic fortasse aliquis illud ex D. Paulo: (*Rom.* 9.) Ergo cujus vult miseretur Deus, & quem vult indurat; dicit enim ipse Deus in Exodo (*c.* 33.) ad Moysen: miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. De Pharaone autem dicit ad eundem Moysen: [*Ex.* 4.] ego indurabo cor Pharaonis, & non dimittet populum. Sed sciendum est, Pharaonem non à DEO sed à seipso & à sua malitia propriè, directè, & positivè fuisse obduratum; Deus autem impropriè indurare dicitur, ex eo quòd indurati peccatoris non misereatur, sed illum in suis peccatis & duritia cordis relin-

Pœnitentia Davidis meretur misericordiam.

S. Bernardus.

Deus cùm non irascitur, tunc magìs irascitur.

Decretũ Dei super impium in malis induratum.

Quomodò Deus dicitur indurâsse cor Pharaonis?

relinquat, ut eat in adinventionibus suis, [*Ps.* 80.] hancque duritiam vel indulgendo vel flagellando permittat augeri. Hinc monet Rex Vatum: *Ps.* 94. hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Et meritò à Deo deseruntur peccatores indurati, ingravantes cor suum peccatis reiteratis, nec ipsis impertitur misericordiam, quia non emendantur, sunt incorrigibiles & impœnitentes. Quantò magis indigni sunt misericordiâ DEI, qui vel ingrati sunt exsiccantes fontem bonitatis, vel præsumptuosi in spem veniæ futuræ peccantes. Radix autem omnium horum malorum est superbia, misericordiæ Dei incapax & indigna, uti patet in peccato Angelorũ damnatorum. Sed videamus quinam sunt ij, qui misericordiam Dei merentur & consequuntur? Et quidem primò humiles & obedientes, adinstar puerorum, filiorum, parvulorum, timentium & reverẽtium Patrem suum, eique obedientium. Testatur hoc Regius Vates: (*Ps.* 102.) quomodò miseretur Pater filiorum, ita misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrũ. Verè juxta effatum Deiparæ, (*Luc.* 1.) misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum; & suscepit Deus Israël puerum suum recordatus misericordiæ suæ. Deinde misericordia DEI extenditur super confitentes peccata sua. Domui Juda miserebor, inquit DEUS apud Osee. (*cap.* 1.) Judas significat confessionem. Si confiteamur peccata nostra, asserit Discipulus quem diligebat Jesus, (1. *Joan.* 1.) fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Potissimùm si confessioni jungatur pœnitentia, tunc verè à Deo profunditur misericordia. Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus. (*Eccli.* 12.) Ideo monet Isaias: (*c.* 55.) derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum per pœnitentiam, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Ita omnino misericors & miserator Dominus, longanimis & multum misericors, (*Ps.* 102.) & miserationes ejus super omnia opera ejus. (*Ps.* 144.) Ita quoque hortatur Ecclesiasticus: (*c.* 17.) convertere ad Dominum, & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Et infra: ante mortem confitere; à mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis vivens vivus, & sanus confiteberis, & laudabis Deum, (Juda etiam laudationem designat) & gloriaberis in miserationibus illius. [*Eccli.* 17.] Tandem exclamat Siracides: (*Ibid.*) quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad se! Miseretur quoque sperantium in se, & se expectantium. Oculi Domini super timentes se, ait Regius Vates, [*Ps.* 32.] & in eis qui sperant super misericordia ejus. Inde orat: (*Ps.* 56.) miserere mei Domine, quoniam in te confidit anima mea. Et Isaias clamat: (*cap.* 33.) Domine miserere nostrî, te enim expectavimus. Vos igitur Neophyti Sacri Ordinis Nostri petentes misericordiam DEI aptificate vos ad eam recipiendam, abne-

Misericordia Dei super humiles & obedientes;

super confitentes peccata sua;

super convertentes ad se,

& sperantes in se.

Exhortatio ad Profitentes.

 gantes

gantes impietatem & secularia desideria, (*Tit.* 2.) abijcientes opera tenebrarum, (*Rom.* 13.) exuentes veterem hominem cum moribus, actibus & habitibus suis, induentes novum, qui secundùm DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis; [*Ephes.* 4.] induti armis luci, (*Rom.* 13.) loricâ justitiæ, galeâ salutis, armati scuto fidei, ac cincti gladio verbi, succincti lumbos vestros in veritate castitatis (*Eph.* 6.) *ante omnia autem*, juxta Regulã Divi Legislatoris, *fortissima obedientiæ sanctæ arma assumite, militaturi Christo* in hoc loco, atque ita misereamini animæ vestræ placentes Deo, proculdubiò certi eritis de misericordia Dei erga vos. Assumite nomina Patronorum Ordinis, tu Roberti, ille Stephani, ut magno virtutis robore superetis hostes, ac possitis coronam justitiæ, (2. *Tim.* 4.) coronam vitæ (*Ap.* 2.) adipisci. Sanctorum trium Regum opem & gratiam implorate, ut vobis quoque semper stella gratiæ Divinæ præluceat, ducens vos ad gloriam Luciferi, qui nescit occasum. Agnoscat interea unusquisque vestrûm coram Deo: misericordia tua magna est super me & eruisti animam meam ex inferno inferiori; (*Ps.* 85.) & suspiret ad Deum indefesè dicens: fiat misericordia tua, ut consoletur me, (*Ps.* 118.) Veniant mihi miserationes tuæ & vivam; (*Ib.*) Deus enim est multæ misericordiæ omnibus invocantibus se, (*Psal.* 85.) sed nolite unquam in spem misericordiæ peccare dicentes: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum nostrorum miserebitur. (*Eccli.* 5.) Misericordia enim docente Ecclesiastico, (*c.* 5. & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Metuentes igitur Dominum, sustinete misericordiam ejus, & non deflectatis ab illo, ne cadatis. Timentes Dominum sperate in illum, (*Ps.* 113.) & veniet vobis misericordia ejus. Sitis semper parvuli, humiles instar filiorum, obedientes, confitentes, pœnitentes, verè ad Deum conversi, & ostédet vobis Deus misericordiam suam, & salutare suum dabit vobis (*Ps.* 84.) hìc & in æternum. Fiat, fiat.

Nomina illorum.

SYNOPSIS

Sermonum Capitularium ex Tomi III. Tractatu Tertio.

 sed

Sermo



TRACTATUS

TRACTATUS

QUARTUS è QUATUOR
&
Undecimus in ordine Annorum
SERMONUM
CAPITULARIUM
Ab Adventu Anni 1693. *in Annum* 1694. habitorum.

Ubi super Psalmi 44. tertium versum discurritur atqúe tractatur.

Sermo Dominicâ I. Adventûs.

Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Ps 44.

VIdimus hactenus speciositatem Regis Sponsi, in forma tam exteriori quàm interiori filios hominum superantem, conspeximus decorem ejus & secundùm seipsum & secundùm membra illius conspicuum; multiplicem virtutum ipsius pulchritudinem magna cum jucunditate oculis intellectûs nostri libavimus; jam diffusa in labijs ejus gratia (*Ps. 44.*) auribus est percipienda. Ita equidem gradatim visûs oblectationem apprimè sequitur auditûs occupatio. Tali modo & ipse Sponsus à Sponsa requirit priùs: (*Cant.* 2.) ostende mihi faciem tuam; deinde exposcit: (*Ib.*) sonet vox tua in auribus meis. Sic ut plurimùm sensus visûs prior & potior etiam in longinquũ tendit, posterior & sequior sensus auditûs ad vicina duntaxat se extendit, potissimùm quando vox hominis distinctè est auscultãda. Ita & infelix mater priùs oculos ad videndum prohibitæ arboris fructum ex curiositate perversè convertit, postea ad audiendum serpentis sibilum aures obliquè indulsit; quantumvis repetitâ visione boni

Visus prior & potior auditu.

ligni ad vescendum, & pulchri oculis aspectuq; delectabilis majorem in se excitaverit appetitum. Unde etiam utrique Parenti post peccatum priùs aperti sunt oculi, & viderunt se nudos, (*Gen.* 3) utpote gratiâ Dei denudatos; deinde maledictionem DEI justi Judicis promeriti sunt audire, qui gratiosi Domini Creatoris & Legislatoris præceptum fuerant prætergressi. Hinc deformitas peccati totum genus humanum occupaverat, cui tollendæ gratia in labijs speciosi formâ præ filijs hominum erat diffundenda. Ita planè per adventum Salvatoris in carne redijt species & decor hominum, vestitus est homo nudatus Verbo Caro facto, (*Joan.* 1.) gratia DEI deperdita homini reddita per eum, in cujus labijs est diffusa; maledictio benedictione sublata; propterea, ait Vates, (*Ps.* 44.) benedixit te Deus in æternũ. Verè ubi gratia Dei, ibi benedictio; ubi defectus gratiæ Dei, ibi maledictio. Erigamus igitur aures, acuamus auditum, diligenter auscultemus, quomodò hoc fortunatissimo adventûs Dominici tempore sub initium mox per hodiernum Evangelium gratia in labijs Verbi Caro facti diffunditur nobis ad benedictionem. Erunt signa, inquit Verbum DEI Incarnatum, [*Luc.* 21.] in sole, & luna & stellis. Hæccine sunt verba gratiæ, & non potiùs signa iræ *Dei* & minarum portenta? In terris pressura gentium præ confusione maris & fluctuum. (*Ibid.*) Nonne ista pænam potiùs spirant quàm gratiam? Arescentibus hominibus præ timore. (*Ibidem*) An non hæc magis suppliciorum sunt indicia & effectus, quàm gratiæ? Non equidem. Quantumlibet enim hæc omnia iram DEI manifestent, minas ejus præseferant, pænas intentent & terrorem incutiant, nihilominùs sunt clarissima singularis Divinæ gratiæ documenta; quandoquidem per ejusmodi signa homines ad timorem DEI inducuntur, qui per expulsionem peccati gratiam ejus potest promereri. Et quidem innuit ipsum Evangelium aliquem timorem; hic tamen non est ille Divinus timor expellens peccatum, (*Eccli.* 1) & gratiam adducens; sed est timor humanus & mundanus, ideoque vanus, utì patet ex ipso sensu: arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient universo orbi, (*Luc.* 21.) nimirùm rerum mundanarum, terrenarum, & temporalium ac caducarum perditionem expavescentibus. Ut ergo de timore loquamur, *hic est passio specialis animæ*, juxta Divum Thomam, *per se respiciens malum futurum difficile, velut objectum, quod excedit potestatem timentium, ut scilicet resisti non possit; & sic metus est motus appetitivæ virtutis habentis organum corporale, qui motus fit cum aliqua transmutatione corporali, scilicet cum contractione*, ex mente Divi Damasceni, *siquidem in timentibus calor cum spiritibus contrahitur ad interiora.* Idem Sanctus Joannes Damascenus sex species timoris assignat: *segnitiem, erubescentiam, verecundiam, admirationem, stuporem & agoniam.* Has verò species Angelicus Doctor sic explicat. *Sicut bonum hominis ita & malũ potest considerari vel in operatione ipsius, vel in rebus exterioribus. In*

Apertis primùm oculis post peccatum, deinde maledictionem audiverunt primi Parentes.

Gratia Dei in carnem advenientis per Evangelium manifestata.

Cujus signa hominem ad Dei timorem inducunt.

Quid est timor?

D. Thomas.

Species timoris sex.

S. Thomas

opera-

operatione hominis duplex malum potest timeri; videlicet labor gravans
naturam, cùm quis refugit operari propter timorem laboris vires ex-
cedentis; hinc sequitur segnities, deinde turpitudo lædens opinionem, I.
quæ vel timetur in actu committendo, & est erubescentia; vel in actu II.
cõmisso, & est verecundia. Porrò in rebus exterioribus triplex malum III.
potest excedere hominis facultatem ad resistendum, nimirùm cùm ap-
prehenditur vel ex ratione magnitudinis, cujus exitum homo conside-
rare non sufficit, & sic est admiratio; vel ex ratione dissvetudinis, IV.
quod cùm malum sit inconsvetum, insolitam causat imaginationem,
estq; stupor; vel ex ratione improvisionis, quòd provideri nequeat, utì V.
infortunium futurum, & talis timor dicitur agonia. Est & panicus VI.
terror, qui huc quoq; referri potest, consternationem inferens à Pa- *Quid terror Pa-*
ne Deo sic dictus, repentinorum terriculamentorum authore; unde *nicus?*
sympathicus metus oritur, usq; adeo irrevocabilis, ut eo correpti non
tantùm ratione sed & mente destituantur. Jam verò timor provenit *Timor unde*
juxta Philosophum, ex phantasia futuri mali, vel corruptivi, vel cõ- *provenit?*
tristativi: illud contrariatur naturæ, hoc voluntati. Malum naturæ
inter omnia terribilissimum est mors, quia est totius naturæ corrupti-
vum; non tamen est timoris objectum, nisi quando apprehenditur
ut propinquum, idque cum aliqua spe evasionis. Si enim est neces-
sitas mortis, utì in condemnatis ad mortem, mors non est timori.
Cùm etiam apprehenditur ut remotum & distans, parum vel nil ti-
metur. Sciunt namque omnes quòd morientur, sed quia non propè
est, nihil curant. Interim insolita & repentina mala cùm apparent
majora & magìs irreparabilia, tùm & ea, quæ non vitari vel non fa-
cilè possunt, quibus non potest remedium dari, vel quæ diuturna
sunt aut perpetua, uti gehennæ pœna, maximè timentur. Duplex
autem censetur causa timoris, teste Divo Thoma, nimirùm *defectus* D. Thomas,
alicujus virtutis, seu ipsa resistendi imbecillitas est inchoativè dispoſi- *Duplex cau-*
tiva timoris causa, effectiva tamen est virtus vel robur, quod timetur *sa timoris.*
nocivum vel damnificativum esse. Alteram assignat Divus Augusti- D. August,
nus dicens: *Nulli dubium est, non aliam esse metuendi causam, nisi*
ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur
speratum, & sic amor timoris causa. Dicet aliquis, amorem habe-
re speciem boni, timor autem est de malo futuro, quomodò ratio
boni cum malo in timore potest convenire? Sed sciendum est, ti-
morem esse quendam motum virtutis appetitivæ, ad quam spectat
prosecutio vel fuga; illa boni, hæc mali. Motus igitur importãs pro-
secutionẽ respicit bonũ; importans fugã respicit malũ; qualis est mo-
tus timoris. *Hic tamen potest respicere etiam bonũ,* dicente Angelico D. Thomas,
Doctore, *secundùm quod habet habitudinem ad malũ, idq; dupliciter.*
Uno modo, quando malum est privativum boni; unde cùm fugiatur
malum quia malum est, sequitur ut fugiatur, quia privat bono, quod
quis amando prosequitur: & secundùm hoc dicit Divus Augustinus S. August.
nullam esse causam timendi, nisi ne amittatur bonum amatum. Sic

 illi

illi homines arescent præ timore & expectatione, quæ supervenient universo orbi, (*Luc.* 21.) timentes malum judicij extremi, per quod amato mundo privandi erunt. *Alio modo, quando comparatur bonum ad malum ut causa ipsius, in quantum scilicet aliquod bonum suâ virtute potest inducere aliquod nocumentum in bono amato.* Monstrat illud per comparationem cum spe Divus Thomas dicendo: *Et ideò sicut spes ad duo respicit, scilicet ad bonum, in quod tendit, & ad id per quod sperat se bonum concupitum adipisci: ita etiam timor ad duo respicit, scilicet ad malum quod refugit, & ad illud bonum quod sua virtute potest infligere malum.* Et per hunc modum Deus timetur ab homine, in quantum potest infligere pœnam vel corporalem vel spiritualem, vel temporalem vel æternam. Porrò naturales hujus timoris effectus in homine sunt systole sive contractio uti dictum est, tremor & pallor ac dentium strepitus, juxta Oratorem. Factâ enim caloris & spirituum contractione ab exterioribus ad interiora, necessariò exteriora manent frigida ex defectu caloris, qui est instrumentũ quo anima movetur, unde causatur debilitas virtutis membra continentis, & inde tremor. En quid dicat Regius Propheta (*Ps.* 54.) ex apprehensione mortis: Formido mortis cecidit super me; subnectit: Timor & tremor venerunt super me. De effectu autem consilij ait ex mente Philosophi Theologorum Angelus: *Quamvis nec timor nec ulla animæ passio facultatem consiliandi præbeat sed magis impediat, consiliaturos tamen facere dicitur, prout sollicitos reddit homines, ut pro magnis periculis consilientur.* De operatione autem sic loquitur idem Sanctus Doctor: *Timor impedit operationem ex parte instrumentorum corporalium, per quæ operatio exercetur: sed ex parte animæ si sit moderatus, juvat, & hominem attentiùs consiliari & operari facit: secùs autem, si sit immoderatus.* Homini enim timore affecto & passionato videtur aliquid majus quàm sit secundùm rei veritatem; sicut amanti videntur ea quæ amat meliora, sic & timenti ea quæ timet, terribiliora; & ita ex defectu rectitudinis judicij, quantum est ex se, impedit facultatem benè consiliandi & operandi. Et sic imperat Apostolus Philippensibus: (*c.* 2.) cum metu & tremore vestram salutem operamini; videlicet moderato. Sed super omnes ipsamet Veritas Divina effectum timoris singularem declarat: arescẽtibus hominibus præ timore; (*Luc.* 21.) nimirùm non tantùm caloris contractionem, sed etiam humoris subtractionem, videlicet ariditatem. Inquirit præfatus Sol Prædicatorum, *utrùm timor ipse timeri possit?* & resolvit, *posse timorem timeri, prout ex aliqua extrinseca causa provenit, non autem ut subjacet humanæ voluntati. Provenit autem ex causa extrinseca, in quantum est passio quædam consequens phantasiam imminentis mali; & secundùm hoc potest aliquis timere timorem, ne scilicet immineat ei necessitas timendi propter ingruentiam alicujus excellentis mali.* Utitur autem Sanctus Doctor similitudine, *quòd sicut homo potest amare amorem, & dolere de dolore,*

Marginalia: S. Thomas. — *Quid respicit spes, quid timor?* — *Effectus timoris naturales.* — *Effectus consilij.* — S. Thomas. — Idem. — *Effectus timoris ex Sacra Scriptura.* — Idem. — *Timor num potest timeri?* — Idem.

re, pari etiam ratione potest timere timorem. Subjacet verò voluntati, in quantum appetitus inferior obedit rationi, unde homo potest timorem repellere; & secundùm hoc timor non potest timeri, juxta D. Augustinum. Exemplum patientiæ Job timorem timeri posse indigitat dicens de se: Timor quem timebam evenit mihi, & quod verebar accidit. (*Job. c.* 3.) Quod Magnus Gregorius sic explicat: *Justi viri* [quidni peccatores pœnitentes?] *deflent & pavent, & magnis se lamentis cruciant, quia deseri formidant; & quamvis de correctione sua gaudeant, eorum tamen trepidam mentem correctio ipsa perturbat, ne malum quod tolerant, non pia percussio disciplinæ sit, sed animadversio justæ vindictæ. Quod benè Psalmista ait:* (Ps. 89.) *Quis novit potestatem iræ tuæ? Potestas quippe iræ Divinæ nostrâ non potest mente comprehendi.* Ubi ad rem nostram aptissimè subnectit: *Quia ejus dispensatio obscuris super nos dispositionibus sæpe unde æstimatur deserere, inde nos recipit: & unde nos recipere creditur, inde derelinquit; ut plerumq; hoc fiat gratia quod ira dicitur, hoc aliquando ira sit quod gratia putatur.* Ita D. Gregorius. Quidni igitur homo ex signis in cælo, in sole, luna & stellis, visis, & ex pressura Gentium, confusione maris & fluctuum, (*Luc.* 21.) quæ omnia potestatem iræ Dei manifestant, meritò timoris Divini sumat incentiva, & hæc minarum cælestium ac terrestrium prodigia velut signa Divinæ benevolentiæ æstimet, ut eam per verum Dei timorem cõplectatur? Quin juxta Sanctum Patrem nostrum, *prima gratia est timor Domini.* Qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatem; quia scriptum est: (*Pr.* 18.) timor Domini odit malum. Et item: time Deum & recede à malo. (*Pr.* 3.) Et de Job *cap.* 1. dicitur, quòd erat vir timens Deum, & recedens à malo. *Sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius Religionis exordium est, nullum bonum pullulare aut manare potest.* Deniqùe subdit: *Omne virtutum ædificium illicò vergit in præcipitium, si hujus gratiæ amiserit præsidium.* Hæc Sanctus Bernardus. Sed & benè gratiosus Domini adventus ad salutem mundi, jungitur futuro ejus terribili adventui ad judicium; ut per timorem rigorosi judicij habilitemur ad condignam gratiæ ejus receptionem. Quapropter gratiam Domini diffusam in labijs ejus per Evangelium hodiernum cum timore suscipiamus, non segniter & desidiosè, sed sollicitè & operosè; erubescamus peccare, verecundemur de Dei offensa perpetrata, admiremur potentiam iræ ejus, in stuporem agamur super redargutione furoris ejus, & correptione iræ illius. Quis enim novit præ timore iram Dei dinumerare? (*Ps.* 89.) Effundam, inquit Deus apud Sophoniam, *c.* 1. super eos indignationem meam, & omnem iram furoris mei, in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra. Quidni tunc agonia & timor Panicus homines corripiet? Fiat itaque per timorem Dei systole in nobis, ut contrahamur ab omni nocumento peccati, à vanitate mundi, à voluptatibus carnis. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omni-

Timor quomodo potest timeri?

S. Gregor.

Idem.

Timor Domini, prima in homine gratia.

Adhortatio ad fugam peccatorum.

Mmmmmm bus

bus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, (en systole) sobriè, justè, ac piè vivamus in hoc seculo, (*Tit* 2.) [en diastole] ut extendamus nos ad omne opus bonum, cum metu & tremore operantes salutem nostram, [*Philip.* 2.] expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. (*Tit.* 2.) Arescant mundani, carnales, & terreni homines præ timore & expectatione, quæ supervenient universo orbi: (*Luc.* 21.) nobis autem timentibus nomen Dei, orietur Sol justitiæ, (*Mal.* 4.) & hunc Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (*Philip.* 3.) in extremo judicio, ubi gratia diffusa erit in labijs ejus dicentis: (*Matth.* 25.) Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi; propterea benedicet nos Deus in æternum.

Sermo in Festo Conceptionis B. V. M.

Speciosus formâ præ filijs hominum. Concupiscet Rex decorem tuum. Ps. 44.

AD præsentem immaculatam Virginis Beatissimæ Conceptioné aptissimè cum admiratione exclamat cœlestis Sponsus in Epithalamio: (*Cant.* 4.) Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! quia vel ex eo, quòd omni careat maculâ, pulchritudo ejus maximè commendatur. Sic fatetur ibidem paulò inferiùs: tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quodsi accedat & gratiarum splendor, & virtutum decor, quidni pulcherrima est censenda? ita ut meritò Rex speciosus formâ præ filijs hominum decorem ejus concupiverit. [*Ps.* 44.] Interea binâ voce replicat, quàm pulchra es ex gratia mea, quàm pulchra es ex merito tuo. Quàm pulchra es in anima, quàm pulchra es in corpore. Quàm pulchra es ex Maternitate mea, quàm pulchra es ex Virginitate tua. Hæc sunt fundamenta omnis pulchritudinis Marianæ. Quia tamen hodie quoad corpus organizatum & animam infusam concipitur à Matre, proditque in mundum, quid maximè in ea cœlestis consideret Sponsus, videamus. Textus consequenter nobis oculorum, capillorum, dentium, labiorum, genarum, colli & uberum duorum laudes exponit; quæ quomodò Beatissimæ Virginis pulchritudini congruant, trutinemus. Oculi tui, inquit, (*Cant.* 7.) columbarum, absq; eo quod intrinsecùs latet. Tota pulchritudo mulieris collecta est in facie, faciei autem pulchritudo promicat ex oculis, quos hìc dicit esse columbinos, nimirùm venustos, lucidos, simplices, pudicos, verecundos, amabiles, qui insuper in se latentem gratiam & pulchritudinem interiorem continent absconditam. In oculis sanè sedes est omnium motuum cordis, & affectuum animi, ita ut nulla ex parte majora animorum indicia reluceant, quàm ex oculis, iræ & moderationis, odij & amoris, lætitiæ & tristitiæ, indignationis & clementiæ, misera-tionis

Pulchritudo Beatissimæ Virginis multiplex.

I. II. III.

Pulchritudo oculorum ejus.

In oculis sedes est motuum cordis.

tionis & despicientiæ; adeo ut in oculis animus videatur habitare. Hos Virgo purissima mox à Conceptione sua in Deum solum direxit, per hos intentionem cordis sui ad Deum solum porrexit, hos soli Deo cognoscendo & amando infixit, ut verè dicere possit: Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus. (*Cant.* 7.) Et quia primò DEUS illam respexit intuitu prævenientis gratiæ suæ, & præservantis illam ab omni peccato, benè alibi dicit: (*Cant.* 2.) Dilectus meus mihi & ego illi. Hi oculi animæ ejus fuêre columbini à Spiritu Sancto septem donis illustrati, absque eo quod intrinsecùs latebat; (*Cant.* 4.) videlicet absque internis & ineffabilibus luminibus & charismatibus ipsi collatis soli Deo notis. Interior namque & intrinseca Beatissimæ Virginis humilitas, virginitas, fides, spes, & charitas exteriori modestiæ simplicitatis, paupertatis, & pudicitiæ speciei juncta, venustiùs coram Deo & potentiùs effulgurabat. Notandum tamen, Sponsum asserere de Sponsa: (*Cant.* 4.) vulnerâsti cor meum in uno oculorū tuorum; puta illum solum unicum dilectum suum, illum solum diligebat, illi soli unicè placere satagebat. Unum oculorum, isque dexter, est una fides & cognitio Dei, est una spes, est una charitas, quas virtutes Theologicas Virgo Sanctissima in unum Deum dirigebat, corque Dei vulnerabat. Addit in uno crine colli tui, (*Ib.*) unitatem cogitationum, contemplationum, & orationum ejus priùs designans in uno oculorum, deinde in uno crine colli uniformitatem humilitatis manifestans. De utroq; pulchrè Rupertus disserit. *Et quis in hac re talis ut tu, ô dilecta singularis, quam solam præ cunctis amantibus totam occupavit, totamq; possidet amor dilecti. In hoc uno soror mea Sponsa,* (Cant. 4.) *per fidem soror mea, per Spiritum Sanctum amorem verum Sponsa mea; in hoc uno oculorum tuorum vulnerâsti cor meum. Sed & in uno crine colli tui, id est, in nimia humilitate cordis tui, quem videlicet crinem semper unum vidi, quam humilitatem semper uniformem & indeficientem conspexi. Quid uno crine gracilius? Et quid humilitate subtilius? Quid crine flexibilius, & quid humilitate confractius? Crinis unus vix comparet, humilitas tua vix consentit, quod computari possit inter homines. Unde licèt votum egregium prima Deo vovisti votum Virginitatis, attamen Sponsi nomen admisisti, desponsari viro non renuisti, & inter hæc unum oculorum & illum crinem jam dictum colli tui magis ac magis in me fixisti, fide fortis, spe stabilis, charitate immobilis.* Hæc Rupertus. Inde in prima laude Sponsæ post oculos accedit ad laudationem capillorum. Capilli tui, ait, (*Ib.*) sicut greges caprarū, qui ascenderunt de monte Galaad; de quo S. Gregorius. *Capilli Sponsæ sicut grex caprarum esse dicuntur, quia populi Ecclesiæ dùm præcepta legis ruminantes cœlestia fide contemplantur, munda sunt animalia, & in altis pascuntur. Galaad autem acervus testimonij interpretatur. Quid autem per acervum testimonij, nisi multitudinem Martyrum intelligimus? qui dùm fidem Christi insuperabiliter tenuerunt, eos testimonium veritati etiam*

Quomodò Beatissima Virgo oculos suos in Deum direxit.

Quid per unum oculorum,

& unum crinem colli denotatur?

Rupertus.

Quid per capillos Sponsæ designatur?

S. Gregor.

per mortem suam perhibuisse scimus. Grex itaq; iste caprarum de monte Galaad ascendit, quia populus Ecclesiæ eò magis fide se ad æterna suspendit, quò fortiùs Sanctos Martyres ejusdem fidei testimonium perhibuisse scivit. Ita Divus Gregorius. Per pulchros capillos alij sumunt sanctas cogitationes. Quemadmodùm enim capilli ex capite ejusque calidis vaporibus profluunt, ita ex corde ejusque calore vel affectu procedunt cogitationes amorosæ, quæ cor & mentem ornant uti capilli caput, rami & frondes arborem, solemque radii ab eo orientes. Ac veluti capilli, qui pulchri, uti Absalonis, aurei, igneique sunt, sic cogitationes cœlestes à Spiritu Sancto immissæ animam igne charitatis flammantem reddunt. Hoc enim libenter animo versamus quod amamus. Tùm etiam ab eodem Spiritu Sancto benè ordinantur & componuntur, ut in solum Deum & Christum dirigantur; sicut capilli rectè pexi, compositi & connexi gratiores sunt.

Quare capilli caprarum dicuntur?

Porrò capilli isti sunt caprarum, quæ ascendunt de Galaad; sic cogitationes piæ sunt eorum, qui ascensiones in corde suo faciunt, euntes de virtute in virtutem. (*Ps.* 83.) Galaad verò sive acervus testimonij est sacra Scriptura, videlicet facta, dicta ac scripta à Prophetis, Apostolis, imò ab ipso Christo, quibus aluntur & accenduntur sanctæ cogitationes. Per capillos etiam humilitas designatur, uti supra attigimus, cùm sint viles & exiles, tenues, debiles & abjecti.

Origenes.

Origenes observat Nazaræos aluisse comam, ubi dicit: *Nazaræi non abscindunt capillum, quia justi quidquid faciunt prosperabuntur, & folia eorum non decident.* Hinc & discipulorum Domini etiam capilli capitis numerati esse dicuntur; (*Luc.* 12.) hoc est, omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum servantur apud Deum, quia hæc omnia justa, quia pia, quia sancta sunt. Equidem Beatissima Virgo oculis in Deo simpliciter fixis mentem non habuit nudam vel rasam, sed Divinis cogitationibus comptam & occupatam, idque in monte Galaad, in cœlo situatam, & in scripturis sacris radicatam, conservans omnia verba de Christo, & conferens in corde suo (*Luc.* 2.) cum doctrina scripturarum.

Pulchritudo dentium Deiparæ.

Succedunt dentes in encomio, quòd sint sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lavacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. [*Cant.* 4.] Vel sunt sicut dentes ovium tonsarum gemellos fœtus nutrientium, ideoque acutiores & validiores, utpotè quibus & famem suam, quam ob frigus tonsionis majorem sentiunt, satiare, & gemellis fœtibus lac providere possunt. Validitas dentium ad manducandum provenit ex validitate stomachi & appetitûs ejus, per quod natura validatur, & redditur potentior ad filios gignendos & alendos.

Quale dentium officium?

Dentis officium est mordere, secare, & masticare cibos in stomachum demittendos pro hominis nutrimento; quod convenit Doctoribus Ecclesiæ doctrinam Christi dividentibus, masticantibus, & ruminantibus ad animas verbo DEI pascendas.

S. Gregor.

Dentes benè Sancti prædicatores vocantur, ait S. Gregorius, *quia dum sanctam scientiam exponendo minoribus fratribus elucidant, quasi pa-*

nem

panem parvulis tanquam matres filiis commasticant, quo infirmi ad Quia per dentes designatur? I.
*fortiora convalescant. Hi nimirum benè sicut greges tonsarum, qui
ascenderunt de lavacro, esse dicuntur; quia dum se à peccatis omnibus
in baptismo ablutos esse recordantur, libenter onera mundi deponunt,
ut ad cælestia consequenda & prædicanda quò liberiùs eò facilliùs
gradiantur. De quibus subditur: omnes gemellis fœtibus, & sterilis
non est inter illas. Gemellos fœtus omnes Prædicatores habent,
quia dum in duobus præceptis charitatis cæteros homines supereminent,
geminam dilectionem prædicant, & in ea duos populos, Judaicum &
Gentilem gignere non cessant. Inter quos nullus est sterilis, quia profectò
Prædicator non est dicendus, si filios spirituales gignere temnit.*
Ita D. Gregorius Magnus. Sanctus Augustinus verò per dentes in- S. August.
telligit homines sanctos & perfectos, *quorum vitâ & moribus Chri-* II.
*sti Ecclesia de quibuslibet superstitionibus præcidit eos, qui ad se veniunt,
& imitationem bonorum quodammodo sibi incorporat; qui boni
fideles & veri servi Dei deponentes onera sæculi, tanquam grex tonsarum
ad sanctum baptismi lavacrum venerunt, atq; inde ascendentes
conceptum Sancti Spiritûs fructum dant geminæ charitatis Dei &
proximi.* Beatissima nostra quidni Doctrix Apostolorum & fidelium
Magistra, duos fœtus gemellos, Divinitatem & humanitatem Christi
filij sui possidens, ruminans, & populo utrique Judæorum ac Gentilium
proponens, eâque fidei doctrinâ illos non steriliter sed fertiliter
pascens, ac ideò post ascensionem Domini longo tempore pro instructione
fidelium supervixit? Quodsi ex mente Sancti Patris nostri
per dentes debeāt accipi Religiosi, quorum 13 qualitates applicat III.
statui Regulari; ecquis præcelluit Virgine sanctissimâ in observantia
vitæ Religiosæ? Nonne illa prima vexillū extulit virginitatis? Nonne
paupertatem ejus præsepe, panni, duo pulli columbarum, aliaq;
similia manifestant? Nonne obedientia præcellens in ipso conjugio,
quo subdita viro fuit, licèt ipso tam sapientiâ quàm sanctitate esset
sublimior? Inde ipsa plurimarum Religionum Fundatrix, nostrî si- *Beatissima Virgo plurimarum Religionum Fundatrix.*
gillatim Protectrix & Patrona esse cognoscitur, ediditque gemellos
fœtus, & exemplo suo & verbo docens tam præcepta quàm consilia
Evangelica observare. Post dentes collaudat labia, quæ sunt *Laus labiorum ejus.*
dentium clausura, & sic recto naturæ ordine à laude oculorum ad
laudem capillorum, postea dentium, tandem labiorum progreditur.
Sicut vitta coccinea, ait, (*Cant.* 4.) labia tua, & eloquium tuum
dulce; Hebraicè habetur decorum, per quod & prudens silentium,
& gratum eloquium declarat, de quo Psellus: *Per funiculum* (ita Psellus.
legunt LXX) *silentij dotem accipe, per eloquium verò decorum Divi-* *Quid per funiculum denotatur?* I.
*nam prædicationem; acsi dicatur: tu gratiâ taciturnitatis sic excellis,
ut nihil superfluum, nihil absurdum excidat à labijs tuis. Si quid
autem aliquando vis loqui, quæ ad fidei promulgationem doctrinamq;
loquêris.* Aliter paulò S. Gregorius Nissenus: *funiculo significatur* S. Gregor. Nissenus.
concordia & charitas, ut ea tota in funiculo sit una eademq; catena II.

ex diversis filis contexta; per coccinum autem ad sangvinem Christi, per quem redempti sumus, respiciamus, quatenùs illa habeat in ore cófessionem ejus, qui nos suo sangvine redemit. Huc alludit D. Ambrosius: *sicut resticula coccinea labia tua, quia in cocco species ignis & crucis Dominicæ sangvis irrutilat.* Coccinea labia Domini, quæ Passionem propriam loquebantur. Quis non fatebitur in virgine Beatissima labia fuisse vittæ coccineæ simillima, quæ sicut in mente, ita in ore nihil magis quàm passionem Filij sangvineam gestabat? Et benè capilli purpurei & labia coccinea dicuntur, quia sicut nihil in corde meditabatur præter purpuram sangvinis Christi, ita in ore nihil nisi coccum amoris ejus præseferebat, cujus merito se à peccato originali præservatam agnoscebat. Rupertus alludit ad funiculum coccineum Raab, alloquens ex parte Sponsi Sponsam dulcissimam. *Ecce Raab meretrix*, inquit, *dulcis eloquij tui vittam coccineam in fenestra sua ligavit*, (Josue 2.) *signum suæ fidei, quòd nuntios Josue sive Jesu susceperit atq; salvaverit; dum Ecclesia quondam peccatrix & idololatriæ meretricio sordida, dulce eloquium tuum, quo magnificavit anima tua Dominum, pignus suæ salutis jugiter personat, & omnem doctrinam Evangelicam, in qua ipsos Apostolos tua sinè dubio labia confirmaverant, integrâ semper fide prædicat.* Pulchrè idipsum idem Rupertus ad quamvis animam applicat dicens: *& de omni quidem anima; quæcunq; diversa sentientes ad unitatem suâ prædicatione constringit, ut idipsum dicant omnes; & hoc agit in charitate & fide non ficta; verum est dicere, quia labia ejus sicut vitta coccinea.* Deinde de Beatissima Virgine subjungit alloquente Sponsũ: *sed in ista gratia cæteris omnibus es incomparabilis post me dilectum tuum*, cui specialiter Spiritus in Psalmo 44. dicit: diffusa est gratia in labijs tuis. Adnecto hìc Richardi Victorini sensum. *Meritò devotæ animæ dulce est eloquium & delectat, gratum est & ædificat, quia procedit ex charitate, & profluit ex fonte gratiæ. Gustat enim quoniam dulcis est Dominus*, (Ps. 33.) *unde dulcedinem quam experitur refundit, & dulcedinem quâ fruitur eructat. Quia repletum est cor spiritualibus delicijs, eructat foris verbum bonum dulcedinis, consolationis, instructionis, admonitionis. Cordis promptuaria plena sunt his divitijs, eructantia ex hoc dono gratiæ in illud*, (Ps. 143.) *ex hac meditatione spirituali in illam.* Ita Richardus. Cæterùm quandoquidem per labia procedit oratio ad Deum, debet esse vitta coccinea instar cocci rubens & ardens, rubens sangvine Christi, per cujus merita se petit exaudiri; ardens amore Dei, cujus gratiâ fundit orationem, amore proximi pro quo orare tenetur. Unde Sponsa Christi sive cum Deo, sive cum proximo sermocinans, labia coccinea, rubea, corallina, id est, charitate plena habeat necesse est; ita ut ipse amor per labia ejus loqui videatur. A labijs ad genas vicinas fit progressus: sicut fragmen mali punici ita genæ tuæ, absq; eo quod intrinsecus latet. (*Cant.* 4.) Super quo Rupertus: *Fragmen mali punici & rubet,*

D. Ambros.

Labia Beatissimæ Virginis vittæ coccineæ simillima.

Rupertus.

Idem

Idem

Richardus Victorinus.

Sponsa Christi cum Deo & Proximo loquens qualia labia debet habere?

Pulchritudo genarum B. V.

Rupertus.

&

& ampliùs quàm integrum malum redolet. Sic tu & singulariter verecunda es, & multis per bonam opinionem in bono exemplo proficies. Quid autem est dicere, absq; eo quod intrinsecùs latet? Quod ampliùs laudabile est. O verè laudabilis verecundia, ubi & intùs conscientia munda, & foris facies verecunda est. Nam ubi est aliquid quo mens erubescat, non adeo laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat. Igitur tua verecundia quid est, nisi Religiositas summa? Et hæc virtus sinè dubio malo punico debuit assimilari, quia gratiosa est intuentium oculis, & interdum suo silentio non minùs ædificat, quàm sermo prædicationis. Ita Rupertus: qui hoc repræsentatum fuisse in veste Pontificis malis punicis & tintinnabulis intermixta asserit dicens: *Malum punicum in medio tintinnabulorum religiosum atq; operosum est silentium, maximè sexûs fæminei, in societate fidei vel doctrinæ prædicatorum; qualis Tu fuisti præcipuè Virgo Virginum in adjutorio vel etiam regimine prædicantium Apostolorum, cujus etsi verba non leguntur vel audiuntur ubi prædicaverunt, opera tamen vel merita non ignorantur, non minora imò majora tinnitu Prædicatorum.* Idem.
LXX. legunt, extra taciturnitatem tuam, locò textûs, absq; eo quod intrinsecùs latet; (*Cant. 4.*) super quo Psellus ait: *Geminam protulit laudem pulchritudinis. Genis enim vultûs ejus à purpureo modestiæ decore collaudatis, animæ quoq; collaudat pulchritudinem, ut taceam inquiens silentij decus animæ tuæ.* Sed etiam aliàs pulchrior est pudicitia mentis interna, quàm rubeus pudor faciei externus; utì oculorum decor interior gratior est, quàm exterior qui vigorem accipit à corde, ac ideo eandem oculis apposuit sententiam de latente in anima eorum pulchritudine. Alij legunt, intra velum tuum. Virgines enim ut pudorem suum conservent, velo genas & faciem cooperiunt, de quo Tertullus: *Vera Virginitas confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversùs ictus tentationum, adversùs jacula scandalorum, adversùs suspiciones, & susurros, & æmulationem, ipsum quoq; livorem.* Inde exhortatur Virginem: *indue armaturam pudoris,* velum denotans, *circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Benè Ecclesiasticus: (*c. 26.*) gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. S. Gregorius per genas fragmini mali punici assimilatas intelligit Martyres Ecclesiæ, quorũ Reginam esse Matrem Domini quis ambigat? Tandem ad colli prædicationem descendit Sponsus: sicut turris David collum tuũ, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium; quod sic explicat Hailgrinus de Beatissima Virgine: *Collum est eminentia sublimitatis ejus, & est sicut turris David, hoc est, à Christo vero David fabricata, ut peccatoribus esset refugium & munimen. Propugnacula hujus turris sunt virtutes, gratiæ, & prærogativæ, quibus peccatores protegit, & inimicum expugnat.* Aliàs collum est symbolum obedientiæ si fuerit demissum; & fortitudinis

Psellus.

Virgines velo genas & faciem cooperiunt ad pudorem suum conservandum.

Tertullus.

Quid per genas intelligitur?

Prædicatio colli Deiparæ.

Collum symbolum est obedientiæ, fortitudinis &c.

tudinis, constantiæ, audaciæ & animositatis, si fuerit erectum. Utrumque reperitur in Maria. De primo diximus in Nativitate ejus, secundum patet, quia ipsa est collum Ecclesiæ Capiti Christo junctum, dignitate proximum, & corpori supereminens, robur & omnes influxiones à capite accipiens, & corpori infundens. *Plenitudo enim gratiæ*, ex mente Sancti Bernardini Senensis, *fuit in Christo sicut in capite influente, in Maria verò sicut in collo transfundente.* Hinc dicente Sancto Bernardo Patre nostro, *nihil nos Deus voluit habere, quod per manus Mariæ non transiret, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare.* Ipsa quoque est turris Davidica ab Ecclesia Sancta in Litanijs sic dicta, est turris fortitudinis à facie inimici, (*Ps.* 60.) hodie ædificata cum propugnaculis crucis & mortis Christi, unde mille clypeos habuit pendentes, imò omnem fortium armaturam, (*Cant.* 4.) omnẽ Dei protectionem, custodiam & præservationem ex prædestinatione Maternitatis Filij ejus. Hinc audacter, animosè, & constanter protrivit caput serpentis callidi, peccatum originale. *Erecta ad Deum cervix*, ait S. Ambrosius, *& jugo Christi habilis, quæ nullâ in terrarum illecebras inflexione curvetur, sicut Christi Regalis est turris, cui jugum suum Nabuchodonozor non possit imponere. Condidit enim illam David ille manu fortis, & super murorum ædificavit excelsa, ut subsidio pariter sit & decori. Subsidio, quia hostem prævidet & repellit; decori, quia non solùm inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet. Ita tamen subsidio vel decori, si habeat in se verbi dogmata velut quædam phalerarum monilia, habeat etiam jacula potentium Prophetarum, quæ adversùs omnem extollentem se altitudinem lacertis quibusdam fidei diriguntur.* Ita S. Ambrosius: quæ omnia in Beatissima Virgine reperiuntur. Denique ultima laus est uberum, de quibus sic Sponsus: (*Cant.* 4.) duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs; quod Richardus à Sancto Victore sic explicat: *Virgo habet duo ubera geminæ dilectionis lac fundentia, quia reis impetrat veniam & justis gratiam*; quod fusiùs in nativitate V. Beatissimæ recensui, siquidem & in illa & in præsenti laude uberum eâdem Sponsus usus est similitudine, hic duntaxat addens, quòd pascantur in lilijs. Quid mirum hinnulos pasci in lilijs, si ipse Dilectus, qui & capreæ similis dicitur, (*Cant.* 2.) pascitur inter lilia? super quo S. Gregorius: *Quid per lilia, nisi mundæ animæ designantur, quæ dùm castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibusq; suaviter olent. Inter lilia Sponsus ergo pascitur, quia proculdubiò animarum castitate delectatur, quæ & in se munditiam carnis conservant, & per nitidas cogitationes coram eo placent, & exempla proximis quasi odoris suavitatem donant. Ergo absq; lilijs nunquam est*, ait mellifluus Pater, *qui absq; vitijs semper est: quia totus & semper est candidus speciosus formâ præ filijs hominum, qui cùm sit virtus, in virtutibus complacet sibi, & cùm sit*

Bernardinus Senensis.
S. Bernar.
Beatissima Virgo Turris David & turris fortitudinis.
S. Ambros.
Laus uberum Beatissimæ.
Richardus Victorinus.
Quæ qualia?
S. Gregorius
Quid per lilia designatur?
S. Bernardus

sit lilium, libenter inter lilia commoratur, & cum sit candidus, candidis delectatur; & fortassis hoc est quod dicitur pasci inter lilia, candore & odore virtutum delectari. Deinde exhortatur nos. *Tu ergo qui hæc audis vel legis, cura habere penes te, si vis habere habitatorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, studium tuum, desiderium tuum lilia esse protestentur.* Sed redeamus ad ubera misericordiæ Virgineæ & Maternæ, quæ hinnulorum velocitati comparatur, uti ait Richardus Victorinus, *quia velociùs ejus occurrit pietas, quàm invocetur, & causas miserorum anticipat.* Hinnulis verò comparatur, *quia dulcedinem bonitatis quam impendit, ipsa desuper fugit.* Ita equidem cupit fugere ex visceribus misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit eam Oriens ex alto, (*Luc.* 1.) orientem in hoc mundo per immaculatam Conceptionem suam; hodie planè quando aspiravit dies gratiæ Divinæ, dies salutis humanæ, & inclinatæ sunt umbræ peccatorum. (*Cant.* 4.) O verè illuminatrix stella maris, aurora lucis Maria, illuminare hodie oriens his qui in tenebris & in umbra mortis peccati sedent. (*Luc.* 1.) Utique dicente Richardo Victore *sicut ubicunq; fuerit corpus, congregantur & aquilæ;* (Matt. 24.) *ita ubicunque fuerit miseria, tua currit,* nimirum instar hinnulorum, *& succurrit misericordia. A Deo pietate replentur ubera tua, ut alicujus miseriæ notitiâ factâ, lac fundant misericordiæ: nec possis miserias scire & non subvenire. Et quid mirum si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis Spiritualia fluerent. Cùm enim misericordiam lactâsti, ab eadem misericordiæ ubera accepisti.* Et hæc est pulchritudo Mariæ ex membris ejus collectæ atque à Sponso collaudatæ, cujus originem ut sciremus, subdit: (*Cant.* 4.) Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris. Mons myrrhæ, est mons Calvariæ, & collis thuris est Syon, ubi templum erat, in quo sacrificium Deo immolabatur. Super hoc ita Theophilactus. *Myrrha id est passio & mors Christi vocatur mons: thus verò id est Divinitas vocatur collis, quia magis excelsum & admirabile hominibus Deum pati & mori, quàm Deum existere; idq; pro misero homine, suâ creaturâ rebelli & ingrata, adeoq; tantâ bonitate & misericordiâ indigna.* Ex hoc ergo monte myrrhæ & colle thuris sequitur, quo decorem Virginis Matris Sponsus coronat. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. *Cant.* 4 Tu quod tota pulchra in oculis per intentionem ad Deum solum, in capillis per cogitationem de Deo solo, in dentibus per cômasticationem cibi cœlestis verbi Divini, in labijs per orationem & laudem Dei solius, in genis per pudicitiam castitatis corporalis & spiritualis, ac martyrium; in collo per virtutem fortitudinis ac constantiæ; in uberibus per profluvia misericordiæ; adeoque quo ad oculos Angelorum, Patriarcharum, & Prophetarum: quo ad capillos omnium populorum: quo ad dentes Apostolorum, Evangelistarum, Prædicatorum, & Doctorum: quo ad labia, Confessorum,

Idem.

Cur ubera Deiparæ hinnulorum velocitati comparantur?

Origo collaudatæ pulchritudinis Marianæ.

Theophil.

quo ad genas & collum tam Virginum, quàm Martyrum: quo ad ubera demùm omnium Sanctorum Regina es hodie constituta, specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede & regna. Dignare mentibus nostris hæc decora virtutum & gratiarum imprimere: participia speciei tuæ à Rege concupitæ animabus nostris largiri, ut per te Deo salutari tuo, speciosso forma præ filijs hominum, & una tecum in omni statu spirituali & seculari temporis & æternitatis placere valeamus.

Sermo Dominicâ II. Adventûs.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

POst signa iræ Dei & minas ejus ac terrores, juremeritò pænæ & supplicia succedunt, in quibus non minùs gratia DEI relucet singularis. PP. RR. FF. DD. Sæpè namque & multò magìs diversa pænarum genera diversis immissa, eundem quem minæ, timoris Dei effectum producunt in hominibus, qui per gratiam DEI coronatur. Mulctatus Job pænis paupertatis, infirmitatis, ulcerum, dejectionis usque ad sterquilinium, mansit vir rectus ac timens Deum, & recedens à malo dicens: (*c.* 31.) semper quasi tumentes fluctus timui Deum; & ideo gratiâ DEI potitus est, ut pro deperditis addiderit ei Dominus omnia quæ fuerant ejus, duplicia. (*Job.* 42.) Tobias cœcitate percussus non est contristatus contra DEUM, quòd plaga cœcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, ait Scriptura, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ, gaudebat in tribulatione; (*Tob.* 2.) hinc audit ab Archangelo: (*cap.* 12.) quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Dat & aliam rationem Sacra Scriptura: (*Tob.* 2.) hanc tentationem ideo permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & S. Job; unde eundem Archangelum habuit & medicum sui, & filij conductorem, & posteritatis per conjugium promotorem. Sic veridica facta est in illis sententia Sapientis: (*Pr.* 3.) quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi. Hoc Apostolus ita legit: (*Heb.* 12.) quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Dilectio Paterna erga filium nonne est indicium gratiæ? Atqui hæc in correptione, castigatione, flagellatione, tentatione, tribulatione, timorem DEI operantibus gratiam suam diffundit. Cœcitas, clauditas, lepra, surditas, mors, ipsaque paupertas, de quibus Evangelium hodie facit mentionem, quid nisi pænæ sunt cum cæteris morborum & calamitatum miserijs humano generi à Deo infligi solitæ? Sunt non minùs gratiæ Divinæ documenta, per has namque pænas homo ad Dei timorem impellitur, ut sic verè gratiam Dei promereatur. Nonne teste Apostolo, (*1. Cor.* 11.) cùm judicamur, à Domino corripimur? Ad quid? Ad consecutionem gratiæ ejus per timorem illius, ut non cum hoc mundo damnemur; & hæc est summa & finalis gratia Dei. En correptio

Effectum Timoris Divini per pænas immissas productum in Job,

& Tobiæ.

Huic cur Deus permisit evenire cœcitatem?

Pænæ in hominem immissæ gratiæ Divinæ sunt documenta.

reptio Domini tollit damnationem, adfert salvationem. Nonne id ipsemet Dominus patefacit in Apocalypsi? (*cap.* 3.) Ego quos amo redarguo & castigo. Pœnæ à DEO illatio, est amoris ejus relatio, gratiæ mediante Dei timore collatio. Videamus igitur quis ille sit timor, quem pœna ex amore inflicta parit, qui gratiæ Divinæ meritum adipiscitur. Sciendum ad hoc est quadruplicem in Theologia poni timorem. Mundanum, servilem, initialem & filialem. Primus cùm proveniat à mala radice, scilicet ab amore mundi & sui ipsius, necessariò semper est malus; vel enim timetur amissio mundanæ prosperitatis, vel incussio alicujus adversitatis. De talibus dicit Psalmus 13: illic trepidaverunt timore ubi non erat timor, id est, *in damno rerum temporalium*, ait D. Augustinus, & applicat hoc Judæis: *dixerunt enim*, [Joan. 11.] *si dimittimus eum, sic credent in eum omnes, & venient Romani, & tollent nobis & locum & gentem; timuerunt regnum terrenum amittere, ubi non erat timor, & amiserunt regnum cœlorum, quod timere debuerant.* Et hoc de omnibus temporalibus commodis intelligendum est, quorum amissionem cùm timent homines, ad æterna non veniunt. Et illi, qui timent homines ubi non deberent timere, trepidant timore ubi non est timor, (*Ps.* 13.) quod prohibet æterna Veritas: (*Matt.* 10.) nolite timere eos qui occidunt corpus, animã autem non possunt occidere, sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus mittere in gehennam. Unde benè docet Sapiens: *Pr.* 29.) qui timet hominem citò corruet; sed qui timet Deum nihil trepidabit & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. (*Eccli.* 34.) Similiter qui idola colebant, timebant ea, licèt non fuerant timenda. Cæterùm omnes impij & injusti cunctique peccatores sunt semper meticulosi, conscientiâ illos remordente, & timorem pœnarum quas meruerant, incutiente. Exemplum habemus in Caino: Vagus & profugus eris super terram, decernit in illum Deus; (*Gen.* 4.) quod LXX. legunt, gemens & tremens. Posuitque Dominus in Cain signum, ait Scriptura, [*Ib.*] quod non erat aliud nisi tremor corporis, timor mentis, vultúsque consternatio. Egressusque Cain à facie Domini habitavit profugus in terra. (*Ibid*) Si apud Deum mansisset, Deumque per veniam deprecatus fuisset, & animi & corporis constantiam recepisset. Sic iniqui trepidant timore ubi non erat timor propter læsam imaginationem, putant enim ea videre quæ non vident, audire quæ non audiunt, sentire quæ non sentiunt. Trepidant, quia ambulant in tenebris & in umbra mortis. (*Luc.* 1.) Sapiens patheticè describit Ægyptios in triduo tenebrarum positos, & propter diversa phantasmata, insomnia, & terriculamenta penè metu exanimatos, speculum planè & prototypon hominum peccatorum. Dum putant, inquit, (*Sap.* 7.) se latere in obscuris peccatis, videlicet multa scelera in tenebris, ac singillatim dœmonum sacrificia perpetrantes, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, à se invicem disjuncti & separati fuerunt; nemo enim vidit fratrem

Timor quadruplex.

1. Mundanus,

D. August.

qui oritur ex metu amittendorum temporalium commodorum.

Impij & injusti semper meticulosi

Descriptio timoris Ægyptiorum in triduo tenebrarum positorum.

suum, nemo movit se de loco in quo erat, (*Ex.* 10.) paventes horrendè, cum admiratione nimia perturbati. Néque enim quæ continebat illos spelunca, sinè timore custodiebat, loca nimirùm & cubicula ubi hærebant, erant instar antrorum vel carcerum obscurorũ, quoniam sonitus descendens perturbabat eos, fragores varij illis circumstrepebant, & personæ tristes, spectra, phantasmata, larvæ illis apparentes, pavorem illis præstabant. Deinde nec ignis lumine, nec siderum flammis nox illa horrenda poterat illuminari. Apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus, & timore perculsi illius quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur. En phantasmata! En imaginationes! Quomodò? Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, nihil erat à parte rei monstrosum vel terrificum, transitu animalium fortasse quærentium pabulum & serpentium sibilatione, qui frequentes in Ægypto, commoti, tremebundi peribant. Hoc fusiùs infra exponit dicens: (*Sap.* 17.) unâ catenâ tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus svavis, aut vis aquæ decurrentis nimiùm, aut sonitus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo deficientes faciebant illos præ timore, Græcus habet, metu illos exanimabant. Superiùs porrò continuat exaggerans eorum pavorem, aërem quem nullâ ratione quis effugere potest, negantes se videre; utpote nec aërem inevitabilem volebant vel audebant respicere, non quòd aër sit oculis aspectabilis, sed quia eum velut monstris plenum & spectris horridũ refugiebant, optantes in antris abdi & occludi. Qui enim timore percelluntur, fugiunt videre & videri, adeoque ipsum cœlum, aërẽ, & terram metuunt respicere. Quare? Cùm enim sit timida nequitia, quia scelerata conscientia semper est pavida, dat testimonium damnationis, quod Syrus sic vertit: quoniam malitia eorum testatur de illis & condemnat eos, qui fecerunt mala. Semper enim præsumit sæva perturbata conscientia, aspera, acerba, dura, dira & molesta ad se sumit, sibique velut reo repræsentat & applicat, imò etiam auget, ita ut ingruentia mala majora quàm sint, esse suspicetur. Idem Job graphicè depingit; (*c.* 15.) sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, semper insidias suspicatur. Non credit quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladiũ, non tantùm desuper uti Damocles capiti imminentem, sed & antè & retro, & à lateribus & ab infra. Fugit impius nemine persequente, justus autem quasi leo confidens absque terrore erit. (*Pr.* 28.) Hinc optimè D. Augustinus. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla major est conscientiâ delictorum.* Et alibi: *quisquis malus est, malè secum est, & torqueatur necesse est, sibiipsi tormentum est. Ipse enim est pœna sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quò potuerit, à se quò fugiet? Prima & maxima peccantium* pœna

Phantasmata, & imaginationes illorum.

Timor Damoclis.

S. August.

Conscientiâ delictorum, nulla major tribulatio.

pœna est, peccâsse, ait Ethnicus Philosophus, nec ullum scelus impunitum est, quoniam sceleris in sceleroso supplicium est. Proprium est nocentium trepidare. *Magna quædam res*, inquit S. Cyrillus, *conscientiæ certæ stimulus est, qui quando perperàm aliquid agimus, etiam nullo præsente ingenti nos motu exagitat. Explica mihi istius conscientiam*, loquitur de divite Epulone Sanctus Chrysostomus, *& videbis intùs gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem*, Deniqùe concludit Sapiens: (*Sap.* 17.) nihil enim est timor iste, videlicet malus, mundanus, vanus, nisi proditio cogitationis auxiliorum; Græca habent, nisi auxiliorum è cogitatione vel ratione proficiscentium proditio; quod alij sic vertunt: nisi defectus vel desperatio excogitandi consilij. Timor autem ideò prodit & perdit auxilia sui & remedia, quia perdit & adimit homini cogitationem & rationem, ne possit auxilia hæc excogitare, ligans mentem, motum, memoriam & lingvam; ita ut pavidus fiat mentis inops, immobilis, immemor & elingvis propter obstupescentiam. Dat causam Philosophus: quòd in metu spiritus & calor confugiant ad roborandum cor, unde extremæ partes frigent & rigent. Hinc pallor in facie, tremor in manibus & labris, stupor in capite & pedibus, algor in cute, rigor in lingva. Optimè Divina Sapientia: *Luc* 21.) arescentibus hominibus præ timore & expectatione. Sed ut plurimùm pavidi minora mala timent, & majora non apprehendunt nec metuunt, unde dùm fugiunt minora, in majora incidunt. Ita peccator timens amittere opes, famam, vitam, aliaque temporalia & transitoria, pejerat, & varia scelera perpetrat, per quæ amittit æterna. Trepidat timore ubi non erat timor. (*Ps.* 13.) Justus autem timenda timet, non timenda non timet, idque eo modo & moderatione prout recta ratio dictat. Ultimò Sapiens edicit: (*c.* 17.) & dum intùs minor expectatio, scilicet auxiliorum, majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat; sive ob quam timidus se cruciat & torquet. Est autem triplex causa: propria culpa, quæ est scelerum multitudo, gravitas & magnitudo, quam timidus impius non penetrat, sed majorem metuit esse quàm ipse sciat; pœna, cujus vim, numerum & quantitatem non potest perspicere; ira DEI & vindicta quam timer, ne irrogato supplicio non contenta, alia infligat ampliora & graviora. Hìc occurrit quæstio Theologica. Utrùm timor possit esse de malo culpæ, quam D. Thomas sic resolvit: *cùm culpæ malum humanæ subjaceat potestati & voluntati, de eo non per se potest timor esse, quia non habeat rationem terribilis, sed illud solū est terribile, quod habet causam extrinsecam. Quia tamen voluntas ab aliquo exteriori potest inclinari ad peccandum, si illud inclinans magnam vim habet ad inclinandum, secundùm hoc poterit esse timor de malo culpæ, in quantum ab exteriori causa provenit. Utì e. g. cùm aliquis timet commorari in societate malorum, ne ab eis ad peccandum inducatur. In tali tamen dispositione propriè loquendo magìs timet*

Proprium est nocentium trepidare.
S. Cyrillus.
S. Chrysost.
Effectꝰ timoris
Triplex causa timoris impiorum. I.
II.
III.
An potest esse timor de malo culpæ?
S. Thomas.

met homo seductionem, quàm culpam secundùm propriam rationem id est, in quantum est voluntaria, sic enim non habet ut timeatur. Ita Doctor Angelicus. Hic igitur timor mundanus, quo quis timet bona externa amittere; & humanus, quo quis timet propriæ personæ detrimentum ex pœnis à DEO irrogatis propter peccata, cùm non procedat ex DEI amore, sed potiùs ex motivo furoris, iracundiæ & vindictæ, minimè gratiam meretur, quia est ex se malus, non Dei sed mundi vel sui respectu productus, imò propter mala quæ timent, à Deo homines recedere faciens, si tamen in servilem transeat, ut propter mala pœnæ, quæ timet homo, ad Deum convertatur, pœnitentiam agendo de peccatis, DEOque per emendationem sui adhæreat, utique gratiam DEI diffusam in labijs ejus consequetur. Hæc enim est promissio Dei per Prophetam: (*Ezech.* 18.) si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam; judicium super se, puniendo seipsum, & justitiæ opera exercuerit, vitâ vivet per gratiam, quæ est vita animæ, imò dicente Apostolo, *Rom.* 6 gratia Dei vita æterna, & non morietur ad pœnam æternam. Iste timor servilis est secundùm substantiam bonus, quantumvis servilitas sit mala, quæ non est de ratione timoris servilis, nec pertinet ad ejus speciem, sicut nec informitas spectat ad speciem fidei informis teste Divo Thoma: *species enim moralis habitûs vel actûs ex objecto accipitur. Objectum autem timoris servilis est pœna, cui accidit quod bonum, cui contrariatur pœna, tanquam finis ultimus ametur, & per consequens pœna timeatur tanquam principale malum, quod contingit in non habente charitatem; vel quòd ordinetur in Deum sicut in finem, & per consequens pœna non timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente charitatem. Non enim tollitur species habitûs per hoc, quòd ejus objectum vel finis ordinatur ad ulteriorem finem.* Porrò servitus libertati opponitur, liber autem est qui causâ sui est. Servus est qui non causâ sui, sed quasi ab extrinseco motus operatur. Quicunque autem ex amore aliquid facit quasi ex seipso operatur, quia ex propria inclinatione ad operandum movetur. Et ideo contra rationem servilitatis est, quòd aliquis ex amore operetur, unde timor servilis quà servilis charitati contrariatur. Ubi autem Spiritus Domini, qui est amor, ibi libertas. (2. *Cor.* 3.) Hinc timor servilis pœnæ malum refugiens specie distingvitur à filiali, qui refugit culpæ malum ex amore. Uterque autem provenit à Spiritu Sancto dicente Apostolo: (*Rom.* 8.) non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; quasi dicat, ait Sanctus Chrysostomus: *non accepistis spiritum servorum ad timendum uti Judæi, qui metu pœnæ à peccatis coercebantur, & quasi servi legi obediebant; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater, ut amore filiali impellamur ad timendum Deum, ne illum per peccatum offendamus.* Dicit Abba Hebraicè, Pater Græcè, ut significetur idem esse

Quid timor mundanus & humanus,

quid servilis meretur?

D. Thomas.

Timor servilis & filialis à Spiritu Sancto procedit.

esse Deus, eademque esse apud Deum adoptio Judæorum & Gentilium. Idem innuit Apostolus ad Timotheum: (2. *Tim.* 1.) non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis; ubi illum animat ad magnanimitatem velut Episcopum, acsi diceret: non habemus à Deo spiritum timiditatis & ignaviæ, ut simus animo imbecilli, pavido, contracto & abjecto in persecutionibus & tentationibus, sed fortitudinis, roboris, & impavidæ libertatis, fidem prædicando & hostibus fidei resistendo, sed dilectionis Deum & proximum charitate complectendo, sed sobrietatis, continentiæ, æquanimitatis, pudicitiæ, moderationis & refrænationis, tam timores æquè ac cupiditates, animiq; perturbationes, & vitia omnia non tantùm in nobis sed etiam in alijs castigando ac moderando, mentem in officio continendo, ne timore, amore, odio, torpore, luxu, somno, desidiâ, alioque affectu immoderato & vitioso imbuatur, dissolvatur & enervetur. Hæc omnia præstat spiritus adoptionis filiorum, qui testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij DEI. (*Rom.* 8.) Hoc explicat mellifluus Pater noster. *Spiritus Sanctus*, ait, *donat animæ primò pignus salutis, scilicet testimonium, quòd filius Dei sis. Secundò robur vitæ, ut in laboribus, vigilijs, & in omnibus observationibus delectabiliter incedas. Tertiò scientiæ lumen, ut cùm omnia benè feceris, te servum inutilem putes*; (Luc. 17.) *& quidquid boni inveneris, illi tribuas, à quo omne bonum est.* Hæc Sanctus Pater noster. Ita omnino, gratiâ enim Dei es quod es, (1. *Cor.* 15.) quæ non debet esse vacua, inanis, otiosa, sinè opere & fructu. Sed quæret aliquis, utrùm timor servilis remanere possit cum charitate? Ad quod respondet Sol Theologorum. *Etsi timor servilis non maneat cum charitate, secundùm tamen substantiam suam manere potest cum ea*; quod sic deducit: *sciendum, quòd timor servilis ex amore sui causatur, quia est timor pœnæ, quæ est proprij boni detrimentum. Unde hoc modo timor pœnæ potest stare cum charitate, sicut & amor sui. Ejusdem enim rationis est, quòd homo cupiat bonum suum, & quòd timeat eo privari. Amor autem sui tripliciter se potest habere ad charitatem. Uno enim modo contrariatur charitati, secundùm quod aliquis in amore proprij boni finem constituit. Alio verò modo in charitate includitur, secundùm quod homo se propter Deum, & in DEO diligit. Tertio modo à charitate quidem distingvitur, sed charitati non contrariatur; puta cùm aliquis diligit seipsum secundùm rationem proprij boni, ita tamen quòd in hoc proprio bono non constituat finem. Sicut etiam & ad proximum potest esse aliqua alia specialis dilectio præter dilectionem charitatis quæ fundatur in Deo, dùm proximus diligitur ratione commoditatis, consangvinitatis, vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis est ad charitatem. Sic ergo & timor pœnæ includitur uno modo in charitate. Nam separari à Deo est quædam pœna, quam charitas maximè refugit. Unde hoc pertinet ad timorem castum. Alio autem modo contrariatur charitati,*

S. Chrysost. *Spirit9 adoptionis filiorum.*

S. Bernardus

An timor servilis remanere potest cum charitate? S. Thomas.

secundùm quod aliquis refugit pœnam contrariam bono suo naturali; sicut principale malum contrarium bono quod diligitur ut finis, & sic timor pœnæ non est cum charitate. Alio modo timor pœnæ distinguitur quidem secundùm substantiam à timore casto, quia scilicet homo timet malum pœnale non ratione separationis à Deo, sed in quantum est nocivum proprij boni, nec tamen in illo bono constituitur ejus finis, unde nec illud malum formidatur tanquam principale malum. Et talis timor pœnæ potest esse cum charitate, sed iste timor pœnæ non dicitur esse servilis, nisi quando pœna formidatur sicut principale malum. Et ideo timor in quantum servilis, non manet cum charitate, sed substantia timoris servilis cum charitate manere potest, sicut amor servi manere potest cum charitate. Fusè hæc ex Divo Thoma deduxi ad penetrandam timoris servilis & filialis differentiam. Nunc concludo & innuo, gratiam Dei diffusam esse in labijs Dei etiam nos punientis, castigantis, flagellantis, pænas infligentis, tentationes & tribulationes nobis immittentis, quando in nobis causat timorem sui sive servilem, sive filialem. Amplectamur hos timores, maximè quãdo contingit nobis cœcitas in intellectu, clauditas in voluntate, lepra in sensibus & potentijs, surditas in memoria, mors & paupertas in tota anima; quia per hos timores illuminatur intellectus ut videamus, rectificatur affectus ut rectè ambulemus, lepra tollitur à sensibus & potentijs ut sinè macula simus, surditas à memoria pellitur ut audiamus, mors excluditur ut DEO vivamus, paupertas abigitur ut divites in gratia DEI fiamus, & abundemus in omne opus bonum, (2. *Cor.* 9.) quia pauperes evangelizantur, [*Luc.* 7.] bonum nuncium gratiæ Divinæ consequuntur. Et benè paupertas post mortem ponitur, nihil enim inveniunt etiam omnes viri divitiarum in manibus suis, postquam dormierint somnum mortis; (*Psal.* 75.) jam ibi nec operari possumus nec mereri. Unde rectè monet Ecclesiastes: (*c.* 9.) quodcunque potest facere manus tua instanter operare; opera enim illorum sequuntur illos; (*Ap.* 14) ibi autem nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò properamus, (*Eccles.* 9) in sepulchro, ad quod nudi egressi de utero, nudi (*Job.* 1.) planè pauperes revertimur in terram. Denique in pænis à DEO acceptis non scandalizemur, sed gratiam Dei diffusam in nos meditemur & acceptemus.

Bona ex his timoribus promanantia.

Sermo Dominicâ III. Adventûs.

Diffusa est gratia in labijs tuis.

HOmo per obauditionem serpenti factam, & per peccatũ inobedientiæ & rebellionis contra Deum perpetratum, ad præceptum DEI & vocem gratiæ illius factus est surdus. PP. RR. FF. DD. Audivit tamen vocem Domini Dei ambulantis in paradiso, (*Gen.* 3.) sed vocem iræ & indignationis, quam ei pænam post peccatum timenti propria prævaricationis conscientia dictabat; unde

Vox iræ & indignationis Divinæ super Adam post peccatum commissum.

de præ timore fugæ remedia & latibula abſconſionis perquirebat. Sed ecce & per hanc vocem diffuſa erat gratia in labijs (*Ps.* 44.) Dei hominem ultrò quærentis & requirentis: Ubi es? Quæſivit Deus & vocavit Adam ad confeſſionem peccati, ad auditionem decreti, ſi non ſe accuſaret, ſimul ac ad pænarum cum morte duplici promulgationem. Secuta poſt hoc ejectio hominis de paradiſo voluptatis ad operandam terram, de qua ſumptus erat. (*Gen.* 3.) Extra paradiſum enim creatus, poſitus fuit à Deo in paradiſo, ut operaretur & cuſtodiret illum. (*Gen.* 2.) Cumque indignum ſe feciſſet paradiſo ob transgreſſionem præcepti Divini, reductus eſt ad terram, ex cujus limo formatus erat, ad terram inquam, ſed jam maledictam in opere hominis, ſpinas & tribulos germinaturam, (*Gen.* 3.) laborem & ſudorem homini generaturam, quidni formam deſerti inculti habituram. Dubitamus? Conſideremus Iſraelitarum peregrinationem poſt eductionem eorum ex Ægypto, ubinam hæc peracta eſt? Utique in deſerto. 40. annis proximus fui generationi huic, dicit Deus per Prophetam; (*Pſ.* 94.) & antecedenter, (*Ibid.*) in deſerto ubi tentaverunt me Patres veſtri; quod declarat Moyſes in Deuteronomio (*Cap.* 8.) imperans Iſraeli: Et recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus 40. annis per deſertum. Quò tendebat hoc iter? Ad terram promiſſionis, ad terram lacte & melle manantem. [*Deut.* 6.] Figura hæc eſt viæ, & vitæ noſtræ ſuper terram, in qua peregrinamur à Domino (2. *Cor.* 5.) velut in deſerto, donec perveniamus in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, (*Pſ.* 41.) id eſt cœlum: ubi verè terra lacte & melle manans, (*Deut.* 6) terra viventium, (*Ezech.* 32.) regio vivorum. (*Pſ.* 114.) Ita Jacob Patriarcha vitam ſuam nuncupavit: dies peregrinationis meæ 130. annorum parvi & mali, & non pervenerunt usque ad dies Patrum meorum, quibus peregrinati ſunt. (*Gen.* 47.) Idem innuit Eccleſiaſtes (*c.* 7.) dicens: quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere, cùm ignoret, quid conducat ſibi in vita ſua? Quæ & qualis vita, infert: numero dierum peregrinationis ſuæ & tempore, quod velut umbra præterit. Vita igitur hominis ſuper terram eſt via per deſertum, eſt via in ſolitudine magna & terribili, in qua eſt ſerpens flatu adurens diabolus, ſcorpio & dipſas, mundus & caro. Sed ecce hodie manifeſtatur vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini. (*Luc.* 3.) Cur clamantis? Quia ad ſurdum hominem, ſi fortè audiat & convertatur. (*Jer.* 26.) Surdi audite, vociferatur Deus apud Iſaiam, (*c.* 42.) videlicet vocem clamantis, & cœci intuemini ad videndum, nimirùm ut dirigatis viam Domini. Dein' interrogat: *Ib.* quis cœcus niſi ſervus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuncios miſi? Quis autem iſte ſervus ſit, declarat infra: (*Iſ.* 44.) & nunc audi Jacob ſerve meus, & Iſraël quem elegi. Ad hunc quot Prophetæ tot nuncij miſſi, & quis effectus? Surdis fabula narrabatur, & cœcis via monſtrabatur. Manifeſtat hoc Iſaias (*c.* 6.) dicens: audite audientes

Ejectio illius de paradiſo.

Peregrinatio Iſraelitarum in deſerto,

figura eſt vitæ humanæ agentis in deſerto mundi.

In hoc miſſa vox clamantis quid & quibus clamat?

nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere; quod loquitur per enallagen modorum, utendo imperativo pro futuro; acsi diceret: audietis & videbitis, sed non voletis intelligere & cognoscere, quod manifestat Apostolus sic textum hunc allegans: (*Act.* 28.) aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non perspicietis. Sequitur: excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis; quid? Viam Domini dirigendam: & auribus suis audiat; quid? Vocem clamantis in deserto; & corde suo intelligat & convertatur & sanem eum. (*Isaiæ* 6.) Hoc S. Paulus sic citat: (*Act.* 28.) incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos. Omnia hæc accidêre Prophetis & ipsi Messiæ Christo Domino, utì testatur dilectus Jesu discipulus eundē textum proponens in Evangelio. Similiter apud Jeremiam (*cap.* 5.) exhortatur Deus: audi popule stulte qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, & aures & non auditis. Me ergo non timetis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis. Interea hìc notandum, excœcationem spectare ad intellectum, aggravationem sive obdurationem ad voluntatem. De excœcatione sic D. Augustinus. *Cæcitas* ait, *quam solus removet illuminator DEUS, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pæna peccati, quâ cor superbum dignâ animadversione punitur, & causa peccati, cùm aliquod mali cœci cordis errore committitur.* Ita concupiscentia carnis & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pæna peccati, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis. Porrò ad excœcationem duo requiruntur, & prava voluntas non volentis recipere lumen, vel objicientis impedimenta, & carentia sive privatio luminis Divini, & exinde moralis impotentia ad videndam veritatem. Similiter ad obdurationem duo concurrunt, & improbitas seu malitia volentis peccare, & nolentis facere officium debitum, & pertinacia sive firma adhæsio ad illam, ita ut nec monitis, nec consilijs, nec minis, nec promissis, nec præmijs, nec flagellis, nec Divinis demùm inspirationibus & gratijs sinat se à malo abstrahi & avelli. Prædicit ergo Deus hìc per Prophetam (*Is.* 6.) Judæos excœcandos oculis, & auribus aggravandos. Et dixi, ait Isaias, [*Ib.*] usquequo Domine? Et dixit: donec desolentur civitates absque habitatore, & domus sinè homine, & terra relinquetur deserta. Facit quidem idem Propheta in alio loco mentionem bonæ surditatis & bonæ cœcitatis: qui obturat, ait, (*c.* 33.) aures suas ne audiat sangvinem; quem sangvinem? Carnalis utique concupiscentiæ & mundialis iracundiæ: & claudit oculos suos ne videat malū, quod author omnis mali diabolus ciet & demonstrat. Verumtamen non de hac surditate & cœcitate in bonum hìc agitur, sed de illa, quam retuli, perversa & obdurata, quæ inducit terram desertam.

Quid excæcatio cordis,

S. August.

& ad hanc quid requiritur?

Quid ad obdurationem?

sertam. Ecce nunc vox clamantis resonat in deserto; jam aurès arrigendæ, diffunditur etiam gratia in labijs ejus: dirigite viam Domini inclamat; jam oculi aperiendi, venit enim speciosus formâ præ filijs hominum, in quem desiderant ipsi Angeli prospicere, (1. *Pet.* 1.) meritò videndus; diffusa est gratia in labijs ejus, meritò audiendus. Ponam in deserto viam, promittit Deus alibi per eundem Isaiam; (*c.* 43.) quæ hæc via? Non alia nisi via fidei; hæc est dirigenda in cordibus humanis. Per hanc enim redit obedientia ad Deum, quando mancipatur intellectus in obsequium fidei. (*Philip.* 2.) Per hanc reserantur aures surdorum hominum ad audiendum: quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi, *Rom.* 10.) verbum Christi per Vocem clamantis in deserto. (*Luc.* 3.) Per hanc aperiuntur oculi cœcorum hominum ad videndum lumen fidei. Quid ampliùs? Per fidem incutitur timor. Quidni? quando teste D. Jacobo Apostolo, *c.* 2. etiam dæmones credunt & contremiscunt. Sed quomodo? Instruit nos Angelicus Doctor. *Cùm per fidem informem*, ait, *apprehendamus Deum justum scelerum ultorem, & per fidem charitate formatam apprehendamus ipsum esse quoddam summum & altissimum Bonum, à quo separari pessimum est: necessariò ex illa nascitur in nobis servilis timor, ex hac verò filialis. Timor enim est motus quidam appetitivæ virtutis. Omnium autem appetitivorum motuum principium est, bonum vel malum apprehensum; unde oportet, quòd timoris & omnium appetitivorum motuum principium, sit aliqua apprehensio boni vel mali, quæ fit per fidem.* Sed consideremus lapsum Adami & recessum à Deo, quomodo evenit? Per incredulitatem. Non enim credidit Deo sed Diabolo. Qualiter fit reditus ad Deum? per fidem. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est: & inquirentibus se remunerator sit, liceat addere, & negligentibus se severus Judex, reddens unicuique secundùm opera sua. (*Ap.* 22.) Sic per fidem dirigitur via Domini, quæ timorem Dei operatur. Si ego Domin⁹, ubi est timor meus? interrogat Deus apud Prophetam. *Mal* 1) Audiamus tamen, quid edicit vox clamantis in deserto. Progenies viperarum, genimina viperarũ inquit. *Luc.* 3) Ecce quomodo in primo congressu genera serpentum ipsi se præsentant. Nonne meritò desertum dicendum est, ubi prædicat? Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? *Ib.* Siccine diffunditur gratia in labijs Joannis? Itane Joannes, qui dicitur gratiosus, vocem indignationis & verba comminationum profert? Ita omninò: gratia enim Dei adversatur peccato. Joannes redarguit peccatores, eosq; per venturam iram terret, ut per timorem Dei & pœnitentiam possint redire cum Deo in gratiam. Facite inquit, (*Luc.* 3.) fructus dignos pœnitentiæ. Superaddit & auget terrores mortis, judicij extremi, & gehennæ dicens: *Ib.* jam securis ad radicem arboris posita est. En mors. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, illum nempe dignum pœnitentiæ fructum, excidetur & in ignem mittetur. Denique vocem

In hoc deserto cur via fidei dirigenda?

S. Thomas.

Recessus à Deo fit per incredulitatem, reditus per fidem.

Vox clamantis in deserto quid clamat?

suam clamantem sic finit de Christo Judice: congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextingvibili. (*Matt.* 3.) En judicium, en cœlum, en gehenna ignis. In his omnibus verè diffunditur gratia, quia timor Dei ad promerendam gratiam incutitur. Ita quoque Doctor Gentium Corinthijs prædicavit: omnes enim nos, ait, (2. *Cor.* 5.) manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis uti gessit, sive bonum sive malum. Ad quid hoc edicis magne Apostole? Cur ita judicium ultimum incutis? Respondet: scientes ergo ista, videlicet de judicio Dei, timorem Domini svademus, & per timorem Dei pœnitentiam procuramus ad evadendum DEI judicium, & gratiam acquirendam. Hinc benè Rex Prophetarum orat: (*Psal.* 118.) confige timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui. Quidni timeret rigorosa Dei judicia? Quantus tremor est futurus, canit Ecclesia cum luctu mortis, quando Judex est venturus, cuncta strictè discussurus. Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, inquit Job, [*c.* 31.] & pondus ejus ferre non potui. *Quoniam*, explicat S. Gregorius, *qui extremi judicij adventum intentâ mente considerat, profectò videt, quia tantus pavor imminet, quantum non solùm tunc videre, sed etiam nunc prævidere pertimescat. Consideratione namq; tanti terroris metu animus palpitat, & intentionis suæ oculos declinans, intueri quod providet, recusat. Benè ergo dicitur:* (Job. 31.) *& pondus ejus ferre non potui; quia cùm supernæ majestatis vi ad judicium venientis, terroremq; tanti examinis considerando animus conatur exquirere, moxq; ad semetipsum refugiens, sese expavescit invenisse.* Hæc Sanctus Gregorius. Unde meritò judicandi dicent montibus: (*Luc.* 23.) cadite super nos; & collibus, operite nos; terribilem Judicis irati vultum reformidantes. De cœlo auditum fecisti judicium, ait Propheta. (*Psal.* 75.) Quis effectus? Terra tremuit & quievit. Quidni tremat homo, & ab omni opere pravo quiescat? S. Gregorius considerans Job à Deo laudatum, & tamen flagellatum, infert: *Si igitur saltem ad meritorum profectum ita percussus est qui sic timuit, quomodò feriendus est qui contemnit? Quomodò depressura sunt Dei judicia eos qui se elevant, si & illos ad tempus deprimunt, qui hæc semper in humilitate formidant? Quomodò pondus Dei ferre poterit qui despicit, si hoc & ille in verbere pertulit, qui per timorem prævidit?* Unde concludit magnus Doctor: *summoperè formidandum nobis est illud tantæ districtionis examen.* Timendam ergo mortem per securim ad radicem arboris positam vociferatur Vox clamantis. (*Luc.* 3.) Formido mortis cecidit super me, refert de se Regius Vates; (*Ps.* 54.) quid ultra? Timor & tremor venerunt super me, quare? Propter rigidissimum judicium Dei, & contexerũt me tenebræ; unde sequitur mentis obnubilatio, rationis offuscatio, cœcitas animæ & caligo. Audiverat Adam: in quacunq; die comederis ex eo, ligno nimirùm scientiæ boni & mali, morte morieris, (*Gen.*

S. Gregor. *Extremi judicij rigor quantoperè timendus!*

Idem. *Si terribilis justis, quantò magis peccatoribus?*

(*Gen.* 2.) inde duplicem hanc mortem post commissum peccatum expavit: timui eò quòd nudus essem, & abscondi me. [*Gen.* 3.] Nuditas est signum mortis. Nudus egressus sum ex utero matris, ait Job, (*c.* 1.) nudus revertar. Confirmat Regius Vates, uti nuper diximus: nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis, postquàm dormierunt somnum suum, (*Ps.* 75.) somnum utiq; mortis. Timuit Adam nuditatem suam DEO monstrare, ac inde latebras quæsivit. Sed major erat in eo nuditas mentis quàm corporis, privatio gratiæ Divinæ, exspoliatio innocentiæ, amissio justitiæ primitivæ, hæque nudam animam fecerunt, ac ideo timebat serviliter, & fugiebat à ventura ira tremendi judicij Divini. Sed jam intentatio istius judicij per S. Joannem sanctum inducit timorem, & regressum ad DEUM svadet per pœnitentiam, ad gratiam recuperandam, ad nuditatem obtegendam, ad mortem evadendam, ad vitam adipiscendam. Volumus effugere venturam iram judicij postremi? Arripiamus præsentem iram contra nos, videlicet partim per pœnitentiam nos castigando & puniendo, partim pœnas à DEO nobis irrogatas gratanter acceptando. *Quis enim, miseri*, ait Sanctus Pater noster, *demonstravit fugere à ventura ira? Quid præsentem tantoperè fugitis iram*, (nimiùm per quam effugere futuram potestis) *flagellum timetis? declinatis virgam? Et quidem in hac die vestra quæ ad pacem vobis, sed si cognovissetis & vos.* (Luc. 19.) *Mutatis, sed non effugitis pœnitentiam. Non punitur hìc propriâ voluntate? punietur aubi sinè fine justo Dei judicio. Misera sanè & extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & paratum diabolo stridorem eligere sempiternum.* Ita Sanctus Bernardus. Omnino peccator fugiens virgam Patris castigantis, incidit in gehennam Dei Judicis damnantis, ac ideo satiùs agnoscendum cum Propheta: virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. (*Ps.* 22.) Dico igitur cum eodem Propheta: (*Ps.* 94.) hodie si vocem clamantis in deserto audieritis, nolite obdurare corda vestra, nolite obturare aures, oculos occludere, ut sitis surdi ad credendum voci Divinæ, & cœci ad videndam directionem viæ Domini; quinimo sint oculi vestri aperti, & aures vestræ intentæ ad considerandum oculis intellectûs novissima vestra, mortis, judicij & inferni; & ad obediendum aurib' fidei timore Dei fulcitæ, adeoq; in opere efficaci. Non enim ignaviâ & desidiâ permittit timor. *Contra negligentiam*, ait mellifluus Doctor *timor exurgit: nimirum ipse est, quo concutitur anima, discutitur cōscientia, excutitur sopor letalis, incutitur sollicitudo.* Denique qui timet Dominum, nihil negligit, sed veretur omnia opera sua cum Jobo, (*Cap.* 9.) sciens quòd non parcat delinquenti. Super quo Sanctus Gregorius pulchre disserit. *Si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subigimus, ipsa in nobis etiam benè gesta timeamus. Duo quippe sunt, quæ in bonis operibus, necesse est, ut studiosè formidentur, desidia videlicet & fraus. Unde per Prophetam dicitur:*

Nuditas signum est mortis.

Ad avertendā extremi judicij iram quid agendum?

S. Bernard.

Idem.

S. Gregor.

citur: [Jerem. 48.] *Maledictus omnis, qui facit opus Dei fraudulenter & desidiosè. Sed sciendum magnopere est, quòd desidia per torporem nascitur, fraus per privatam dilectionem. Illam namq; minor Dei amor exaggerat, hanc etiam malè mentem possidens proprius amor creat: Fraudem quippe in Dei opere perpetrat, quisquis semetipsũ inordinatè diligens per hoc quod rectè egerit, ad remunerationis transitoriæ munera festinat.* Et paulò post. *Sæpe nonnulla bona nostra latrocinante fraude pereunt, quia rectis se nostris actibus concupiscentiæ terrenæ subjungunt: sæpe desidiâ interveniente deficiunt, quia fervore quo capta sunt frigescente, amore tabescunt. Quia ergo culpæ subreptio vel in ipso virtutis actu vix vincitur, quid ad securitatem superest? nisi ut studiosè semper & in virtute timeatur.* Hæc D. Gregorius.

Idem.

Cur Deus delinquenti non parcit?

Dignum reflexione illud Jobi, sciens quòd non parceres delinquenti; exponit hoc idem magnus Doctor. *Delinquenti nequaquam Dominus parcit, quia delictum sinè ultione non deserit, aut etiam ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus in homine vindicat & percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sinè vindicta laxatur.* Interea Sapiens ait: (*Eccles.* 8.) quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala. Si proinde nos aliquando castigat Deus, cùm hoc faciat ad timorem sui impellendum, gratiam nobis diffusã præstat; quod pulchrè dilucidat prædictus S. Pontifex: *constat enim quòd in hac vita dum percutit, si percussionem correctio sequitur, disciplina Patris est non ira Judicis, amor corrigentis est non districtio punientis.* Ex ipso ergo præsenti verbere judicia æterna pensanda sunt. Hinc enim perpendere summopere debemus, quomodò feratur illa quæ reprobat, si ferri modò vix valet ira ejus quæ purgat. Sic ergo timeamus servili timore Deum, justum scelerum ultorem, ut filiali timore oculis videre mereamur, & habere defactò nostrorum operum bonorum remuneratorem, atq; gratiam in labijs ejus diffusam non tantùm auribus percipiamus, sed etiam per mercedem æternam re ipsâ in gloria cœlesti possideamus.

Idem. *Castigatio, judicium gratiæ Divinæ in nobis.*

Sermo Dominicâ IV. Adventûs.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

Timor vanus quomodò excutiendus?

DIvina bonitas ut homines à vano timore abstraheret, & ad verum attraheret, hanc Discipulis suis dedit animadversionem: PP. RR. FF. DD. nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. (*Matt.* 10.) Apud Divum Lucam (*c.* 12.) idipsum repetit Dominus cum exaggeratione; ita dico vobis, hunc timete; ad hunc Dei timorem animis hominum imprimendum. Idem Moyses imperat in Deuteronomio: (*cap.* 6.) Dominum Deum tuum timebis; quod in Evangelio versum, (*Luc.* 4.) adorabis, & illi soli servies. Per timorem enim apud Hebræos reve-

reverentia, adoratio, & omnis religio ac Dei cultus intelligitur; cùm etiam juxta Pòëtam: *primus in orbe Deos fecit timor. Connexa sunt timor & religio*, ait S. Pater noster, *nec manere potest alterum absq; altero.* Unde Cornelius vir religiosus ac timens Deum dicitur, (*Act.* 10) & Simon justus ac timoratus; [*Luc.* 2.] unde Salomon: (*Eccles.* 12.) Deum time & mandata ejus observa; super quo S. Hieronymus inquit: *finis sermonis verbi universi auditu perfacilis est, ut scilicet Deum timeamus, & præcepta ejus faciamus.* Hoc est enim omnis homo; (*Ib.*) Chaldæus legit: quia sic debet esse via hominum. Idipsũ Moyses (*Deut.* 10.) Isràëli inculcat: & nunc Isràël quid Dominus requirit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, custodiasq; mandata Domini? Hoc ipsum desiderat Deus alloquens Moysen: (*Deut.* 5.) quis det talem eos habere mentem, ut timeant me & custodiant universa mandata mea in omni tempore, & benè sit eis & filijs eorũ. Motivum ad timorem Dei & observantiam mandatorum ejus Sapiens subjungit: (*Eccles.* 12.) cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, (in Hebraico est, celato vel abscondito) sive bonum sive malum illud sit. Ideo timendus Deus, colendus, & reverendus, eiq; serviendum, quia est Creator, Gubernator, Inspector, Testis, Judex, & Vindex omnium operum nostrorum. Sed objiciet aliquis, Deus cùm sit summum & maximum bonum, quomodò timeri potest? Timor enim est de malo futuro, deinde spem habemus in Deo, quæ timori opponitur; deniq; à Deo mala non procedunt, sed ex nobis ipsis. Ita est: Deus prout est ipsa essentialis bonitas, timeri nec debet nec potest; prout tamen ab ipso aliquod malũ pœnæ promanat, metuendus est ac timendus. Hoc autem malum pœnæ est actus justitiæ Divinæ, estque bonum simpliciter, quia dependet ab ordine finis ultimi; malum verò est secundùm quid respectu nostrì, in quantum privat nos aliquo bono particulari. Sed malum culpæ propter quod est malum pœnæ, est malum simpliciter, excludens ordinem à fine ultimo. Cùm autem Deus sit justus & misericors, justitia timorem, misericordia spem in nobis operatur. Ideo Psalmista ait: (*Ps.* 100.) misericordiam & judicium cantabo tibi Domine, quia beneplacitum est Domino super timentes eum, respectu justitiæ, & in eis qui sperant super misericordia ejus. *Ps.* 146. *Cantabiles mihi erunt ambæ pariter in loco peregrinationis meæ*, ait S. Bernard9, *quousq; misericordiâ superexaltatâ judicio miseria conticescat, ac sola cantet tibi de cætero gloria mea, & non compungar.* (*Ps.* 29.) Deus ergo secundùm diversas rationes justitiæ & misericordiæ, est objectum timoris & spei. *Malum autem culpæ*, cujus author homo, *ex justitia Dei meretur malum pœnæ, quod est à Deo tanquam actore, sed in quantum habet rationem boni, prout scilicet est justum*, ait D. Thomas. Sed quòd justè nobis pœna infligatur, hoc primordialiter ex merito nostri peccati contingit, secundùm quem modum dicitur Sapientiæ: (*c.* 1.) quòd Deus mortem non fecit, sed impij manibus &

Timor Dei cũ Religione conjunctus.

Cur Deus timendus?

Dei misericordia & justitia.

S. Bernard9.

verbis accersiêrunt illam. Ut autem sciamus statum & differentiam timoris Dei, breviter hìc axiomata D. Thomæ adduco. Et quidem jam innueram quatuor esse differentias timoris hujus; videlicet esse timorem mundanum ex se malum, abducentem à DEO: servilem qui ex se quidem malus non est, habet tamen aliquid mali sibi annexum, id est servilitatem, quo pœnam duntaxat reformidat: filialem sive ingenuum, qui malùm culpæ abhorret, proprium enim filiorum est timere offensam Patris: & initialem, qui ex utroq; participat, mediusq; est inter utrumque. Porrò *servilis & filialis timor*, inquit Angelicus *Doctor, multis rationibus à se distinguuntur. Nam inprimis timoris ingenui objectum est culpa, servilis verò pœna. Timor etiam qui inter septem dona Spiritûs Sancti numeratur, est timor ingenuus seu filialis, non autem servilis. Deinde crescente charitate ingenuus timor simul crescit, servilis è contra minuitur, quâ parte pœnam respicit. Ultrà, in patriam cœlestem admittitur ingenuus timor, in qua servili timori nullus conceditur locus. Præterea etiam timori ingenuo non servili prima beatitudo, nimirùm paupertas spiritûs correspondet. Cæterùm in hoc conveniunt, quòd uterq; sapientiæ sit principium. Ingenuus quoq; timor & is qui initialis appellatur, inter se quidem differunt, non tamen specie, ut ingenuus & servilis, sed perfectionis duntaxat & imperfectionis ratione.* Ita eleganter Divus Thomas, de quo successivè distinctiùs poterimus agere, nunc dicamus cum Jeremia: (*cap.* 10) quis non timebit te ô Rex gentium? Sed in themate gratiam præ nobis ferimus, in discursu autem timorem incutimus; quomodò hæc concordant? Multùm per omnem modum quàm optimè conveniunt? Et gratia Dei in nobis timorem parit, & timor gratiam DEI meretur. Quid quòd in hodierno Evangelio diffusa est gratia in labijs Joannis prædicantis baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Luc.* 3.) Nonne ubi baptismus pœnitentiæ, ibi timor? Nonne ubi remissio peccatorum ibi gratia? Ita est. Interim pœnitentiâ quid ingratius? Quid gratius remissione peccatorum? Unum sinè alio non datur; utrumque proinde gratum sit necesse est, ut pœnitentia accepta sit propter remissionem peccatorum; pœnitentiam verò maximè operatur timor qui expellit peccatum. (*Eccli.* 1.) Hic sensus est Divi Thomæ, qui id probat illo textu Isaiæ: (*cap.* 26.) *sicut quæ concepit, cùm appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus, scilicet per pœnitentiam. Benè dolores parturientis conveniunt doloribus verè pœnitentis, quia juremeritò illis compensare debet hoc quod impendit voluptati.* Postea subditur per aliam literam, nimirùm LXX. Interpretum: à timore tuo Domine concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis, id est pœnitentiæ salutaris. Ubi concludit: *ergo pœnitentia procedit ex timore, nimirum actus pœnitentiæ à servili timore incipit, sicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato; à timore verò filiali sicut ab immediato & proximo principio. Cæterùm pœnitentia consideratur vel quantùm ad habitum, vel*

quantùm

S. Thomas. *Differentia timoris Dei.*

Gratia Dei timore in nobis parit, timor gratiam.

S. Thomas.

Idem. *Poenitentia procedit ex timore.*

quantum ad actum. Quantùm ad habitum, pœnitentia immediatè à Deo infunditur sinè nobis principaliter operantibus, sed non sinè nobis dispositivè per aliquos actus cooperantibus. Quantùm ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, horum principium primum est Dei operatio, convertentis cor juxta illud Threnorum c. 5.) converte nos Domine ad te & convertemur; & juxta Jeremiam: (c. 31.) postquam convertisti me, egi pœnitentiam. Deinde actus secundus est motus fidei, tertius est motus timoris servilis, per quem timore suppliciorum retrahimur à peccatis: quartus est motus spei, quo sub spe veniæ consequendæ propositum assumimus emendationis; quintus est motus charitatis, per quem nobis peccatum secundùm seipsum displicet non propter pœnam: sextus est motus timoris filialis, per quem ob DEI reverentiam voluntariè ipsi offerimus nostrî correctionem. Benè Siracides inquit: (Eccli. 25.) *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei. Timor Dei, initium dilectionis ejus; fidei autem initium agglutinandum est ei:* ubi in compendio omnes hos actus complectitur. Ac primò declarat timorem Dei, cui aliud donum Dei, nempe lumen fidei est agglutinatum. Primum quidem omnium donorum & bonorum initium est fides, ex qua timor procedit cum spe, ut Deus in quem creditur, tanquam justus timeatur, tanquam misericors spe teneatur, ac demùm tanquam summè bonus ametur, ob ejusque timorem & amorem omnis peccati offensa tollatur & præcaveatur, ac strictissimè mandata ejus observentur: quia nihil melius est quàm timor Dei, inquit Ecclesiasticus; *(c. 23.)* & nihil dulci⁹, quàm respicere in mandatis Domini. Hoc enim est omnis homo, *Eccles. 12)* hæc est virtutum concatenatio, hæc vitæ Christianæ continua & felix exercitatio. In his enim omnib⁹ omnis pœnitétiæ perfectio concluditur & subsistit. Dicit igitur Siracides *Eccli. 25.* timorem Dei esse initium dilectionis ei⁹, quia à timore servili cum agglutinatione fidei incipit Dei amor, qui per timorem filialem augetur & perficitur. Idem sonat gnome notissima: Initium sapientiæ timor Dñi; ubi sapientia practica intelligitur amorem Dei in se includere. Vera enim Theologica sapientia est fides, spes, charitas, trias virtutum Theologicarum, quæ omnes alias virtutes complectuntur. Dicitur autem timor Domini, qui non alius est quàm filialis; timor enim servilis non tam Domini timor est, quàm inferni. Unde dicit Dominus exercituum: (*Mal.* 1.) si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Quanta utilitas ex timore DEI proveniat, quis edisseret? Fructus ejus sunt plurimi & præstantissimi, imò maxima gratia in illis est diffusa, quos si placet, breviter perstringamus. Ac primùm ex timore Dei oritur vera fidei credulitas, teste Ecclesiastico: (*cap.* 2.) qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius. Unde idem præcipit: (*Ib.*) qui timetis Dominum credite illi, & non evacuabitur merces vestra. Talis effectus fuit in populo Judæorum, de quo Exodus: (*c.* 14.) timuit Dominum populus, & crediderunt

Timor Dei cũ lumine fidei conjunctus.

initium est amoris Dei

Fructus timoris Dei

Domino. Timor Dei animæ generat puritatem, propterea expellit peccatum contrarium mentis puritati, odit malum; per timorem enim Domini omnis declinat à malo. Timor Domini excitat ad pœnitentiam, qui enim sinè timore est, non poterit justificari, quod non fit sinè pœnitentia; & impetrat misericordiam, quia teste Matre Sapientiæ Dei, (*Luc.* 1.) misericordia Dei à progenie in progenies timentibus eum. Unde spes veniæ & gratiæ? à timore Dei, uti imperat Ecclesiasticus: [*c.* 2.] qui timetis Dominum sperate in illum, & in oblectatione veniet vobis misericordia. Unde mentis stabilitas? à timore Dei. Firmamentum est Dominus timentibus eum: [*Ps.* 24.] in timore Domini fiducia fortitudinis. (*Prov.* 14.) Unde pacis tranquillitas? ex timore Dei. Testatur Salomon: (*Pr.* 13) qui timet Dñum in pace versabitur. Unde cordis securitas? Ex timore DEI. Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. (*Eccli.* 34.) Quare non pavebit? Quia timenti Dominum non occurrunt mala, & in tentatione Deus illum conservabit à malis. (*Eccli.* 33.) Ubi beatitudo & lætitia spiritûs? In timore Dei. Timentis Dominum beata est anima ejus, (*Eccli.* 34.) dicentis: (*Ps.* 85.) lætetur cor meum ut timeat Dominum. Ubi luminis claritas? In timore DEI: orietur sol justitiæ vobis timentibus nomen meum. (*Mal.* 4.) Ubi Divinæ suavitatis copia? In timore Dei: quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! (*Ps* 30.) Ubi scientia, ubi sapientia? In timore Dei: plenitudo scientiæ timere Deum; (*Eccli.* 1.) ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. (*Job.* 28.) Ubi salutis accessio? Prope timentes eum salutare ipsius. (*Psal.* 84.) Quid quòd timor Domini ad vitam sit, & in plenitudine commorabitur absq; visitatione pessima? [*Pr.* 19.] Ita planè. Quis enim gaudet omni rerum & virtutum abundantiâ? Timens Deum; non est inopia timentibus eum; (*Ps.* 33.) nihil deest timentibus Deum. Non est in timore Domini minoratio, & non est in eo inquirere adjutorium. (*Eccli.* 40.) Vis longævitatem dierum? time Deum. Timor Domini apponet dies. (*Prov.* 10.) Vis lætos dies? Time Deum: timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. (*Eccli.* 1.) Vis felicem vitæ exitum? Time Deum: timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis benedicetur. (*Ib.*) Ideo monet Sapiens: (*Prov.* 23.) in timore Domini esto totâ die, quia habebis spem in novissimo, & præstolatio tua non auferetur. Vis gloriam & exultationem? Time Deum: timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. (*Eccli.* 1) Vis continuum habere Dei respectum super te ejusq; gratiam? Time Deum: oculi Domini super timentes eum. (*Eccli.* 34.) Quid sequitur inde? Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegumen ardoris, umbraculum meridianum, deprecatio offensionis, & adjutorium casûs, exaltans animam & illuminans oculos, dans sanitatem, &

Commoda ex timore provenientia.

& vitam, & benedictionem. Ecquid ampliùs deſiderare poſſumus? Verè dicamus cum Tobia: (*c.* 4) multa bona, imò omnia habebimus, ſi timuerimus *D*eum. Volumus ſcire undenam ita felix eſt timor *D*ei, quòd omnia bona complectatur? Sequitur: & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè. (*Ibid.*) En compendium juſtitiæ Chriſtianæ, declinare à malo & facere bonum, (*Pſal.* 36.) & hoc facit timor *D*ei. Reverà qui timent *D*ominum, invenient judicium juſtum, & juſtitias quaſi lumen accendent. (*Eccli.* 32.) Sed undenam hoc? Quia qui timent *D*ominum, cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inſpectionem illius (*Eccli.* 12.) Sic & Propheta aſſerit: (*Pſ.* 111.) Beatus vir qui timet *D*ominum, in mandatis ejus volet nimis. Beati omnes qui timent *D*ominum, qui ambulant in vijs ejus. (*Pſ.* 127.) Time *D*eum, & mandata ejus obſerva, hoc eſt omnis homo. [*Eccles.* 12.] Benè ergo ait Eccleſiaſticus: (*c.* 25.) quàm magnus, qui invenit ſapientiam & ſcientiam! Et hic eſt qui timet *D*eum; unde addit: (*Ib.*) ſed non eſt ſuper timentem *D*ominum. Timor *D*ei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit, omnia planè ſuperat, omnia tranſcendit. Inde concludit: (*Ibid.*) beatus homo cui donatum eſt habere timorem *D*ei. Qui tenet illum, cui aſſimilabitur? Corona & coronis denique timoris *D*ei filialis eſt amor, ſicut ex amore timor, ita reciprocè ex timore amor. Hic eſt timor qui imperatur Sanctis: (*Pſ.* 33.) timete *D*ominum omnes Sancti ejus, & hic timor eſt ſanctus permanens in ſæculum ſæculi. [*Pſ.* 18.) Ac licèt dicatur à Divo Joanne Evangeliſta, quòd timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foràs mittit timorem, [1. *Joan.* 4.] hoc de ſervili timore intelligitur, prout patet ex ſequenti: (*Ib.*) quoniam timor pænam habet, qui autem timet, non eſt perfectus in charitate. Ideo Eccleſiaſticus præcipit: [*cap.* 2.] qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra. Jam igitur proſcribamus omnem timorem vanum, humanum, & mundanum, non trepidemus timore ubi non eſt timor, (*Pſ.* 52.) non timeamus eos qui occidunt corpus, animæ autem nihil poſſunt facere; ſed timeamus eum, qui & animam & corpus mittere poteſt in gehennam. (*Lucæ* 12.) Ab hoc timore ſervili incipiamus pœnitentiam noſtram, utendo baptiſmo pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Progrediamur per timorem initialem parando viam Domini, & rectas faciendo ſemitas ejus; (*Luc.* 3.) qui enim timent Dominum, præparabunt corda ſua, teſte Eccleſiaſtico, (*cap.* 2.) & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas; & qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei. (*Ib.*) Aſcendamus ad timorem caſtum & filialem, quem charitas Dei & proximi coronat. Denique per timorem DEI judicium, per ſpem miſericordiam cantemus *D*omino, (*Pſ.* 100.) ut diffuſam in labijs ejus gratiam per remiſſionem peccatorum conſequi mereamur.

Compendium juſtitiæ Chriſtianæ, declinare à malo, & facere bonum.

Corona timoris Dei, filialis eſt amor.

Timor vanus, humanus & mundanus quomodo proſcribendus?

Sermo in Nativitate Domini.

Diffusa est gratia in labiis tuis. Psal. 44.

HOdie vere apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, (*Tit.* 2.) quando pro omnium salute ipse qui est Verbum Dei, & Deus Verbum, caro factus est, ut sic carne suâ carnem humanam plenam peccati & falsitatis redimeret; *Tit.* 2.) adeoque gratia & veritas, quæ per ipsummmet JESUM Christum facta est, (*Joan* 1.) diffusa esset in labijs ejus, velut Verbi pleni gratiæ & veritatis. [*Ib.*] Quid enim? Diffusum erat peccatum in labijs primi Patris mendacij ad primum hominem decipiendum, effusum in labia primæ matris inducentis maritum ad consensum prævaricationis; quin & ipsemet addendo excusationes in peccatis profusam habuit in labijs suis delicti malitiam, ita ut omninò venenum aspidum esset sub labijs eorum, (*Ps.* 13.) ab illo callido aspide promanans: aspidum autem, quia insanabile, totum corpus humani generis irremediabiliter conscindens, inficiens & pessundans. Sed ecce diffunditur gratia medicinalis venenum peccati tollens, quando videt omnis caro salutare Dei, audit pariter, quod os Domini locutum est. *Is.* 1.) Ego ipse qui loquor, ecce adsum, inquit Deus *Is.* 52. quasi unus ex nobis factus, (*Gen.* 3.) vocans Adamum: Ubi es? Verè ô Adam nusquam es, cùm sine Deo es, & sic velut transgressor verbi Divini periisti, in nihilum redactus es, & nescivisti. *Ps.* 72.) Audi Regium Vatem: [*Ps.* 38.] Vidi impium elevatum & superexaltatum sicut cedros Libani: transivi & ecce non erat, quæsivi eum & non est inventus locus ejus, ipso etiam propter culpam Adæ paradiso pereunte. En Verbum ipsum Caro factum (*Joan.* 1.) jam te requirit fugientem à facie Dei, nonne in hoc magna gratia in labijs Verbi diffusa? Hìc plane misericordia, (quæ quid est nisi gratia?) & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt (*Ps.* 84.) in gratiosa Verbi Divini incarnatione. Ibi Deus Adamum reperit, ubi carnem ejus assumpsit. Sed nonne Adam ad instar filij prodigi peregrè abijt in regionem longinquam *Luc.* 15.) quando à Patre cælesti recessit? Duos enim filios De⁹ habet, seniorem, Angelicum Ordiné: & adolescentiorem, statum humanum. Ille signaculum similitudinis Dei, (*Ezech.* 28.) hic ad imaginem & similitudinem Dei creatus. (*Gen.* 1.) Ille domi manet cum Patre ministrans illi & assistens, prout vidit Daniel: (*c.* 7.) millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Quòd autem inter filios DEI computetur, manifestat ipse DEUS loquens Regi terræ Hus: ubi eras, cùm me laudarent astra matutina, & jubilarent filij Dei? (*Job.* 38) per quos Sancti Patres intelligunt Angelos. His Filius Dei primogenitus repræsentatus fuit adorandus, quod superbus Lucifer cum suo comitatu facere detrectavit, seipsum ad hanc altitudinem filiationis Dei exaltans & dicens: ascendam, similis ero Altissimo, (*Is.* 14.)

Misericordia Dei incarnati in humana redemptione.

Homo per peccatum in nihilum redigitur.

Ordo Angelicus & status humanus duo filij Dei,

à quibus adoratur, Lucifero detrectante.

14.) uti filius Dei. Sed quia se exaltavit, humiliatus est usque ad infernum. Dum alijs in obsequio Verbi Divini permanentibus iterùm introducit Deus primogenitum in orbem terrarum per Nativitatem hodiernam, dicit ad Angelos: adorent eum omnes Angeli ejus. *Heb.* 1) Verè ejus, quia ipsi adhærentes, in verbo ejus stantes, in gratia Dei perseverantes. Quod & factum, quando facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Luc.* 2. Hic ergo naturæ Angelicæ status, manens cum Patre nostro qui in cælis est, (*Mat.* 5.) simul cum ipso possidet substantiam sibi datam. Jam verò homo creatus à Deo in omni perfectione, habuit & ipse portionem substantiæ Paternæ sibi exdivisam. *Et quæ est ista portio?* interrogat S. Petrus Chrysologus, *quæ est? Habitus, sermo, scientia, ratio, judicium, quæ hominem præ cæteris animantibus in terrena habitatione contingunt.* Verè in ipso misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt se invicem, *Ps.* 84.) teste mellifluo Patre nostro. *Acceperat homo, ait, misericordiam, custodem scilicet atq; pedissequam, ut ipsa præveniret, ipsa & sequeretur eum, ipsaq; protegeret & conservaret ubique. Vides qualem nutritium contulit Parvulo suo Deus, qualem dedit pedissequam homini recens orto. Sed erat illi necessarius etiam eruditor tanquam ingenuæ & rationabili creaturæ; ut non sicut jumentum aliquod custodiretur, sed tanquam parvulus educaretur. Cui sanè magisterio nemo poterat aptior inveniri quàm veritas: ipsa quæ eum in agnitionem summæ perduceret aliquando veritatis. Interim verò ne sapiens inveniretur, ut malum faceret,* [Jerem. 4.] *essetq; ei peccatum tanquam scienti bonum & non facienti,* (Jac. 4.) *justitiam quoq;, quâ regeretur, accepit. Adhuc autem & pacem, quâ foveretur & delectaretur, addidit manus benignissima Creatoris: pacem utiq; duplicem, ut nec intùs pugnæ nec foris timores; id est, nec caro concupisceret adversùs spiritum,* (Gal. 5.) *nec esset ei creatura ulla formidini. Nam & bestiis omnibus liberè imposuit nomina, & serpens ipse, qui violentiâ non præsumpsit, fraude magis eum aggressus est.* Ait ergo Sanctus Pater. *Videre mihi videor quatuor virtutibus his amictum primum hominem ab ipso creationis suæ exordio, & ut Propheta meminit, vestimento salutis indutum.* (Is. 61.) *Est enim in his quatuor illa salutis integritas, nec sinè his omnibus potest constare salus.* Denique concludit: *Quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat justitia, pax fovebat?* O quàm præstantissima substantia à Deo homini data, in qua omnis gratia Dei consistebat. Sed quid homo? Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè, (*Luc.* 15.) per triplicem concupiscentiam, quæ in mundo regnat; sigillatim similitudinem Dei superbè affectans, disperdidit omnia, & seipsum cum toto suo genere perdidit humano. *Vidit mulier lignum, quòd esset pulchrum visu & ad vescendum suave,* (Gen. 3.) *& à serpente audierat,* inquit

Portio Paternæ substantiæ homini à Deo datæ qualis?

S. Bernar.

Misericordia hominis custos,

Veritas magistra,

Manuductrix justitia, Altrix pax.

Idem.

Substantiam hanc quomodò homo deperdidit?

S. Bernard.

Sanctus Pater noster, *tanquam Deos se futuros. His abstracta & illecta*

Misericordiam,

misericordiam omnem crudelis mater abjecit, sic enim exarsit in concupiscentia sua, ut nec viro nec filiis parceret nascituris, omnes terribili maledicto & necessitati mortis addicens. Sic & Adam, qui mulieri malè misertus est, ut cum ea peccaret, benè nolens misereri, ut pœnam sustineret pro ea, quando indignationi Divinæ mulierem, propter quam peccaverat, objecit; quasi post tergum ejus volens declinare sagittam.

Veritatem,

Privata est etiam mulier veritate; primò quidem malè detorquens quod audierat: morte morieris; & dicens, ne fortè moriamur: (Gen. 3.) *demùm serpenti credens penitùs abneganti & dicenti: nequaquam moriemini. Privatus est & Adam veritate, ubi eam confiteri erubuit, folia, hoc est excusationum operimenta prætendens, siquidem ipsa dicit:* (Luc. 9.) *Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre meo. Porrò perdidit homo justitiam,*

Justitiam,

cùm Eva serpentis, Adam mulieris voci obedivit potiùs quàm Divinæ. Erat tamen residuum aliquid, quod apprehendere possent, idque Dominus suo illo scrutinio innuebat; sed abjecerunt etiam illud, conversi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. [Ps. 140.) *Prior enim justitiæ portio non peccare, secunda per pœnitentiam damnare peccatum. Pacem deniq; protinùs amiserunt; quia non est*

& Pacem.

pax impiis, dicit Dominus. (Is. 48.) *Nonne enim contrariam legem invenerunt in membris suis,* (Rom. 7) *quos de novo pudere cœperat nuditatis? Timui ego, inquit,* (Gen. 3) *eò quòd nudus essem.* Ita mellifluè Sanctus Doctor noster. Verè nudus non tantùm corpore, sed etiam maximè animâ nudatus, virtutibus hisce substantiâ omni dissipatâ spoliatus. Liceat mihi uti verbis D. Chrysologi de prodigo filio loquentis, paulò aliter ea imitando. *Ecce quid facit cupiditas ad censum præceps,* inquit ille; dico ego, ad sensum superbiæ. *Ecce quẽadmodùm sinè Patre hic idẽ census* (vel sensus) *nudavit filium non ditavit:* (non extulit) *filium tulit è gremio Patris, ejecit de domo, exemit Patriâ, spoliavit famâ, exuit castitate;* addo ego, nudavit misericordiâ, veritate, justitiâ & pace. Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ, nihil reliquit. Nonne verè prodigus sui filius fuit primus homo, dum à Patre abivit?

Status filij prodigi à Patre abeuntis.

S. Chrysolog.

Abijt longè, ait S. Chrysolog. *plus mente quàm loco, ut dato non accepto pretio miseræ se venderet servituti; quin extra se ivit, dicitur enim postea in se reversus: Ergo extra se fuit, qui in se reverti debuit.* S. Ambrosi⁹ pulchrè, *qui recedit à Christo,* ait, *se sibi abdicat. In se reversus est,*

Idem.

inquit idem D. Chrysolog. *in se antè redit, ut rediret ad Patrem, qui à se antè recesserat, cùm recessit à Patre. A se migrat, & ab homine transit in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Utiq; homo cùm in honore esset gratiæ Divinæ, filiationis Paternæ, virtutum Divinarum præsidio munitus, non intellexit; sed comparat⁹ est jumentis insipientibus, & similis factus est illis, (*Ps.* 48) à Dei similitudine recedens. Jam revertentem ad se hominem

per fidem in Abraham fideli, qui credidit DEO, & reputatum est ei ad justitiam, (*Rom.* 4.) quomodò suscipit Deus? In benedictionibus. Adam incredulus & perfidus meruit maledictionem: Abraham credulus & fidelis recipit benedictionem. Deniq; ait *Deus*: in semine tuo benedicentur omnes gentes; (*Gen.* 22.) quod semen est Christus, juxta Apostolum, est benedictus fructus ventris Mariæ. (*Luca* 1.) Ita Deus non Angelos sed semen Abrahæ apprehendit. Filio seniori non pepercit, quando in Angelis reperit pravitatem: [2. *Pet.* 2.] adolescentiori pepercit. Quomodò? Cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. (*Luc.* 15.) O casus optatissimus! O osculum desideratissimum! Semen cecidit in terram bonam; (*Mar.* 4.) semen est Verbum Dei (*Luc.* 8.) caro factum, est semen Abrahæ benedictum. Hoc semen est mulieris, conterens caput serpentis, [*Gen.* 3.] cecidit super collum. (*Luc.* 15.) O collum Ecclesiæ eminentissimum Maria! jungens corpus capiti, hominem *Deo*, generans mundo Salvatorem. Osculatus est eum. O beatissimum osculum hominem beatificans! Ingemiscens natura humana super sui abscessûs à DEO infortunio, desiderabat regressum & novum ad Deum accessum; inde suspirans ingeminabat illud initium sacri epithalamij: (*Cant.* 1.) Osculetur me osculo oris sui. *Si verè decrevit misereri Deus, cogitatq; ut complacitior sit adhuc*, [*Ps.* 76.] ait S. Pater noster, *statuat testamentum pacis, & fœdus perpetuum feriat in osculo oris sui.* Et osculatus est eum. (*Luc.* 15.) Magnum gratiæ Sacramentum manifestatum in carne per osculum Divinitatis erga miseram humanitatem nostram, quam Deus promissionibus per Prophetas suos lactabat & solabatur. Quid hæc? *Quò mihi*, inquit, (verba sunt melliflui Doctoris,) *quò mihi ora hæc seminiverbia Prophetarum? Ipsepotiùs speciosus formâ præ filijs hominum, ipse me osculetur osculo oris sui. Non audio jam Moysen, impeditioris siquidem linguæ factus est mihi; Esaiæ labia immunda sunt, Jeremias nescit loqui quia puer est, & Prophetæ omnes elingues sunt. Ipse ipse quem loquitur, ipse loquatur, ipse me osculetur osculo oris sui*; Cant. 1 quia diffusa est gratia in labijs ejus. *Cujus utiq; sermo vivus & efficax*, (Heb. 4.) continuat S. Pater, *osculum mihi est non conjunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animarum*; (talis fuit Judæ osculo filium hominis tradentis, Lucæ 22.) *sed planè infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quædam & quodammodò indiscreta commixtio superni luminis & illuminatæ mentis.* Adhærens quippe *Deo* unus spiritus est cum eo. (1. Cor. 6.) Cecidit super collum tanquam mediator DEI & hominum homo Christus Jesus. (1. *Tim.* 2.) *Ut ex æquo*, ait Divus Doctor, *partibus, congruens mediator, neutri suspectus sit, Deus filius Dei fiat homo, fiat filius hominis, & certum me reddat in hoc osculo oris sui.* Ipsum ergo osculum oris Paterni patet esse non aliud, quàm mediatorem *Dei* & hominum hominem Christum Jesum, in quo nascente, de novo non minùs misericordia & veritas obviaverunt sibi, justi-

Rediens in benedictionibus suscipitur,

Meretur amplexus & osculum Patris.

Maria collum Ecclesiæ.

Quid osculum oris mysticè?

S. Bernard.

Mediatorem Dei & hominum Christum designat.

S. Bernar. tia & pax osculatæ sunt. (*Ps.* 84.) *Et quidem*, dicente S. Patre nostro, *misericordia & veritas præcesserunt faciem ejus*, (*Ps.* 88.) *justitia thronum paravit secundùm illud: justitia & judicium præparatio sedis tuæ.* (Ib.) *Pax cum Rege venit, ut Propheta fidelis inveniretur, qui dixerat: pax erit in terra nostra cùm venerit. Inde est quòd nato Domino Angelorum chorus canebat: pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* (Luc. 2.) *Sed & tunc justitia & pax osculatæ sunt, quæ non modicè videbantur hactenùs dissidere. Prior enim si qua erat ex lege justitia, non osculum sed aculeum magìs habebat, urgens timore potiùs quàm provocans dilectione, sed nec habuit illa reconciliationem sicut habet nunc, quæ ex fide noscitur esse justitia.* Ita S. Pater noster. Sic equidem nunc justificati per fidem pacem habemus ad DEUM. (*Rom* 5.) Hoc igitur osculum justitiæ & pacis, quidni fuit & osculum salutis, uti salutare nos invicem in osculo sancto præcipit Apostolus. (*Rom.* 16.) Osculum Patris filio prodigo impressum fuit signum salutis, quia veniæ concessæ, diffusæ gratiæ, charitatis impertitæ. Hæc omnia nobis Filius Dei incarnatus secum attulit, ut per hæc daret nobis potestatem filios Dei fieri, (*Joan.* 1.) quatenùs per ipsum unigenitum & primogenitum veram adoptionem filiorum DEI reciperemus, [*Gal.* 4.] imò Dij fieremus: ego dixi Dij estis, ait Propheta, *Ps.* 81. & filij excelsi omnes. Hoc planè quod per prævaricationem verbi Divini in primo Patre affectabamus, ut per receptionem verbi ejusdem in fide, & executionem in activa charitate obtineremus. Unde & senior filius est, & manet cum Patre, quia in verbo Dei stetit, ac primogenituram Dei inattingibilem & imperscrutabilem agnovit; tùm & adolescentior per verbum Dei ad Deum redit particeps factus filiationis Divinæ, in carne sua videns Salvatorem suum & Angelorum. Sed consideremus quomodò Pater cœlestis filium prodigum recipit. Citò, inquit, (*Luc.* 15.) proferte stolam primam, & induite illum. O præclara stola primævæ innocentiæ! Ecce quomodò ab initio reconciliationis nudum Adam vestit Deus; restituit ipsi primam paradisi vestem, gratiam suam. Fecerat ipsis Deus tunicas pelliceas (*Gen.* 3.) post peccatum, tegens eorum nuditatem; nunc seipsum dat ut induant Dñum Jesum Christum, & curam carnis non faciant in desiderijs, (*Gal.* 5.) sicut fecerunt in paradiso. Citò proferte stolã primam, quæ Christus est, & induite illum. (*Luc.* 15.) Induitur Adam stolâ, dum Filius Dei se vestit carne ipsius. *Videtis*, ait Chrysologus, *quia delicta non videt vis amoris.* Verè propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos Deus Pater, (*Eph.* 2.) Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, (*Rom.* 8.) ut omnes salvaret, ut omnibus esset Jesus. Citò inquit Pater; Chrysologus explicat: *tardam misericordiam nescit Pater, nescit tarda molimina cordis Paterni gratia.* Et date annulum in manu ejus; (*Luc.* 15.) super quo idem D. Chrysologus: *Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat & honorem.* *Annulus*, juxta V. Bedam,

Osculum Patris in filio prodigo signum salutis.

Receptus à Patre induitur stolâ,

insignitur annulo,

Bedam, *sinceræ fidei signaculum est*; vel juxta Sanctum Chrysostomum, *est signaculi salutaris symbolum, & desponsationis insigne, & nuptiarum pignus*; planè nuptiarum inter Deum & naturam humanã per incarnationem. Vel secundùm Interlinearem, *annulus est signaculum similitudinis Christi, & expressio veritatis*: sive juxta Divum Augustinum, *annulus est Spiritûs Sancti pignus*: gratiæ etiam participatio significatur per digitum. Date annulum, qui signum est hominis liberi, nobilis, ac divitis; æquè ac calceamenta in pedibus ejus, (*Luc.* 15.) ut tanquam liber progrediatur; cùm servorum sit nudipedes incedere; *ut calceatus anterioris vitæ redires ad cursum*, ait Sanctus Chrysologus. Omnis hæc innocentiæ, gratiæ, honoris, & libertatis prærogativa redit homini per incarnationem Filij Dei, per osculum oris Paterni. Misericordia & veritas obviaverunt sibi, quæ sunt omnes viæ Dei, justitia & pax osculatæ sunt, (*Ps.* 84.) quæ promissæ sunt cum adventu ejus; dicit enim Propheta: *Ps.* 71 orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis. Et adducite vitulum saginatum, ait Pater: (*Luc.* 15.) super quo Sanctus Chrysologus: *vitulus pingvis testatur paternæ pingvedinem charitatis*; & Divus Chrysostomus: *Christus vitulus dicitur ob immolati corporis hostiam, saginatus quia pro totius mundi salute sufficit.* Et occidite, verba sunt Patris, de quibus S. Augustinus: *præcipit Pater eum adduci, id est prædicari; & occidi, id est ejus mortem insinuari, tunc enim cuiq; occiditur, cùm credit occisum.* Et manducemus & epulemur. (*Luc.* 15.) En gaudiũ Patris de conversione filij. *Deus*, dicente Euthymio, *dicitur edere ob lætitiæ communicationem. Nulla enim*, ait S. Hieronymus, *potest esse jucunditas, nisi Patre nobiscum celebrante convivium. Patris autem cibus*, inquit Beda, *salus nostra.* Idem asserit S. Ambrosius: *Paternus est cibus salus nostra, & Patris gaudium nostrorum redemptio peccatorum.* Rationem tantæ gratiæ diffusæ in labijs Patris audiamus: quia hic filius meus mortuus fuerat & revixit, perierat & inventus est. (*Luc.* 15.) Quis magìs perierat & mortuus fuerat, quàm homo in primo Patre Adam? Quis magìs inventus est & revixit, quàm homo in secundo Adam hodie nato, sed ad mortem? Ita dicente S. Chrysologo: *mortuus filius vituli suscitatur ex morte, & unus vitulus totius familiæ funditur in saginam.* Concludo verbis ejusdem auriloqui Patris, in compendium omnia reducendo. *Cecidit super collum ejus*; (Luc. 15.) *cecidit, cùm per Christum Divinitas tota nostra decumbit & incumbit in carne. Et osculatus est eum*; *quando? Quando misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt se.* (Ps. 84.) *Dedit stolam primam*, (Luc. 15.) *illam quam Adam perdidit, immortalitatis gloriam sempiternam. Posuit annulum in manu ejus*; (Ib.) *annulum honoris, titulum libertatis, insigne pignus spiritûs, signaculum fidei, arrham cœlestium nuptiarum. Audi Apostolum*: (2. Cor. 11.) *despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo. Et calceamenta in pedibus ejus*; (Luc. 15.) *ut essent calceati*

Varia annuli denotationes.

Excipitur convivio.

S. Chrysol.

D. Chrysost.

S. August.

S. Hieronymus.

Gaudium Patris super reditu filij.

S. Chrysologus.

Amor ejusdem reducem deosculantis.

pedes in prædicationem Evangelij, (Eph. 6.) *ut essent speciosi pedes evangelizantium pacem.* (Rom. 10.) *Et occidit ei vitulum saginatũ*, (Luc. 15.) *illum de quo David cantabat*: (Ps. 68.) *& placebit DEO super vitulum novellum cornua producentem & ungulas. Occiditur Patre vitulus sic jubente, quia Christus Deus Dei Filius occidi sinè Patris voluntate non poterat. Audi Apostolum*: (Rom. 8.) *qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Hic est vitulus, qui in epulum nostrum quotidie ac jugiter immolatur.* Ita aureè Chrysologus. Quidni reciprocè desideret homo offerre osculũ juxta finem Epithalamij? Quis mihi det te fratrem meum? (*Cant.* 8.) Nonne frater noster est, os de ossibus nostris, & caro de carne nostra? (*Gen.* 37.) sugentem ubera Matris meæ? (*Cant.* 8.) utiq; in Joanne nobis dictum de Matre Domini: ecce Mater tua. [*Joan.* 19.] Et inveniam te foris. Omninò foris extra paradisum in hoc exilio. *Foris factus est, qui erat intùs*, ait S. Ambrosius. *Vide illum intùs quando legis, quòd in sinu est Patris; cognosce illum foris, quando nos quærit ut redimat.* Et alibi: *Bona anima quæ foris est, ut verbum intùs sit, illa extra corpus, ut verbum habitet in nobis; foris reperitur dùm nascitur in stabulo, foris est dùm moritur extra portam civitatis, utrobiq; amabilis.* Unde dicit: (*Cant.* 8.) & deosculer te; id est juxta S. Anselmum, *& delecter in agnita tui humanitate.* Vel secundùm Rupertum, *invenire Christum foris, est exire ad illum extra castra, qui sicut extra portam passus est, ita extraneus factus est filijs suis, & filijs Matris suæ* (Ps. 68.) *Eundem verò deosculari, est improperium ejus venerari, & Sacramenta pietatis ejus familiariter cognoscere. Nam in quantum cognoscimus & diligimus, in tantum illum amabilem amantes deosculamur.* Et jam me nemo despiciet. (*Cant.* 8.) *Quis enim poterit despicere hominem*, ait noster Gvillelmus, *in Deo homine facto? Quis vilem judicabit hominem, pretio sangvinis Filij Dei pro homine dato?* Jam igitur per nativitatem Filij Dei in carne, à Patre inventi qui eramus perditi; jam reviviscentes, quando misericordia & veritas sunt nobiscum, atque justitia & pax salutârunt se in osculo sancto; (*Rom.* 16.) quando diffusa est gratia in labijs Angelorum canentium gloriã Deo & pacem hominibus bonæ voluntatis: [*Luc.* 2.] revertamur in nos, convertamur ad Patrem, redeamus ad illum, suscipiamus gratanter misericordiam ejus, sectemur justitiam, (1. *Tim.* 6.) pacem & veritatem diligamus, (*Zach.* 8.) veritati innitamur, amplectamur gratiam, suscipiamus verbum in carne nostra insitum quod potest salvare animas nostras, (*Jac.* 1.) simus homines bonæ voluntatis, ut tantis gratijs Patris, tantis beneficijs, tantis benedictionibus per Christum, de cujus plenitudine nos omnes accipimus, [*Joan.* 1.] vestiri, honorari, ornari, & cum filio seniore Angelico Ordine, & cum omnibus Statibus Ecclesiæ Sanctæ in carne & extra carnem positis, tractari, epulari, & gaudere nunc & in æternum mereamur.

S. Ambrosii9

Rupertus.

Quid est, invenire Christũ foris, & deosculari illum?

Oratio R. P. Prioris pro Colenda.

DEcimus jam præterlabitur annus, ex quo auspicatum felicissimi regiminis cursum ac progressum metimur & numeramus. Perillustris ac Reverendessime Domine. Si Paternæ directionis Tuæ suavitatem perpendimus, in hac annorum decade paucorum dierum præ amoris mutui magnitudine agnoscimus intervalla. Si magnitudinem operum & molem beneficiorum hìc & alibi impensorum pensamus, juremeritò interstitia seculorum in hoc decennio tenemur computare. Equidem per hoc decimalis ævi compendium, Antistes gratiosissime, Tuis rectè & gloriosè factis quantùm Antecessorum tuorum facinora longo anteis spatio meritorum: tantum quo ad Successorum tuorum sequelam atque imitationem spem nostram superas & expectationem, quinimò ipsius postetitatis fidem præclarè gestorum Tuorum excedit multitudo. Ea nunc recensere & longum esset & supervacaneum, satis namque in aprico sunt, clarè lucent, & orbi patent universo. Neque impræsentiarum immensam præconiorum tuorum telam texere exigua capit oratio; neque modestiæ Tuæ adita, per quam omnes refugis laudationes, omnia in Deum referens & refundens, liberum in molestas Tibi licèt condignas panegyres excurrendi permittunt aditum vel ingressum. Nihil proinde restat nobis Præsul munificentissime, nisi immortales tot gratijs per hoc decennium exhibitis reponere grates, & cum præsenti Natalis Dominici, ac subsequenti novi anni recursu, novas votorum myriades, ut decadum decades transcendas in annis, donec longitudine dierum adimpletus, plenitudine operum inclytus, amplitudine meritorum cumulatus æternæ ac beatæ mercedis denario coroneris. Omnes id cordicitùs exoptamus, conclamantes: Fiat, fiat.

Responsum Reverendissimi Domini Abbatis.

DOdecameron sive duodecendium hodie est à decennio exilis regiminis mei die 14 *Decembris* præcurrente terminato; quod per possessionem Abbatiæ acceptam anno 1683. fuit inchoatum, quando ex Divino beneplacito onus Præfecturæ Abbatialis supra præsentem Fratrum benè & jucundè habitantium in unum (*Ps.* 132) multitudinem mihi fuit impositum, factusque erat super humerum meum Principatus. (*Is.* 9.) Porrò sicut decem virgines universitatem designant credentium, ita in hac nostræ multitudinis numerositate denarium possum considerare. Jam verò omnem multitudinem ab uno provenire, & ad unum reduci manifestum est; neque aliquid unitate cum multitudine gaudere posset, nisi per unitatis participationem unitatem sibi compararet. Unum autem illud antiquissimum, à quo omnia, non aliud esse præter Deum, sacra nos docet fides, qui antequam peculiarem rebus à se creatis communicaret unitatem, primo unitatis numero gaudet ab æterno & usq; in æternum;

Soli Deo propriè convenit unitas.

ita tamen ut per binarium ad ternarium procedat, unitatemque Deitatis suæ ternario Personarum coronet. Ita Hermes Trismegistus Sapientum ter maximus asserit, quòd Monas genuerit Monadem, & in seipsam suum reflexerit ardorem: Pater videlicet Filium, & uterq; Spiritum Sanctum. Tandem in quaternarium elementorum, quibus tota mundi subsistit machina, ab extra se diffudit. Unde unum, duo, tria, quatuor, simul juncta efficiunt denarium, illum numerum omnium

Perfectio denarij.

numerorum perfectissimum, omnium numerorum finem & complementum, omniumque decadum principium. Ultra denarium enim numerum non datur numerus nisi replicatus; & sic denarius in se coacervatus redit in unum, redit ad suum principium unde prodivit. Ita quoque omnis ordo ab unitate incipiens procedit in multitudinẽ unitati coelementalem, ipsaque ordinis multitudo reducitur ad unitatem.

Georgius Venetus.

Hinc *omnia*, uti loquitur Georgius Venetus, *quæ sub globo lunari sunt, per hominem tanquam per decimum eorum genus, quæ sunt corruptioni subjecta; & novem cæli per cælum decimum, quod Empyreum dicitur; & novem ordines Angelorum per suam decadem in primariam reducuntur unitatem.* Et sanè veteres Mythologi, dicente Neoterico Authore, hoc per 9. Musas & Apollinem haud inscitè exponebant. Hoc pacto, uti dictum est immediatè, novem Angelorum chori in tres Hierarchias dispartiti cum uno omnium complemento denarium conficiunt. In scientijs totius encyclopediæ denarium novem cathegoriæ cum substantia claudunt. In moralibus decem præcepta legis, utriusque legis præstant complementum. Hinc Hebræorum Sapientes per decem Sephiroth, id est numerationes, omnem Dei perfectionem, & ad inferiora emanationem exprimebant ab illo Ensuph, id est infinito, omnis termini experte, à quo omnis influxus derivatur: ac primùm per hæc decem nomina seu numerationes, quæ sunt Hebraicè Kether, latinè corona, Chochma sapientia, Binah intelligentia, Gedula magnitudo, Geburath fortitudo, Tiphereth pulchritudo, Nizach victoria, Hod honor, Jesod fundamentum, Malcuth regnum; per has inquam numerationes in mũdum angelicum, ac deinde in mundum sidereum & elementarem, denique in Microcosmum hominem quadam occultâ influit Deus analogiâ, & per has mundum creatum ijdem Hebræorum Rabini asserunt conservari.

Perfectio Dei per decem numerationes ab Hebræis expressa.

Cæterùm denarius numerus omnes numerorum differentias parium & imparium, omnesque eorum rationes multiplicativas ac superpartientes & superpartitas in se complectitur. Tum etiam omnes proportiones tam arithmeticas, quæ tantundem numero superant quantum superantur, ut 1. 2. 3. quàm geometricas, uti patet in 1. 2. 4. ubi sicut se habet secundus ad primum, ita quartus ad secundum. Nec harmonica proportio abest à denario, quando quaternarius expansus, qui potentiâ denarius est, siquidem 1. 2. 3. 4. sibi addita, uti dictum est, conficiunt decem, & ut sic consideratus omnes in se quinque harmoniarum continet proportiones. In proportione

portione enim duorum ad unum est dupla, à Musicis diapason dicta sive octava. In duobus ad tria reperitur quinta proportio diapente, in tribus ad quatuor quarta diatessaron; in tribus ad unum tripla diapason & diapente, in quatuor ad unum quadrupla disdiapason nominata, quæ est duplex octava. Quin & triangulorum aliorumque polygonorum proportiones exhibet denarius, ut verè dici possit perfectissimus, utpote qui omnia numerorum, rationum, proportionũ, corporisq; dimensionum genera comprehendit. Omnia decima nescio quid divinum habentia, à *Deo* tanquam propria exiguntur simul cum primitijs, ut rerum primordia ac fines sive decimæ ipsi reddantur, qui omnium rerum principium & finis est. Notandum quòd etiam hominum genealogia celebriori electione voluerit sibi denarium asciscere. *Decimus* enim ab Adam fuit Noe, & ab hoc fuit decimus Abraham. Christus verò omnium desideratissimus secundùm Lucam decimus septimi denarij à *Deo* incipiendo, ut per revolutionem denarij & septenarij sacramento in *Deum* revertens, omnes secũ conducendo reduceret. Secundùm autem Matthæum est sexagesimo tertius à *Deo*, post novem videlicet septenarios, ut relictis 99 ovibus in deserto decimam ovem errabundam, hominem, septem Sacramentorum mysterio ad se revocaret. (*Matth.* 18.) Usque ad decem justos descendit remissio, quâ Deus paratus erat parcere Sodomitis, (*Gen.* 18.) hoc est, usque ad servantes mandata Decalogi. Decem homines qui apprehenderunt fimbriam, viri Judæi juxta *D.* Hieronymum sunt, qui in mensuram viri perfecti venerunt. Sed & parabolam decem Virginum in Evangelio, quas in sensibus carnis & spiritûs interpretamur, eodem *S.* Hieronymo *Doctore*, si oleum bonorum operum in lampadibus præparârint, & quinarium numerum duplicârint, ut sint sanctæ, juxta Apostolum, [1. *Cor.* 7.] & corpore & spiritu, ad hujus referuntur sacramentum. *Decem* quoque civitates, quas, qui corporis sensus optimè gubernârit, numero duplicato accipiet in futurum. Denarius scientiam Dei & creaturæ potest significare propter tria & septem, ex quibus constituitur: ut tria referantur ad *Deum*, septem ad creaturas. Denarius quoque est spes cælestium præmiorum, sicut denarius diurnus est ipsum præmium. Porrò decima generatio juxta glossam aliquando dicit totum tempus, ut qui non intrat in Ecclesiam etiam post decimam generationem, hoc est, nunquam; aliquando indicat decalogi observationem, quam non minùs decachordum Psalterium manifestat. Jam igitur ut ad nostra redeamus, decennali hoc meo regimine cum *Dei* gratia transacto ad unum me reduci agnosco, ut quasi præteritorum oblitus ad anteriora me extendens, persequar bravium supernæ vocationis meæ, (*Phil.* 3.) & publici servitij: hoc unum desiderans, ut hæc annorum nostrorum decas hanc quam reperit & tenuit pacis & concordiæ, in ulteriori temporum decursu cum Deo mecum & ad invicem conservet unitatem. Apud me equidem hæc unitas semper inveniet pri-

Consideratio denarij in varijs.

mitias & decimas optimi affectûs ac abundantissimi effectûs. Sit duntaxat in nobis omnibus continuus decalogi in ejus observantia respectus, nunquam sanè æternæ mercedis denario frustrabimur. Illi porrò Summo Uni Deo adhæreamus: cùmq; simus adinstar cyphræ aut nollæ, nihilum ante Deum, non anteponamus nos per superbiam vel præsumptionem: [cyphra enim præposita unitati nihil numerat, sic & nos manebimus nihilum, imò in pejus damnationis nihilum redigemur] sed postponamus nos per humilitatem, humiliemus nos sub potenti manu Dei; [1. *Pet.* 5,] sic erimus aliquid, numerum denarium conficiemus; *Deo* per submissionem juncti, ex 5. talentis 10. talenta superlucrabimur, tantò magis, si latina figura decimum numerum in nobis expresserimus, videlicet crucem S. Andreæ desideratam & concupiscenti animo præparatam, toto vitæ nostræ decennio dilexerimus, amplexi fuerimus, & gestaverimus. Super omnia si in denario animæ nostræ imago Dei, in denario corporis nostri imago Crucifixi reperietur, utique *Dei* erimus, erimus Christi, Deo & Christo ejus reddemur in æternum; quod utinam nobis cum renovatione Natalis sui & novi anni revolutione cælestis Decimator impertiatur.

Uni & soli Deo adhærendum.

Sermo in Circumcisione Domini.

Diffusa est gratia in labijs tuis, Ps. 44.

NUnquam magis diffusam fuisse gratiam Dei in labijs hominũ agnoscimus, PP. RR. FF. DD. quàm quando vocatum est nomen ejus, qui natus est nobis Salvator Christus *Dominus*; vocatum, inquam, est nomen ejus Jesus ab hominibus, quod vocatũ fuerat ab Angelo, priùsquam in utero conciperetur, *Luc.* 2.] Quinimò ab æterno hoc nomen ordinatum Filio Dei & hominis, in quo notum faceret Dominus salutare suum, (*Ps.* 97.) per quod appareret gratia Salvatoris omnibus hominibus salvans ipsos. (*Tit.* 2.) Jesus enim significat Salvatorem, ipsamque salutem. Ego autem in Domino gaudebo, concinit jubilans Propheta, & exultabo in DEO Jesu meo. (*Hab.* 3.) Ecce Deus Salvator meus, ait alter Vates, (*Is.* 12.) fiducialiter agam & non timebo; quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. (*Ps.* 117.) Verè in Domino Deo nostro salus Israël, (*Jer.* 3.) sed & Gentium, dicente *Deo*: (*Is.* 49.) ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Ipse est Deus noster in carne nostra salvum faciens populum suum à peccatis eorum. (*Matt.* 1.) Sed quomodò? Per effusionem pretiosissimi sangvinis sui, nam teste Apostolo, [*Heb.* 9.] sine sangvinis effusione non fit remissio, & hæc est justificatio nostra, & salvatio populi à peccatis. Justitiæ enim Dei debebat fieri satisfactio, quam in se suscepit Filius *Dei* factus homo. Unde vocatur non tantùm justus justificans alios, sed ipsa justitia. Ecce quomodò nomen Jesu, nomen Salvatoris jungitur effusioni sangvinis ad justitiæ

Jesus per effusionem sangvinis pro peccatis nostris Dei justitiæ satisfacit.

Divinæ

Divinæ executionem? Inde promittit Deus per Prophetam: (*Isaiæ* 46.) prope feci justitiam meam, non elongabitur; & salus mea non morabitur. Dabo in Syon salutem, & Israëli gloriam meam. Juxta est salus mea ut veniat, & justitia mea ut reveletur. (*Is.* 56.) Salus patet in nomine Jesu, justitia in revelatione sangvinis effusi; de qua rursùs: salus mea in sempiternum erit, & justitia mea non deficiet. (*Is.* 51.) Utrumque manifestat Doctor Gentium dicens: (*1. Cor.* 6.) justificati estis in nomine *Domini* nostri JESU Christi. Et rursùs: (*Rom.* 5.) Multò magis nunc justificati in sangvine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Hoc ipsum alibi replicat ampliùs: (*Rom.* 3.) Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit *Deus* propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionum justitiæ suæ: nimirùm juxta Origenem, *justam peccati vindictam sumendo, nolens gratìs remittere peccata, sed volens pro peccato justum pretium sanguinis Christi sibi persolvi.* Ideò addit Apostolus: (*Rom.* 3.) per remissionem delictorum præcedentium. Repetit autem rursùs: *ib.* ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi; videlicet quòd Deus proposuerit propitiatorem Christum, ex sensu SS. Augustini & Chrysostomi; hoc fine, ut divitias justitiæ, quâ Deus in se justus est, ostenderet, eandem justitiam nobis peccatoribus per Christum communicando. Hinc apud Prophetam (*Is.* 43.) ingeminat Deus & *Dominus* noster: Ego sum, ego sum *Dominus*, & non est absq; me Salvator, id est Jesus. Et infra: ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, (*Ib.*) per effusum innocentissimi Agni cruorem. Propter me ait, ad satisfaciendum rigori justitiæ meæ, & ad manifestandam justitiæ meæ perfectionem. Ecce vix natus Salvator jam pænam patitur, jam pœnitentiā agit pro peccatis nostris. Pœnitet me fecisse hominem, ait Deus; (*Gen.* 6.) quod S. Pater noster explicat: *pæna*, inquit, *me tenet. Mihi incumbit sustinere pænam, pænitentiam agere pro homine quem creavi. Non enim potest hic calix transire, nisi bibam illum*, (Matt. 26.) *calicem videlicet passionis.* Patres ac Fratres Dilectissimi, si hæc in viridi quid in arido? (*Luc.* 23.) Ergo nos liberi à pœnitentia, qui peccavimus & peccamus quotidie, quando non liber ab illa, qui nihil deliquit? Unde meritò timendum unicuique, digni pœnitentiæ fructus faciendi, (*Luc.* 3.) opera justitiæ exercendæ, si salutem nostram consequi volumus per Salvatorem justum justitias diligentem, & nos per gratiam diffusam in labijs suis justificantem. O quàm svavis gratia, quando dicit: remittuntur tibi peccata tua; (*Luc.* 7) sed ad hanc vocem gratiæ obtinendam requiritur cum timore DEI pœnitentia Magdalenæ. Quid quòd Deo nomen quoque timoris attribuatur? Sic Jacob dixit: (*Gen.* 31.) nisi Deus Patris mei Abraham & timor Isaac affuisset mihi, acsi diceret: Deus quem coluit Abraham, & quem timuit ac reveritus est Isaac, ubi metonymicè timor sumitur pro objecto timoris

Origenes.

Quare?

S. Bernardus

Hæc ejus satisfactio ad pænitentiam nos inducit.

Quomodo Deo timoris nomen competit?

moris, quod est Deus. Simili modo Psalmista dicit: [Ps. 70.] tu es patientia mea Domine, tu es spes mea, tu es amor meus, dicunt alij: Deus meus amor meus & omnia. Nimirùm patientia non tantùm est virtus impellens ad fortiter patiendum, nec tantùm ipsa passio & res adversa quam patimur, sed & Deus ipse, propter quem patimur. Spes & amor non tantùm est spes quâ speramus, & amor quo amamus, sed etiam est Deus, in quo speramus, & quem amamus. Sic de timore ait Isaias: c. 8. Dominũ exercituum ipsum sanctificate. Quomodo? Per fidem, per cultum, per timorem, per spem, per amorem, & per omnes religionis actus sanctum declarate dicentes Deo: [Matt. 6.] sanctificetur nomen tuum; sanctum enim est nomen ejus. (Ps. 110.) Consequenter subnectit: (Is. 8.) ipse pavor vester, & ipse terror vester; ipse objectum pavoris vestri quem paveatis, timeatis, revereamini, ac colatis religiosè. *Exigit Deus timeri ut Dominus*, ait S. Doctor noster, *honorari ut Pater, ut Sponsus amari.* Ideo dicit: [Mal. 1.] si Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus Deus exercituum, quem sanctificare debemus vel maximè per timorem; cui serviunt Angeli, cujus sedes cœlum, terra scabellum, (Isai. 66.) cui venti & mare obediunt; [Matt. 8.] *coram quo*, dicente S. Chrysologo, *Archangeli tremunt, pavent Angeli, Potestates metuunt, in faciem cœli proruunt Seniores, elementa fugiunt, solvuntur saxa, montes defluunt, terra tremit, sol & luna obscurantur.* Et erit vobis in sanctificationem, concludit Propheta. (Is. 8.) En fructus timoris Divini, qui sanctus est permanens in sæculum sæculi. (Ps. 18.) Vos sanctificate Deum per timorem, & Deus sanctificabit vos per gratiam suam, eritque vobis sanctuarium & Sanctum sanctorum. Placet aliquantùm adhuc huic timori Domini immorari, fonti omnis justitiæ, salutis & gratiæ. Nonne ipse septenarius Spiritus Sanctus requiescens super Filium Dei factum filium hominis, pro coronide dicitur repleturus eum spiritus timoris Domini? (Is. 11.) Hoc quomodò? *Quandoquidem dono timoris*, juxta D. Augustinum, *timet aliquis vel separationem à Deo per timorem castum, vel puniri ab ipso per timorem servilem; Christus autem non potuit timere separari à Deo per peccatum, neq; puniri ab eo propter culpam, quia impossibile erat ipsi peccare.* *Sed licèt in Christo Domino*, dicente Sancto Thoma, *nullus fuerit culpæ vel pœnæ timor, fuit tamen in illo quà homine præ cæteris hominibus timor, quo Divinam reverebatur majestatem.* Cognoscẽs enim Divinam eminentiam anima Christi, quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum à Spiritu Sancto acta; unde *Heb. 5.* dicitur, quòd in omnibus exauditus est pro sua reverentia. Hunc reverentiæ respectum habuit Christus quà homo præ alijs omnibus pleniorem, uti Scriptura attribuit ei plenitudinem timoris Domini, quia cognitionem Divinitatis habuit majorem & ampliorem. Vatablus legit illud, replebit eum spiritus timoris Domini, (Is. 11.) ex Hebraico, odorari

Quomodo timẽdus?

S. Bernard.

S. Chrysologus.

S. Augustinus.

S. Thomas.

Qualis in Christo fuit timor?

rari faciet illum spiritus timoris Domini, acsi dicat: spiritus Domini dabit Christo sagacitatem, & acre judicium ad percipiendum statim, utrùm homines timeant Deum necne, quod ipso olfactu sentiet, non visu nec auditu, quia sequitur: non secundùm visionē oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet. Alij vertunt: odoriferum faciet illum spiritus timoris Domini, per quod alluditur ad illud Isaac dictum de Jacob: (*Gen.* 27.) ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus; & illud Canticorum: (*c.* 1.) in odorem ungventorum tuorum curremus. Alius interpretatur sic: spiritus olere faciet Christum timorem Domini; quasi dicat: faciet spiritus Christum in omni opere & loco ex se emittere odorem timoris Domini. Alius verò sic explicat: respirare ejus erit in timore Domini: id est, spiritus Domini faciet, ut respiratio, nimirùm omnis vita & actio Christi sit in timore Domini, adeoq; timor Domini erit spiraculum, halitus, vita & anima Christi. Denique hoc intelligitur, quòd spiritus Domini spirare eum faciet timorem Domini, ita ut nil nisi Dei timorem, religionem & pietatem, corde, ore, opere, oculis, manibus, totoque gestu & habitu corporis exspiret & exhalet, uti flores rosarum & liliorum solent odorem suum diffundere. Sic Apostolus dicit: (2. *Cor.* 2.) Christi bonus odor sumus in omni loco. Notandum, quòd non dicat Propheta, requiescet, uti de alijs donis Spiritûs Sancti dixit, sed replebit; cujus ratio pulchra legitur in collationibus Cassiani. *Tantæ enim ubertatis ejus*, id est timoris Divini, *est magnitudo, ut quem semel suâ virtute possederit, non partem sed totā ejus occupet mentem.* Nec immeritò, illi enim, quæ nunquam excidit, charitati cohærens non solùm replet, sed etiam perpetuâ & inseparabili eum quem cæperit possidet jugitate. Nullis lætitiæ temporalis vel voluptatum oblectationibus imminutus, quod nonnunquam illi qui foràs mittitur, timori evenire consvevit. Sed quid mirùm, timorem omnimodè unitum sapientiæ fuisse in Sapientia DEI incarnata? Audiamus quid dicat Pater Sapientissimi: (*Eccli.* 1.) initium sapientiæ timor Domini. Idipsum in Proverbijs suis (*c.* 1.) asserit ipse sapientissimus Regum; timor Domini principium sapientiæ. Siracides autem omnia de sapientia attribuit timori Dei. Jam corona sapientiæ est timor Domini, [*Eccli.* 1.] jam radix sapientiæ est timere Deum, & rami illius longævi; (*ib.*) jam timor Domini disciplina sapientiæ, (*Pr.* 15.) jam plenitudo sapientiæ est timere Deum. *Eccli.* 1.] Denique imperat: da locum timori altissimi, (*Eccli.* 19.) quia omnis sapientia timor Domini, & in illa timere Deum. (*ib.*) Quod ipsum asserit Job: *c.* 28. ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Nec minùs Ecclesiasticus *c.* 21. affirmat, quòd consummatio timoris Dei sit sapientia. Quod ut breviter explicem, sciendum timorem & sapientiam esse sibi mutuò causas. Et quidem timor servilis est causa & initium sapientiæ, movens animam ad fugam peccatorum propter instantem pœnam. Deinde primus sapien-

Respectus reverentiæ Christi ergo Deum præ omnibus perfectissimus.

Cassianus.

Timor Domini principium sapientiæ.

Quomodo timor & sapientia sibi mutuò sunt causæ.

tiæ effectus eſt timor filialis; qui rursùs cauſa eſt perfectionis ſapientiæ, ex quo animam incitat ad profectum de virtute in virtutem, maximè autem ad perfectionem charitatis, quæ anima eſt ſapientiæ. Et ſic annulus quidam formatur à ſervili timore incipiens, & in filialem deſinens, colligante eos & inſtar gemmæ vel lapidis pretioſi illuſtrante, ſimul ac ex utroque prodeunte ſapientia. Sed quandoquidem fons ſapientiæ eſt verbum *Dei* in excelſis, (*Eccli.* 1.) & ingreſſus illius mandata æterna, videte in quo ſubſiſtat verbum *Dei*. Audite orantem Regem Sanctum: (*Pſ.* 118) ſtatue ſervo tuo eloquium tuum in timore tuo. Fundamentum verbi Divini quod eſt? Timor Dei. Teſtatur id S. Ambroſius. *Baſis quædam verbi eſt timor ſanctus. Sicut enim ſimulacrum aliquod in baſi ſtatuitur, & tunc majorem habet gratiam, cùm in baſi ſtatua fuerit collocata, ſtandiq; accipit firmitatem; ita verbum Dei in timore ſancto meliùs ſtatuitur, fortiùs radicatur, hoc eſt, in pectore timentis Dominum, ne labatur verbum de corde viri, ne veniant volucres, & auferant illud de incuriæ & diſſimulantis affectu.* Jam igitur cùm vocatio nominis JESU ſalutem nobis indigitet, circumciſio verò ejus juſtitiam repræſentet, ecce divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia, timor autem Domini ipſe eſt theſaurus ejus, (*Iſ.* 33.) nimirùm ſalutis; facultates & virtutes exaltant cor, & ſuper hæc timor *Domini*, ait Eccleſiaſticus. (*c.* 40.) De ſecundo, id eſt juſtitia, præcipit idem: (*Eccli.* 2) fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore. Hinc quærit Sol *Doctorum*: *Quis poteſt, niſi Deum timeat, ſervare juſtitiam?* Dicit enim Scriptura: [*Eccli* 1.] nam qui ſinè timore eſt, non poterit juſtificari. O Domine Jeſu confige illo cultro tuæ circumciſionis carnes meas, (*Pſ.* 118.) vel potiùs circumcide, ut exquiram & cuſtodiam juſtificationes tuas, & exercear in juſtificationibus tuis ſemper, & cantabiles mihi ſint juſtificationes tuæ in omni tempore. Ipſis Sanctis ordinatur timor: timete *Dominum* omnes Sancti ejus, imperat Rex Vatum. (*Pſal.* 33.) Et quidem terreſtres indigent timore *Dei* propter continuos hoſtes, immenſa pericula, lapſus frequentes. Audiamus Sanctū Hieronymum. *Nunquam tuta eſt humana fragilitas, & quantò magìs virtutibus creſcimus, tantò magìs timere debemus, ne de ſublimibus corruamus.* Et alibi: *multi de terra cœli fiunt, & multi de cœlo terra. Infelix Judas cœlum fuit, & factus eſt terra. Paulus Apoſtolus eo tempore quo perſequebatur Eccleſiam, terra erat, confeſſus eſt, & cœlum factus eſt. Nec qui cœlum eſt debet eſſe ſecurus, nec qui terra eſt, debet deſperare de vita.* Ita S. Hieronymus. Ac ideo timor *Domini* neceſſarius eſt ad ſalutem conſequendam & juſtitiam ſervandam. Firmamentum eſt *Dominus* timentibus eum; (*Pſ.* 24.) in timore Dei fiducia fortitudinis. (*Pr.* 14.) *Timor Domini munitio animæ*, inquit S. Ephrem. Qui timet Dominum, ſimilis eſt civitati ſupra montem poſitæ murisq; munitæ, à cujus conſpectu improbi contremiſcunt dæmones. Vir ſapiens ædificat domum ſuam ſupra petram [*Mat.* 7.] timoris Dei.

Si

Fundamentum verbi Divini, timor Dei.

S. Ambroſ.

S. Auguſt.

Sanctis, qui in terra ſunt, timor quoque ordinatur.

S. Hieron.

Idem

Timor ad ſalutem conſequendam neceſſarius.

Si non in timore Dei tenueris te instanter & constanter, citò subvertetur domus tua, præmonet Siracides. (*Eccli.* 17.) Cœlestes autem Sancti non minùs timorem habent reverentialem & devotionalem erga supremam illam DEI majestatem. Juremeritò ergo Rex sanctissimus volens agere Doctorem, vocat ad se omnes: Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. [*Ps.* 33.] *Non cursus siderum*, ait S. Laurentius Justinianus, *non rerum naturas, neq; cælorum secreta, sed timorem Domini docebo vos.* Horum scientia sinè timore inflat, timor autem Domini absq; scientia illorum salvat. Summa omnis doctrinæ cælestis est timor Dei: qui juxta D. Pachomium *instruit nos super* 10000 *Pædagogorum magistrorumq; doctrinam, quia ipse supremus animarum Pædagogus est*; *Pædagogus*, juxta S. Basilium, *ad exercendam pietatem, imò ad omnem virtutem ac justitiam. Nihil enim*, inquit S. Chrysostomus, *tantùm peccata consumit, virtutes verò crescere facit & germinare, quantum continui timoris natura. Timor pius, humilis, fructuosus*, teste mellifluo Patre nostro, *generat, nutrit, & servat non solùm humilitatem, sed mansuetudinem, sed patientiam, sed longanimitatem.* Quem non delectat tam inclyta proles? Denique Parens est omnis justitiæ, omnium virtutum Pater, nutritius & custos, arrha salutis æternæ, dicente Isaia [cap. 26.] A facie tua (Septuaginta legunt, per timorem tuum) Domine concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis. Hæc in novo anno sit vobis PP. RR. FF. DD. strena à me oblata, timor Dei, quem vobis per totum Adventum prædicavi. Sed cur juxta thema non gratiam? Quinimò gratiam, quia *timor DEI* ex sensu S. Patris nostri, *est prima gratia*: dicere possumus, est & ultima gratia; siquidem ille omnia opera bona coronat, quæ sequuntur nos post hanc vitam. Est donum Dei maximum. Utinam verificetur de nobis illud promissum Dei apud Jeremiam: *c.* 32. Et feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere. Quomodo hoc pactum fiet & hæc beneficentia, ô Domine? Et timorem meum dabo in corde eorum, (en donum Dei) ut non recedant à me. O quanta felicitas timoris Dei, esse semper cum Deo! Quis fructus exinde? Et lætabor super eis, cùm eis benefecero, & plantabo eos in terra ista, (*ib.*) videlicet in terra promissionis, in terra viventium. (*Ps.* 26.) Sed unde certitudo? In veritate asseverat Deus, utique qui ipsa Veritas essentialis est; ergo per seipsum facit testimonia gratiarum suarum credibilia nimis. (*Ps.* 92.) Id cum quanto affectu, subnectit: (*Is.* 32.) in toto corde meo, & in tota anima mea: O quanta Dei bonitas erga timentes se, totum cor suum, totam animam suam, id est totum seipsum in hanc impendit beneficentiam. Timorem ergo Dei offero pro munere novi anni. Habetote Fratres mei, & tenetote timorem Dei ante omnia & super omnia in cogitationibus vestris, in sermonibus vestris, in actibus vestris, ut mente, ore, & opere nihil præ vobis feratis nisi timorem Dei; & benè erit vobis

Summa omnis doctrinæ cælestis timor Dei.

S. Pachom.

S. Chrysost.

S. Bernard

Hic pro novo anno in strenam offertur.

Adhortatio ad timorem sectandum.

à Deo, plantabimini hic in gratia Dei, ibi in gloria. Sigillatim per hunc omnia recedent vetera peccatorum, nova fient omnia virtutum. Hic operabitur in vobis salutem & exercebit justitiam, quia salus animæ juxta Sapientem (*Eccli.* 30.) in sanctitate justitiæ. Hic dignos pœnitentiæ fructus esse agendos imperabit: hic divites vos faciet abundare in omni justitia, quia non est inopia timentibus eum. (*Psal.* 33.) Hic circumcidet vitia, implantabit virtutes, hostes propulsabit, pacem veram stabiliet cum Deo & inter nos, quam per deprecationem mutuam poscimus. Deniq; sapientiam veram instillabit, charitatem non fictam solidabit. Per hunc vivet in nobis Jesus circumcisus, qui utinam vivat, ut salutem nostram quæramus per circumcisionem pœnitentiæ ad satisfaciendum justitiæ *Divinæ*. Jesus circumcisus sit tremor noster, pavor noster, per quem sanctificemus *Deum*, & à Deo sanct ficemur. *Dicamus* cum Baruch: *c.* 3. Quia tu es Dominus Deus noster, utpote Deus Deorum, & laudabimus te Domine, quia propter hoc dedisti timorem hunc in cordibus nostris, ut invocemus nomen tuum JESUS, sanctificemus illud per circumcisionem nostram, colam⁹ te, revereamur te, sapiamus te & amemus cum omnibus Statibus in omnem æternitatem.

Sermo in Epiphania Domini.

Diffusa est gratia in labiis tuis. Ps. 44.

Nativitas Dei per stellam detecta.

GLoriosissima *Dei* hominis in terra Genethlia ab Angelis deprædicata, & à Pastoribus luce de cælo circumfulsâ agnita, stella quoque de cælo detexit, & ad cognitionem trium Regum gentilium deduxit, PP. RR. FF. DD. diciturque stella ejus in Oriente visa, (*Mat.* 2.) solem in Occidente Judææ exortum manifestans. Stella ejus, nimirùm Regis Judæorum, Messiæ promissi recens nati, clarioribus radijs super alias corusca, quia etiam de die lucens, tempore visitatæ Hierosolymæ, & requisiti loci natalis absconsa quidem, sed latitans, sed post aulæ Herodianæ, Principum, Sacerdotum, & Scribarum populi desertionem iteratò resplendens, stans supra ubi erat puer, (*Matt.* 2.) Bethleemitici stabuli index, & detectrix nati Salvatoris. Stella hæc prænunciata fuit per Balaam dicentem: (*Num.* 24.) orietur stella ex Jacob; qui est Christus ex Jacob Patriarcha per Judam & *Davidem* progeneratus, de se dicens in Apocalypsi: [*c.* 22.] ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina. Reges enim sunt instar stellarum, quos ex Abraham nascituros Deus prædixit, priùs in forma stellarum dicens: (*Gen.* 15.) numera stellas cœli si potes, sic erit semen tuum; & posteriùs asserens: Regesque ex te egredientur, (*Gen.* 17.) tam Juda quàm Israël Reges, sed maximè Rex Regum & Dominus Dominantium, (*Ap.* 19.) hodie sub nomine Regis Judæorum à Regibus apud Regem Herodem requisitus.

Stella Regum & regnorum symbolum.

Stella habens speciem coronæ Regiæ, est symbolum Regum & Regnorum. Et quia Sacerdotium est Regale, (1. *Pet.* 2.) ideo & Episcopi

scopi rectores Ecclesiarum, stellarum nomine denotantur, dicti ab ipso Christo habente in dextera sua septem stellas, [*Ap.* 1.] Angeli Ecclesiarum, possidentque regnum Sacerdotale. (*Ex.* 19.) Nominat autem seipsum Rex noster & summus Pontifex stellam matutinam, (*Apoc.* 22) id est, luciferum auroram diei secum ferentem, quâ dispelluntur tenebræ; quia in hac vita discussit tenebras peccatorum, ac potissimùm infidelitatis, & in futura vita discutit tenebras mortalitatis & temporalitatis; hìc lumen gratiæ infundens, ibi lumen gloriæ in perfecto æternitatis die profundens. Pulchrè Divus Gregorius super textum Jobi (*c.* 38.) à Deo enunciatum: nunquid producis luciferum in tempore suo? *Pater quippe in tempore suo luciferum producit, quia sicut scriptum est:* (Gal. 4.) *cùm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Qui natus ex Virgine velut lucifer inter tenebras nostræ noctis apparuit, quia fugatâ obscuritate peccati æternum nobis mane nunciavit. Luciferum se innotuit, quia diluculò ex morte surrexit, & fulgore sui luminis mortalitatis nostræ caliginem pressit. Cui benè per Joannem dicitur:* (Apoc. 22.) *stella splendida & matutina. Vivus quippe apparendo post mortem matutina nobis stella factus est; quia dùm in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur, indicavit.* Ita S. Gregorius. Justè igitur Luciferum Divinum orientem stella in oriente visa declarabat, per quam sanè magna Dei gratia diffusa est super tres Reges Magos nativitatē Christi agnoscentes; ipsâ non labijs loquente sed radijs lucente, natalemq; Messiæ præmonstrante. Priscillianistæ stellam hanc esse fatum Christi, res ejus futuras significans & determinans dixerunt: ad quod pulchrè S. Gregorius respondet: *dùm non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit*; si dici liceat: non stella fatum pueri, sed fatum stellæ is qui apparuit, puer fuit. Manichæi Christum stellis esse colligatum, & sub fato illarum existere asserebant; quos Sanctus Augustinus confutat. *Stella illa quam viderunt Magi, Christo secundùm carnem nato non ad decretum terminabatur, sed ad testimonium famulabatur; nec eum subijciebat imperio, sed indicabat obsequio.* Et infra: *Non ideo Christus natus est quia illa exstitit, sed ideo illa nova exorta est, quia Christus natus est. Unde si dici oporteret, non stellam Christo sed Christum stellæ fatum fuisse diceremus. Ipse quippe illi, non illa huic nascendi attulit causam. Si ergo sunt fata quæ à fando id est dicendò appellata sunt; quoniam Christus verbum DEI est, in quo antequam essent, dicta sunt omnia, non consortium siderum fatum Christi est, sed fatum etiam siderum Christus est, qui & ipsam carnem sub cœlo creatam ex voluntate assumpsit, quâ etiam cœlum creavit; eâ potestate deposuit & recepit, quâ etiam sideribus imperavit.* Ita præclarè S. Augustinus. Confirmat hoc eleganter S. Chrysologus explicans verba: vidimus stellam ejus. *Et quid non ejus? Stella ejus est, non ille stella. Stellam ejus, quæ accepit esse non dedit. Stellam cujus ortum*

Christus, stella matutina.

S. Gregor.

Error Priscillianistarū circa hanc stellam.

Error Manichæorum.

S. August.

Idem.

S. Chrysol.

tenebat author, non quæ ortum tenebat authoris. Stellam ejus venientem non à geneſi ſed à genitore, mandato non fato, non à computatore ſed ab authore, non quæ daret ortum, ſed quæ ſuſtineret occaſum. Stellam non legiferam ſed ſigniferam, ferentem non dierum ordinem, ſed noctium lumen. Stella hæc miniſtra viæ non vitæ, comes Magorū, non cognata Chriſti; non Dominantis domina, ſed ancillula ſervorū. Hæc excellenter Divus Chryſologus. Interea horoſcopum Chriſti naſcentis, qualis fuerit, recenſet Petrus de Aliaco fuiſſe concurſum Jovis cum Saturno in Cancro; in ipſa autem nativitatis hora erat pars Virginis octava, religionis mutationes & partum Virginis ſignificans, in culmine cœli erat Saturnus, in imo Sol; quem horoſcopum in figura ſpectandum exhibet Sixtus Senenſis; ſuper quo Salmeron ait: hoc de aſcenſu Virginis & benigno ſiderum in Chriſtum naſcentem aſpectu, fidei non repugnat. Id nihilominùs multis refellitur rationibus, partim quòd nulla res naturalis, qualis eſt ſtella, poteſt præſignare ſupernaturalia, qualia ſunt: Deum fieri hominem, Virginem parere, fieri miracula, transfigurari, reſurgere, & alia Chriſti facta admiranda: partim quòd prædictiones Aſtrologorum fiant ab experientia, ubi autem ea eſt de Virginis partu, quinimò adynatum adeòque impoſſibile credebatur, uti & de alijs. Præterea præſagia Aſtrologorum ex concurſu ſtellarum varios influxus in complexiones humanas prædicunt, ex eo quòd naturalem ad eas habent ordinem & inclinationem; ſed quænam ſtella poteſt habere influentiam ad ſupernaturalia, quæ à ſumma Dei omnipotentia dependent & peraguntur? Quin, cur Chriſtus qui eſt Dominus ſtellarum, debet ſubijci ſtellarum regimini? Deniq; axioma notum eſt: aſtra inclinare non neceſſitare; ac ideò jure meritò ſapiens dominabitur aſtris, quidni ipſa Sapiētia Dei?

Horoſcopus Chriſti naſcētis qualis?

Signis naturalibus nequeunt præſignari ſupernaturalia.

S. Chryſol.

Apparitio ſtellæ miraculoſa.

Eleganter pro more ſuo D. Petrus Chryſologus. *Apparuit*, inquit, *ſtella non volens ſed juſſa; non cœli nutu, ſed Divinitatis impulſu; non lege ſiderum, ſed novitate ſignorum; non cœli climate, ſed virtute naſcentis; non ab arte, ſed à Deo; non Aſtrologi ſcientiâ, ſed præſcientiâ Conditoris; non Arithmeticâ ratione, ſed ſanctione Divinâ, ſupernâ procuratione; non curioſitate Chaldæâ, non arte magicâ, ſed Judaicâ prophetiâ.* Sancti tres Reges hodierni Magi nominantur, id eſt Sapientes, fuêreque Aſtrologi, qui tamen non ex arte divinatoria, ſed ex vaticinio Balaam, cujus fuerant Poſteri & ſucceſſores, & ex oraculo Sybillæ Erithreæ natum cognoverunt Salvatorem, quæ ſic loquitur:

Divinamq; Magi ſtellam coluêre recentem;
Monſtratusq; Dei præcepta ſequentibus Infans,
Eſt in præſepi - - - -

S. Auguſt.

S. Leo.

Quinimò ex ſingulari quoq; Dei inſtinctu ac revelatione veluti ait S. Auguſtinus, *ſecretiori, cœleſtis luminis afflatu inſtincti, hanc quaſi cœli lingvam loquentem* (natum eſſe in Judæa Chriſtum) *audiverunt, eamq; usq; Betbleem & ad cunas Chriſti proſecuti ſunt. Dedit etiam,* teſte S. Leone, *aſpicienti intelligentiam qui præſtitit ſignum, & quod*

fecit

fecit intelligi fecit inquiri, & se inveniendum obtulit requisitus. Sed etiam quemadmodum claritas ingens stellæ rapuit hosce Magos ad inquirendum Christum; ita ipse repertus vultu suo Divino radios cœlestis luminis evibrante, & oculos ac mentes ipsorum perstringente atque illuminante, ad sui non tantùm hominis, sed & Dei agnitionem induxit. Nam dicente Sancto Hieronymo, *fulgor ipse & majestas Divinitatis occultè, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Author operis imperfecti asserit, stellam hanc insignitam fuisse imagine pueri gestantis crucem, quia fidei lumen ostendit Christi incarnationem ad crucem; sed hoc commentum Sethianorum hæreticorum est, teste D. Epiphanio, ab ijs excogitatum. Cæterùm quid stella hæc fuerit, varij variè affirmant. Quidam Author, qui in Tomo 3. Sancti Augustini reperitur, censet hanc stellam fuisse Spiritum Sanctum, qui sicut in specie columbæ descendit supra Christum; (*Matt* 3.) ita in forma stellæ Magorum ductor fuit. Origenes & S. Chrysostomus arbitrantur hanc stellam fuisse Angelum, quia Angelus erat motor & quasi auriga stellæ. Alij verum & novum sydus fuisse opinantur. Sunt qui Cometam autumant fuisse. Sed re ipsâ stella hæc ex sensu SS. Basilij, Chrysostomi, Fulgentij & aliorum, fuit novum meteorum ab Angelis ex áere efformatum, luceq; ingenti informatum, ac motum ab Angelo, ita sicuti columna ignis & nubis ductrix Israelitarum per desertum (*Ex.* 13.) usque in terram promissionis, quæ est ipsa Judæa: imò hæc columna typus fuit nostræ stellæ. Raritas autem ejus & particularitas, quâ communes stellas superabat, patet ex multis. Ac primùm ex ipsius productione, cùm cæteræ omnes quarto mundi die creatæ; hæc oriente Christo producta nova, nunquam antea nec postea visa. Ex materia, quæ erat aërea, cùm aliarum sit cœlestis. Ex loco, quia hæc in aëre duntaxat erat, viam monstrans ex Arabia in Judæam: illæ in cœlo existunt. Ex motu, cùm reliquæ circulariter incedant, hæc motum tenebat rectum ex Oriente in Occidentem. Ex tempore, cùm illæ noctu tantùm luceant, & à Sole splendente obscurentur, hæc interdiu noctuque lumen præferebat. Ex duratione, quia hæc durante Magorum itinere, quod 13. dierum fuisse creditur, solummodo fulsit, illæ verò sunt perpetuæ. Ex magnitudine; stellæ enim cœlestes sunt majores lunâ & terrâ: hæc autem erat longè minor, videbatur tamen magna tanquam proxima terræ, uti luna quoque major apparet stellis propter vicinitatem ad terram, cùm sit multò minor. Ex varietate actionum; jam enim erat dux viæ, jam se occultabat, uti Jerosolymis. Cum progredientibus Magis progrediebatur, cum quiescentibus quiescebat, teste Sancto Chrysologo qui ait: *Ambulante Mago stella ambulat, sedente stat, dormiente excubat.* Denique stetit supra domum ubi erat puer, [*Matth.* 2.] ubi etiam peracto ostensionis Christi officio evanuisse censenda est: quæ omnia in alijs stellis haud reperiuntur. Postremò ex fulgore quo omnes ali-

Margin notes: S. Hieron. — *Opinio variorum de hac stella, quid fuerit?* — *Particularis illius.* I. — II. III. — IV. — V. — VI. — VII. — VIII. — S. Chrysol. — IX. — X.

S. Ignatius.

as stellas superabat; canente Ecclesia: stella quæ solis rotam vincit decore & lumine. Id asserit S. Ignatius. *Stella fulsit exuperans omnes quotquot antea fuerant, lux enim illius erat inenarrabilis, & stuporem incussit omnibus aspicientibus eam rei novitas. Omnia autem reliqua astra unà cum sole & lunâ, chorus fuêre stellæ illius: ipsa verò claritate exsuperabat omnes.*

S. Leo.

Idem sentit D. Leo. *Tribus Magis* inquit, *in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris pulchriorq; sideribus, in se intuentium oculos animosq; converteret, ut confestim adverteretur, non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur.*

Stella hæc à multis visa, à solis Magis cognita. Quâ virtute?

Quid jam arbitramur? solíne Magi stellam hanc viderunt, an conspexerunt & alij? Probabile est visam esse à pluribus, à solis Magis cognitam. Quâ virtute? Virtute gratiæ Divinæ, efficacis ac potentis eos inducere ad quærendum Christum. Nemo potest venire ad me, dicit ipsemet de se, nisi Pater meus traxerit eum. (*Joan. 6.*)

S. Chrysol.

Gratia hic necessaria, eaque potentissima. Audiamus D. Chrysologũ. *Ab oriente ad orientem* (videlicet Christum) *veniunt Magi, ut susciperet venientes ipse, qui jusserat ut venirent. Quando enim Deum Magus nisi Deo jubente perquireret? Quando Regem cœli nisi revelante Deo Astrologus invenisset? Quando unum Deum sinè Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo Dijs totidem quot sideribus serviebat? Gratia Dei hoc in Regibus operata est, gratia præveniens:*

Idem.

unde consequenter Auriloquus Doctor infert. *Plùs cœleste de Magis quàm de stella signum est: quòd Judææ Regem, quòd legis authorem Magus scit, nescit Judæus; Chaldæa refert, non defert Judæa. Jerosolyma aversatur & refugit, Syria sequitur & adorat.* Sic igitur gratiâ Dei fuerunt hi Sancti Reges hoc quod fuerunt, videlicet inquisitores Christi Domini & inventores, & gratia Dei in ipsis vacua non fuit, (*1. Cor. 15.*) quia Apostolos fecit. Ita S. Chrysostomus inquit, alloquens Christum. *Ipse adventu tuo Magos ab oriente vocâsti, & Evangelistas eos ad sua remisisti.*

Unitas essentiæ Divinæ, & trinitas personarum per Angelum & tres Reges præfigurata.

Primò enim Angelus unus Judæis evangelizavit gaudium magnum, quod est omni populo. [*Luc. 2.*] Deinde tres Reges haud dubiè evangelizârunt gentibus Messiam natum Orbis Salvatorem, ut per unum Angelum & per tres Reges ex Incarnatione Filij Dei mysterium Dei unius & trini agnosceretur.

S. August.

Illis dies iste primus illuxit, ait S. Augustinus, *anniversariâ nobis festivitate redijt. Illi erant primitiæ gentium, nos populi gentium Nobis hoc lingua nunciavit Apostolorum, stella istis tanquam lingua cœlorum, & nobis ijdem Apostoli tanquam alij cœli enarraverunt gloriam Dei.* (*Ps. 18.*) Nonne per labia lingvæ istius cœlestis diffusa fuit gratia super Reges Magos, ut eadem in labijs eorum erga alias gentes diffunderetur? O utinam nobis etiam hæc stella lucescat, gratia Dei, stellæ Divinæ index, quæ est Christus lux mundi. [*Joan. 8.*]

Stella hæc gratia Dei est.

Christus est stella, ait D. Ambrosius. Orietur enim stella ex Jacob, & consurget virga de Israël. (*Num. 24.*) Deniq; ubi Christus, & stella est. Ipse enim est stella splendida & matutina, (*Apoc. 22.*) suâ igitur

luce

luce ipse se signat. Volumus scire radios hujus stellæ? Audiamus Hugonem Cardinalem. *Stella habet sex radios, quibus illuminat noctem: & Christus habet sex virtutes, quibus illuminat omnem hominem.* (*Joã.* 1.) Prima humilitas est. Secunda est mansvetudo; Discite à me inquit, quia mitis sum & humilis corde. (*Matth.* 11.) Tertia est obedientia: Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. (*Philip.* 2.) Quarta est patientia: In patientia possidebitis animas vestras. (*Luc.* 21.) Quinta est misericordia: Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est. (*Luc.* 6.) Sexta est Charitas: Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. [*Joan* 15.] Hasce omnes virtutes demonstrârunt Reges hodierni & ipsi ad instar stellarum fulgentes. Et quidem humilitas & mansvetudo & patientia patere potuerunt in tã laborioso & longinquo itinere, tempore hiberno arrepto. Obedientia in promptâ itineris hujus susceptione, & instinctûs Divini executione claruit; eaque resoluta & plane generosa propter liberam Regis noviter nati inquisitionem apud Regem regnantem, qui summâ ambitione regni per seipsum manutenendi, teste Josepho, omnem sanguinem Regium Hircani Pontificis crudeliter & tyrannicè trucidavit; imò conjugem suam Hircani filiam, atque Alexandrum & Aristobulum proprios filios, metu amittendi regni interfecit. Quid mirum, quòd tot infantes innocentes occiderit? (*Matth.* 2.) Nihilominùs Reges heroicè accesserunt illum de nato Rege interrogantes. (*Ibid.*) Optime S. Leo: *Nihil ergo arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, & facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.* Porrò misericordia excelluit in liberalitate auri oblati ad sublevandam Parentum Christi Domini inopiam. Demùm charitas quidni plurimùm in eis accensa fuit & enituit erga Deum hominem, quem adoraverunt, & cui munera thuris, myrrhæ & auri in signum fidei, spei & charitatis obtulerunt; (*Ibid.*) haud dubiè donis harum virtutum Theologicarum reciprocè à datore omnium virtutum remunerati. Fides enim thuris sacrificio ad Divinum cultum tendit; Spes expectatione longiori myrrheam præfert amaritudinem: aurum summo sui pretio summam omnium repræsentat virtutem; major enim omnium est charitas, quæ nunquam excidit, [1. *Cor.* 13.] estque omnis legis perfectio. Et sanè talibus Apostolicis virtutibus debuerant potissimum insigniri, qui Apostolicam reliquo vitæ tempore functionem & evangelizatiõnem exercuerunt; & sic tam hìc in terris quàm nunc in cœlo propter multorum conversionem & eruditionem ad justitiam fulgebunt tanquam stellæ in perpetuas æternitates. (*Dan.* 12.) O quam frequẽter mittit Deus ad nos stellas, inspirationes suas, & instinctus ad bonum. Obsequimurne ad exemplum horum Regum? Possumusne dicere cum illis: Vidimus & statim venimus? [*Matth.* 2.] Quot lumina descendunt super nos à Patre luminum? (*Jacob.* 1.) & sumus

Hugo Card.

Radij hujus stellæ quales?

SS. Regum humilitas, mansuetudo & patientia.

Obedientia.

Misericordia.

Charitas.

Ejusmodi stellas & ad nos Deus mittit.

interdum rebelles luminibus istis. Si fortasse, quod avertat Deus, simile quid contingeret hâc stellari privari luce, & in tenebras induci, excutiamus caliginem, redeamus ad lucem, ut filij lucis simus. (*Joan.* 12.) Ambulemus in lumine stellæ splendidæ & matutinæ, (*Apoc.* 22.) radios illius virtutesque ejus enarratas corpore exprimentes, cordi imprimamus, ut etiam stellæ fiamus. Concludo verbis Sancti Leonis. *Agnoscamus dilectissimi in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ fideiq́ primitias, & exultantibus animis beatæ spei initia celebremus, exinde enim in æternam hæreditatem capimus introire: fugiamus vitia, virtutes sequamur, dissimulemus præsentia, futura cogitemus, nostrum petamus ad regnum, nostram veniamus ad palmam, optemus ad gloriam: deniq́ votis omnibus exemplo trium Regum animati, lumine gratiæ Luciferi nostri diffusæ conducti & deducti, tendamus ad coronam*; quam nobis conferat merito SS. Regum Rex immortalis, (1. *Tim.* 1.) factus pro nobis mortalis, ut nos perduceret ad beatam immortalitatem.

In quarum luce semper ambulandum.

Sermo in Purificatione B. V. M.

Diffusa est gratia in labiis tuis. Ps. 44.

HOdierna festivitas Purificationis B. V. M. in Ecclesia Occidentali sic nominata, in Orientali vocatur Hypapante, id est occursus; PP. RR. FF. DD. & quidem juremeritò. Neq; enim unquam tam salubris & salutaris occursus accidit, quàm quando Divina Mater & Filius Dei homo factus, DEO Patri cœlesti in templo occurrerunt, & quando Jesu, Mariæ, Joseph, Simeon & Anna ibidem occursum fecerunt. Inde haud dubiè exorta processio hodierna, quâ bini & bini in signum charitatis cum lumine accenso progredimur; ita namque Maria & Joseph, Simeon & Anna, Jesum tanquam lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis Israël [*Luc.* 2.] manibus suis gestantes, sanctam peregêre processionem. Quidni hic quoque misericordia & veritas obviaverunt sibi? [*Psal.* 84.] Misericordia Patris misericordiarum veritati Filij incarnati obviam processit, per quem gratia & veritas facta est. Sicut enim suscepit Israël puerum suum (*Luc.* 1.) salvandum, ita Filium suum Salvatorem puerum quoque suscepit, recordatus misericordiæ suæ. (*Ib.*) Maria autem & Joseph cum Simeone & Anna congredientes, poterant uti verbis Regij Vatis: (*Ps.* 47.) suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui; in medio templi Dominum templi, mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum. (1. *Tim.* 2.) Poterant cum Zacharia Joannis Patre dicere omnes: (*Luc.* 1.) per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto; illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Unde non minùs justitia & pax osculatæ sunt (*Ps.* 84.) se invicem in hoc occursu, quando Simeon justus & timoratus dixit: nunc dimittis servum tuum in pace. (*Luc.* 2.) Sic per Jesum

Processio in Purificatione B. V. cur accensis luminaribus peragitur?

ſum circumciſum & oblatum in templo, ac poſtea baptizatũ decebat impleri omnem juſtitiam, [*Matt.* 3.] ut pax fieret inter legem veterem & novam; adeoque in ipſo juſtitia & pax ſe oſcularentur, (*Pſ.* 84.) quando in ipſo veteris & novi Teſtamenti juſtitia ſibi uniretur, cùm ipſe factus ſit nobis à *Deo* juſtitia, ſanctificatio, & redemptio, [1. *Cor.* 1.] ſitque ipſemet pax noſtra, qui fecit utraque unum. (*Eph.* 2.)

Maria legi obedit.

Sic & ipſa Mater omnem voluit juſtitiam adimplere legi ſe ſubjiciendo, cui non erat ſubjecta; utpotè quæ nec ſuſcepto ſemine, nec adaperiendo vulvam primogenitum ſuum genuit, ſed ipſum ſalvâ Virginei uteri clauſurâ in lucem produxit. Verùm ô quanta gratia in labiis omnium tunc occurrentium fuit diffuſa! Mater Virgo offerens lucem mundi, Senex ſuſcipiens, Anna confitens, Joſeph applaudens, quàm gratioſa fundebant eloquia, quis enarrabit? Cygneum duntaxat probati & electi Senis canticum exponitur, reliqui ſermones ſubticentur.

Inductio ſervi Abrahæ Iſaaco filio quæſitu uxorem.

Orat ſingulariter ſervus Abrahæ quæſiturus Iſaaco filio promiſſionis conjugem: (*Gen.* 24.) Domine *Deus* Domini mei Abraham occurre obſecro mihi hodie, & fac miſericordiam cum *Domino* meo Abraham. Et factum eſt: occurrit illi DEUS exaudiens eum, & dans illi Rebeccam puellam decoram nimis, Virginemque pulcherrimam & incognitam viro in uxorem Iſaaci.

Applicatio ad Simeonem orantem

Oravit proculdubiò & Simeon hodiernus expectans redemptionem Iſraël, (*Luc.* 2.) Abrahæ & Iſaaco appromiſſam, & exauditus eſt; reſponſum primò accipiens à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini; (*Ib.*) deinde ipſum Chriſtum ſuſcipiens in ulnas ſuas à pulcherrima mulierum, (*Cant.* 5.) Virgine virum non cognoſcente; (*Luc.* 1.) quis non agnoſcet hic occurſum Dei, ipſi venienti in ſpiritu in templum, (*Luc.* 2.) per inductionem pueri Jeſu à Parentibus ſuis? Verè ô mi Domine Jeſu, Chriſte Domini, occurriſti lætanti & facienti juſtitiam Simeoni.

Actus oblationis pueri Jeſu in templo.

Venit ergo ad templum ſanctum ſuũ Dominator, quem Simeon obediens quærit; & Angelus Teſtamenti, (*Mal.* 3.) quem Anna gratioſa vult; venit Maternis geſtatus ulnis, par turturum aut duobus pullis columbarum (*Luc.* 2.) à Joſepho apportatis, redimendus. Tranſit ad ulnas Simeonis benedicentis Deum. Spectatur ab Anna confitente Dominum; quàm pulcher, quàm gratioſus undique occurſus. Jam ille, qui venit ut daret animam ſuam redemptionem pro multis, (*Matt.* 20.) quinque redimitur ſiclis, nimirùm qui totum orbem quinq; vulnerum ſtigmatibus in crucis oblatione erat redempturus. Non defertur pro hac oblatione matutina agnus anniculus in holocauſtum; (*Num.* 7.) non ſolùm ob ſpecimen paupertatis, ſed quia jam offerebatur agnus pro oblatione veſpertina, tollens peccata mundi, in crucis immolandus ſtipite, imò qui occiſus eſt juxta Apocalypſim, (*c.* 13.) ab origine mundi, quia ab æterno ad mortem prædeſtinatus. Gementes duntaxat turtures vel columbæ præſentantur ad gemitum & luctum huic agno, dùm ducetur ad victimam obmuteſcens & non aperiens os ſuum, exhibendum. Iſte

S. Bernard.

ſenſus eſt Sancti Patris noſtri. *Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, ſed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, ſed alios redimet ſangvine proprio; quia redemptionem eum miſit Deus Pater populo ſuo. Illud erit ſacrificium veſpertinum, iſtud eſt matutinum.* Ita Sanctus Pater noſter. Sanctum *Domino* vocatur, vel *Deo* ſanctificatur, qui primogenitus omnis creaturæ agnoſcitur, (*Col.* 1.) ut cum eo & in eo

B. Virgo fons omnu puritatis

omnis creatura DEO conſecretur. Virgo puerpera, plena gratiâ, omnigenæ ſpeculum puritatis, oblatione Filij purificatur, vel potiùs ſanctificatur magis, qui fons eſt univerſæ puritatis & ſanctitatis, in ſe & per ſe faciens purgationem omnium delictorum, quibus ſolâ Matre exceptâ totum genus humanum eſt inquinatum. *Unde enim ſor-*

S. Auguſtin.

des in Virgine Matre, interrogat magnus Auguſtinus, *ubi non eſt concubitus cum homine Patre? Unde ſordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo paſſa eſt dolorem? Partus Virginis fuit incorruptibilis, quia ſinè fluxu ſangvinis, aut ſimili paſſione perfectus eſt*, ait Sophronius in ſexta Synodo, utique exiens per clauſam portã uteri Virginalis. Partus Beatiſſimæ Virginis fuit ſanctiſſimus, quia peperit Sanctum Sanctorum. (*Dan.* 9.) *Natus eſt Filius Dei*, juxta D.

D. Epiphan.

Epiphanium, *per genitales meatus citra pudefactionem, impollutè, absq; inquinamentis*; & ſecundùm Cyprianum, *Maria Genitrix & obſtetrix, nullus dolor, nulla contumelia; Chriſtus ex ipſa prodijt ſicut fructus ex arbore.* Verè Mater ejus germinans germinavit ſicut lilium. [*Iſ.* 35.] Nulla in Virgine Matre immunditiès, in qua Virgineæ caſtitatis ſplendor emicat & relucet tam ante partum, quàm in partu,

S. Chryſol.

& poſt partum. *Concepit Virgo*, ait S. Chryſologus, *Virgo peperit. Non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus; quando Virginitas, quidquid eſt humani pudoris excuſat. Aut quæ ibi verecundiæ læſio, ubi init Deitas cum amica ſibi ſemper integritate conſortium? Ubi eſt interpres Angelus, fides pronuba, deſponſata caſtitas, donatio virtus, judex conſcientia, cauſa Deus, conceptus integritas, Virginitas partus, Virgo Mater.* Ita D. Chryſologus. Liceat adnectere: proles Deus homo, generatio Spiritus Sanctus, operatio virtus Altiſſimi. Quid hìc poterat adeſſe immunditiei, quid deeſſe puritatis? Tota pulchra es amica mea, inquit Deus, (*Cant.* 4.) & macula non eſt in te. Talis immaculata pulchritudo plena gratiarum Deum de-

Purificatur tamen, ut legem adimpleat

cet. Purgatur nihilominùs, purificatur Mater propter occurſum legis Moſaicæ & legis gratiæ, ut ſicut Fili⁹ ita & Mater non veniret ſolvere legem ſed adimplere. (*Matt.* 5.) Obtemperat legi, legi non adſtricta, ut humilitatis inſigne, obedientiæ decus, decori puritatis, Virginitatis ſplendori copularetur. O quantus hìc virtutum excellentium con-

D. Nazianz.

curſus & occurſus! Eleganter Divus Nazianzenus: *nihil Deus purus*, ait, *tanto in pretio habet, ac puritatem aut purgationem.* Notandũ eſt quod accidit Moyſi, qui cùm eſſet in itinere in diverſorio, occurrit ei *Dominus* & volebat occidere eum. Funeſtus equidem videtur

iſte

iste occursus: idque futuro Principi populi Dei. Et ecce Sephora uxor ejus tulit acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui Eliezer, tetigitque pedes ejus, & ait: (*Exo.* 4.) sponsus sangvinum tu mihi es. Cur minis mortis terrendus & præfocandus erat Moyses? Quia electus à Deo Legislator Israëlis, tenebatur primus legem circūcisionis servare, ut omnibus suo præiret exemplo, & ne populo scādalum per incircumcisum filium præberet. Christus Dominus licet dicatur hodie à Simeone positus esse in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, [*Luc.* 2.] propriâ ipsorum rebellione & inobedientiâ: & in signum cui contradicetur, (*Ibid*) ob verbum Crucis quod pereuntibus Judæis scandalum, gentibus stultitia: (1. *Cor.* 1.) nihilominùs Christus Dominus nemini scandalo fuit; neque ullum unquam scandalizavit, licet ipsemet dicat: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me; (*Luc.* 7.) hoc enim intelligitur de scandalo passivo non activo: acsi dicat juxta Glossam, qui de Divinitatis meæ potentia non dubitaverit. Sanctus Gregorius verò ait: *Magna quidem facio, sed abjecta perpeti non dedignor.* Et Divus Hilarius inquit: *quia futura erat crux plurimis scandalum, beatos eos professus est Christus, quorum fidei nihil tentamenti deferret crux, mors, sepultura.* Ita quoque Sanctissima Virgo Mater, communis legis sequens imperata, & Christum Dominum tanquam Eliezer, id est Dei adjutorium, circumcidit, & offerendo ipsum in templo noluit esse singularis, sed voluit se purificare, ne esset Judæis lapis offensionis & petra scandali; [1. *Pet.* 2.] per quod planè occurrit omnibus cavillationibus & objectionibus Judæorum. Quàm benè fit ubi communis observantia regnat; nihil agitur ex singularitate, nulla præsumptio, nulla ex virtute arrogantia videtur, omnis humilitatis subjectio cernitur, omnis obedientiæ servatur disciplina. Porrò rectè hoc festum Purificationis sacræ institutum est, ad tollendam Ethnicorum festorum insaniam & abominationem, quæ Lupercalia dicebantur, ubi Luperci Panis Dei pastorum Sacrificuli nudi per urbem procedebant, pellibus caprinis manus & uteros gravidarum pro fæcunditate & facili partu ferientes. Quàm melior & decentior fit hodie processio, Virgineam fæcunditatem & partum facillimum ac felicissimum manifestans. Purificatio autem spiritualiter intellecta, docet nos per pœnitentiam debere purificari; quæ dum ritè peragitur, verè per gratiam justificantem diffusam in labijs Sacerdotis, occurrit Deus pœnitenti. Sed hic priùs effundere debet ex labijs suis omnia peccata per confessionem, tunc gratia Dei per labia absolventis Presbyteri in eū diffundetur, dimitteturque in pace justificatus, quia justitia & pax se osculantur. (*Ps.* 84.) Benè monet Ecclesiasticus: (*c.* 4) pro anima tua ne confundaris dicere verum, per puram & integram confessionem. Sanctus Gregorius in illud Jobi: (*c.* 31.) si abscondi quasi homo peccatum meum, pulchrè infert: *usitatum humani generis vitium est, & labendo peccatum committere, & commissum negando abscondere,*

Moyses legislator Israëlis primus circūcisionis legem adimplet.

S. Hilarius.

Beatissima V. legi obedit per circumcisionē filij sui.

Lupercorum abominabilia festa.

Purificatio spiritualis quomodo instituenda?

S. Gregor.

scondere, & convictum defendendo multiplicare. Non erubuit verè Sanctissima inter immundas mulieres in atrio immundorum comparere, licèt esset mundissima. Prosequitur Ecclesiasticus: (*c. 4.*) est enim confusio adducens peccatum, & hic est vanus ac mundanus timor ac pudor, propter quem quis nec veritatem audet proferre, nec facere justitiam. Et est confessio, ait, (*Ibid.*) adducens gloriam & gratiam. Utrumque Syrus sic vertit: est confusio quæ creat peccata; & est confusio, cujus honor gratia ejus; quod S. Augustinus sic explicat. *Confusio adducit peccatum, cùm erubescit quisq; pravam mutare sententiam; ne aut inconstans putaretur, aut diu errâsse seipso judice teneatur. Confusio autem adducit gratiam & gloriam, cùm erubescit quisq; de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur.* Distinctiùs mellifluus Doctor noster. *Quodsi quispiam confiteri confunditur id quoq; unde compungitur, talis pudor peccatum adducit, & gloriam de conscientia perdit, quando malum quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obstruso labiorum ostio non permittit exire, cùm eum exemplo David dicere potiùs oporteret: & labia mea non prohibebo, Domine tu scisti;* (*Ps. 39.*) qui & seipsum redarguens, puta supra hominum stulto & irrationabili pudore, quoniam tacui, inquit, (*Psal. 31.*) inveteraverunt ossa mea. Benè proinde inferiùs hortatur Syracides: (*Eccli. 4.*) pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia. Pro omnimoda nimirùm justitia, quæ est Religio, æquitas, veritas, & omnis virtus, quia est animæ salus, est animæ anima, ita ut qui justus est, justificetur adhuc, (*Ap. 22.*) semper tendat ad justitiam illam originalem ab Adam deperditam, quæ secum trahit innocentiam. Unde certando pro justitia, certatur pro anima, imò pro Deo, qui est prima & increata justitia & veritas, & qui animam dedit ad certandum pro ijs usq; ad mortem. Optimus agon est pœnitentia, quæ justitiam animæ sanctificantem operatur. Omnis qui in agone contendit, ait Apostolus, (*1. Cor. 9.*) ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. (*Ibid.*) Continentia, abstinentia, & sustinentia sunt pœnitentiæ manutenentia: his occurrit Deus magnâ benignitate & gratiâ, & benevolentiâ. Considerate Patrem recipientem filij prodigi pœnitentis occurrentiam. Cum adhuc longè esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordiâ motus est. (*Luc. 15.*) Ecce misericordia Dei & veritas pœnitentis obviaverunt sibi. [*Ps. 84.*] Et accurrens ac planè occurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. (*Luc. 15.*) En justitia filij & pax Patris osculatæ se sunt. (*Ps. 84.*) Dicit Dominus apud Jeremiam: (*cap. 15.*) si non occurri tibi in tempore afflictionis; quando affligimus animam nostram dolore de peccatis, corpus mortificatione atterimus. Aliàs nobis impœnitentibus & in peccatis persistentibus fiet, quòd minatur Deus apud Osee: (*cap. 13.*) Occurram eis quasi ursa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris

Confusio adducens peccatum,

Confusio adducens gratiā.

S. August.

S. Bernard.

Usq; ad mortem certandū pro justitia.

Media pro manutenenda pœnitentia.

eorum. Eapropter gratia Patris non est postponenda, ipsiq; cum viginti millibus venienti ad nos, cum 10000 occurramus: [*Luc.* 14.] ipsius duplo justitiæ & veritatis, simplum nostrum pœnitentiæ opponamus. Ita S. Gregorius: *Rex*, ait, *contra nos venturus est Christus Judex*. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum? (*Mal.* 3.) Qui cum duplici exercitu veniet contra simplum, quia nos vix in solo opere præparatos, simul de opere & cogitatione discutiet. Et concludit: [*Luc.* 14.] *mittamus ergo ad eum legationem*; scilicet lachrymas, eleemosynas, sacrificia, & omnia pœnitentiæ opera, *ut det ea quæ pacis sunt*. Audiamus desuper Sanctum Chrysologum animantem ad pænitentiam ex motivo misericordiæ Paternæ. *Rogo quis hic desperationis locus? Quæ hic excusationis occasio? Hic simulatio quæ timoris? Nisi fortè timeatur occursus.* (*Ah! amabilis Patris occursus*) *Terret osculum, turbat amplexus: & capere ad vindictam, non recipere ad veniam Pater creditur, cùm filium trahit manibus, claudit gremio, ligat lacertis.* Ita S. Chrysologus. Sit igitur nobis hodierna festivitas Mariæ & Josephi cum Jesu occurrentium Simeoni & Annæ, Hypapante, videlicet occursus Purificationis cum pœnitentiâ; pœnitentiæ occursus cum purificatione. Maria illuminatrix, Joseph accrescens, (*Gen.* 49.) portant Jesum, lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis Israël; (*Luc.* 2.) Simeon obediens, & inde justus; (*Ib.*) Anna gratiosa, quia confitens, (*Ibid.*) occurrunt & suscipiunt: quia soli obedientes & justi, confitentes & gratiosi merentur illuminari & accrescere per gratiam diffusam in labijs Jesu, salutare suum ante faciem omnium populorum (*Luc.* 2.) manifestantis & communicantis, adeoq; omnes servos suos dimittentis in pace: (*Luc.* 2.) cujus egressio est à summo cœlo, (*Ps.* 18.) & occursus usq; ad summum cœli, ut inde eos illuc ducat & perducat. Exurge in occursum nostrum ô Domina, & vide pœnitentes, obedientes, justitiam & veritatem sectantes, misericordiam, pacem & gratiam in labijs Jesu diffusam quærentes: suscipe nos in hac gratia & vivemus. Fac nos verè purgari & purificari, ac vivere in ædificationem corporis Christi tàm in nobis quàm in alijs, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & (*Eph.* 4.) agnitionē Filij Dei, per ipsum qui est lux mundi, [*Joan.* 8] & per Te illuminatricem nostram illuminati, lucernas bonorum operum in manibus nostris gestantes; (*Luc.* 12.) occurramus inquam, ex infantia oblationis nostræ primæ per baptismum factæ in virum perfectum, in mēsuram ætatis plenitudinis Christi: (*Eph* 4.) in ultima mortis oblatione reperti cum Christo in cruce, osculo gratiæ Patris cœlestis, cui in manus commendabimus spiritum nostrum, (*Ps.* 30.) dimittamur in pace; (*Luc.* 2) in pace quæ essentialiter ipse Deus est, in idipsum dormiamus & requiescamus: (*Ps.* 4.) diffusâ demùm gratiâ in labijs Jesu non videamus mortem, nisi ipso Christo Domini viso tecum in æternum.

S. Gregori.

Operibus pænitentiæ placatur Deus.

S. Chrysol.

Invocatio Beatissimæ.

Sermo Dominicâ Septuagesimæ.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

PLasmatus à *Deo* homo, & in loco voluptatis non minùs ab ipso Domino Deo plantato positus fuerat, ut operaretur & custodiret illum; (*Gen.* 2.) PP. RR. FF. DD. sed & totum genus humanum inibi generandum, destinatum ipsi fuerat ad culturam, quatenùs ex eo velut paradiso condignos Deo fructus progeneraret. Verùm eheu! per culpam peccati non tantùm ex illo voluptatis proscriptus loco, quin etiam ipsemet cum toto genere humano in sterilem & incultum degeneravit hortum vel agrum; ita ut locò fructuum tanquam terra maledicta spinas & tribulos germinaret. (*Gen.* 3.) Vineæ interea formam hic hortus gerere videbatur dicente *Deo*: (*Isaia* 5.) vinea *Domini* Sabaoth domus Israël est. Ad hanc excolendam varios diverso tempore mittere dignatus est DEUS operarios, tam cœlestes Angelos, quàm terrestres viros virtutum vineæ præpositos. In hac vinea præter vites, unam adhuc speciem arboris reperio, ficum videlicet, de qua incarnata Sapientia sic: (*Luc.* 13.) arborem fici habuerat quidam in vinea sua; quod S. Chrysologus sic explicat. *Synagoga est arbor ficus, possessor arboris Christus, vinea Israëliticus populus.* Et infra: *cultor vineæ qui infructuosam ficum jubetur excidere, est præsul synagogæ Angelus, qui sterilitatem quia non potest excusare, inducias impetrat supplicando.* Hinc patet & Angelos esse vineæ operarios ac ficûs præfectos, & per utrumque generis humani culturam designari. Distinctiùs tamen idem S. Chrysologus ficum ita exponit supra illud: (*Luc.* 13.) venit quærens fructum in illa & non invenit. *Ad ficulneam venit Christus*, ait aureus Doctor, *ad quam legitur Adam nudus fugisse post culpam, dicente Geneseos libro*: (c. 3.) *& cognoverunt quia nudi sunt, & consuerunt folia fici, & fecerunt sibi succinctoria.* Multi putant arborem prohibitam, lignum scientiæ boni & mali nominatam, fuisse ficum; quia mox ab ejus esu cùm cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficûs, ait Scriptura, (*Gen.* 3) & fecerunt sibi perizomata, id est lumbaria, ventris subligacula, nuditatis suæ tegumenta. Credendum inde est, quòd à viciniori arbore hæc petierunt, ficus autem erat vicinissima, ex qua fructum sumpserunt. Sanctus Irenæus arbitratur eos hæc fecisse ex ficu in signum pœnitentiæ, & quasi cilicio se contexisse, folia enim ficûs pungunt & stimulant. Cæterùm legitur Christus Dominus (*Mar.* 11.) ante passionem maledixisse ficui, quia folia tantùm habebat & nullum fructum; nempe arbori olim interdictæ, & significanti Judæos folijs legis veteris gaudentes, sed infructuosos, fide vivâ Christi & ex ea bonorum operum fructibus carentes. Notat *ipsa quoque fideles folia professionis fidei habentes* juxta Origenem, *sed solidis virtutum fructibus ex charitate promanantibus destitutos*; unde etiam post maledictionem est arefacta. In ficu igitur primigenij memoria peccati, quod

Hortus voluptatis, forma vineæ Dei.

Inter cujus arbores est & ficulnea.

S. Chrysol.

Operarij vineæ.

S. Chrysol.

Cur folijs ficûs usi sunt primi Parentes ad contegendam nuditatem?

Memoria primigenij peccati in ficu.

quod toti humano generi incubuerat, notatur; cujus sterilitas ex fomite peccati concupiscentiâ oriebatur, ac per quam neq; nuditas Parentum operiebatur. Hic sensus est Sancti Doctoris dicentis: *Venit ergo ad ficum Deus, ut inveniret Adam, ut nudum tegeret pio sui corporis indumento: cujus ficus non velabat sed stimulabat pudorem; cujus ficus ista, id est synagoga, circumcisionibus suis nudabat partem verecundi corporis, non tegebat.* Notandum, quòd Christus Dominus per arborem fici adventum suum voluit denotari, teste præfato Sancto Chrysologo: *Hinc est*, ait, *quòd Dominus adventûs sui tempora scire cupientes mittit ad ficulneam dicens*: (Lucæ 21.) *videte ficulneam & omnes arbores, cùm producunt jam fructum, scitis quia propè est æstas; ita & vos cùm videritis hæc fieri, scitote quia propè est regnum Dei. Videtis quia ficus non signat præsentia, sed indicat sic futura.* Vinea igitur sumitur pro humana progenie universa, in qua quisq; homo est vitis, est ficus. Cur talis? Quia hæ arbores magnâ indigent cultiuatione, ut fructum ferant dulcissimum. De vitibus notum est, quòd variam eamque continuam suffossionis, fimationis, putationis, & ablaqueationis requirant culturam. De ficubus manifestat vineæ cultor pro ficu intercedens: (*Luc.* 13.) Domine dimitte illam & hoc anno, dùm fodiam circa illam, & mittam stercora. Fossio terræ est sui cognitio, quòd de terra simus nati, & exinde sui humiliatio; stercoratio est pœnitentialis peccatorum contrito corde recordatio, & exinde est corporis, sensuum, & passionum mortificatio. Hæc sunt, quæ vites & ficus faciunt fructificare; & hæc sunt quæ animas hominum ad fructum ferendum in virtutibus perducũt. Humilitas enim & pœnitentia omnes progerminant & producunt virtutum fructus: puta mansvetudinis, patientiæ, obedientiæ, castitatis, abnegationis sui, ante omnia fidei, spei, ipsiusq; charitatis. Nonne vitis & ficus incipiente primùm calore verno, oculos & grossos suos emittunt? Uti dicitur in Canticis: (*cap.* 2.) ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum, accrescente jam calore per æstatem propè imminentem. Sic ex calore charitatis Divinæ incitata pœnitentia ad majorem ejusdem tendit æstum, ut perfectum virtutis maturæ proferat fructum. Sed & ipsa vitis ac ficus speciem aridi & vilis ligni præseferunt, ac per hoc humilitatis & pœnitentiæ specimina indicant, continuoq; mortificationis exercitio sunt excolenda. Cæterùm ubi Christus Dominus falsos Prophetas à fructibus esse cognoscendos asserit, (*Matth.* 7.) ibidem subinfert: Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Ecce nullius alterius arboris meminit Divina sapientia, nec alios fructus specificat nisi vitium & ficuum, ubi etiam concludit: (*Ibid.*) Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Fructus sunt arboris indicia, ejusque bonam vel malam monstrant qualitatem; quod non tantùm ad opera spectat, sed etiam ad doctrinam falsorum vel verorum Prophetarum. Terribilis demùm sequitur sen-

S. Chrysol.

Adventus Christi per ficum præfiguratus.

Cultura vitiũ & ficuum.

Fructus culturæ spiritualis.

sententia æternæ Veritatis: (*Matt. 7.*) omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Pulchrè Sanctus Chrysologus hoc dilucidat dicens: *Infructuosa arbor intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentem; ac sic excidere istam lucrum est, est istam commodum non habere. Sic homo, utiq; qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensûs, judicium mentis, artis industriã, culturæ bonum, per steriles atq; inopes actus evertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat; sicut arbor è terra, sic iste è vita meretur excidi.* PP. RR. FF. Charissimi, mittit continuò Deus operarios in vineã suam, habet cultores vineæ, quibus incumbit vites & ficus excolere; me quoque indignum operarium vestræ præfecit culturæ. Primarium opus meum est, verbi Divini instructionibus & redargutionibus, interdùm obsecrationibus, aliquando increpationibus cultivare, jam blandimentis, jam terroribus & Patris & Magistri officium explere; ac potissimùm fodiendo terram submovere, & stercoratione impingvare; quod est, humilitatis & pœnitentiæ opera maximè inculcare. Ecce anni tres sunt, ait Paterfamilias (*Lucæ* 13.) de ficu, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio. Naturale enim est ficubus tertio anno fructificare. Et apud Isaiam (*c.* 5.) de vinea inquit Deus: quid est quod debui facere vineæ meæ? An quòd expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Tres anni, tria sunt tempora, per quæ Christus ad Synagogam fructũ quæsiturus advenit; id est per legem, per Prophetas, per ipsã sui præsentiã corporalem. Euthymius tres Judæorum status, sub Judicibus, sub Regibus & sub Pontificibus, puta Machabæis, intelligit. S. Cyrillus verò sic ait: *generaliùs naturam humani generis Deus ante legem, sub lege, sub gratia expectando, admonendo requisivit. Sed quidam nec naturaliter lege corriguntur, nec præceptis erudiuntur, nec miraculis convertuntur.* Liceat mihi quoq; dicere. En decem anni sunt, ex quo laboro in hac vinea mea per assiduam verbi Divini prædicationem; quærens fructum, utinam inveniens ad votum meum pro gloria Dei, & animarum vestrarum salute. Ad hoc vellem gratiam Dei diffundi in labijs meis, quia sine hac nihil fit in nobis. Deus autem est, qui utiq; in nobis per gratiam suam operatur, & velle & perficere (*Philip.* 2.) pro bona voluntate sua. Nollem prædictionem Abacuc (*cap.* 3.) de nobis verificari, quòd ficus non florebit & non erit germen in vineis; atq; in singulari, (*Ibid.*) mentietur opus olivæ; ne si post fossionis & fimationis culturam, post plantationis & rigationis diligentiam fructum non ferat, securis ad radicem uniuscujusq; arboris posita, (*Matth.* 3) ejus minetur, multò minùs operetur excidium. Terribilis est hodierna summæ & æternæ Veritatis sententia: (*Matth.* 20.) Multi vocati, pauci electi. Inter multos vocatos utiq; computamur, sed nùm simus inter paucos electos, quis audebit asserere! Ubique gratiâ Dei opus est tam ad vocationem quàm ad electionem: sed

S. Chrysol.

Homo peccator, arbori sterili similis.

Tertio quovis anno ficus fructificant.

Quid tres anni?

S. Cyrillus.

ſed illa incipit opus ſalutis noſtræ, hæc conſummat; illa mutationi ſubjecta eſt, hæc nunquam mutatur. Nam quos præſcivit, ait *Doctor* Gentium, (*Rom.* 8.) & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Hi ſunt electi, quos prædeſtinavit & vocavit, & juſtificavit & glorificavit. [*Ibid.*] Porrò gratia eſt juxta Theologos, vel gratum faciens vel gratis data. Illa facit hominem per ſeipſum *Deo* conjungi, iſta eſt, per quam unus homo alteri ad ſalutem cooperatur. Quæ enim à Deo ſunt, ordinata ſunt. *Ordo autem rerum* ait D. Thomas, *in hoc conſiſtit*, *quòd quædam per alia in Deum reducuntur*, teſte S. Dionyſio. Cùm igitur gratia ad hoc ordinetur, ut homo reducatur in *Deum*, ordine quodam hoc agitur, ut quidam per alios in *Deum* reducantur. Quidam quidem per ſeipſos, gratiâ gratum faciente, Deo junguntur, digni à Deo facti in partem ſortis Sanctorum in lumine gratiæ Evangelij: quidam verò per alios gratiâ gratis datâ *Deo* copulantur, de quo idẽ Apoſtolus: [1. *Cor.* 12.] Unicuique datur manifeſtatio ſpiritûs ad utilitatem ſcilicet aliorum. Antecedenter autem dona hæc ſive ch ariſmata ſic diſtingvit. (1. *Cor.* 12.) Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem *Dominus*. Et diviſiones operationum ſunt, idem verò *Deus*, qui operatur omnia in omnibus. Ubi quidem videtur gratias ſive dona Spiritui Sancto tanquam fonti bonitatis, miniſteria filio tanquam Domino, operationes Deo (nimirùm Patri velut primo omnium principio) attribuere; veriùs tamen omnes gratias gratis datas nominat gratias, quia gratis datas; vocat miniſtrationes quia per eas Eccleſiæ miniſtratur; appellat operationes, quia per eas mira vim naturæ & captũ humanum excedentia patrantur. Conſequenter verò Vas electionis Divinæ haſce gratias gratis datas ad Eccleſiæ utilitatem enumerat. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, (*Ibid.*) videlicet poteſtas explicandi ſapientiam Dei, id eſt altiſſima fidei myſteria, uti ſunt Sanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis Chriſti, prædeſtinationis Divinæ. Alij autem datur ſermo ſcientiæ, ut ea quæ ad agendum & ad mores ſpectant, exponat. Alteri fides in eodem Spiritu, non quidem Theologica, quæ ab omnibus Chriſtianis habetur, ſed illa excellens, quæ eſt Mater miraculorum, tàm fidem Theologicam, quàm ſpem & fiduciam ſublimem ac conſtantem in Deum includens, ad quidvis impetrandum, juxta Sanctum Chryſoſtomũ: vel etiam donum intrepidum, fidem profitendi & prædicandi, ſecundùm D. Ambroſium & Anſelmum: aut magna intelligentia myſteriorum fidei ad eorum contemplationem & penetrationem. Alij gratia ſanitatum in uno ſpiritu, (1. *Cor.* 12.) utpotè curatio morborum. Alij operatio virtutũ, (*Ib.*) majorum ſcilicet miraculorum; qualia ſunt, mortuorum ſuſcitatio, dæmonum expulſio, impiorum vel incredulorum prodigioſa punitio, uti Ananiæ & Saphiræ. (*Act.* 5.) Alij prophetia, prædictio abſentium vel futurorum. Alij diſcretio ſpirituum, nimirum cogitationum

Gratiæ gratũ facientis & gratis datæ effectus.

Diviſiones gratiarum.

tionum cordis & intentionum, actionum & locutionum, an à Dei vel Angeli, an à naturæ vel dæmonis instinctu proficiscantur; quod donum Rectoribus animarum & Confessarijs potissimùm competit. Alij genera lingvarum. Deniq; alij interpretatio sermonum, vel obscurorum Sacræ Scripturæ locorum expositio. Convenienter hic D. Paulus novem genera gratiarũ gratis datarum recenset, in quib⁹ quinq; sunt habitus permanentes, uti sapientia, scientia, fides, genera lingvarum, interpretatio sermonum, & aliquando sexta est discretio spirituum: quatuor sunt motiones transeuntes, utpote gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia & discretio spirituum: aptè, inquam, istas gratias gratis datas edisserit, prout Angelicus Doctor demonstrat: *cùm enim homo alteri cooperari non possit, ut ad Deum reducatur, interius movendo, hoc enim est Dei solius opus, sed solùm exteriùs docendo & persvadendo; ideo gratia gratis data illa sub se continet, quibus homo indiget ad hoc quo alterum instruat in rebus Divinis, quæ sunt supra rationem.* Ad hoc autem tria requiruntur. Primò quòd homo sit sortitus plenitudinem cognitionis Divinorum, ut exinde possit alios instruere. Secundò ut possit confirmare & probare ea quæ dicit, aliàs ejus doctrina non esset efficax. Tertiò ut ea quæ concipit, possit convenienter proferre auditoribus. Hæc autem omnia gratiæ gratis datæ complectuntur, quemadmodum S. Doctor eleganter id ibidem explanat dicens, *alia spectare ad perfectionem cognitionis, ut fides, sermo sapientiæ, sermo scientiæ; alia ad confirmationem doctrinæ, ut gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum; alia ad pronunciandi facultatem, uti genera lingvarum, & sermonum interpretatio.* Nullas equidem ex his omnibus gratias mihi attribuere possum, pro munere tamen officij mei facio quòd possum & debeo, & verbum Dei, quod non est alligatum, (2. *Tim.* 2.) pro modulo à Deo mihi concesso dispenso: exoptans ut hoc verbum non revertatur vacuum, sed prosperetur, (*Isa.* 55.) quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, (*Ibid.*) ut ficus floreant, & germen sit in vineis, opusq; Olivæ verificetur. (*Abac.*3) Ad hoc vellē cum Moyse, (*Deut.*32.) descendat sicut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina; quia & ego nomen Domini invocabo, quatenus Dominus det benignitatem (*Ps.* 84.) gratiæ suæ gratum facientis, & terra det fructum suum. Hæc gratia est omnibus necessaria, & est multò excellentior, nobilior & dignior quâvis gratiâ gratis datâ, quam Apostolus post enumeratas præfatas gratias gratis datas, & postquā intulisset: (1. *Cor.* 12.) Æmulamini charismata meliora; manifestat dicens: (*Ib.*) Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, quam in consequentibus declarat esse viam charitatis. Concludo verbis primi Capitis Ecclesiæ. (2. *Pet.* 1.) Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera, quæ utiq; si non sunt charitate animata, sunt mortua

Novem gratiarum gratis datarum genera.

S. Thomas.

Ut quis alium instruat, quid requiritur?

Idem

Gratia gratum faciens omni gratiâ gratis datâ excellentior.

mortua, certam vestram vocationem ad fidem & gratiam cum multis vocatis faciatis, nec ab illa vocatione excidatis, sed in ea constanter perseveretis: ut sic pariter per hosce fructus bonorum operum ac variarum virtutum, ex charitate Dei & proximi prodeuntes, certâ cum paucis electis (*Matth*, 20.) electionem vestram, nimirùm salutis vestræ & vitæ æternæ consecutionem in gloria faciatis.

Sermo Dominicâ Sexagesimæ.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Psal 44.

Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejús, asserit Evangelista (*Luc.* 4.) de prædicante Verbo Caro facto. [*Joan.* 1.] Quidni mirarentur super verbis gratiæ, quando & videbant ipsum Verbum plenum gratiæ & veritatis, (*Ib.*) & ipsam gratiam in labijs ejus diffusam (*Ps.* 44.) audiebant? Agnovit hoc quoque Princeps Apostolorum, illum ipsum alloquens & enuncians: (*Joan.* 6.) verba vitæ æternæ habes. Ita ipsamet Sapientia increata de se affirmat: (*Eccle* 24.) In me omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis; utique, quia gratia Dei est vita æterna in Christo Jesu Domino nostro. (*Rom.* 6.) Sic ergo sicut in ipso vita erat, (*Joan.* 1.) imò ipsemet erat resurrectio & vita, uti de se [*Joan.* 2] inquit; in ipso erat etiam gratia, imò ipsemet erat gratia essentialis, & author ac Deus omnis gratiæ; ipse est planè gratiam & gloriam dans Dominus. (*Ps.* 83.) Quid enim est gratia? *Est participatio quædam Divinæ naturæ*, juxta Doctorem Angelicum. Atqui per quem participes facti sumus tantæ dignitatis? Non per alium nisi per ipsum Filium Dei, qui dedit credentibus potestatem filios Dei fieri, his inquit, qui ex Deo nati sunt. [*Joan.* 1.] Sed quod medium est ex Deo nascendi? Non aliud nisi per semen. Semen autem est verbum Dei. (*Luc.* 8.) Hoc semen, hoc verbum Dei debemus suscipere insitum in carne nostra, quod potest salvare animas nostras. (*Jac.* 1.) Ipse est unigenitus Filius Dei, primogenitus in multis fratribus; [*Rom.* 8.] ipse dedit nobis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, (*Ib*) ut communem cum ipso Patrem, qui in cœlis est, [*Matth.* 6.] possideamus. Videte reciprocè qualem charitatem dedit nobis Pater, ait dilectus Jesu discipulus, (1. *cap.* 3.) ut filij Dei nominemur & simus; videlicet quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui. [*Rom.* 8.] Sic participes Christi, quem Pater unxit oleo lætitiæ præ participibus suis, *Hebr.* 1.) effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus; id est verbum fidei, (*Rom.* 10.) semen Dei. Fides enim est initium substantiæ nostræ sive subsistentiæ spiritualis: ipsa est substantia rerũ sperandarum: (*Hebr.* 11.) ipsa spem in se includit & charitatem. Hæc autem omnia operatur in nobis gratia Dei, quæ per Jesum Christum facta est (*Joan.* 1) cum veritate fidei. Hæc ipsa est semen vitæ æternæ, est semen gloriæ Divinæ. Hanc solus Deus dare & causari potest.

Deus author omnis gratiæ.

Quomodo quis ex Deo nasci potest.

 Nulla

S. Thomas. *Nulla enim res*, teste Divo Thoma, *potest agere ultra suam speciem, quia semper oportet, ut causa potior sit effectu*. Donum autem gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ, unde à nulla creatura causari potest. Sic enim necesse est, quòd solus Deus deificet communicando consortium Divinæ naturæ per quandam similitudinis participationem, sicut impossibile est, quòd aliquid igniat nisi solus ignis. Hujus autem gratiæ author est mediator Dei & hominum (1. *Tim.* 2.) Christus D. quà Deus. *Humanitas enim ejus est organum Divinitatis* docente S. Damasceno. Instrumentum autem non agit actionem principalis agentis propriâ virtute, sed virtute ejusdem agentis principalis; ita & Christus D. quà homo non causat gratiam propriâ virtute, sed virtute Divinitatis, cui hypostaticè est unitus. Ita etiam in Sacramentis novæ legis, quæ derivantur à Christo D. causatur quidem gratia per ipsa Sacramenta instrumentaliter, sed principaliter per virtutem Spiritûs Sancti operantis in Sacramento, secundùm illud Joannis: [*cap.* 3.] Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Exijt igitur, dicente hodierno Evangelio, *Luc.* 8 qui seminat, Filius Dei, Verbum Dei, seminare semen suum, ipsum videlicet Verbum Dei, seminare se ipsum. Exijt qui dixit: *Joan.* 16.) Exivi à Patre & veni in mundum. Exivit, quasi extra se ivit, quando cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsũ, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. (*Philip.* 2.) Exivit semel, dum hominem crearet; opus enim creationis est opus Dei ad extra. Sed dum homo in nihilum redactus esset per contemptum & prævaricationem verbi Divini, exivit iterum, ut hominem perditum recrearet, imò verbo suo, semine suo regeneraret. Voluntariè enim nos genuit verbo veritatis, ait D. Jacobus, (*cap.* 1.) ut simus initium aliquod creaturæ ejus, nam neque circumcisio quidquam valet neque præputium, sed nova in Christo creatura, (*Galat.* 6.) novo verbi ejus semine progenerata. In hoc semine benedicentur omnes creatæ gentes, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. (*Isa.* 61.) Per hoc semen sanctum (*Isa.* 6.) semen verum, tollitur semen nequam, (*Isa.* 1.) semen mundanum. Nisi Dominus exercituum hoc semen reliquisset nobis, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. [*Isa.* 1.] Hoc semen est uti pulvis terræ, (*Gen.* 28.) & sicut stellæ cœli, quia terram humilibus justis, & cœlum illustribus Sanctis replet. Hoc semen ut fructificet, terra haud dubiè est præparanda. Præparate corda vestra Domino, imperat Samuel (1. *Reg.* 7.) Israelitis, & servite ei soli. Præparare in occursum Dei tui Israël, præcipit Propheta Amos. (*c.* 4) Desiderium pauperum exaudivit Dominus, ait Psalmista, *Ps.* 9.) præparationem cordis eorum audivit auris tua. Idcircò cum Samuele dicendum. (1. *Reg.* 3.) Loquere Domine quia audit servus tuus. Cũ Regio Vate: (*Ps.* 84.) Audiam quid loquatur in me Dominus. Apparet gratia Dei Salvatoris nostri (*Tit.* 2.) in verbo vitæ, utique ipsa

Gratiam nulla natura creata causari potest.

Quomodo Christus D. causat gratiam?

Quomodo Filius Dei exijt seminare semẽ suum.

Ut semen hoc fructificet, terra præparanda est.

vita

vita manifestata est. (1. *Joan.* 1.) Et vidimus, ait D. Joannes (1. *cap.* 1) & testamur & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Joannes gratiam Dei denotans, præparat viam ante faciem Christi. (*Matth.* 1) Ergo gratia Dei terram cordis nostri debet præparare. Ita est; *dum significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla præparatio,* dicente Angelico Doctore, *requiritur ex parte hominis, quasi præveniens Divinum auxilium: sed potiùs quæcunque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Si tamen sumitur gratia pro habituali animæ dono, qualis est in receptione verbi Divini tanquam seminis ad fidem stabiliendam in corde, præexigitur aliqua gratiæ præparatio ex parte hominis. Sic enim forma quædam est, quæ non nisi in materia disposita esse potest. Fides utpotè ex auditu, auditus per verbum Christi* (Rom. 10.) *Sic ergo motus bonus liberi arbitrij, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrij moti à Deo, secundùm illud Proverbiorum:* (c. 16) *Hominis est præparare animam; proveniétque principaliter à Deo movente liberum arbitrium. Et secundùm hoc dicitur à Deo voluntas hominis præparari, & à Domino gressus hominis dirigi.* Ita D. Thomas. Porro juxta eundem præparatio hominis ad gratiam habendam, est quædam operatio simul cum infusione gratiæ, estque meritoria non gratiæ quæ jam habetur, sed gloriæ quæ nondum habetur. Est autem alia præparatio gratiæ imperfecta, quæ aliquando præcedit donum gratiæ gratum facientis, quæ tamen est à Deo movente; & hæc non sufficit ad meritum homine nondum per gratiam justificato, quia nullum potest esse meritum nisi ex gratia. Jam verò *hominis, quod in se est facientis, præparationem ad gratiam, infusio gratiæ necessariò seu infallibiliter sequitur,* ex sensu Divi Thomæ, prout ipsa præparatio á movente DEO est, cujus intentio deficere non potest: non autem prout est actus liberi arbitrij, cujus facultatem gratia excedit. Unde præparatio prout est à libero hominis arbitrio, nullam necessitatem inducit ad gratiæ consecutionem; prout verò est ex intentione *DEI* moventis, ut homo gratiam consequatur, infallibiliter ipsam adipiscitur, secundùm illud Joannis: omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me. (*Joan.* 6.) Sciendum quoque est, quòd prima ex nobis sit causa omnis defectûs gratiæ, prima verò collationis gratiæ causa est à *Deo*, juxta illud Osee: *c.* 13.) perditio tua ex te Israël, tantummodò in me auxilium tuum. Dùm igitur semen verbi Divini spargitur in corda nostra, non debent esse secùs viam, neque petrosa, neque spinosa, ut memoria sit vaga & dissoluta ad exteriora, vana, mundana ac terrena, ut voluntas sit instar petræ obdurata, ut intellectus spinis sollicitudinis seculi & fallaciæ divitiarum sit occupatus; sed debent esse terra bona, in intellectu audiens & intelligens verbum Dei, in memoria retinens illud, per voluntatem fructum afferens in patientia [*Luc.* 8.] sive longanimitate, adinstar agricolarum, qui cùm spe

S. Thomas.

Præparatio hominis est ex auxilio Dei moventis animam ad bonũ.

Præparatio gratiæ imperfecta.

Idem.

Prima ex nobis est causa defectûs gratiæ.

Quomodo semen verbi Divini recipiendum in cordibus nostris?

S. Gregor.

ſpe patienter per autumnum, hyemem & ver, usque in æſtatem ſementis ſui expectant meſſem. Audiamus Sanctum Gregorium deſuper diſcurrentem. *Terra bona*, ait, *fructus per patientiam reddit. Uva calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur. Oliva contuſionibus expreſſa amurcam ſuam deſerit, & in olei liquorem pingveſcit. Per trituram areæ à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perveniunt.*

Fructus ſeminis triplex.

Fructus autem triplex exponitur; unum triginta, ait Chriſtus Dominus apud Sanctum Marcum, (*c.* 4.) unum ſexaginta, & unum centum. Super quo Sanctus Gregorius Magnus.

Idem.

A trigeſimo ad ſexageſimum progreſſus in centeſimum deſijt, ut novos ſubinde progreſſus faciens, velut Iſaac magnus tandem fiat, de virtute in virtutem ambulans, & cantica graduum canens, atq; aſcenſiones in corde ſuo ponens; (*Pſ.* 83.) acſi diceret S. Gregorius: quotidie de die in diem proficiens, & tendens ad perfectionem. Ex hac quoque fructûs diverſitate patet differentia meritorũ & præmiorum in Sanctis.

Varius gratiæ Divinæ gradus in hominibus.

Colligo ego non minùs varium gratiæ Divinæ gradum in hominibus; neque enim omnes æqualem habent gratiam, quandoquidem juxta Apoſtolum, [*Eph.* 4.] unicuique datur gratia juxta menſuram donationis Chriſti; quod autem menſuratè datur, non datur omnibus æqualiter.

S. Thomas.

Unde *gratia gratum faciens*, dicente Doctore Angelico, *major in uno eſt quàm in alio, non ex parte finis, qualibet enim gratia unit cor immediatè ultimò fini: ſed ex parte ſubjecti magìs diſpoſiti, quia ſcilicet pleniorem majoremq; gratiam accipit homo magìs præparatus. Non tamen ex hac parte poteſt accipi prima ratio diverſitatis, quia præparatio ad gratiam non eſt hominis, niſi in quantum liberum arbitrium ejus præparetur à DEO; ſed ex parte ipſius DEI eſt prima ratio diverſitatis diverſimodè ſuæ gratiæ dona diſpenſantis ad hoc, quòd ex diverſis gradibus pulchritudo & perfectio Eccleſiæ conſurgat. Sicut etiam diverſos gradus rerum inſtituit, ut univerſum eſſet perfectum. Unde Apoſtolus poſt enumerationem diverſarum gratiarum ſubnectit*: (Eph. 4.) *ad conſummationem Sanctorum in ædificationem corporis Chriſti. Et quantumvis gratia ſit vita animæ, & vivere non datur ſecundùm magìs vel minus, ſciendum eſt vitam naturalem pertinere ad ſubſtantiam hominis, ideoq; magis & minus non recipere; vitam verò animæ per gratiam participatæ eſſe accidentalem, eamq; propterea eſſe inæqualem, ac poſſe magis vel minùs habere.*

Author & collator omnis gratiæ Deus.

Jam igitur primum authorem & collatorem gratiæ Deum agnoſcimus, medium autem Jeſum, mediatorem gratiæ hominum, 1. *Tim.* 2.) hominem; per quem velut caput Eccleſiæ in omnia ejus membra juxta menſuram donationis (*Eph.* 4.) ejus diverſimodè diffundi & infundi gratiam confitemur: de plenitudine namque ejus nos omnes accepimus, (*Joan.* 1.) qui eſt verbum plenum gratiæ & veritatis. (*Ibid.*)

V. Beda.

Sancti non plenitudinem ſpiritûs ejus, ait Venerabilis Beda, *ſed de plenitudine ejus, quantum ipſe donat, accipiunt. De plenitudine namq; Filij*, ait S. Cyrillus, *quaſi jugi fonte gratiarum donum ſcaturiens, in ſingulas*

gulas animas, quæ dignæ sunt, defluit. Benedixit nos, ait Apostolus de Deo Patre, (*Eph.* 1.) in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, id est per DEUM, in cujus labijs diffusa est gratia, propterea benedixit illum Deus in æternum, [*Psal.* 44.] ut ab illo benedictio hæc in nos promanaret. *Ipse enim fons est & radix bonorum omnium*, inquit S. Chrysostomus. Ipse vita, (*Joan.* 14.) ipse lux, (*Joan.* 8.) ipse veritas, (*Joan.* 14.) non in seipso bonorum divitias continens, sed in universos diffundens, quibus diffusis plenus permanet, neque ex eo, quod alijs suppeditat, minuitur, sed divitias suas elargitur semper uberiùs; cùmque omnes his bonis adimpleat, in eadem permanet perfectione. Et gratiam pro gratia, ait Evangelium: (*Joan.* 1.) juxta aliquos gratiam super gratiam, utì dicitur plaga super plaga, contritio super contritione, (*Jer.* 4.) pellem pro pelle; [*Job.* 2.] ubi maxima plaga, summa contritio, omne pecorum & armentorum genus intelligitur; ita gratia pro gratia sumenda est omnimodà. Nihilominùs gratiam secundam pro gratia prima, semperq; crescentem tam homines quàm Angeli accepimus. Vel juxta Divum Augustinum, *gratiam vitæ æternæ, id est gloriam beatificam pro gratia hujus vitæ accepimus in spe, & re ipsâ post mortem accipiemus à Christo. Gratia enim est semen gloriæ, gloria est consummatio gratiæ.* Vel juxta Sanctum Chrysostomum & Cyrillum, *gratiam vicariam pro gratia Christi primaria. Sicut enim Christi gratia fecit illum Deo gratum, sanctum, amicum, & filium Dei naturalem; hoc enim quod natum est ex Maria sanctum, vocatum est Filius Dei:* (Luc. 1.) *sic eadem nos facit Deo gratos, sanctos, amicos, & filios Dei adoptivos.* Deniq; gratiam pro gratia accepimus, videlicet propter gratiam Christi, & per gratiam Christi data est nobis gratia, ut ipsi debeamus totum, quidquid sumus in gratia, & ex gratia ab ipso in nos diffusa, eâdem specie cum ipsius gratia, sed non eadem numero. Et quia dicitur verbum plenum gratiæ & veritatis, [*Joan.* 1.] gratiaque & veritas per Jesum Christum facta, (*Ib.*) in gratia etiam veritas includitur. Ipse namque est seminator verbi Divini, verbi æternæ Veritatis, per quem & cognitionem DEI vivi & veri, & omnia reliqua gratiarum dona percepimus, nimirùm fidem, sapientiam, prudentiã, intellectum rerum Divinarum, media salutis nostræ; item cum Deo reconciliationem, peccatorum remissionem, justitiam, filiorum DEI adoptionem, spem, charitatem, humilitatem, mansvetudinem, & omnes alias virtutes recepimus. Hæc enim omnia sunt gratiæ dona ex gratia Christi & per gratiam ejus profluentia, velut semina verbi ejus in nos sparsa. Quid ad hæc requiritur? Terra bona. Quæ illa? Benè suffossa, stercorata, rectè subacta per pœnitentiam & mortificationem, utì in nupero diximus sermone. Hoc est cor bonum & optimum proferens seminis verbi fructum in patientia, (*Lucæ* 8.) quæ pœnitentiæ & mortificationis intima est amica. His medijs gratiam Dei quæramus, unam hanc à Domino petamus & requiramus; (*Ps.*

Gratia data pro gratia quomodo sumenda? I. II. S. Augustin. III.

IV.

V.

Dona gratiæ.

Ad hanc recipiendam terra bona requiritur.

26.) quia hâc habitâ omnia vitæ & salutis nostræ bona possidebimus, gloriamque & vitam consequemur æternam.

Sermo Dominicâ Quinquagesimæ.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

QVid fas vel nefas possit, quò gratiæ lumen aut gratia luminis feratur, quid religio gratitudinis, sive ingratitudinis impietas peragat, hodierni Evangelij contextus nobis patefacit evidenter. PP. RR. FF. DD. Ecce, inquit suprema Bonitas, (*Luc.* 18.) ascendimus Jerosolymam. Huc huc oculorum attentio, hìc hìc aurium auscultatio, super hoc ruminatio intellectûs. Ascensus exaltationem innuit, Jerosolyma pacis denotat visionem. Num in hac visione pacis exaltatio filij hominis sequatur, audiamus: & filius hominis tradetur Gentibus. (*Ib.*) O scelus proditionis! Et illudetur. (*Ibid.*) Quis? Sapientia Dei. O indignitas! Et flagellabitur. (*Ibid.*) Quis? Ipsa innocentia. O iniquitas! Et conspuetur. (*Ib.*) Quis? Speciosus formâ præ filijs hominum. (*Psal.* 44.) O abominatio! Et postquàm flagellaverint, occident eum. (*Luc.* 18.) O flagitiorum turba! Ubi? In monte calvariæ, in ligno crucis. O criminum abyssus! Hæccine tua ô mi JESU ascensio Jerosolymitana? Talisne tua exaltatio? Sic ait, sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. (*Joan.* 3.) Et iterùm inquit: (*Joan.* 12.) cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Trahe nos Domine post te, (*Cant.* 1.) ut ita tecum in cruce exaltemur. Sed ecce post triste exordium hilaris conclusio: & die tertiâ resurget. (*Luc.* 18.) O felicitatis eminentia! O excellentia gloriæ! O coronis beatitudinis & corona! Eja duodecim Apostoli dolete cum dolente JESU, lugete cum lugente, tandem gaudete cum gaudente; (*Rom.* 12.) at ipsi nihil horum intellexerunt, ait Evangelista. (*Lucæ* 18.) Quanta cœcitas mentis? Et erat verbum istud absconditum ab eis. (*Ibid.*) Quanta cordis obscuritas? Et non intelligebant quæ dicebantur. (*Ib*) Quanta caligo intellectûs? Siccine prophetia capitis, & finis Prophetarum, omniumque prophetiarum consummatio, cœco erat impetu excipienda? Itane vaticinium de passione & morte crucis ac resurrectione ingrato erat corde amplectendum? Nonne passio & occisio Domini & Magistri ingenti mœroris luctu, resurrectio autem immensâ gaudij exultatione erant à Discipulis prosequenda? Sed non mirum, Apostolos in hac intelligentiæ fuisse obscuritate, quandoquidem velamen Moysis adhuc erat super oculos ipsorum, nondum Spiritûs Sancti irradiatione sublatum. Nunc summoperè mirandum, quòd radiante per totum terrarum orbem fidei lumine eadem mentium obscuritas, cordium cœcitas, obfuscatio intellectûs per inconsiderationem, per non reflexionem, per neglectum intellectionis in Christianis etiamnum perseveret. In his salutis humanæ essentia, in his gratiarum superaffluentia, in his origo beatitudinis consistit: & ecce

Christi Hierosolymam ascendentis vaticinium.

Ab Apostolis non intelligitur.

Quare?

ecce quotusquisque considerat, quomodò moritur justus? Quomodò à facie iniquitatis sublatus sit, quàm rarus percipit corde? Arrident quidem gaudia resurrectionis, sed aliquantùm fugiuntur dolores passionis. Nonne hìc fas omittitur & nefas committitur? Nunquid non ita gratiæ lumen extingvitur, & luminis rebellio accenditur? Sic sic religio gratitudinis proscribitur, sic execranda ingratitudinis impietas exercetur. Quid igitur? Progreditur immensa Bonitas à prophetia ad miracula; ut quod illuminatione vaticinij haud potuit intellectui patere, jam fiat apertius novi miraculi coruscatione. Cœcus quidam sedebat secùs viam mendicans. (*Lucæ* 18.) Quid magìs obvium quàm mendicus? Pauper ubique jacet, in bivijs & trivijs. Quid magis invium quàm cœcus? Facilè offendit, cadit in foveam, ruit in præceps. Noster cæcus quia caret visu, auditu tamen sibi consulit; & cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset? (*Ib.*) Felix interrogatio, optima requisitio, curiositas salutaris; & hic videtur fidem percipere ex auditu. (*Rom.* 10.) Dixerunt autem ei, quòd Jesus Nazarenus transiret. (*Luc.* 18.) Quàm apprimè non simpliciter Jesus, sed cum adjecto Nazarenus vocatur. Præcesserat enim mentio passionis, jam innotuerat mors crucis, jam Resurrectionis gloria fuit manifestata, idcircò titulus crucis, qui erat insigne mortis & victoriæ ejus, jam publicatur, uti in cruce præfigi debebatur: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. (*Joan.* 19.) Hic ipse titulus ab Angelo ingeminandus erat mulieribus: (*Marc.* 16.) Jesum quæritis Nazarenum crucifixum? Sed en quàm oculatus hic erat cæcus, dum audit Nazarenum, concludit esse filium Davidis Regis, Regem Judæorum. Et clamavit dicens: JESU fili David miserere mei. [*Luc.* 18.] Quàm benè videbat hic cæcus quis veniret, qui caligabat oculis, illuminatus erat intellectu. Merebatur sanè, qui sic lumine fidei radiabat in mente, etiam corporali donari visione. Filium nominat Davidis mansvetudine præcellentis, beneficentiâ eximij, conspicui dilectione inimicorum, & ideo à Davidis Filio petijt misericordiam. Dumque à præeuntibus increparetur ut taceret, (hæc est actio mundi invidi, gratiæ Dei inimici, cæcitatis amici, imò parentis & fautoris) ipse multò magìs clamabat: Fili David miserere mei. (*Ibid.*) Repetita petitio, continuata instantia, irremissa supplicatio promeruit misericordiã apud eum qui dixit: (*Joan.* 16.) petite & accipietis, quęrite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Hæc replicata oratio fecit stare Jesum, iter abrumpere, sistere turbam. *Stare solius est Creatoris*, dicente Divo Gregorio, *secundùm quod est firmus & immutabilis, per quem non transeuntem cuncta transeunt, & in quo aliqua ne transeant, retinentur.* Stat Jesus in signum populorum, (*Is.* 11.) quia per ipsum omnes sunt salvandi, stans adjuvat, sanat, opitulatur in opportunitatibus, in tribulatione. Expertus id Stephanus in lucta agonis sui: video, inquit, (*Act.* 7.) Jesum stantem à dextris virtutis Dei. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se; (*Luc.* 18.) hoc est, quod

Miraculum Christi circa coecum.

Oratio hujus Jesum David filium deprecantis,

cor fecit stare Jesum?

S. Gregor.

quod ait Regius Vates: [*Pſ.* 33.] accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Hoc eſt quod ipſe inclamat in Evangelio: (*Matt.* 11.) venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et iterum ſtans clamat; (*Joan.* 7.) ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat. Hic cùm appropinquâſſet, interrogavit eum dicens: quid vis ut faciam tibi? (*Luc.* 18.) Quanta bonitas Salvatoris, hoc facere quod vult mendicus & cæcus? Quanta clementia, non ſuam ſed alterius exequi voluntatem? Quanta beneficentia, lumine orbati ſe conformare voluntati? Reſpondet cæcus: Domine ut videam. (*Ib.*) Agnoverat illud Tobiæ dictum: (*c.* 5.) quale gaudium mihi eſt, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video; hoc unicum deſidero, hoc petij, hoc requiro, ut videam. Lumen oculorũ ipſi deerat, aderat videndi appetitus, inerat fidei virtus, ſupererat gratię expectatio, & dixit illi Jeſus, reſpice. *Luc.* 18. Reſpectũ imperat ille qui ſolus omni dignus erat reſpectu. Reſpectum mandat ad ſe, ad mãdata ſua, ad viam ſuam, illi qui in primo parente pravum arboris prohibitæ habuerat aſpectum; & à *Deo*, à mandatis ejus & à via illius exerraverat. Utque det rationem luminis acquiſiti, ſubjungit cauſam æterna Veritas: (*Ib.*) Fides tua te ſalvum fecit. En fidei lumine lumen acquiritur gratiæ, in lumine videtur lumen, lumen de lumine creſcit. Et confeſtim vidit, ait ſermo Divinus. (*Luc.* 18.) Sic verbi imperio, influxu gratiæ, luminis acceſſu celeriter curatur cæcitas corporis, ut per hoc in Apoſtolis & eorum ſequacibus evigilet torpor mentis, pellatur caligo cordis, obnubilatio intellectûs reveletur. Et ſequebatur illum magnificans Deum. (*Ibid.*) O magna viſionis felicitas! O excellens luminis Divini effectus! O præſtans viæ hujus provectus ac profectio, ſimulque præclara vitæ profeſſio, ſequi Chriſtum. En ſimul poſt adeptam viſionis gratiam inſignis juſtitiæ operatio, prompta lumini gratiæ obſecundatio, ſincera retributio gratitudinis Deum magnificantis. Ecce non minùs ab exemplo cœci illuminati aliorum viſio & illuſtratio; ſequitur namque: (*Luc.* 18.) & omnis plebs ut vidit dedit laudem Deo. Hæc eſt vera religio, hic rectus Dei cultus, hæc pietas erga Deum, Deo omnia bona attribuere, in omnibus gratiarum donis magnificare Deum, in cunctis virtutibus dare laudem *Deo*, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, [*Jacob.* 1.] non à nobis nec ex nobis. Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam (*Pſ.* 113.) in nobis. Sine gratia tua nihil ſum, nihil poſſum. Cum gratia tua ſum aliquid, poſſum omnia. Sic Apoſtolus ait: (*Philip.* 4.) Omnia poſſum in eo qui me confortat, utique per gratiam ſuam. *Dominus* illuminatio mea & ſalus mea ait Propheta. [*Pſ.* 26.] Deus ſolus lux eſt & tenebræ in eo non sũt ullæ, (1. *Joan.* 1.) ille ſolus lucem habitat inacceſſibilem. (1. *Tim.* 6.) Ab illo venit lux de luce Chriſtus, lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. [*Joan.* 1.] Lux vera, quia prima

Clementia Chriſti in curatione coeci.

Ratio luminis reſtituti.

Vera religio & pietas erga Deum, totum Deo attribuere

ma increata lux, & fons lucis inexhaustus. Lux vera, lumen gratiæ ubique in omnes diffundens, à se illud sumens non ab alio; ex se in alios dispertiens universos. Ego sum lux mundi, inquit (*Joan.* 8.) de se: Vos estis lux mundi, ait de Apostolis, (*Matth.* 5.) Ego lux à me ipso, vos lux non à vobis sed à me. Qui sequitur me, uti hic cœcus à me illuminatus, (*Luc* 18.) non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. (*Joan.* 8.) *Si sequaris istum solem visibilem*, teste D. Augustino, *te deserit in occasu*; à Deo si non facias casum; nunquam ad te ille faciet occasum. *Homo illuminatus*, ait idem, *dicitur lux, sed vera lux est illa, quæ illuminat.* (*Joan.* 1.) Nam & oculi nostri dicũtur lumina, & tamen nisi aut nocte lucerna accendatur, aut per diem sol exeat, lumina ista sine causa patent. De infidelibus postea credentibus ait Apostolus; (*Ephes.* 5.) Fuistis aliquando tenebræ per incredulitatem, nunc autem lux in Domino per fidem. Tenebræ in vobis, lux in Domino, à quo omnis lux, ut filij lucis ambulate. [*Ephes.* 5.] Ambulate dùm lucem habetis (*Joan.* 12.) Christum, ne tenebræ vos comprehendant peccatorum. Dùm lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis, (*Joan.* 12.) imperat ipsa lux increata. Lucerna pedibus meis verbum tuum (*Ps.* 118.) Incarnatum, & lumen semitis meis; (*Ibid.*) ut per illud queam in luce ambulare. Fructus lucis est in omni bonitate, justitia & veritate. (*Ephes.* 5.) Ex his agnoscitur homo illuminatus, si sequens Christum sequitur bonitatem, facit justitiam, permanet in veritate. Opera bona absque omni malitia, actus justitiæ sublatâ iniquitate, exercitia veritatis dempto mendacio vel hypocrisi sunt lucernæ ardentes in manibus nostris, (*Luc.* 12.) de quibus ipsa Veritas sic; (*Matth.* 5.) Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrũ qui in cœlis est. Hoc est sequi Christum in operibus bonis, & magnificare Deum tanquam Patrem luminum, (*Jacob.* 1.) omnis gratiæ, sine qua nulla sunt opera bona, authorem. Quid enim? Tu illuminas lucernam meam Domine, fatetur Regius Videns sive Propheta, & orat: (*Ps.* 17.) Deus meus illumina tenebras meas. Illumina oculos meos Domine. (*Ps.* 12.) Faciem tuam illumina super servum tuum, (*Ps.* 118.) signatum enim est super nos lumen vultûs tui Domine. [*Ps.* 4.] Deo illuminante mirabiliter à montibus æternis, (*Ps.* 75.) omnis in hominibus promanat lux. Dominus illuminat cœcos. (*Ps.* 145.) A Domino diriguntur gressus viri; ait Salomon, (*Pr.* 20.) quis autem hominum intelligere potest viam suam? Est enim via quę videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem. (*Prov.* 16.) Apud dominum sive à Deo, inquit Pater ejus David, (*Ps.* 36.) gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet; ac propterea precatur: (*Ps.* 118.) Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum. Sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, (*Ps.* 89.) Fatetur Jeremias: (*cap.* 10.) Scio Domine quòd non est hominis via ejus, nec viri, ut dirigat gressus suos. Inde monet

Deus lux vera, lumen gratiæ in omnes diffundit.

S. Augustin.

Fructus lucis in quo?

Tobias. (*cap.* 4.) Pete à Deo ut vias tuas dirigat. Sic optat Rex Prophetarum. (*Ps.* 118) Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas: perfice gressus meos in semitis tuis. Quomodo tamen benè diriguntur viæ nostræ, perficiuntur gressus nostri? Sequêdo Christum, cujus præceptum lucidum, illuminans oculos: (*Ps.* 18.) & magnificando Deum, cujus factura sumus teste Apostolo, (*Ephes.* 2.) creati in Christo Jesu; creati planè ex nihilo per gratiam, ex meritis Christi facti nova creatura; (*Gal.* 6.) creati inquit, in operibus bonis, scilicet ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Dominus omnia opera nostra operatur nobis (*Isa.* 26.) per gratiam suam, & opera nostra, quæ sunt ipsius dona & munera, in nobis præmiatur & coronat. Si ergo spiritus est in hominibus, sed inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam; (*Job.* 32.) si non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; (2. *Cor.* 3) si Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate; [*Philip.* 2.] si sine Christo nihil possumus facere, (*Joan.* 15.) confiteatur quisque nostrûm cum Doctore Gentium: (1. *Cor.* 15.) Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit. Et si dicit, laboravi, addat quivis, non ego sed gratia Dei mecum. (*Ib.*) Super quo Sanctus Pater noster. Paulus inquit, *non ego, sed gratia Dei mecum*, (1. Cor. 15.) *præsumens se non solũ operis esse ministrũ per effectũ; sed & operationis quodammodo sociũ per consensum.* Denĩq; & Paulus de se pronunciat. (1. *Cor.* 3.) Dei adjutores sumus: hinc & promeritores Regni nos esse præsumimus, quòd per consensum utique voluntarium Divinæ conjungimur volũtati. Sit in nobis bona voluntas cum gratia Dei. Sit intellectus per considerationem crucis & mortis Christi, sit societas passionum ejus, sit sequela Christi in operibus bonis, sit magnificatio Dei, & laus in hisce omnibus; sic fas & justitia stabilietur, sic gratia quæ lux est animæ, major & amplior acquiretur: sic pro gratijs quæ multiformes sũt, & primæ & finales, & operantes & cooperantes, & prævenientes & subsequentes, omnes tamen gratos nos Deo facientes, gratitudo & gratiarum actio lumine gloriæ æternæ coronabitur.

Quomodo dirigendæ viæ nostræ?

S. Bernard.

Sermo Dominicâ I. Quadragesimæ.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

INvisibiles spiritus nobis adesse partim ad custodiam, partim ad impugnationem nostrî, de fide est. PP. RR. FF. DD. Illi quidem boni, de quibus Regius Propheta: (*Psal.* 90.) Angelis suis DEUS mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis; isti verò mali, de quibus Apostolus: (*Eph.* 6.) non est nobis colluctatio adversùs carnem & sangvinem, sed adversùs principes & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cęlestibus. Et quidem quoad bonos, *hæc est ratio Divinæ providentiæ*, teste Divo Thoma, *ut mobilia & variabilia per immobilia & inva-*

S. Thomas.

invariabilia moveantur & regulentur, omniaq́ corporalia per substantias spirituales & immobiles; & corpora inferiora per superiora, quæ sunt invariabilia secundùm substantiam, dirigantur. Cùm autem cognitio & affectus hominis in rebus agendis multipliciter variari & deficere possint à bono, ideò necessarium fuit Angelos bonos ad custodiam hominum ordinari, per quos ad bonum moverentur & regularentur. Hi dati sunt à DEO singuli singulis hominibus, ex testimonio Sancti Hieronymi dicentis: *magna est dignitas animarum, ut unaquæq́ habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Crediderim etiam statim ad infusionem animæ in corpus organizatum jam custodem Angelum unicuique hominum deputari; quandoquidem à S. Hieronymo animæ hæc dignitas imputatur: illi utique, per quam homo ad imaginem & similitudinem Dei creatus est, (*Gen.* 1.) & quæ planè est imago & similitudo Dei: circa quam principalis Dei providentia tanquam naturam rationalem habentis, & participium Divinæ naturæ possidentis versatur. *Sunt autem totius humani generis particulares custodes Angeli, quorum ordo est infimus* ex sensu S. Dionysij, & *quorum est* juxta Sanctum Gregorium, *minima nunciare. Nam altioris ordinis Archangeli sunt universaliores humanæ multitudinis custodes.* Ulteriùs autem docente S. Augustino, *supra omnes naturas corporeas habent custodiam Virtutes.* Et ulteriùs *etiam supra dæmones habent custodiam Potestates.* Et ulteriùs *supra bonos spiritus habent custodiam Principatus vel Dominationes* secundùm D. Gregorium. Possunt tamen etiam inferiores Angeli exercere officia superiorum, in quantum aliquid de dono ipsorum participant, & se habent ad superiores sicut virtutis eorum executores. Unde Angeli infimi ordinis possunt & dæmones arcere, & facere miracula. Jam verò quo ad malos, certum est, quòd homines à dæmonibus ex ipsa illorum malitia oppugnentur, *qui propter invidiam*, uti ait D. Thomas, *profectum hominum impedire nituntur, & propter superbiam Divinæ potestatis similitudinem usurpant, deputãdo sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem: sicut Angeli Deo ministrant indeterminatis officiis ad hominum salutem.* Sed ordo impugnationis ipsius est à Deo, qui ordinatè novit malis uti, ipsa ad bonum ordinando. Unde proprium est diaboli, tentare homines, ut ijs noceat, in peccatum illos præcipitando. Sic docet Apostolus, scribens ad Thessalonicenses: (*ep.* 1. *cap.* 3.) ne fortè tentaverit vos is qui tentat; ubi glossa interlinearis: id est diabolus, cujus officium est tentare. Hinc & in hodierno Evangelio nomen ipsi proprium adscribitur tentatoris. Porrò *licèt multitudo dæmonum* juxta S. Dionysiũ, *est causa omnium malorum sibi & alijs*; & juxta Divum Damascenum, *omnis malitia & omnis immunditia à diabolo excogitatæ sunt; nihilominùs omnia hominum peccata* ex sensu Divi Thomæ, *à dæmone causantur indirectè, directè autem ex arbitrij libertate.* Origenes asserit: *etiamsi diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborũ*

Angeli boni ad custodiam hominum deputati.
S. Hieron.
S. Dionysius
S. Gregor.
S. Augustin.
S. Gregor.
Angeli mali ad impugnationẽ eorundem.
S. Thomas.
Proprium est diaboli tentare homines.
S. Dionysius.
S. Damasc.
S. Thomas
Origenes.

& venereorum, & hujusmodi: circa quæ multa inordinatio contingit, nisi talis appetitus per rationem refrænetur, ac potissimùm suppositâ naturæ corruptione. Et sic non omnia peccata proveniunt ex instinctu diaboli, sed etiam ex suggestione corruptæ naturæ vel mũdanæ deceptionis. Quæ tamen peccata fiunt diabolo instigante & inducente ad ea complenda eodem blandimento, quo primi Parentes, nunc verò homines decipiuntur & illaqueantur. Quid quòd etiam ipsum Dei Filium hominem factum ijsdem medijs tentare præsumpserit inimicus, quod nobis sacrum patefacit Evangelium. (*Matt.* 4.)

Non omnia peccata proveniunt ex instinctu diaboli.

Christus cur tentari voluit? I.

Sed antequam id deducamus, libeat inquirere utrùm expediebat Christum tentari? Ità equidem varijs de causis, ac primùm ut suo auxilio nos contra tentationes muniret; deinde ut exemplo suo nos instrueret, quomodò tentationes Sathanæ superare debeamus. De primo inquit D. Gregorius: *Justum quippe erat, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat suâ morte superare. Nec indignum erat Redemptori nostro, quòd tentari voluit, qui venerat occidi.* Secundum demonstrat D. Augustinus dicens: *quòd Christus se diabolo tentandum præbuit, ut ad superandas tentationes ejus mediator esset non solùm per adjutorium verùm etiam per exemplum.* Tertiò voluit nobis hanc dare cautelam, ut nemo quantumcunque sanctus, se æstimet securum & immunem à tentatione in hac misera vita, quæ à Jobo (*c.* 7.) tentatio nominatur. Unde *post baptismum mox voluit tentari* teste Divo Thoma, quia sicut S. Hilarius dicit: *in sanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta grassantur; quandoquidem victoria magìs est ei exoptata de Sanctis.* Confirmat hoc D. Chrysologus dicens: *Diabolus semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extingvere, sciens quòd ea subvertere fundata non possit.* Hoc non ignorans Christus diabolo se quærenti patienter indulsit, ut inimicus laqueo suo ipse teneretur & caperetur inde, unde capere se putabat, sicque á Christo victus cederet Christianis. Quartam rationem dat Angelicus Doctor: *cur tentari se permiserit Deus, ut nobis fiduciam de sua misericordia largiretur*; teste Apostolo dicente: (*Heb.* 4.) non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Præsumpsit verò diabolus Christum tentare postquam esurijt, [*Matt.* 4.] ex sensu Divi Hilarij dicentis: *tentare Christum diabolus non fuisset ausus, nisi in eo per esuritionis infirmitatem, quæ sunt hominis, recognosceret.* Declarat hoc ipse tentandi modus cùm diceret: (*Matt.* 4.) si filius Dei es; de quo S. Ambrosius: *Quid sibi vult talis sermonis exorsus, nisi quia cognoverat Dei filium venturum, sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat.* Manifestat idipsum Divus Chrysologus. *Esurivit Christus, ut materiam diabolus tentandi inveniret; quia ad jejunium non audebat accedere, quia sic jejunantem Deum non hominem sentiebat. Tunc sensit hominem, tunc mortalem credidit,*

[Margin notes: S. Gregor. — S. Augustin. II. — III. — S. Thomas — S. Hilarius — D. Chrysol. — IV. S. Thomas — *In quo tentatus est?* — S. Hilarius — S. Ambros. — S. Chrysol.]

credidit,

credidit, tunc eum putavit posse tentari, quando eum esurire callidus explorator inspexit. In hoc autem apparuit Filius DEI, ait dilectus Jesu Discipulus, [1. *Joan.* 3.] ut dissolvat opera diaboli; *non potestativè agendo*, inquit S. Thomas, *sed magis ab eo & ejus membris patiendo, ut sic diabolum vinceret justitiâ non potestate;* quod ipsum S. Augustinus asserit: *quòd diabolus non potentiâ DEI, sed justitiâ fuit superandus.* Inde propriâ voluntate se tentari obtulit, ductus à Spiritu Sancto in desertum, postea verò à maligno spiritu assumptus in pinnaculum templi, & in montem excelsum valde. (*Matt.* 4.) *Nec est mirum*, ex mente Divi Gregorij, *si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam à membris ipsius crucifigi. Non autem quasi ex necessitate assumptus est, sed quia* juxta Origenem, *sequebatur eum ad tentationem quasi athleta spontè procedens.* Porrò Christus Dominus nec à carne, nec à mundo fuit tentatus, sed tantùm ab hoste per solam exteriorem suggestionem, illicijs tamen carnis & mundi uso. *Decuit autem illum in deserto tentari*, juxta D. Ambrosium, *tam motivo mysterij, ut Adam de exilio liberaret, qui scilicet de paradiso in desertum ejectus est;* (Gen. 3) *quàm specimine exempli, ut ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus invidere. In deserto, in solitudine tentat, quia diabolus solitarios maximè attentat. Tùm etiam convenienter Christus post jejunium tentari voluit*, docente Divo Thoma, *ad exemplum & instructionem nostram, ut humiles esse discamus, cùm in nobis aliquid boni conspicimus, & quòd per jejunium nos oporteat contra tentationes armari*, unde inter arma justitiæ jejunia quoque ab Apostolo (2. *Cor.* 6.) conscribuntur. *Quin* juxta S. Chrysostomum, *ut discamus quàm magnum bonum est jejunium, & qualiter scutum est adversus diabolum, & quoniam post baptismum* (utique non tantùm aquæ sed & pænitentiæ) *non lasciviæ sed jejunio intendere oportet; ideò Christus jejunavit, non jejunio indigens sed nos instruens. Cùm autem esurijt Dominus*, ait Divus Hilarius, *non fuit ex subreptione inediæ, sed naturæ suæ hominem dereliquit. Non enim erat à Deo diabolus sed à carne vincendus.* Unde etiam dicente S. Chrysostomo, *non ultra processit in jejunando quàm Moyses & Elias; ne incredibilis videretur carnis assumptio.* Jam redeamus ad punctum quod suspendimus, de modo tentationis Christi consimili Adam tentationi. Super hoc audiamus Angelicum Doctorem: Primò *sollicitavit diabolus mentem primi hominis de ligni vetiti esu dicens:* [Gen. 3.] *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* Secundò *de inani gloria cùm dixit: Aperientur oculi vestri.* Tertiò *produxit tentationem ad extremam superbiã, cùm dixit: Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Eundem tentandi ordinem servavit in Christo. Primò, sustentationem corporalis naturæ per cibum prætendendo, deinde inanis gloriæ ambitum offerendo, tertiò divitiarum & gloriæ mundi concupiscentiam, ac sectationem usque ad contemptum Dei requirendo. Hæc tentationum

S. Thomas.

D. August.

S. Gregor.

Origenes.

Quomodo tentatus est?

D. Ambros.

D. Thomas.

Jejunio contra tentationes armari oportet.

D. Hilarius

S. Chrysost.

Modus tentationis Christi consimilis tentationi Adam.

molimina quibusnam armis elisit Verbum Dei Incarnatum? Verbi sui Divini allegationibus. Ita spiritu labiorum suorum interfecit impium, (*Isa.* 11.) quando diffusa erat Verbi sacrosancti gratia in labijs ejus, (*Ps* 44.) cujus Verbi & gratiæ diabolus inimicus est capitalis. Hoc gladio spiritûs (*Ephes.* 6.) feritur satanas & trucidatur. Tria porrò illa mala à diabolo in tentatione Christi producta, in se omnia con ludere mala, pulchrè S. Ambrosius confirmat dicens. *Scriptura non dixisset, quòd consummatâ omni tentatione diabolus recessit ab illo,* (Matth. 4.) *nisi in tribus præmissis esset omnium materia delictorum; quia causæ tentationum, causæ sunt cupiditatum, scilicet carnis oblectatio spes gloriæ, & aviditas potentiæ* Denique compendium hoccè malorum omnium ostendit Apostolus, Evangelista & Propheta novi testamenti docens: (1. *Joan.* 2.) omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ. Hinc optimè S. Chrysostomus inquit: *Omnium malorum prima & fortiora sunt tria mala: gula, vana gloria, & avaritia, quibus proinde diabolus tentavit Christum in deserto.* Et vide quomodo adversus tria mala, inventa sunt tria bona, jejunium contra gulam, oratio contra vanam gloriam, eleemosyna contra avaritiam, de quibus cũ Dei ope agam in sequentibus Sermonibus. Generaliter autem omnia actionum diaboli molimina & tentationum specimina eleganter explicat D. Chrysologus. *Diabolus mali author, nequitiæ origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus, ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, conscindit unitatem, sapit malum satis, bonum nil, violat Divina, humana tentat.* Ecce varij effectus tentationum diaboli, quibus homines divexat & perfundat. Idem aureus Doctor observat, *dæmonem magis contra nos excandescere ex occasione virtutis alicujus exercitæ. Est quidem diabolus per se nequam, fit tamen nequior provocatus. Audi Apostolum dicentem:* (1. Pet. 5.) *diabolus sicut leo rugiens circuit quærẽs quem devoret.* Quæ autem sit diaboli esuries & satietas latè enumerat. *Jejunantibus nobis,* ait idem S. Præsul Ravennatensis, *diabolus esurit, qui nostris semper saturatur ex culpis. Ille cibum nostrum deducit in crapulam, potum nostrum in ebrietatem diffundit, ut mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animi domicilium, animæ vas, murum spiritûs, virtutum scholam, Dei templum, in scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrũ.* Tandem delicias maligni spiritûs enucleatè proponit inquiens. *Capit ille satietatem, voluptatem percipit, expletur epulis; quando nos luxus solvit, libido stimulat, pompa rapit, impellit ambitio, urget ira, furor implet, succendit invidia, cupiditas inflammat, curæ sollicitant, lites vexant, lucra capiunt, usuræ vinciunt, chirographa ligant, premunt sacculi, elidit aurum. Quando moriuntur virtutes, vivunt vitia, voluptas*

In his tribus malis omnia mala includuntur
S. Ambros.
D. Chrysost.
Contra hæc tria mala, tria bona remedia.
D. Chrysol.
Specimina tentationum diaboli, & effectus illorum.
Idem.
Diaboli esuries & satietas.
Idem.
Ejus deliciæ.
Idem.

luptas effluit, honestas perit, misericordia deficit, abundat avaritia, regnat confusio; succumbit ordo, prosternitur disciplina, notate Fratres, repeto: *prosternitur disciplina*. Quàm præstantissimè universam diaboli armaturam contra nos explanat! *Ista*, ait, *militant adversùs militem Christi, istæ sunt Sathanæ cohortes, istæ diaboli legiones. Ista sunt, quæ mundum sepulchris obsederunt, debellaverunt populos, vastârunt gentes, orbem totum duxêre captivum.* Quid remedij? Ipse Filius Dei debuit descendere in arenam, confligere cum hoste, ipsius se subjicere tentationibus, ut viam nostræ sterneret victoriæ. Gratias Deo qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum; (1. *Cor.* 15.) per quid? Per diffusam in labijs ejus gratiam verbi Divini: non in solo pane, ait, (*Matt.* 4.) vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore *Dei*. Non tentabis Dominum Deum tuum. (*Ib.*) Dominum *Deum* tuum adorabis (*Matth.* 4.) & illi soli servies. Hæc sunt verba Dei, hic gladius spiritûs, hæc effata verbi incarnati. Sic verbo Dei vincitur hostis, sed ad hoc debuit ipsum Dei verbum incarnari. *Ista sunt* continuat Auriloquus Doctor, *quibus nullus per se potuit obviare mortalis; & ideo ad vincenda ista Deus venit ipse, cœli Rex ipse descendit, ipse victor singularis advenit, jejunium Quadragesimæ statuens in procinctu, ut quaternâ decade jejunij quadraturam mundi totam muro inexpugnabili communiret.* Hæc fusè D. Petrus Chrysologus, cujus pro conclusione præsentis Sermonis, unum adhuc referam discursum, per quem nobis agenda in Quadragesima manifestat. *Ecce*, ait, *tempus, quo residente Christo, astantibus Angelis, nostra luctaminis exercenda est fortitudo.* En quã magnus Judex, liceat interloqui, præsidet certamini nostro! quàm insignes habemus spectatores! En Angelos cœlestes nos ad alacre prælium instigantes, nos suis suppetijs contra adversarios cacangelos inferni adjuvantes! *Nunc est tempus*, prosequitur Sanctus Archiepiscopus, *quo gula cum jejunio, abstinentia cum crapula, cum luxuria castitas, cum perfidia fides, pietas cum impietate, patientia cum furore, cupiditas cum liberalitate, misericordia cum avaritia, humilitas cum superbia, sanctitas cum reatu, Christo remunerante confligit. Verè hora est jam nos de somno surgere.* (*Rom.* 3.) En præcellens excitator D. Chrysologus. *Si quis ergo spectante Deo, cælesti jam resonante tubâ, Angelico insistente occursu, cubiculi irretitus illecebris, enervatus mollitie plumarum, resolutus in torum jugalibus blandimentis ad exercitium virtutis venire neglexit:* (audite decretum contra desides & torpentes) *perdit luctaminis præmium, virtutis gloriam, certaminis palmam, justitiæ coronam; desertoris etiam crimine mulctabitur in futurum.* Avertat Deus, ut talis sors nobis contingat, tale fatum nos stringat, talis eventus nos perimat, ut desertâ statione, neglectâ resistentiâ, abjectis armis lucis, armis justitiæ, lucifugi iniqui tentationibus succumbamus, primi desertoris Dei vestigijs insistamus, bonorum Angelorum consortio ac tutelâ privemur; haud dubiè gratiæ

Idem.

Verbo Dei vincitur hostis malignus.

Idem.

Quid agendum nobis in Quadragesima?

Idem.

Divinæ diffusione orbati tenebrionum involvemur pœnis, in barathrum protrudemur inferni, perennem Quadragesimæ infelicis luctum per seram nec reparabilem pœnitentiam, quod ah! utinam à nobis absit, in gehenna peragemus.

Sermo Dominicâ II. Quadragesimæ.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

D. Chrysol. ECce *tempus*, teste Divo Chrysologo, *quo in armorum cœlestium meditatione animæ & corporis exercendæ sunt vires*, dico ego, animæ per orationes, corporis per jejunia. Certum enim genus dæmoniorum non eijcitur, testimonio ipsiusmet æternæ Veritatis, (*Mar.* 9.) nisi per orationem & jejunium. *Ecce tempus*, repetit idem, *quo carnis otia, quo mentis ignavia, quo ventris cura, & tota est familiaris obsequij deponenda torpedo.* Ad arma igitur milites Christi, quoniam tempus bellorum spiritualium cernimus advenisse. *Sicut Christi milites*, inquit idem aureus Doctor, *deposito corporis animæq; torpore virtutum procedamus ad campum, ut membra quæ sunt nobis hyemali otio mollita, exercitio cœlestium roborentur armorum.*

D. Chrysol. *Hostium invisibilium arma visibilia quomodo superanda?* Nonne in medio versamur hostium, tantò periculosiùs, quantò sunt invisibiles? Visibilibus tamen nos impugnant telis, per corporalia & mundana animam impetunt, nobis ipsis nos expugnare conantur. Quid remedij? Fiat primò recursus ad Deum per orationem, ab authore & protectore omnium petatur auxilium, scutum orationis ad tela hostis excipienda assumatur, quandoquidem oratio est omnis armatura fortium. (*Cant.* 4) Dicant nobis SS. Patres, quid sit oratio? *Definitio orationis* S. Damasc. *Est ascensio mentis in Deum*, juxta Sanctum Damascenum; *est familiaris conversatio & conjunctio cum Deo*, secundùm S. Joannem Climacum: S. Climacus. *est oris ratio*, ex mente Cassiodori; & juxta D. Thomam, D. Thomas. *cùm petere sive deprecari ordinationem quandam denotet, ordinare autem rationi conveniat, oratio est actio intellectivæ non appetitivæ partis, estq; actus religionis, per quem homo Deum reveretur, sese illi soli subijcit, soli rationali creaturæ appropriatus.* Et hæc sunt quoad definitionem orationis, quoad effectum verò dicat nobis aureum Os. *Effectus illius.* D. Chrysost. *Aptissima arma*, ait, *oratio est, thesaurus certè perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis, deniq; author, parens, fons, & radix bonorum omnium & innumerabilium oratio est, atq; etiam ipsâ Regiâ facultate potior.* S. Climacus. Sanctus Climacus orationem appellat, *Regia arma.* Origenes. Origenes asserit, *quòd populus DEI non tam manu & armis, quàm voce & linguâ pugnabat, orationem fundens ad Deum prosternebat inimicos.* S. Greg. Nazianzenus. Sanctus Gregorius Nazianzenus orationem vocat *machinam muri fortis & inconcussi*; imò D. Chrysost. juxta S. Chrysostomum, *oratio Ecclesiæ murus, & qui rumpi non potest, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, pijs verò salutiferum.* Et secundùm S. Gregorium Nyssenum, S. Gr. Nyss. *est viatoribus scutum, dormientium custos, est flammeus gladius Cherubim, id est*

id est animæ illuminatæ, flammeus igne charitatis, versatilis in omnem partem ad custodiendam viam ligni vitæ in paradiso, (Gen. 3.) *nimirùm gratiæ Divinæ in corde humano.* Dicat adhuc nobis Isaac Presbyter, quid sit oratio? *Oratio,* inquit, *refugium est auxilij & fons salutis, & confidentiæ thesaurus, & lumen ijs, qui in tenebris sunt, & portus liberans à tempestate, & consortatio infirmorum, & protectio tentationum, & auxilium in ægritudinis violentia, & clypeus liberationis in prælio, est sagitta acuta contra inimicos.* Recenseat non minùs S. Ephrem orationis effectus. *Oratio temperantiæ est custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, & ad modestiam revocatio, odij ob acceptas iniurias medicina, invidiæ destructio, impietatis correctio. Oratio est corporum robur, rei familiaris administratio, recta juris legumq; constitutio, regni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis. Oratio Virginitatis sigillum est, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, evigilantium confidentia, agricolarum fertilitas, navigantium salus. Oratio reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium jucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natalitij, conjugum corona, morientium sepultura. Oratio est cum DEO colloquium, par cum Angelis honor, proborum promotio, ab improbis aversio, & peccatorum emendatio.* Claudat agmen S. Joannes Climacus dicens: *Oratio est mundi conservatio, Dei reconciliatio, mater lachrymarum, & iterùm filia, propitiatio peccatorum, pons tentationum, propugnaculum adversùs impetum afflictionum, bellorum oppressio & extinctio, officium Angelorum, omnium spirituum alimentum, futura lætitia, actio sempiterna, virtutum scaturigo, gratiarum Divinarum conciliatrix, profectus spiritualis, nutrimentum animæ, mentis illustratio, securis desperationis, spei demonstratio, tristitiæ solutio, divitiæ Monachorum, thesaurus solitariorum, iræ diminutio, speculum religiosi profectûs, dimensionum index, statûs declaratio, futurorum significatio, gloriæ futuræ indicium;* deniqùe juxta S. Theodoretum: *Sanctorum deprecatio est commune omnium malorum remedium.* S. Ephrem uno omnia verbo comprehendit dicens: *neq; est alia in tota vita humana pretiosior oratione possessio.* Liceat mihi dicere respectu thematis nostri: Oratio est diffusa gratia in labijs tam hominis orantis quàm Dei exorati, ac respectu Evangelij hodierni: Oratio est corporis & animæ transfiguratio. Quid enim? Nonne teste Evangelistâ Lucâ, (*c.* 9.) Dominus ascendit in montem ut oraret? & facta est dum oraret species vultûs ejus altera, & vestitus ejus albus & refulgens. Audivimus magna encomia orationis, perspeximus ingentes ipsius effectus, potentiam ejus penetravimus; nunc videndum, qualiter sit peragenda, ut ejusmodi fructus percipiamus. Et quidem primò, cùm oratio sit cum DEO collocutio, DEUS nobis ante oculos statuendus est, qui & alloquendus, continuò ejus præsentia in oculis mentis est habenda, adeoque faciendum, quod imperat maximus DEI Orator

Isaac Presb.

S. Ephrem.

S. Climacus.

S. Theodoretus.

S. Ephrem.

Oratio quomodo peragenda?

Pſalmorum author dicens: (*Pſ.* 94.) præoccupemus faciem ejus in confeſſione. Sed inquiret aliquis: quomodò poteſt facies Dei præoccupari? Deus omnia ſemper & ubiq; videt, intuetur & prævidet, nihilque à facie ejus eſt abſconditum, intuitu faciei ſuæ omnia præoccupat, quomodonam facies ejus poterit præoccupari? Non aliter niſi ut ante orationem hæc fiat præparatio, videlicet præſentiæ DEI & faciei ejus in mente noſtra ſtatuitio, ad quem nobis ſermo, cui orationis noſtræ allocutionem audemus præſentare. Hinc ſequetur reverentia Deo debita, majeſtatis Divinæ reſpectus, ejusque ſuper omnia dignitatis æſtimatio & adoratio, dignationis Divinæ admiratio, & indignitatis propriæ recognitio, quæ omnia unà cum pura intentione ad Divinæ laudis, honoris, & gloriæ augmentum, ejusque ſanctiſſimæ voluntatis adimpletionem, præparationi orationis ſervire tenentur.

Facies DEI quomodò pro oratione præoccupanda?

Virtuoſæ qualitates orantis in oratione.

Ipſe verò orans in ingreſſu & progreſſu orationis haſce tenetur poſſidere qualitates, quas brevibus verbis initium Pſalmi 140 nobis videtur indigitare. Ac primùm Deo dicendo, *Domine*, profitetur ſe ſervum, ideoque omnem præſeferat neceſſe eſt etiam inſtar mancipij humilitatem. Deinde enuntiat, *clamavi ad te*; clamantis vox indicat afflictionem, eſtque clamor pauperis, patientis, dolentis, & tribulati. Quis eſt hominum, cui ejuſmodi ſtatus non competat? Eapropter humilitati fervor ſpiritûs & ardor devotionis eſt jungendus. Proſequitur ultra, *exaudi me*; hìc fides & ſpes ſuas exercet vires, reſpiciendo tam potentiam quàm bonitatem DEI ad exaudiendum. Inde creſcit fiducia & ſecuritas ad magis petendum & pulſandum, quatenùs adinſtar filij præſumat Deo ſupplex dicere: *intende voci meæ.* Repetit: *cùm clamavero ad te*; rursùs miſeriam ſuam ſibi proponendo, preſſuram monſtrando, indigentiam declarando, reatũ etiam culpæ & pœnæ meritum conteſtando; denique peccatorem ſe agnoſcendo, ac ideo conſtantiam clamoris in oratione præſeferendo. Progreditur tandem velut viator & peregrinus ad cœlum tendens, dirigere greſſus ſuos in ſemitis *Dei* expetens; utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas: confitens in directione cordis, in eo quòd didicit judicia juſtitiæ DEI. (*Pſ.* 118.) Pro hoc toto petit: (*Pſ.* 140.) dirigatur oratio mea. Hæc enim omnia impetrat oratio, quæ ſicut incenſum, imò ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris atque univerſi pulveris pigmentarij (*Cant.* 3.) ad Deum aſcendit, exarſionem ignis per inflãmationem amoris in corde manifeſtans. Adijcit: *in conſpectu tuo*, formam vigilantis & modeſti aulici coram Rege ſuo præſentis repræſentans. Tandem adjungit: *elevatio*; quò? Utiq; ſursùm non deorsùm, non ad terram ſed ad cœlum. Videtur proinde alas aſſumere Angelicas, ut ſe levet ſupra ſe, [*Thr.* 3.] & ad contemplationem ſurrigatur cœleſtium ac *Divinorũ.* Addit: *manuum mearum*, ne ſe tantùm monſtret contemplativum, ſed etiam activum; adeoque per modum operarij ad actus virtutum exercendos incitatum ac paratum. Ut porrò declaret, quid ipſius

1. Humilitas.

2. fervor ſpiritûs & ardor devotionis.

3. Fides & ſpes.

4. Fiducia & ſecuritas.

5. Conſtantia.

6. Charitas.

7. Contemplatio.

8. Exercitium virtutum.

oratio

oratio sit, quid operatio? Hæc omnia nuncupat esse sacrificium; (*Psal.* 140.) non tantùm quòd in ijs sit sacrificium laudis, (*Psal.* 49.) & justitiæ, [*Ps.* 50.] imò ante omnia sacrificium spiritûs contribulati: [*Ibidem*] verùm etiam martyrij voluntarij, ac veræ mortificationis reperiatur holocaustum, quod DEO tanquam Mystes immolat. Denique quòd tam potens ac benè munita oratio non sit momentanea, concludit dicens: (*Ps.* 140.) vespertinum; videlicet totam vitã suam vespere & mane facit diem unum. (*Gen.* 1) Et quia de mane usq; ad vesperam hæc vita finitur, *Is.* 38. perseverantiam orationis suæ usque ad finem metitur, ibique Athletam agit aspirantem ad coronam justitiæ, (2. *Tim.* 4.) anhelantem ad coronam vitæ. (*Jac.* 1.) Hæ sunt qualitates Deum verè & perfectè orantis, hæ sunt exactæ orationis proprietates. Quotusquisque est, qui has in oratione assequitur rationes? Verè in taliter orantis labijs diffusa est gratia, (*Ps.* 44.) verè in taliter orantẽ ex labijs Dei gratia ejus diffunditur. Sed quid dicemus, quando juxta Prophetam (*Ps.* 108.) oratio hominis fit ipsi in peccatum, uti factum est Judæ & Judæis? Chaldæus vertit: Oratio ejus fiat in condemnationem. Ita sanè fit homini oratio in peccatum, quod maximum est malum, quando medicina vertitur in venenum, antidotum in toxicum, amuletum in perennem infectionem & corruptionem. Fratres dilectissimi, non tantùm oratio fit nobis in peccatum, cùm ea, quæ debet esse ascensio mentis in Deum. est descensio animæ ad Diabolum, qualis fuit Judæ, & qualis est Judæorum ad Antichristum, atq; Ethnicorum ad idola; nec solùm oratio fit in peccatum, cùm ea petuntur, quæ non sunt petenda, ut si quis nimio ardore affectet terrena aut mundana, vel si ea requirat à Deo, quæ sunt animæ nociva; *Oratio enim*, juxta S. Damascenum, *est petitio decentium à Deo*: verùm etiam oratio fit in peccatum, si debitæ absint circumstantiæ. Et quidem primariò, si orator est peccator, & vult in peccato perseverare. Fatetur cœcus à Domino illuminatus, dicens: (*Joan.* 9.) Scimus, quia peccatores Deus non exaudit. Fatetur quinimò Isaias de Deo præmittens: *c.* 59. nec aggravata est auris ejus, ut non exaudiat; & subdens: sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & inter Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret; quæ consequenter recenset. Habemus exemplum in Antiocho, de quo liber secundus Machabæorum: (*c.* 9.) Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Rectè Salomon inquit: (*Prov.* 15.) Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota justorum placabilia, sive preces justorum beneplacitum ejus. Ac rursùs: (*Pr.* 28.) Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis; vel juxta textum Hebraicum, erit abominatio. Quod summum est, ipse Deus loquitur apud Malachiam: (*c.* 2) Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, maledicam benedictionibus

Tria sacrificia.

9. Perseverantia usq; ad mortem.

Quomodò oratio fit homini in peccatum?

I.

II.

III.

IV. veſtris. Et quidem juſtiſſimè; qui enim in peccato manet, eſt Dei hoſtis. Et quomodo Deus hoſtem ſuum poteſt audire vel exaudire? Fit etiam oratio in peccatum, ſi cum negligentia, oſcitantia, irreverentia, ac mentis divagatione peragatur. Maledictus, inquit Jeremias, (*c. 48.*) qui facit opus Dei fraudulenter; & hic eſt, qui illud facit negligenter, & Deum cultu & ſe fructu defraudans. Muſcæ morientes, ait Eccleſiaſtes, *c.* 10. perdunt, (Hebraicè legitur) fœtere faciunt ſuavitatem ungventi; quod S. Bonaventura interpretatur: *Vanæ & otioſæ cogitationes extingvunt devotionem in oratione.* Quantò magis

V. oratio fit in peccatum, ſi ei jungitur arrogantia vel ambitio, aut quod gravius, hypocriſis? Quodſi accedat paſſionum & affectionum ad

VI. terrena vel mundana aut carnalia inclinatarum, ijsque nimis adhærentium tumultus, quantò ampliùs vertitur in peccatum? Demùm

VII. carentis miſericordiâ & charitate fraternâ oratio, verè fit peccatum, excluditur á nuptiis Sponſi, cum fatuis Virginibus non habens oleum virtutum prædictarum, utpotè miſericordiæ & charitatis, licèt cum illis oret: Domine Domine aperi nobis. Ita equidem juxta D. Gre-

S. Gregor. gorium, *Virtus veræ orationis eſt celſitudo charitatis*; nimirùm ſi non tantùm amicus ſed etiam inimicus diligatur; *& tunc quisq;*

10. *Qualitas orantis.* *quod rectè petit adipiſcitur, cùm ejus animus in petitione nec inimici odio fuſcatur.* Hoc eſt præceptum Domini: orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, [*Matth.* 5.] En gradus charitatis pri-

Triplex gradus orationis ex charitate. mus, orare pro ſe ipſo primariò ſpiritualia, ſecundariò temporalia. Secundus, orare pro alijs, hoc enim pertinet ad rationem dilectionis,

I. erga ſe, quam proximis impendere debemus. Pulchrè deſuper D. Chryſo-

II. erga alios, ſtomus citatur á D. Thoma: *Pro ſe orare neceſſitas cogit; pro altero*

D. Chryſoſt. *charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum eſt oratio, non quam neceſſitas transmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat.*

S. Cypr. Ideo quoque, uti dicit Sanctus Cyprianus, *non dicimus, Pater meus, ſed noſter; nec da mihi ſed da nobis; quòd unitatis Magiſter noluit privatim precem fieri, ut ſcilicet quis tantùm pro ſe precetur. Unam enim orare pro omnibus voluit, quoniam in uno omnes ipſe portavit.* Jam pro peccatoribus orandum eſt, ut conver-

III. erga inimicos. tantur & vivant, pro juſtis ut perſeverent & juſtificentur adhuc. *Ap.* 22. Tertius charitatis gradus isque ſupremus eſt, pro inimicis Deum deprecari, quod fecit ipſe Redemptor in cruce pro transgreſſorib⁹ orans, ut non perirent: *Iſ.* 63. Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. (*Luc* 23) Ipſum ſecutus Protomartyr idem egit dicens,

Dilectio inimicorum in generali, (*Act.* 7.) Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Dilectio inimicorum in generali eſt de præcepto, & illa eſt recta, quâ in eis naturam

& particulari. diligimus non culpam. In particulari autem nonniſi in articulo neceſſitatis tenemur illis impendere dilectionem, uti Scriptura imperat in Proverbijs c. 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, da illi

Perfectio charitatis in quo? potum. Quodſi autem extra neceſſitatis tempus inimicis charitatis officium præſtamus, major eſt perfectio charitatis, *per quam*, ut ait

Angelicus

Angelicus Doctor, *non solum cavet vinci à malo, quod est necessitatis, sed etiam vincere in bono malum*, Rom. 12. *quod est perfectionis.* Sic impletur quod præcipitur: Benefacite his qui oderunt vos. *Mat.* 5. Quid porrò orare debemus, ipsa nos Sapientia Dei incarnata docuit per 7 Dominicæ orationis petitiones, in quibus compendium omnium eorum est, quæ rectè possumus desiderare; *cùm oratio quodammodo sit desiderij nostri interpres ad Deum*, dicente S. Thoma. Desideriorum autem nostrorum primò finis, qui Deus est, spectatur, deinde media ad finem, quæ consequenter, & eo ordine quo postulanda sunt, exprimuntur. Sed cùm jam in longum Sermo noster excurrerit, alteri tempori reservandum est, quod adhuc posset de oratione explicari. Intelleximus igitur admiranda orationis magnalia & effectus, methodum orandi ad hos consequendos didicimus, perversæ orationis non infima perspeximus mala, pro quibus & quid orandum, cognovimus: nihil restat, nisi ut hæc caveamus, illa exerceamus, quatenùs per gratiam orationis in labijs nostris diffusam, cum Domino gloriosè transfigurari mereamur.

Oratio Dominica compendium omnium petendorum à Deo.

Idem.

Sermo Dominicâ III. Quadragesimæ.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Psal. 44.

DEtectis ad initium Quadragesimæ hostis nostri incursibus, PP. RR. FF. DD. quibus nos ad ruinam solet propulsare, ac cognitis triplicibus ejus tentationum armamentis, quibus ipsum Filium Dei incarnatum ausus est invadere, & quibus consequenter fideles ejus ordinariè aggreditur, jam præterito sermone unum ex oppositis ipsi armis explicuimus, orationem, quam Divina Sapientia singillatim commendat dicens; *Matt.* 26. orate ut non intretis in tentationem: quia tentator refugit orationem. Nunc ad alteram armaturã quæ est jejuniũ eamq; cataphractam progrediamur explanandã. Et quidem ex assertione ipsiusmet æternæ Veritatis, (*Matt.* 17) certum genus dœmoniorum nonnisi per orationem & jejunium exterminatur; generatim tamen certum est, omni dœmonio jejunium plurimùm contrariari. Cùm enim primum hominem tentator perversus de statu innocentiæ & justitiæ per gulæ appetitum dejecerit, non minùs totum genus humanum crapulæ & ebrietatis vitijs de gratiæ Divinæ & virtutum statu præcipitat ac deturbat. Hisce autem abstinentia jejunij obstat, adeòq; tam corporis & animæ vitia, quàm eorum authorem fugat ac proscribit. Excellentiam jejunij & operationes placet primitùs intelligere? Primus hæc nobis edisserat Divus Chrysologus. *Jejunium est vitiorum mors, vita virtutum. Jejunium est pax corporis, membrorum decus, vitæ ornamentum. Est jejunium robur mentium, vigor animarum. Est jejunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas sanctitatis. Est jejunium schola meritorum, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina. Est jejunium Ecclesiasticæ vitæ viaticum salutare, est invictus Christianæ militiæ*

Jejunij excellentia & operatio

D. Chrysol.

Idem. *principatus.* Denique in alio loco inquit: *Jejunium, Fratres, scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritûs, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum.* O præstantissima jejunij encomia! O præclarissimæ abstinentiæ virtutes!

S. August. Accedat Sol Doctorum, qui nobis insignes jejunij effectus exponat. *Jejunium,* ait, *purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit.* Unde meritò inter virtutum actus jejunium censetur, quia per rationem ad aliquod bonum honestum ordinatur.

Jejunium assumitur propter tria. Tria tamen potissimùm sunt, propter quæ jejunium assumitur teste Angelico Doctore.

I. Ac primùm pro maceratione corporis ad concupiscentias carnis reprimendas. Unde Apostolus dicit: (2. Cor. 6.) in jejunijs, in scientia, in castitate, quia per jejunia scientificè castitas conservatur. Divi Hieronymi est sententia, *sinè Cerere & Baccho frigere Venerem*; quod est, per abstinentiam cibi & potûs tepescere luxuriam.

II. Deinde jejunium servit ad hoc, ut mens liberiùs ad sublimia contemplanda elevetur. Hinc & Daniel (c. 10.) post trium hebdomadarum jejunium à Deo accepit revelationem futurorum.

III. Denique utimur jejunio ad satisfaciendum pro peccatis. Ita Deus præcipit apud Joël Prophetam: (c. 2.) convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, fletu & planctu. Hæc ex sensu Divi Thomæ.

S. Chrysol. *Jejunium commendatur ab exemplis.* Sed libet exemplis commoda jejunij firmare, in quo per antitheta præcurrat nobis Auriloquus Doctor. *Hoc,* inquit, *jejuniũ Adam servavit in paradiso, quem inde detraxit gula. Hoc in arca custodivit Noë, mundum ebrietas cùm demersit. Per hoc Loth Sodomiticum restinxit incendium, qui per ebrietatem incestûs est adustus incendio. Hoc Moysen Divini fervoris fecit lumine perlucere, quando comessatio & ebrietas Israëliticum populum simulachrorum tenebravit erroribus. Hoc Eliam pervexit ad cœlum, quando Achab impium ebrietas ad inferna dejecit. Hoc Joannem in natis mulierum fecit esse majorem, quando temulentia Herodem Principem imperio mulierum reddidit homicidam.* En quàm eleganter Divus Chrysologus per opposita extulit dignitatem jejunij, & gulæ vitia depressit.

D. Hieron. Divum Hieronymum non minùs ab exemplis virtutem jejunij exaggerantem audiamus. *In Exodo adversùs Amalec oratione Moysis, & totius populi usq; ad vesperam jejunio dimicatum est. Jesus filius Nave stationem impetravit soli & lunæ, & inediam plùs quàm unius diei victoris exercitus protelavit. Congregatum Samuel populum in Masphat indicto jejunio roboravit, & hostibus fecit fortiorem. Assyriorum impetum & potentiam Sennacherib, Ezechiæ Regis saccus & jejuniũ prostravit. Anna uxor Elcanæ inanem cibo ventrem jejunio meruit implere.* Ita D. Hieronymus.

S. Basilius. Audiamus & D. Basilium, qui ait: *Jejunium Prophetas generat, potentibus addit robur, jejunium Legumlatoribus subministrat sapientiam; bona animæ custodia, corpori tutus convictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium.* Sed quid

quid apertissima veteris Testamenti testimonia adducimus pro jejunio, quando nobis Divus Hieronymus etiam ab Ethnicis admiranda abstinentiæ proponit documenta? *Eubulus*, inquit, *qui historiam Mithræ tribus explicuit voluminibus, narrat apud Persas tria genera Magorum, quorum primi, qui sunt doctissimi & eloquentissimi, excepta farinâ & olere nihil ampliùs in cibo sumunt. Apud Eleusinam etiam volucribus & piscibus, & quibusdam pomis abstinere solenne est. Bardesanes vir Babylonius in duo dogmata apud Indos dividit Gymnosophistas, quorum alterum appellat Bragmanas, alterum Samanæos, qui tantæ continentiæ sint, ut vel pomis arborum juxta Gangem fluvium, vel publico oryzæ vel farinæ alantur cibo; & cùm Rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemq; suæ provinciæ in illorum precibus arbitrari sitam. Euripides in Creta Jovis Prophetas non solùm carnibus, sed & coctis cibis abstinuisse refert. Xenocrates Philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantùm præcepta in templo Eleusinæ residere describit: honorandos Parentes, venerandos Deos, carnibus non vescendum. Orpheus in carmine suo esum carnium detestatur.* Hæc fusè D. Hieronymus; ubi considerandum Gentiles nullo fidei lumine illustratos, nullâ spe gratiæ vel gloriæ animatos, ita corpora sua jejunijs maceràsse; quid faciendum Christianis, qui momentaneũ hoc & leve tribulationis, mortificationis ac pœnitentiæ suæ sciunt supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus in ipsis operari? (2. Cor. 4.) Nec desunt nobis plurima in statu novi Testamenti tam abstinentiæ à carnibus, vino, ovis, & lacticinijs coctisque cibis, quàm biduanorum, triduanorum & plurium dierum, imò & octiduanorum jejuniorum per Viros Sanctos practicatorum specimina, quæ si volumus, cum Dei adjutorio possemus imitari. Nihilominùs benè præscribit S. Hieronymus: *Jejunia moderata sint, ne nimia debilitent stomachum; & majorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est. Modicus ac temperatus cibus & carni & animæ utilis est.* Et alibi ad Nepotianum scribens: *Tantum*, ait, *tibi modum jejuniorum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa jejunia. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, similam & pistacia. Tota hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane, & dum delicias sectamur, à regno cælorum retrahimur.* Concludit autem præstantissimè dicens: *Fortissimum jejunium est aqua & panis, sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aquâ vivimus, quasi publicum & commune, jejunium non putatur.* Ita D. Hieronymus. Consonat D. Petrus Damianus: *Jejunare illos dicimus, qui panem cum sale & aquam percipiunt. Ubi autem præter hæc aliquid aliud adduntur, perfectum jejunium non vocatur.* Contingit autem jejunantibus & obrepit scrupulus necessitatis, naturam esse conservandam non perdendam, sanitatem manutenendam ad alia virtutum & laborum

D. Hieron. *Testimonia Ethnicorum pro jejunio*

S. Hieron. *Quomodò jejunandum?*

Idem.

Idem.

D. Petrus Damianus.

Prætensio fragilitatis in observatione jejunij.
D. Chrysol.

borum opera sustinenda. Inde prætensio fragilitatis, de qua eleganter D. Chrysologo. *Est febris, quam beatus Apostolus anhelare in humanis visceribus sic deplorat:* (Rom. 7.) *Si non bonum, utiq; malum. Quod malum? Fragilitas certè, quæ dum serpit in carne, in venis æstuat, intrat ossa, conditur in medullis, fervet in sangvine, in vitiorum phrenesim sic erumpit. Fragilitas febris naturæ, langvorum mater, genitrix passionum; Fragilitas est, quæ nobis jus necessitatis imponit; & ubi necessitas, non est voluntas: ubi extat de conditione captivitas, judicium de potestate non constat. Fragilitas est, per quam vadit homo, non quò invitat voluntas, sed quò necessitas ducit. Audi Apostolum dicentem:* (Rom. 7.) *Non quod volo, hoc ago. Fragilitas dum parat homini necessaria, facit illum ad non necessaria pervenire: dum parat cibum, perducit ad crapulam: ebrietatem suadet, dum potum ministrat: offert somnum, ut inertiam tradat: curâ ventris onerat, ut salutis curam auferat: dat carni totum, ut animæ nihil relinquat: facit corpus passionum pompam, facit ut sit homo sua mors, vita vitiorum.* Ita præstantissimè aureus Doctor, qui etiam statim huic fragilitatis febri remedium subnectit: *Unde si se homo taliter sentit ægrotum, Medico se cœlesti tradat, securè ejus monitis acquiescat. Acibis se temperet, mensuram servet in potu, ut possit sic fragilitatis superare langvorem, fragilitatem fugere passionum, febrim ac phrenesim vitare vitiorum.* Sub specie igitur necessitatis & fragilitatis aliquando irrepit excessus vel immoderatio. *Quis enim est Domine,* alloquitur S. Augustinus Deum, *qui aliquantulum extra metas necessitatis cibum non sumit?* Dat causam D. Gregorius: *Quia per ejum voluptas necessitati miscetur; quid necessitas petat, & quid voluptati suppetat, ignoratur.* Hoc porrò sciendum, quòd licèt jejunij abstinentia sit actus virtutis, potest aliquando ex aliquibus circumstantijs in actũ vitiosum degenerare. Testatur id Deus apud Isaiam: (c. 58.) Ecce in diebus jejunij vestri invenitur voluntas vestra. Et paulò post subditur: (*Ib.*) Ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè; quod S. Gregorius sic explicat: *Voluntas ad lætitiam pertinet, pugnus ad iram. Incassum ergo per abstinentiam caro atteritur, si inordinatis motibus dimissa mens vitijs dissipatur.* Præclarè D. Chrysologus inducit diabolum, suos alloquentem & armantem ministros: *Dicit ergo diabolus,* ait, *tempus nos modò graviter jejunij observatione debellat, per gulam, per crapulam, per ebrietates, per luxuriam homines attentare non possumus. Armate lites, seminate discordias, excitate odia, concitate iras, inspirate mendacia, extorquete perjuria, suggerite blasphemias, vaniloquia diffundite, infundite dolos, conflate avaritiam, lucra turpia providete, ut quod venter modò ad luxuriam non dependit, vel sacculus claudat & reponat ad pœnam.* Hæ sunt artes diaboli, ut quando per orationem & jejunium expellitur, assumptis secum septem spiritibus nequioribus se, revertatur ad domum unde exivit. (*Matt.* 12.) Hinc non tantùm caro jejunet à cibis, sed etiam

Hujus fragilitatis remediũ.
Idem.

S. August.
D. Gregor.

Quando jejunium degenerat in actum vitiosum.

S. Gregor.

D. Chrysol.

mens

mens abstineat ab omnibus vitiorum inquinamentis. *Non enim in sola abstinentia cibi*, inquit S. Leo Papa, *stat nostri summa jejunij, aut fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab omni iniquitate revocetur.* Et hoc est, quod orat Ecclesia in hymno: *Sic corpus extra conteri dona per abstinentiam, jejunet ut mens sobria à labe prorsùs criminum.* Vnde pulchrè D. Augustinus: *Jejunium verbositatem non amat*, [ergo amat silentium] *divitias superfluitatem judicat*, (ergo amat paupertatem) *superbiam spernit, humilitatem commendat*, (ergo cum Rege pœnitente humiliat in jejunio animam suam, Ps. 34.) *præstat homini seipsum intelligere, quod est infirmum & fragile*, (ergo per cognitionem sui hominem inducit ad pœnitentiam. Hi sunt egregij jejunij effectus, cui omne genus mortificationis tam corporis quam sensuum & potentiarum est annexum. Non solâ enim abstinentiâ cibi & potûs caro affligenda, verùm etiam cum Apostolo castiganda, flagellanda & alijs macerationum actibus in servitutem redigenda. Stigmata Domini Jesu in corpore sunt portanda, (*Gal.* 6.) caro cum vitijs & concupiscentijs suis est crucifigenda. (*Gal.* 5) Concludo sententiâ Sophronij Episcopi Constantinopolitani. *Jejunium est organum planè ferreum, nobis Dei providentia subministratum, quo ceu acutissimâ bipenni intempestivi vitiosiq; appetitus in nobis repullulascentes præsecantur*; ideoque per consequens omnes tentationum hostilium ex nobis contra nos assumptarum insultus amputantur; cui adjuncta oratio magno est adminiculo, ita ut pulcherrimè diffusa sit gratia orationis in labijs taliter jejunantis, gratiamque Dei singularem mereatur ex labijs Dei, ita jejunantibus, simulq; esurientibus ac sitientibus justitiam appromissam, (*Matth.* 5.) quoniam ipsi saturabuntur: inebriabuntur ab ubertate Domus Dei, & torrente voluptatis potabuntur, [*Ps.* 35.] cùm eis apparuerit gloria Dei (*Ps.* 16.) in beata æternitate.

Jejunandum à vitiis. — S. Leo. — *Ecclesia S. in Hymno.* — D. August. — Sophronius. — *Definitio jejunij.*

Sermo in Festo S. Benedicti.

Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Psal. 44

QUis est, qui non agnoscat verè diffusam fuisse gratiam in labijs eorum, qui D. Patriarcham nostrum nomine Benedicti insigniverunt, PP. RR. FF. DD. quando ipsius Sedis Apostolicæ oraculo S. Gregorius Magnus, ejus maximus Encomiastes, illum Virum vitæ venerabilis, gratiâ benedictum & nomine extitisse declaravit? Correspondit planè vita nomini, quando & gratiæ abundantiam & plenitudinem præsetulit benedictionis. Convertibilia hæc sunt inter se; ita ut ubi est benedictio, ibi sit & gratia; ubi gratia, ibi & benedictio. Nonne in Regis nostri labijs diffusa erat gratia? Et ecce Regius Vates mox asseverat ipsum alloquens: propterea benedixit te Deus in æternum. Divus Legislator & primus Ordinis nostri Magister, qualem se ipsemet in Prologo nominat dicens; *Ausculta ô fili*

D. Benedictus gratiâ & nomine Benedictus.

Gratia Dei in labiis ejus, Regulam Sanctã scribentis.

præcepta Magistri; nomen benedictionis & gratiæ sortitus, haud dubiè diffusam habuit gratiam in labijs suis, quando juxta prædicti Magni Ecclesiæ Doctoris effatum, Regulam discretione præcipuam pro se & sui sequacibus concinnavit, in qua verè omnia Divinæ gratiæ media proposuit adipiscendæ. Quidni eandem gratiam possedit in regimine vitæ suæ, per hæc ipsa mediorum specimina forma gregis factus? (1. *Pet.* 5.) Sed ad hæc universa prævenit eum Dominus in

In vocatione benedictio.

benedictionibus dulcedinis, (*Ps.* 20.) vocans eum à primo pueritiæ suæ tempore ad gratiam suam, ita ut *Divinâ præventus gratiâ* (verba sunt Summi Pontificis) *soli Deo placere cupiens, magis acmagis ad superna animo suspiraret.* Ac primò quidem *aridum mundum cum flore despexit*, hinc cognovit eum *Dominus* in benedictionibus suis, & invenit gratiam coram oculis Domini. Deinde *plus appetens mala mundi perpeti quàm laudes, malens pro Deo laboribus fatigari quàm vitæ hujus favoribus extolli*, accepit benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo; (*Ps.* 23.) ita ut cresceret & multiplicaretur, constituens generationem quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob. [*Ibid.*] Ad omnia equidem opus nobis

S. Bernardus

est Dei benedictione, sed Mellifluus Pater noster perfectissimus Divi Legislatoris assecla, tres enumerat benedictiones, in quibus omnes

Benedictio præveniens, adjuvans, & consummans.

aliæ concluduntur. *Triplex* inquit, *nobis necessaria est benedictio, præveniens, adjuvans & consummans. Prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversationem, perficit gloria consummationem. Nisi trinam hãc benedictionem dederit Deus, non potest dare terra nostra fructum salutis. Neq; enim aut inchoare bonum, donec à misericordia præveniamur, aut agere bonum, donec adjuvemur à gratia, aut consummari in bonis possumus, donec gloriâ repleamur.* Ita S. Pater noster. Triplicẽ

Hanc S. Benedictus possedit.

hanc benedictionem possedit Antesignanus noster, & *Divinâ præventus gratiâ* juxta testimonium præfatum magni Doctoris Ecclesiæ; & auctus indies magis Divinâ gratiâ, testante id Ecclesiâ Sanctâ in 4. hodierna lectione: & singulari via, *recto Orientis tramite*, multis luminaribus instructâ ad cœlum ascendens, ibique in gloria Dei consummatus. Cæterùm Sacra Scriptura dicit: (*Prov.* 10.) Benedictio Domini super caput justi, quia qui justitiam sectatur, benedictionibus à Domino repletur. Justitia omnes in se includit virtutes, ac ideò o-

Benedictio Dei justitiam operatur.

mnes meretur benedictiones. Sed & benedictio Dei justitiam operatur. Etenim dabit benedictionem legislator, ait Rex Vatum. (*Ps.* 83.) Quo fructu? Ibunt de virtute in virtutem; quâ mercede? Videbitur Deus Deorum in Syon. (*Ib.*) Quoniam tu benedices justo, inquit idem; (*Ps.* 5.) quæ utilitas exinde? Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronâsti nos. [*Ib.*] Benedictio Dei bonam secum trahit Dei voluntatem, quâ & protegimur & coronamur. Sed quis iste

Quis primarius Legislator?

legislator? Ille, qui proculdubiò de se dicit: (*Ps.* 2.) ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon montem sanctum ejus, prædicans

præceptum

præceptum ejus. Ille de quo Isaias: [*c.* 33.] *Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos.* Equidem juxta Job: (*c.* 36.) nullus ei similis in Legislatoribus. Ab hoc venit omnis benedictio in omnes. Benedictus Deus, ait Vas electionis Divinæ, (*Eph.* 1.) & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus [locis & sedibus, infert S. Hieronymus] in Christo sive per Christum. Jam benedictio DEI non est simplex dictio, sed est simul benevolentia & beneficentia. Cui enim benedicit, illi etiam benè vult. Dicere quoque Dei, est facere; dixit & facta sunt, asserit Propheta. (*Ps.* 148.) Neque benedictio DEI est simplex beneficentia, sed est plurimorum donorum atque gratiarum abundantia & ubertas. Benedictio enim Domini divites facit; (*Pr.* 10.) unde in Hebræo est: benedictiones dabit. Sanctus Gregorius legit hunc textum Psalmi 83. sic: *benedictionem dabit qui legem dedit*; acsi dicat: non te terreat jugum legis, à quo & oleo gratiæ mollietur, & tanquam jugum leve & onus svave (*Matt.* 11.) ab ipso Legisdatore efficietur per benedictionem. Sanctus Hieronymus vertit, quòd benedictione amicietur Doctor, & in Hebræo est, benedictionibus induetur. Regius Vates (*Ps.* 108.) ubi declarat de proditore, quòd dilexerit maledictionem & veniet ei, & noluerit benedictioné & elongata est ab eo, subiungit: quòd induet maledictionem sicut vestimentum, adeòque imprecatur illi: fiat ei sicut vestimentum quo operitur, & sicut zona quâ semper præcingitur: & hæc est sors impiorum, quos plenariè cooperit & stringit maledictio. Justus autem induitur benedictionibus, induitur fortitudine, (*Ps.* 92.) vestitur vestimentis albis, & vestimento salutis atq; indumento lætitiæ circumdatur, (*Is.* 61.) denique stolâ gloriæ vestitur. Quantò magis Doctor, qui ad justitiam erudierit multos, qualis fuit Divus Legislator noster, in Regula sua omnem doctrinam justitiæ comprehendens, ipsemet illius & justitiæ perfectissimus cultor? Quod enim docuit, haud dubiè & fecit, ut suis Discipulis tam doctrinâ præiret quàm exemplo, & exinde non tantùm verbalem, sed etiam realem daret ex seipso benedictionem. Dicit de Rege Christo Regius Propheta: (*Ps.* 20.) quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi, id est, ut ipse sit benedictus, & alios faciat benedictos in æternum. Hebraicè & Chaldaicè legitur: pones eum benedictiones, quòd ipse sit & plenitudo & fons omnium benedictionum. Liceat mihi dicere de S. Patriarcha Benedicto, quòd ipse in se fuerit plenus benedictionũ, & alios sui sequaces replebat benedictionibus. Quas nobis benedictiones reliquit Verbum Dei incarnatum? Nullas sanè alias, nisi sanctissimum suum Evangelium, in quo est omnium benedictionum thesaurus. Et quæ nobis S. Benedictus benedicto oris sui eloquio consignavit nisi Regulam Sanctam? Et hæc quid est nisi epitome observationum Evangelij Divini, ipsaque ejus perfectio consummata? Ipse in se benedictus, alios quoque ex se fecit benedictos. Placet tamen illis

Benedictio Dei quomodo accipienda?

Maledictio vestimentum impii.

Benedictio indumentum justi.

Christus quomodo datus in benedictioné?

& S. Benedictus quomodo?

lis benedictionibus dulcedinis (*Pſ.* 20.) aliquantùm immorari, quibus Legifer noſter fuerat præventus. Multiplex quidem eſt benedictio Domini, at juxta S. Patrem noſtrum, uti diximus, triplex; illa nihilominùs prima præveniens eſt valde gratioſa, gratis nobis immeritis & ingratis data, quam Sanctus Pater noſter alijs aſſerit dulciorem, poſt præfatum diſcurſum de triplici benedictione ita ſubdens: *In his tribus non immeritò dulcius ſapit ea, quæ non modò immeritos ſed & malè meritos prævenit, ut dum adhuc filij ſumus iræ,* (Ephes. 2.) *& operamur opera mortis, ipſe cogitet ſuper nos cogitationes pacis,* (Jer. 29.) *& ne petentibus quidem imò impetentibus, non invocantibus ſed provocantibus, non interpellantibus ſed etiam repellentibus ſpiritum bonum, ſpiritum vitæ, adoptionis ſpiritum largiatur. Quid illi animæ dulce ſapiat, cui miſericordia tanta non ſapit? Meritò proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ prævenit, quia quæ adjuvat fortitudinis, quæ conſummat plenitudinis eſt.* Ita mellifluus Doctor. Quibus autem modis nos præveniat, Hugo Cardinalis recenſet. *Ac primùm voluntatem virtutis ſectandæ ingerendo; prævenit enim*, teſte S. Auguſtino, *ut velimus, ſequitur ne fruſtra velimus. Deinde varijs monitionibus ſemiſomnes & negligentes excitando, & luce gratiæ illuſtrando*, juxta illud Iſaiæ: (*cap.* 30.) aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: & juxta illud Joannis: *c.* 1. lux in tenebris lucet. *Tum etiam petitionibus noſtris occurrendo*, eaſque exaudiendo dicente Regio Vate: (*Pſ.* 9.) præparationem cordis eorum audivit auris tua; & Iſaiâ Prophetâ: (*cap.* 60.) antequam clament, ego exaudiam. Quantò magis prævenit, dona affatim in nos congerendo, & ſupra omnem ſpem ea coacervando? Dat enim Deus, teſte Sancto Jacobo Apoſtolo, (*c.* 1.) omnibus affluenter, & non improperat, quin & culpas noſtras & occaſiones earum amovendo. Benedictio enim Dei, juxta Eccleſiaſticum, (*cap.* 39.) quaſi fluvius inundabit, ad ſublationem nimirùm & emundationem ſordium peccaminoſarum. Quis jam prævenientes à Deo benedictiones dulcedinis enarrabit, in collatione, conſervatione & multiplicatione gratiarum, ac demùm gloriæ cœleſtis donatione? Ita planè quando benedictionem dabit Legislator (*Pſ.* 83.) Deus, qui miſericordiam & veritatem diligit, (*Ib.*) non minus gratiam & gloriam dabit Dominus; (*Ibid.*) quia benedictio Dei in mercedem juſti feſtinat, & in hora veloci proceſſus illius fructificat. (*Eccli.* 11.) Omnes has benedictiones videtur Sanctus Patriarcha noſter inter multos ſingulariter percepiſſe, qui planè præventus à Deo in benedictionibus dulcedinis, *Pſ.* 20.) *à pueritiæ ſuæ tempore cor gerens ſenile, ætatem moribus tranſiens, nulli animum dedit voluptati; cumq; hoc mundo liberaliter uti potuiſſet jam quaſi aridum mundum,* juxta præfata, *cum flore deſpexit.* Quinimò adeò ipſi mundus exaruit & contractus fuit, ut ſub uno ſolis radio totum conſpexerit collectum. Et exinde benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, [*Eccli.* 44.] ita ut toti-

Benedictiones dulcedinis quibus fuit præventus S. Benedictus.

1. præveniens.

S. Bernardus

Benedictionis prævenientis efficacia.

2. adjuvans.

3. conſummans.

Hugo Cardinalis.

Quomodo nos prævenit Dei benedictio?

Omnes has benedictiones præ cæteris ſingulariter à Deo percepit D. Benedictus.

us

us mundi nationes se ipsius subderent magisterio, neque ullus status tam spiritualis quàm secularis reperiretur, qui non sub ipsius Regula militâsset. In his omnibus summa Divinæ gratiæ in Sanctum Patrem diffusio est agnoscenda, tùm & maxima benedictionis abundantia est observanda; cujus gratiæ participium in nos poterit profluere, ipsamque ejus benedictionem poterimus hæreditare, si veros nos vitæ ipsius sectatores & perfectos Regulæ sanctæ exhibuerimus observatores. Et quidem in vita illius maximè notanda sunt, mundi contemptus, voluptatum proscriptio, carnis in spinis & vepribus volutatio, victûs in solo pane & aqua austeritas, continua in solitudine Divinorum meditatio & contemplatio, simul ac sine intermissione oratio, extrema per detrectationem Presbyteratûs humilitas, in persecutionibus tolerantia & mansvetudo, inimicorum dilectio; hæc sunt quæ diffusam ex labijs Dei gratiam atque benedictionem Divo Legislatori nostro meruerunt. Et hæc ipsa exemplarissimè in Regula ipsius relucent tanquam in speculo, ita ut Regula sit vivacissima vitæ ejus imago, vita verò sit ipsissima Regulæ illius expressio. Hoc sit opus nostrum PP. ac FF. Dilectissimi, ut Regula quam professi sumus, non tam sit in codice, & ex codice nobis prælegatur, quin potiùs sit in progressu vitæ nostræ ac profectu, ita ut ab omnibus quibus facti sumus spectaculum in hoc mundo, videlicet Deo, Angelis & hominibus, (*1. Cor. 4.*) possit legi & distinctè videri. Hæc erit benedictio nostra à Legislatore nobis data, sic ibimus de virtute in virtutem, [*Ps. 83.*] ita gratiam Dei promerebimur & gloriam, quæ nobis impetret *Divus* re & nomine Benedictus.

Virtutes in vita S. Benedicti specialiter notandæ.

Sermo Dominicâ IV. Quadragesimæ.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Psal. 44.

AD tertiam accedimus armaturam, eamque potentem in conflictu cum hoste, quæ videtur omnes nostras defensiones atq; inimici expulsiones terminare & coronare, estq; eleemosyna ex motivo amoris Dei ac proximi, atq; ex misericordiæ incitamento indigentibus impertita. Archangelus Raphaël omnia hęc tria arma simul junxit alloquens Tobiam: (*c. 12.*) bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna magìs quàm thesauros auri recondere. Hanc maximè exaltat ab effectibus, quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam. Hoc ipsum est effatum Sapientiæ incarnatæ imperantis: (*Lucæ 11.*) verumtamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Hæc tria bona opera excellenter D. Chrysologus explanat. *Tria*, inquit, *sunt Fratres, tria per quæ stat fides, constat devotio, manet virtus; oratio, jejunium, misericordia. Quod oratio pulsat, impetrat jejunium, accipit misericordia.* Deinde infert: *oratio, jejunium, misericordia sunt hæc tria unum, dant hæc sibi invicem vitam. Est namq; orationis anima jejunium, jejunij vita misericordia est. Hæc nemo rescindat, nesciunt separari. Horum qui*

Tertia armatura post orationem & jejunium est eleemosyna.

D. Chrysol. *Descriptio horum trium operum.*

unum habet, ista qui simul non habet, nihil habet. Tandem concludit: *ergo qui orat, jejunet; qui jejunat, misereatur. Audiat petentem, qui petens optat audiri. Auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti aperit auditum. Jejunium jejunator intelligat, esurientem sentiat, qui vult Deum sentire, quod esurit. Misereatur, qui misericordiam sperat: pietatem qui quærit, faciat: qui præstari sibi vult, præstet.*

Idem. *Improbus petitor est, qui quod aliis negat, sibi postulat.* Utq; normam & mensuram eleemosynæ præstandæ præscribat, addit: *Homo esto tibi misericordiæ forma, sic quomodo vis, quantum vis, quàm citò vis tibi misericordiam fieri, tam citò alij, tantum, taliter ipse miserere.* Ultimariò infert: *Ergo oratio, jejunium, misericordia, sint unum patrocinium pro nobis ad Deum, pro nobis hæc advocatio sit una, una hæc oratio pro nobis sit triformis.* Hæc aureè Chrysologus. Cùm igitur in præcurrentibus Sermonibus de oratione & jejunio egerimus, eleemosyna restat nobis discutienda, idq; opportunè, quando ipsemet Salvator veram hodie ex motivo misericordiæ & charitatis quinque millibus hominum, eos pascendo 5 panibus, miraculosè exhibuit eleemosynæ beneficentiam. Et quidem ad hanc magnæ charitatis

Charitas & misericordia ad eleemosynã concurrunt. & misericordiæ concurrunt virtutes; quandoquidem juxta D. Thomam, *Eleemosynam dare, est actus charitatis interveniente misericordiæ affectu.* Charitatem esse fontem eleemosynæ manifestat dilectus JESU discipulus dicens: (1 *Joan.* 3.) Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Non dicit charitatem proximi exulare in immisericordia, sed Dei charitatem: quia

Eleemosyna quo motivo facienda? ex amore Dei facienda est eleemosyna primario, & secundariò ex amore proximi. Hoc enim mandatum habemus á Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum, (1. *Joan.* 4.) non propter ipsum nec propter seipsum, sed propter Deum. Motivum ad eleemosynam sit misericordia, motivum ad misericordiam amor Dei, qui in proximo Deum respicit. In hoc cognovimus charitatem Dei. Cujus? Nostri Dei, Dei hominis, quoniam ille pro nobis animam suam posuit. Hinc sequitur, & nos debemus pro fratribus animas ponere. (1 *Joan.*

Quæ est vera charitas? 3.) Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. (*Joan.* 15.) Cognitio igitur charitatis Dei in nobis inde elucet, si parati simus vitam etiam pro proximo profundere ad imitationem Dei incarnati, qui hoc fecit pro toto genere humano. Hic est excessus charitatis, hoc supereminens misericordiæ culmen, hæc superabundantissima eleemosynæ profusio, quâ non potest major supererogari. Sed antequam eò veniatur, sufficit temporalis substantiæ, quæ etiam pro vita habetur, benefica dispensatio, idq; ex respectu amoris *Divini.* Quid enim? Nonne in paupere Christus

In paupere Christus recipiendus. est? Quodcunque fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis. (*Mat.* 25.) Ergo amore Christi dando pauperi, das Christo. *Manus*

D. Chrysol. *pauperis,* ait D. Chrysologus, *est gazophylacium Christi, quia quidquid*

quid pauper accipit, Christus acceptat. Et antecedenter ait: *Manus pauperis Abrahæ sinus est, ubi quidquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cæli est manus pauperis; quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cælum.* Et D. Augustinus: *Via cæli*, ait, *est pauper: incipe erogare, si non vis errare.* Non ergo avertas faciem tuam ab ullo paupere, monet Tobias; *c.* 4. ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. *ib.* Motivum magnum ad eleemosynam est oraculum æternæ Veritatis: (*Mat.* 6.) Thesaurizate vobis thesauros in cælo. Subinfert auriloquus Doctor: *Da ergo homini pauperi terram, ut accipias cælum. Da nummum, ut accipias regnum. Da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut det tibi; quia quidquid pauperi dederis, tu habeais: quod pauperi non dederis, habebit alter.* Alterum motivum ad eleemosynam est, edictum Dei: (*Mat.* 9.) Misericordiam volo. Super quo idem D. Præsul Ravennatensis: *Qui quod vult Deus, Deo negat, à Deo sibi, quod desiderat, vult negari. Misericordiam volo, requirit Deus. Homo, petit Deus sed tibi non sibi. Humanam misericordiam petit, ut largiatur Divinam. Est in cælis misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur. Domine, inquit, in cælo misericordia tua.* Ps. 35 En nova ratio miserendi, & eleemosynas elargiendi. *Dicturq causam in judicio Dei*, inquit D. Chrysol. *patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit securus, de absolutione non dubitet. Misericordia non solùm causam prævenit, anticipat cognitionem, sed etiam sententiam revocat, absolvit addictos. Sententia Judicis est infallibilis*: Mat. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Gratis sperat misericordiam ibi, qui hic non fecerit misericordiam. Qui facit misericordiam, currit ad præmium: qui non facit misericordiam, decurrit ad pænam.* Jam verò sciendum est opera misericordiæ, quæ per modum eleemosynæ alijs exhibentur, esse & corporalia & spiritualia, eaq; rursùs esse septemplicia. Et quidem corporalia sunt varia, juxta diversitatem defectuum, qui in vita & post vitam intercurrunt. In vita ubi est defectus alimenti sicci, pascimus esurientem; ubi est defectus alimenti humidi, potamus sitientem; & hoc respectu auxilij interioris; respectu autem auxilij exterioris occurrit defectus vestimenti, sic vestimus nudum; vel defectus habitaculi, sic hospitem suscipimus. Si porrò sit defectus aliquis specialis, procedens ex causa intrinseca uti ægritudo, visitamus infirmum; vel ex causa extrinseca, uti captivitas vel incarceratio, fit redemptio captivorum vel incarceratorum visitatio. Deniq; post vitam sepulturam mortuis exhibemus. Spiritualia verò etiam juxta differentiam defectuum spiritualium diversificantur. Et quidem generaliter præbetur eleemosyna spiritualis proximo per orationem, poscendo à Deo auxilium pro eo; deinde humanũ impendendo auxilium, idq; tripliciter. In defectu speculativi intellectûs juvatur proxim⁹ per doctrinam, in defectu autem practici intellectûs, per consilium adhibetur illi

Idem

S. Augustin.

Motivum I ad eleemosynam.

S. Chrysol.

II

Idem

III

Idem.

Opera misericordiæ corporalia,

& spiritualia.

 remedium

remedium. Deinde si sit defectus ex passione virtutis appetitivæ, inter quos maximus est tristitia, tunc subvenitur illi per consolationé. Denique defectus datur ex parte inordinati actûs, qui etiam tripliciter potest considerari. Uno modo ex parte ipsius peccantis, in quantum procedit ab ejus inordinata voluntate, & sic adhibetur remedium per correctionem. Alio modo ex parte illius, in quem peccatur, Et si quidem peccatum sit in nos, remedium adhibemus remittendo offensam. *Si autem sit in Deum vel proximum, non est nostri arbitrij remittere*, uti inquit Divus Hieronymus. Tertio modo ex parte sequelæ ipsius actûs inordinati, ex qua aggravantur ipsi concurrentes etiam præter peccantis intentionem, & sic remedium adhibetur supportando, maximè in ijs, qui ex infirmitate peccant, secundùm illud Divi Pauli ad Romanos: (*c.* 15.) debemus nos firmiores aliorum infirmitates sustinere. Sed non tantùm secundùm quod infirmi sunt sive graves ex actibus inordinatis, sed etiam quæcunq; horum onera occurrunt sunt supportanda, juxta illud ejusdem Apostoli ad Galatas: (*c. 6.*) alter alterius onera portate. Hæc sunt opera misericordiæ duplicia, in septem capita distincta, ex mente Angelici Doctoris breviter explicata; ubi notandum, quòd licèt simpliciter spirituales eleemosynæ corporalibus sint præferendæ, nihilominùs in certo casu aliquando corporalis eleemosyna est spirituali præstantior atque eminentior; ut præ fame vel siti moriens potiùs est pascendus vel potandus, quàm alius doctrinâ aut consilio instruendus. Cæterùm quantumvis corporalium eleemosynarum secundùm suam naturam non sit aliquis spiritualis effectus sed corporalis, ex parte tamen motivi ad eleemosynas corporales, quod est charitas Dei & proximi, haud dubiè aliqua spiritualis ex ipsis utilitas est speranda. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, ait Ecclesiasticus, (*cap.* 17.) & gratiam hominis quasi pupillam conservabit. Ecquis negabit diffusam esse gratiam in labijs eleemosynæ, habet etenim potentissima labia ad impetrandum. Conclude, inquit, eleemosynam in corde vel sinu pauperis, ait idem Syracides, (*Eccli.* 29.) & hæc pro te exorabit ab omni malo. Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum, pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum. (*Ib.*) Et quidem est de præcepto DEI eleemosynam dare de superfluo, sic enim loquitur Christus: (*Luc.* 11.) quod superest, date eleemosynam, videlicet necessitatem patienti; cæteris autem eleemosynas largiri, consilij potiùs est quàm præcepti. Quid quòd etiam de necessario tenemur facere eleemosynas, si perfectionem consequi desideramus, testimonio ipsius Sapientiæ incarnatæ dicentis cuidam adolescenti: (*Matt.* 19.) si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Aliàs de injustè acquisitis sive per furtum, sive per rapinam eleemosyna fieri non potest, sed debet fieri restitutio. De malè partis per simoniam vel per subversionem justitiæ, necessa-

S. Hieron.

Quo respectu corporalis eleemosyna spirituali præstantior?

Eleemosynam dare est de præcepto Dei.

Confert multum ad assequendam perfectionem.

riò eleemosyna est distribuenda. *De fœnore autem & usuris*, ait D. D. August.
Augustinus, *nolite velle eleemosynas facere, sed de justis laboribus.*
Quin nec de alieno potest da:i eleemosyna, neque servus aut famu- Eleemosyna de
lus invito nec consentiente Domino valet de substantia ejus alijs be- alieno non dan-
nefacere. Turpe verò lucrum & justè detineri, & rectè potest in ele- da.
eemosynam impendi, quale est meretricium. Postremò monet To-
bias: (*c.* 4.) si multum tibi fuerit, abundanter tribue; tum secundùm
propriæ facultatis proportionem, tum ad indigentiam recipientis ple-
nariè supplendam, non tamen ut habeat superfluum. Unum est quod
potest perdere fructum eleemosynæ, hypocrisis seu ostentatio, & va- Hypocrisis ele-
næ gloriæ ambitio, quæ eliminanda, ita ut nesciat sinistra quid faciat emosynæ fru-
dextera; (*Matt.* 6.) & hæc quoque sunt, quæ tam orationis quàm ctum perdit.
jejunij fructibus obsunt, perhibente Verbo Divino: (*Matt.* 6.) cùm
oratis non eritis sicut hypocritæ; & iterùm: cùm jejunatis nolite fieri
sicut hypocritæ tristes; amen dico vobis, receperunt mercedem suam.
(*Ib.*) Placet pro coronide encomia & prærogativas, vel satiùs virtutes Eleemosynæ fructus & ef-
& fructus eleemosynæ ac matris ejus misericordiæ ex Sacris literis & fectus ex S.
Sanctis Patribus in medium proferre. Eleemosyna est mundatrix o- Scriptura & SS Patribus.
mnium; (*Luc.* 11.) *est secundus baptismus*, juxta S. Ambrosium; est li- S. Ambros.
beratrix ab omni peccato & à morte; (*Tob.* 4.) est redemptrix pec-
catorum; (*Dan.* 4.) est extinctio peccatorum, sicut aqua ignis;
(*Eccli.* 3.) est auctrix meritorum, gratiæ & benedictionis Dei con-
ciliatrix: qui enim seminat in benedictionibus, de benedictionibus &
metet. (2. *Cor.* 9.) *Eleemosyna agit vices sacrificij Deum placantis*,
teste S. Augustino, & docente Apostolo, dum ait: (*Heb.* 13.) benefi- S. August.
centiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostijs promere-
tur Deus. Est bonorum temporalium multiplicatrix, dicente DEO:
[*Luc.* 6.] date & dabitur vobis. Dat centuplum, dat fructum cen-
tesimum, ideo juxta S. Chrysostomum, *est ars omnium quæstuosissima.* S. Chrysost.
Fœneratur enim Domino, qui miseretur pauperis, (*Pr.* 19.) & vicissi-
tudinem suam reddet ei. *Deus*, teste S. Leone, *fidejussor est paupe-* S. Leo
rum, & largissimus redditor usurarum. Deus prospector ejus est, ait
Ecclesiasticus, (*c.* 3.) qui reddit gratiam, nimirùm eleemosynam, me-
minit ejus in posterum, in tempore casûs sui inveniet firmamentum.
(*Ibid.*) Qui dat pauperi, non indigebit; & qui despicit deprecantem,
sustinebit penuriam. (*Pr.* 28.) *Fæcundus ager pauperum*, ait S. Augu- S. August.
stinus, *citò reddit donantibus fructum.* Eleemosyna est lancea, est scu-
tum contra hostes, dicente Siracide: (*Eccli.* 29.) super scutum po-
tentis, & super lanceam adversùs inimicum tuum pugnabit. Elee-
mosyna est optima divitiarum conservatrix, & de terra ad Deum
translatrix. *Mercatura negotiatioq; tua cœlum est*, ait S. Chrysosto- S. Chrysost.
mus, *da panem & accipe paradisum, parva da & magna suscipe, da
mortalia & recipe immortalia. Patrimonium Deo creditum*, inquit S.
Cyprianus, *nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In* S. Cyprian.
tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Temporale donum,

Mmmmmmm asserit

asserit S. Leò, *in præmium transit æternum.* Deniq; ue ipsa Veritas imperat: [*Matt.* 6.] thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Quid quòd omnibus nos deserentibus, sola hominem moriturum comitatur misericordia? Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. (*Ps.* 40.) Quomodò potueris ita esto misericors, præcipit senior Tobias juniori: [*cap.* 4.] præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. *Non sunt hominis bona*, ait S. Ambrosius, *quæ secum ferre non potest, sola misericordia comes est defunctorum.* Opera illorum, opera misericordiæ sequuntur beatos in Domino morientes. (*Ap.* 14.) Demùm uti jam innui, suprema patrona, advocata & mediatrix in ultimo DEI judicio, imò triumphatrix est misericordia, quia superexaltat judicium; (*Jac.* 2.) est victrix judicij juxta Græcum textum, quia adversùs judicium gloriatur misericordia. Sic ergo verè homo est, qui humanus est. Imò

Hominem moriturum sola comitatur misericordia.

S. Ambros.

In extremo judicio coram Deo est advocata.

Regia crede mihi res est succurrere lapsis.

Solis formam gerit beneficus, qui omnibus lucem & calorem impertitur. Quod ampliùs, Deo hominem facit similem misericordia. *DEI imago est homo benefaciens*, teste Clemente Alexandrino; & judicio S. Nazianzeni, *nihil adeò Divinum habet homo, quàm benefacere, Ubi Deus curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit.* Hinc ipse Filius Dei benè in misericordia Dei similitudinem ordinavit imperans: (*Luc.* 6.) estote misericordes sicut & Pater vester misericors est, qui est Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. [2. *Cor.* 1.] Postremò misericordia est signum prædestinationis, declarante id ipso Vase electionis: (*Col.* 3.) induite vos sicut electi Sancti & dilecti viscera misericordiæ. Audiamus sententiam D. Hieronymi: *Nunquam memini me legisse malâ morte defunctum, qui libenter exhibuit opera charitatis. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.* Consonat Author ad Fratres in eremo apud S. Augustinum: *Sola misericordia ad Deum deducit hominem, sola Deum deducit ad hominem. Nunquam vidi hominem pium malâ morte finiri.* Jam igitur tribus potentissimis armis, in quibus omnis armatura fortium (*Cant.* 4.) continetur, muniti, quæ nobis Raphaël Archangelus commendat dicens; (*Tob.* 12.) bona est oratio cum jejunio & eleemosyna; & quæ S. Augustinus sic conjungit: *vis*, inquit, *orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, jejunium & eleemosynam.* Sic inquam armati feliciter possumus inire prœlium cum hoste, de certa victoria securi. *Insistamus orationi*, monet nos Divus Chrysologus, *vacemus jejunio, misericordiæ serviamus*; moxque nos assecurat: *Qui in his vixerit, qui per ista fuerit communitus, jacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis, Christianus armiger, bellator Dominicus non timebit.* Nec hoc tantùm, sed majora promittit magnus Chrysologus describens, quid sint illa tria, quæ unum esse dixerat, & quid operentur. *Hæc sunt Fratres*, ait, *hæc sunt quæ tenent cœli arcem*,

Beneficus Solis formam gerit, est imago Dei.

S. Nazianz.

Misericordia signum est prædestinationis.

S. Hieron.

S. August.

Oratione, jejunio, & eleemosynâ contra hostes decertandum.

S. Chrysol.

Idem.

cem, quæ secretum Dei Judicis pulsant, quæ ante tribunal Christi causas humani generis exequuntur, quæ justorum petunt indulgentiam, reorum veniam promerentur. Hæc cui in cœlestibus non assistunt, ipse non subsistit in terris; hæc cum teneant in cœlestibus principatum, in terris rerum summam moderantur, hæc regunt prospera, hæc adversa propellunt, vitia extinguunt ista, virtutes ista succendunt, hæc reddunt casta corpora, corpora pura, hæc pacem membris, membris dant quietem, humanos ista sensus scholam faciunt disciplinæ. Per hæc in templum Dei pectora humana consurgunt, hæc hominem præstant Angelum, homini Deitatis deferunt hæc honorem. Quid ampliùs volumus? Hæ sunt virtutes orationis, jejunij & eleemosynæ, per quarũ labia diffunditur Dei gratia, per quas directè itur ad astra, per illas iter est illuc, ubi ostenditur Dei salutare. *(Ps. 49.)*

Sermo in Festo Annuntiationis B. V. M.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

HOdie dedit abyssus vocem suam, (*Hab.* 3.) PP. RR. FF. DD. quando illa abyssalis Dei bonitas misit Gabrielem Archangelum ad Mariam Virginem, ut immensum gratiarum per incarnationem Filij Dei in ipsa diluvium eidem annuntiaret. Equidem abyssus miseriæ humanæ invocabat abyssum misericordiæ Divinæ, ut tandem per conjunctionem Dei & hominis in una Christi persona, virtute conceptionis Virgineæ mare gratiarum aperiretur, & in totum orbem terrarum diffunderetur. Dictum factum; hodie à Domino factum est istud, (*Ps.* 117.) ita ut *sicut Deus*, dicente Sancto Bonaventurâ, *congregationes aquarum appellavit maria*, (Gen. 1.) *ita congregationes gratiarum vocavit Mariam.* Ipsa die hodierno facta est *mare gratiarũ*, secundùm S. Sabbam, quando facta est juxta S. Chrysostomum *mare abyssum intellectualiter circumdans. Mare*, dicente Richardo à S. Laurentio, de quo Propheticè dictum est: (*Eccle.* 1.) Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Omnia enim flumina, omnes aquæ dulces, scilicet omne genus gratiarum, & omnia charismata intrant in mare, id est in Mariam, & mare, id est Maria non redundavit; nimirùm non intumuit per superbiam, nec se revolvit per jactantiam, nec littus suum aut limitem humilitatis excessit. Auditâ siquidem ab Angelo voce salutationis: (*Luc.* 1.) Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus; intellecto verbo salutis: ecce concipies & paries filium, & vocabitur Filius Dei, respondit: Ecce ancilla Domini. Ita sanè, *Beatissima V. Maria est mare*, dicit idem Richardus, *propter aquarum id est gratiarum plenitudinem, unde dicta est gratiâ plena. Sicut enim in mari nec fundus nec mensura est, ita nec Maria accepit gratiam ad mensuram aliorum.* Profundum enim abyssi quis dimensus est? *Ipsa* juxta Bernardinum de Busto, *est mare magnum & spatiosum*, (Ps. 103.) *in ipsa enim confluxerunt & reductæ sunt omnes aquæ, id est gratiæ & charismata*

Incarnatio Filij Dei est diluvium gratiarum.

S. Bonav.

Maria mare gratiarum.

S. Sabbas.

S. Chrysost.

Richardus.

Bernardinus de Busto.

Mare magnum & spatiosum.

rismata omnium Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Potestatum, Principatuum, Dominationum, Thronorum, Cherubim & Seraphim, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium Sanctorum. *Et sicut mare* secundùm Idiotam, *non potest exhauriri, omnes enim aquas recipit, & omnes aquas emittit, & semper plenum remanet: sic Beatissima Virgo recipit omnes aquas gratiarum & plenitudinem omnium bonorum, ut ea nobis distribuat sine diminutione plenitudinis suæ.* Richardus à S. Laurentio addit: *Et ideò ad locum unde exeunt flumina beneficiorum, revertuntur, id est reverti debent per gratiarum actionem, ut iterum ad nos fluant. Et sicut nec maris profunditas, ita nec Mariæ liberalitas potest exhauriri; indefessè enim & sufficienter dat gratiam universis, (nisi per eos steterit) quam facillimè invenit apud Deum. Quidni gratiâ plena pro se, invenit insuper gratiam apud Deum pro nobis, ut sibi plena, nobis sit* ex mente Melliflui Doctoris *superplena, indeficienter in omnes gratiam diffundens, & absq; omni acceptione personarum?* Vnde *sicut guttæ maris*, dicente Richardo à S. Laurentio, *non possunt dinumerari, ita gratiæ vel misericordiæ B. Virginis innumerabiles sunt.* Huc alludit Ecclesiastes, licet paulò aliter loquatur: [*Eccli 1.*] Arenam maris & guttas pluviæ quis dinumerat? Imò sicut aquæ maris salsæ sunt, & potatæ magis sitim accendunt, ita aquæ gratiarum, quas distribuit Maria, gustatæ magis accendunt desiderium; unde ipsa dicit: qui bibunt me, adhuc sitient. (*Eccli 24.*) Nihilominùs *ipsa est mare dulcissimum* juxta S. Damascenum & *impervium, quod Pharaonem spiritualem demersit in profundum.* Fuit tamen etiam *mare amarum*, secundùm S. Anselmum, *propter Filij passionem & nostrarum iniquitatum compassionem; planè amarum* juxta S. Bernardinum Senensem, *in passione Filij, quando gladius à Simeone prædictus* (Luc. 2) *animam ejus pertransivit*; & juxta S. Antoninum *fuit mare amarum in conversatione amara, id est perfecta sensuum mortificatione, nulla enim pura creatura mortificavit ita sensus suos ab omni vanitate & curiositate, sicut ipsa.* Deinde fuit Filio suo in omni labore & tribulatione socia, in paupertate, in itineribus, in persecutionibus, in doloribus, in angustijs comes individua. *Mare fuit amarum sive salsissimum*, ex mente Ernesti Pragensis Archiepiscopi, *quia solis ardore (videlicet Dei amore) decoctum erat cor ejus, & ideò ab omni corruptione remotissimum*, imò etiam ex meo sensu alios à peccati corruptione præservans. Quin etiam est, ex mente Idiotæ, *mare amarum, amaricando in nobis noxias mundi delicias. Mare amarum*, inquit S. Bonaventura, *diabolo & angelis ejus per ipsam oppressis, quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægyptiis in ipso submersis. Fuit mare amarum*, ait S. Albertus Magnus, *quod amaritudinem omnium suam fecit. Cùm enim omnes in amaritudine essemus, pro nobis dolens Jonam illum in figura Filij sui ad hoc induxit ut diceret:* [*Jonæ 1.*] Si propter me orta est hæc tempestas, mittite

Idiota. — Richardus à S. Laurentio — S. Bernardus. — Richardus à S. Laurentio. — *Mare dulcissimum.* S. Damasc. — *Mare amarum* — S. Ansel. I. — S. Bernardin. Sen. II. — S. Antoninus III. — Ernestus Prag. IV. — Idiota. V. — S. Bonav. VI — S. Albertus M. VII.

me in mare. *Mare, quod nunquam per desideria & suspirationes quiescere potuit, donec verus Jonas Dei Filius in ipsum per incarnationem missus fuit. Unde dicitur Christo*, inquit Richardus à S. Laurentio, *In mari via tua, & vestigia tua non cognoscentur.* (Ps. 76.) *Per eam etiam tanquam per mare venit Christus in mundum, & per eam tanquam per mare transeunt veri Israelitæ ad portum felicitatis æternæ, submersis Ægyptijs, quia ipsa universas hæreses interemit; vel submersis Ægyptiis, id est dæmonibus & vitiis, in fluctibus lachrymarum, quæ procedunt de mari (id est de amaritudine animi) rubro per memoriam peccatorum.* Hæc Richardus. Quis enim non fiat ruber, & non erubescat recordatus peccatorum suorum? & recogitans annos suos in amaritudine animæ suæ, (*Is.* 38.) quis non lachrymetur? Ipsa ergo est mare, in quod summus mons positus in vertice montium, (*Is.* 2.) ad illa verba; ecce ancilla Domini, tulit se & misit. *Hoc est mare, ad quod* juxta Bernardinum de Busto, *omnes Christiani debent se transferre, dicente Psalmistâ*, (Ps. 45.) *transferentur montes in cor maris; sive sint montes superbiæ ut humilientur, sive montes virtutum ut ditentur. Etenim hodie Deus cæli mare aperuit gratiarum, mare Virginem fluentibus aquis de libano repletum, quod redundavit eatenùs, quatenùs acciperet de ejus plenitudine qualibet rationalis creatura.* Hoc mare semper fuit totum Dei, juxta illud Psalmi 94. Quoniam ipsius est mare & ipse fecit illud. De hoc dici potest illud quoq; Psalmi 73. Tu confirmâsti in virtute tua mare, quando pro conceptione Filij Dei virtus Altissimi obumbravit (*Luc.* 1.) Virgini sanctissimæ. Hìc verè spiritus Domini ferebatur super aquas, (*Gen.* 1) quando in eam supervenit. Ab hoc mari terra militantis Ecclesiæ attrahit pluviam salutis & influentiam gratiarum. Supra hoc mare ambulavit JESUS. *Hujus maris aqua pro muro est filiis Israel, id est bonis & devotis*, juxta Bernardinum de Busto, *& quod nos à terra elevat, & paulatim ad alta virtutum extollit imperante Christo:* (Luc. 5) *Duc in altum, & laxate retia in capturam. In hoc enim mare mittentes retia devotionis capiunt pisces Divinæ dulcedinis. Hoc mare omne bonum sal producit, sinè quo omnia sunt insipida; quod sal præcipit nos habere Salvator dicens:* (Mar. 9.) *Habete in vobis sal, id est devotionem Beatissimæ Virginis*, sic sentiente Mauritio de villa probata. *Hoc mare* secundùm Ernestum Pragensem, *est amplectens & circumcingens terræ sphæram, quæ est Ecclesia in 4 partibus, quia secundùm longitudinem, latitudinem, sublimitatem & profunditatem.* Eodem Authore, *est mare nutriens nubes, id est Prædicatores totum mundum irrigantes, mittens per mundum infinitas aquarum venas, unde oriuntur fontes & flumina, lacus & stagna, per quæ diversi generis beneficia intelliguntur, quæ dinumerare nemo potest, quæ occultè exeunt. Ipsa est mare vitreum*, ex ejusdem Authoris sensu, *propter puritatem, per cujus aquam, id est gratiam omnes Filij Aaron, id est viri contemplativi, qui accedunt ad offerendas Domino hostias spiri-*

Richardus à S. Laurentio VIII.

Mare in quod Christus se demisit, Bernardinus de Busto. *& ad quod omnes Christiani se transferre debent.*

Mare totum Dei.

Hujus maris aqua pro muro est filijs Israel, Idem.

Ernest. Prag. *Mare circumcingens terræ sphæram.*

Idem. *Mare nutriens nubes.*

Idem. *Mare vitreum*

tuales, id est fructus labiorum confitentium Domino, maculas suas defectusq; solent abluere; crediderim quoque ideò, quia videntes & considerantes pelluciditatem Virgineæ puritatis, exemplum omnis munditiæ ab illa sumunt.

Mare fusile.

Est etiam mare fusile, dicente Richardo à Sancto Laurentio, de quo legitur (3. Reg. 7.) & (2. Paralip. 4.) quod in ædificatione Templi positum est in latere dextro contra Orientem ad meridiem, ut lavarentur in eo intrantes in templum, ne præsumerent intrare templum polluti.

Quomodò? Richardus à S. Laurentio

Maria enim fusilis, inquit ille, *fuit per pietatem, liquefacta per dilectionem, ænea, id est impenetrabilis per peccati immunitatem, sonora per Divinam laudem & orationum asfiduitatem; quæ speciali affectu misericordiæ volentibus intrare Ecclesiam, prima omnium Sanctorum occurrit, ipsis gratiam interioris amaritudinis & contritionis, & sonum veræ confessionis infundit, ad verum Orientem, id est Christum Filium suum eos per gratiam suam deducit, charitatis fervore quæ per meridiem designatur, accendit, & tandem ad dexteram æternæ beatitudinis introducit.*

Quomodò mare rubrum? Idem.

Quomodò autem fuerit mare rubrum, idem magnus Mariæ cultor indigitat: *Quia* inquit, *per compassionem rubricata in Filij passione, unde dicitur Sunamitis, id est coccinea. In ipsa enim & per ipsam submersus est spiritualis Pharao diabolus. Quin in manu fœminæ tradidit Deus Sisaram* (Judic. 4.) *cum toto exercitu vitiorum; & ejus meritis, orationibus & exemplis transeunt veri Israëlitæ ab Ægypto hujus mundi in desertum pœnitentiæ, ipsâ eis infundente gratiam pænitendi, & in terram promissionis per Jordanem, qui interpretatur humilis descensus, id est per ipsam Mariam, in quam descendit Filius Dei, merito humilitatis ejus.* Hæc Richardus.

Qualiter mare amarum? Idem. IX

Tandem qualiter sit mare amarum, edisserit: *quia mare, id est mundum, per gratiam suam nobis amaricat & per exemplum, universasq; mundi delicias convertit in amaritudinem de se fideliter cogitantibus, & mundanas amaritudines suis imitatoribus dulces facit reputari*, juxta illud Deut. 23. inundationes maris quasi lac sugent, scilicet imitatores Mariæ. Vel juxta Ernestum Pragensem, *cujus inundationes id est amaritudines in passione Filij, omnis qui eam verè diligit, tanquam lac sugere dulce ducit.*

Redundatio hujus maris. S. Bernardin. Senensis.

De redundatione verò maris ita S. Bernardinus Senen. loquitur, *quòd Mare Maria per impatientiam non redundavit, licèt omnia ferè dolorum flumina in se absorbuerit, sicut Eccli. 1. mysticè scriptum est: omnia flumina intrant in mare, id est in Mariam, & mare non redundat, scilicet per impatientiam. Redundat tamen in nos per eam mare largitatis Divinæ, quia de plenitudine ejus accepimus omnes.* (*Joan.* 1.)

Singularis Oceani impetus ab Oriente in Occidentem.

Notabile hoc est de mari Oceano, quod ab oriente in occidentem singulari rapiatur impetu, cujus causa est similis motus solis ac totius cœli. Experiuntur id Hispani ex Europa in Americam navigantes, unius mensis spatio iter absolventes, reduces verò quatuor mensium egentes intervallo. Nonne infinita Dei velut solis bonitas in nostrum occidentem ferebatur,

quando

quando vir, Oriens nomen ejus, (*Zach. 6.*) ille Oriens visitans nos ex alto, (*Luc.* 1.) inclinavit cælos & descendit, (*Ps.* 17.) imò ascendit super occasum? (*Ps.* 67.) En mare nostrum eodem quoque ad Occidentem movetur raptu, quando ex misericordia sua erga nos in continuo existentes peccatorum occasu, assiduis orientis gratiæ suæ affluxibus adjuvat ac sustentat. Volumus jam scire huj⁹ maris dimensionem? *Gratia S. Virginis est immensa*, asserit Divus Epiphanius. *Quid ampliùs dicere possum Domina?* ait S. Anselmus; *immensitatem quippe gratiæ & gloriæ & felicitatis tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit.* Vnde S. Epiphanius nominat eam *mare spirituale, cui prædicando neq; hominum neq; Angelorum lingua sufficit.* Et S. Hildefonsus: *Sicut est incomparabile quod gessit, & ineffabile quod percepit, ita est incomprehensibile præmium gloriæ quod meruit.* Mellifluus tamen Doctor audet dimensionis immensitatem in hoc mari, respectu misericordiæ & gratiarum ejus indigitare. Et quidem primùm interrogat: *Quis misericordiæ tuæ ô benedicta! longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usq; in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tuâ quoq; misericordiâ plena sit omnis terra. Sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris & umbra mortis obtinuit redemptionem.* Et alibi profluvium gratiæ ipsius & misericordiæ sic deprædicat: *Quæ ad eam pertinent, plena omnia pietatis & gratiæ, plena sunt mansuetudinis & misericordiæ. Deniq; omnibus omnia facta est,* (Rom. 1.) *sapientibus & insipientibus copiosâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi.* (*Joan.* 1.) Ita Mariophilus Bernardus, qui statim universitatem participantium ex hoc mari gratiarum exponit dicens: *Captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angeli lætitiam, tota Trinitas gloriam, Filij persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus.* (*Ps.* 18.) Non immeritò agnoscit Rex Prophetarum, (*Ps.* 23.) quòd Domini sit terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & qui habitant in eo. Vnde hoc constat ô magne Vates? Quia ipse super maria fundavit eum. (*Ib.*) Ita equidem duo sigillatim maria sunt, super quæ Deus fundavit terram, Ecclesiam suam in terris constitutam à se possessam, super mare baptismi & super mare pœnitentiæ. Vtrumq; tamen mare ad idem tendit, videlicet ad remissionem peccatorum. Et super flumina præparavit eam, (*Ib.*) super gratias & virtutes, quæ fluunt ex his maribus. Sed liceat mihi dicere: Domini est terra & plenitudo ejus, quia super Mariam fundata est, & super flumina gratiarum ipsi uberrimè profusarum à Deo præparata; per ipsam namq; & in ipsa Deus erat reconcilians sibi mundum hodiernâ Filij sui Incarnatione, quæ sinè ipsa haud potuit fieri vel executioni mandari. Hoc mare gratiarum

Dimensio hujus maris, D. Epiph. D. Anselm⁹. S. Epiph. S. Hildef. *respectu misericordiæ & gratiarum Mariæ.* S. Bernard⁹. Idem. Idem. *Duo maria, super quæ Ecclesia fundata.*

Maria Atlas mundi.
S. Damasc.
Polus ipsis axibus præstantior.

Dei sustinet orbem terrarum. Ipsa (ut sic dicam) Atlas mundi aliàs ruituri; quin etiam juxta S. Damascenum, *Polus conditus ipsis cœli axibus præstantior, ex qua prodiens ipse Deus in persona cum hominibus conversatus est, ex qua æterna mundo propitiatio advenit.* Polus planè duplex sustinens non tantùm terram in sua fixitate & immobilitate, sed & orbem cœlestem iu sua portans circumvolutione, quando illum, quem cœli capere non possunt, suo utero comprehendit. Vtrique Polo correspondent maria in terra, & uterq; polus sibi oppositus est, ita ut unus Arcticus, alter Antarcticus dicatur: respiciuntq; se è diametro, ad eandem tamen cœli & terræ tendunt conservationem.

Polus Arcticus & Antarctico sibi oppositi.
Tria disparata sibi unita in Maria ex nomine Mariæ I.
Maria gutta vel stilla maris.
Stella maris.

Quid dicemus, si tria sibi opposita adeòq; summè disparata in Sanctissima Deipara reperiamus, sibi tamen unita, eaque ex nomine Virginis quod est Maria eruamus? *Maria* Syriacè significat guttam vel stillam maris, en humilitas Mariæ. Maria quasi *Marom*, dicitur celsitudo, nempe stella maris, uti vocatur à Sancto Bernardo, & invocatur â tota Ecclesia in Hymno; *Ave maris stella.* Nonne hæc sunt disparata? in Maria tamen conjuncta, ad monstrandum ex humilitate oriri celsitudinem.

II.
Myrrha maris.

Deinde *Maria* Hebraicè idem est quod myrrha, vel amaritudo maris designans pænitentiam & crucem; stilla verò maris denotat puritatem, quia ex stillis roris, quæ in conchis concrescunt, nascuntur uniones & margaritæ symbola castitatis, ad declarandum, matrem puritatis & castitatis esse pænitentiam ac mortificationem, quod utrumque complexa est Maria.

III.
Domina maris.

Deniq; Sanctissima Virgo ut stilla maris sibi fuit pauperrima, sed ut Domina maris, quod significat idem nomen *Mar jam*, ditissima facta est, à Deo plena gratiâ existens, & quasi *More* Hebraicè, quod est pluvia temporanea, omnem gratiam è cœlo depluens in invocantes se, imò veluti mare gratiarum diffusam omnimodam DEI gratiam in omnes manifestans, & in labijs veluti littoribus eam patefaciens, quia lex clementiæ in lingva ejus.

Revelat. S. Brigittæ.
Ex hoc mari misericordia, gratia, pietas, &c. sunt petenda.

Testatur hoc Sancta Agnes in Revelationibus S. Brigittæ: *sicut sole illuminantur & inflammantur cœlestia & terrestria, sic ex dulcedine Mariæ nullus est, qui non per eam si petitur, sentiat pietatem.* Ergo petamus omnes ex hoc mari gratiam, misericordiam, pietatem, clementiam, atque dulcedinem, & reverà accipiemus. *Ipsa est pelagus inexhaustus intimæ pietatis*, ex sensu S. Damasceni, gratiarum, miserationum, sanationum. Eja Mater omnis gratiæ, *Mater misericordiæ, vita, dulcedo & spes nostra*, ex amplissima tua adinstar maris plenitudine diffunde in nos gratiam quam hodie invenisti, & ex abysso gratiæ quam concepisti, ex diluvio bonitatis Divinæ quo inundata es, profluvium ejus in nos transfunde. Submerge hostes nostros Ægyptios ne dominentur nobis, reple nos salubri pænitentiæ amaritudine ad dulcedinem veniæ consequendam. Sis nobis mare fusile ad emundationem peccatorum nostrorum. Sis demùm mare gratiarum, ut ijs immergamur, nec unquam nisi ad aquas illas, quæ super cœlos sunt, emergamus, cum ijsque laudantes

Deum, adjunctis omnibus Statibus terram locumq; expiatorium incolentibus, in illa gloriæ abysso submergamur.

Sermo in Dominica Passionis.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

SIcut gratia inimica peccati profluit à Deo, ita peccatum gratiæ adversarium à diabolo promanat, PP. RR. FF. DD. Unde Deus author gratiæ cognoscitur, diabolus author peccati habetur. Gratia pellitur per peccatum, peccatum per gratiam profligatur. Ubi peccatum nidulatur, ibi exulat gratia. Ubi gratia habitat, ibi nullum peccati vestigium reperitur. Unde adeò sunt secum incompatibilia peccatum & gratia, ut in eodem subjecto simul & semel nequeant cohærere. Sicut enim rectè quærit Apostolus: (2. *Cor.* 6.) quæ conventio Christi cum Belial? ita justè dici potest: quæ conjunctio peccati cum gratia? Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? (*Ib.*) Justitia est gratiæ, iniquitas est Belial diaboli absque jugo. Juremeritò proinde Christus interrogat: (*Joan.* 8.) quis ex vobis arguet me de peccato? Cùm enim esset Verbum plenum gratiæ & veritatis, (*Joan* 1.) omne peccatum à se excludebat. Christus peccatum non fecit, imò gratia & veritas per Jesum Christum facta est. (*Ib.*) Hinc Apostolus quærit: (*Gal.* 2.) nunquid Christus peccati minister est? Ille apparuit ut peccata nostra tolleret, ait dilectus Jesu Joannes: (1 *Joan.* 3.) & peccatum in eo non est. Qui facit peccatum, ex diabolo est; quoniam ab initio diabolus peccat, (*Ibid.*) & ille erat homicida ab initio, teste ipsâ æternâ Veritate, (*Joan.* 8.) quando primum hominem induxit in peccatum, (*Gen.* 3.) per quem unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors. (*Rom.* 5.) In hoc autem apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli, (1. *Joan.* 3.) quæ sunt peccata. Ecce monstrat Joannes gratiam, significans gratiam Dei; ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccatum mundi: [*Joan.* 1.] illud nimirùm generale, originale peccatum, ex quo omnia peccata profluxêre. *Unum enim*, teste Divo Thoma, *est peccatum originale in omnibus hominibus secundùm speciem & proportionem, diversum autem numero in diversis hominibus, in uno autem homine non est nisi unum numero peccatum. Est quoq; unum in omnibus hominibus proportione scilicet in respectu ad primum principiū.* Nec obstat dictum pænitentis Regis: (*Ps.* 50.) ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea; hoc namque dicitur, vel quia in peccato originali præexistunt omnia peccata actualia sicut in quodam principio, ideòque est multiplex virtute; vel quia in peccato primi Parentis, quod per originem traducitur, fuerunt plures deformitates, videlicet superbiæ, inobedientiæ, gulæ, & alia ejusmodi; vel quia multæ partes animæ per peccatum originale inficiuntur; nihilominùs sciendum est, quòd sunt partes unius totius, sicut & justitia originalis omnes animæ partes in unum

Gratia à Deo, peccatum à diabolo,

non compatiuntur se in eodem subjecto

Christus in carne apparuit, ut peccata nostra tolleret.

D. Thomas. *Peccatum originale omnis peccati fons.*

continebat. Habemus exemplum in febri, quæ una eſt ægritudo in uno homine, quamvis diverſæ corporis partes graventur. Nec hoc contrariatur, quòd unus & idem habitus non inclinat ad contraria, habens ſe per modum naturæ tendentis in unum; dicendum enim eſt, non inclinare per ſe & directè, id eſt per propriam formam, ſed indirectè per accidens, ſcilicet per remotionem prohibentis. Sicut ſolutâ harmoniâ corporis, mixta elementa tendunt in loca contraria; ſimiliter ſublatâ harmoniâ originalis juſtitiæ, diverſæ animæ potentiæ in diverſa feruntur. Eſt igitur unum peccatum originale, in quo ſunt omnia virtualiter, quod aſſeritur Agnus Dei tollere in ſe & per ſe, à nobisque auferre: verè enim langvores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: (*Iſai.* 53.) poſuit enim Deus in eo iniquitatem omnium noſtrûm. (*Ib.*) Unde abſtulit à nobis omnem tribulationem peccati, quando peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus. (1. *Pet.* 2.) Sed cur Agnꝰ Dei vocatur Chriſtus Dominus? (*Joan.* 1.) Nullâ equidem aliâ ratione, niſi quòd ſimilis agno eſſet in ſimplicitate, puritate, innocentia, caſtitate, munditia, manſvetudine, patientia, humilitate, obedientia, & quòd ſicut agnus pro peccatis omnium hominum eſſet immolandus, tùm etiam quòd totus agnus ſerviat maximæ hominum utilitati, nihilque in eo eſt quod non veniat ad uſum profectumque humanum. *Totus enim mihi datus*, ait mellifluus Pater, *totus in meos uſus expenſus*; de quibus agemus conſequenter. Ipſe ergo eſt Agnus DEI, quia à DEO juſſu ipſius & voluntate ad mortem pro peccatis hominum tollendis ordinatus & prædeterminatus, ideòque dictus in Apocalypſi, (*cap* 13.) occiſus eſſe ab origine mundi, quia ab æterno occidi præſcitus, decretus & prædeſtinatus. Idem indicat Divus Petrus dicens: (1. *Pet.* 1.) redempti eſtis pretioſo Sangvine, quaſi Agni immaculati Chriſti & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus. Hoc ipſum *D.* Paulus (*Rom.* 16.) manifeſtat, nominans myſterium temporibus æternis tacitum, quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum, ſecundùm præceptum æterni *D*ei ad obeditionem fidei; & ad Titum ait: (*cap.* 1.) in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur *D*eus ante tempora ſecularia, manifeſtavit autem temporibus ſuis Verbum ſuum in prædicatione. Ita planè per incarnationem manifeſtatus eſt, ſed vel maximè in paſſione, crucifixione, morte, Reſurrectione, Aſcenſione, Spiritûs Sancti miſſione, & Apoſtolorum evangelizatione. Occiſus quoque dici poteſt ab origine mundi [*Ap.* 13.] in ſuis typis & figuris, præſignatus primùm in ſacrificio Abelis, qui Domino primogenita ovium id eſt agnorum offerebat, (*Gen.* 4.) ac exinde placens Deo ipſemet quaſi agnus innocens à Cain fratricida occiſus, prima Deo victima, orbis Virgo & Martyr, figura Chriſti à fratribus Judæis interficiendi. Deinde in ariete ſive agno maſculo ab Abrahamo pro Iſaac ſubſtituto & immola-

In peccato originali omnia peccata virtualiter exiſtunt

Cur Chriſtus Agnus Dei vocatur?

S. Bernardꝰ

Chriſtus agnus occiſus ab origine mundi per præſcientiam,

tum in ſuis typis & figuris. I.

II.

to,

to, (*Gen.* 22.) quia pro Deitate, Judæis & lictoribus in passione Christi surrogata fuit, passa & immolata ejus humanitas. Nec minùs idque potissimùm in agno Paschali, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. (1. *Cor.* 5.) *Agnus redemit oves*, canit Ecclesia S., *Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.* III.

Tùm etiam in jugi sacrificio, quo mane & vesperi immolabatur agnus pro sacrificio matutino & vespertino; quia Christus Dñus ab origine mundi quasi mane occisus est pro peccatis Patrum veteris Testamenti, & vesperi ab adventu suo usq; ad finem sæculi immolatur pro filijs novi Testamenti. Vel mane cruentum fuit sacrificium in cruce; vesperi est incruentum in altari per oblationem Eucharistiæ. IV.

Præfiguratus quoq; fuit in alijs ovibus & agnis, qui ex lege Dei omni festo offerebantur. Pulchrè D. Paulinus: *Ab initio*, inquit, *seculorum Christus in suis patitur & triumphat. In Abel occisus est à fratre, in Noë irrisus à filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Moyse expositus & fugatus, in Prophetis lapidatus & sectus, in Apostolis terrâ mariq; jactatus, in Martyribus toties & tam variè occisus. Ipse & in te*, scribit ad Aprum, *patitur opprobria, & ipsum in te odit hic mundus. Sed gratias ipsi quòd vincit cùm judicatur, & triumphat in nobis.* Hæc Sanctus Paulinus.

D. Paulinus.

Denique prædictus est apud Isaiam: (*c.* 53) quòd sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram se tondente obmutescet, & non aperiet os suum. Et apud Jeremiam ipsemet loquitur: (*cap.* 11.) ego quasi agnus mansvetus, qui portatur ad victimam; atque ideò etiam à D. Joanne Præcursore declaratus est Judæis Messias promissus tanquam agnus: ecce agnus Dei, inquit, (*Joan.* 1.) ecce qui tollit peccata mundi. Agnus verè Dei id est Divinus, quia Deus simul & Dei Filius. V

Audiamus Clementem Alexandrinum. *Quoniam Scriptura pueros & infantes agnos vocat, Deum qui est Verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari voluit, vocavit Agnum Dei, Filium Dei, infantem Patris. Non quia Deus est, quà cum Patre unum est,* (Joan. 10.) *ipsi consubstantialis & coæternus: sed quà homo, quà Patre minor est.*

Clemens Alexandrin9

In hujus agni mansvetissimi labijs diffusa est gratia justificans nos, tollens peccata mundi, ait enim ipse Deus Pater apud Isaiam: (*c.* 53.) in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit; licèt iniquitatem ipse non fecerit, velut innocentissimus agnus, neque dolus fuerit in ore ejus, [*Ibid.*] prout hominum labia sunt iniquitas & dolus, [*Ps.* 35.] idq; tanquam simplicissimus agnus, qui peccatum non fecit, (1. *Pet.* 2.) tanquam purissimus & castissimus agnus, qui cùm malediceretur non maledicebat; (*Ibid.*) velut mansvetissimus agnus, qui cùm pateretur non comminabatur, (*Ib.*) omninò patientissimus agnus; tradebat autem se judicanti injustè, (*Ib.*) adinstar humillimi agni, denique pro more obedientissimi agni ad occisionem ductus est, usq; ad mortem crucis factus victima totius orbis. (*Philip.* 2.) Quid tamen est illud, quod maximè in hoc agno requirebatur? Tria reperio: (*Ex.* 12) ut esset

Tria requisita ad immolationem Agni Paschalis.

I. ut esset absq; macula.

esset absque macula, masculus, anniculus. Primum ante omnia necessarium in agno erat, puritas sinè macula, figura Agni nostri Divini, qui verè erat absq; macula, quia sinè peccato immaculatus & incontaminatus, juxta D. Petrum, [1. *Pet.* 1.] impollutus, segregatus à peccatoribus juxta D. Paulum: *Heb.* 7. interiorem & exteriorem possidens puritatem. In Levit. *c.* 22. expressiùs diducitur hæc victimę puritas. Omnis macula non erit in eo. Si cęcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem aut impetiginem, non offeretis ea Domino. Nulla deformitas cœcitatis, claudicationis aut vulneris, nulla infectio morbi aut vitij alicujus, in agno Paschali immolando debebat inveniri.

Talis fuit Christus.

Ita Agnus noster fuit planè purus, omni maculâ carens, tam internâ mentis & cogitationum, quàm externâ morum & actionum, fuit sinè ullo ignorantiæ vel erroris defectu, & absq; omni labe ac infectione peccati; in sapientia & virtute integer & perfectus, innocens, simplex & rectus, inviolatus, inculpatus, irreprehensibilis, omni reprehensione major; ac idcircò dicit: (*Joan.* 8.) Quis ex vobis arguet me de peccato? Et hoc est, quod à suis requirit.

S. Cypriano

Christus plebem suam agnos vocat, ait S. Cyprianus, *ut agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur.* Et alibi: *Christus suos oves nominat, ut innocentia Christiana ovibus æquetur.*

Lactantius.

Audiamus Lactantium. *Nihil*, ait, *sancta & singularis illa Majestas aliud ab homine desiderat, quàm solam innocentiam: quam si quis Deo obtulerit, satis piè religioseq; litavit.* Innocentia excludit omne peccatum.

II. ut esset masculus.

Secunda Agni conditio, ut esset masculus, quia fæmellâ præstantior est, excellentiora enim *Deo* sunt offerenda; typus Christi, qui in Apocalypsi (*c.* 12.) mulieris amictæ sole Filius, masculus, draconi invisus nominatur, nihil in se habens mollis, fluxi, instabilis & effæminati, & exinde *Ps.* 2 in virga ferrea gentes dicitur recturus.

Masculos animos requirit Deus.

Ita omninò masculos animos, mascula opera exigit Deus, viriliter agendum est, viriliter hostibus resistendum, ut grata *Deo* victima, hostia Deo placens (*Philip.* 4.) efficiamur.

III. ut esset anniculus.

Tertium est, ut sit anniculus, filius unius anni, vel agens annum, ut non excedat ætate annum, licèt non compleverit illum. Agni enim, teste Niceta in Nazianzeno, unius anni spatio in perfectam ætatem adolescunt. Hesychius addit, ita ut possint generare. In anno absolvitur ætas temporis universi. Annuo progressu Sol suum absolvit cursum, omnia progignit, & ad sui redit exordium. Ita Christus *Dominus*, qui est Sol justitiæ, (*Mal.* 4.) à summo cœlo faciens egressionem suam, & occursum usque ad summum ejus, (*Ps.* 18.) sui semper similis, in se rediens, virtutum generat orbem.

A tenera ætate Deo serviendũ

Hugo Vict.

Inde patet Deum velle, ut à tenera ætate ipsi serviatur, primaque mox vitæ exordia ei dedicentur. Eleganter Hugo Victorinus discurrit dicens: *In illa ætate quando flavescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, juvenilis ætas longioris vitæ spatium repromittit: quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus*

acutior

acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus jucundior, (acsi diceret, quando diffusa est gratia in vultu & cultu, in labijs & manibus) *qui*, inquit, *in hac ætate se domant, & Deo sociant, præmium Joannis expectant;* videlicet qui triennis Dei servitio in deserto se cõsecravit: *tales*, ait, *offerunt hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, immaculatam*, [Rom. 12.] *non aure, non oculo, non pede, non caudâ carentem.* Hæc Hugo de S. Victore. Redeo ad puritatem Agni Dei, qui non tantùm in se fuit immaculatus, sed voluit, ut nos essemus sancti & immaculati in conspectu ejus; ac ideò cùm essemus aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis, nunc reconciliavit in corpore carnis suæ per mortem, exhibere nos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram se. [*Coloss.* 1.] Sic omnimodè Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. (*Eph.* 5.) Per quid? Per gratiam Dei diffusam in labijs Agni. O quàm grata vox hujus Divini Agni! ô quàm amabilis balatus! Venite ad me omnes, qui laboratis in miserijs, Adami maledictione gravati, & onerati estis peccatis ipsius & vestris, & ego reficiam vos (*Matth.* 11.) carne meâ & sangvine meo; & lanâ doctrinæ meæ atq; exempli vos vestiam. Discite à me quia mitis sum & humilis corde (*Ib.*) velut agnus; & ut vos sitis tales. Hæc est gratia gratum faciens hominem Deo, humilitas; quia nulla alia via est præter humilitatem, ad gratiam Dei acquirendam. Deus est autor gratiæ, qui dicit per Sapientem: (*Eccli* 3.) humilia te in omnibus, sis agnus, & invenies gratiam apud eum, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam. (1. *Pet.* 5.) Ideò humiliavit semetipsum Filius Dei, ut nobis gratiam apud Patrem impetraret per se, ac Spiritum Sanctum in nos diffunderet. Et hæc est unica salus nostra, Dei gratia, extinguens peccata, innocentiam & justitiam primigeniam nobis restituens, ac novam in fide JESU Christi conferens. O quid amabilius? quid delectabilius? quid salubrius gratiâ Dei? Sed ah! quid detestabilius, quid abominabilius, quid damnabilius peccato? Fugiamus & pellamus istud, quæramus & persequamur illam, quia juxta effatum Doctoris Gentium, (*Rom.* 6.) ipsa est vita æterna, quam nobis Agnus tollens peccatum mundi (*Jo.* 1.) utinam impertiatur.

Immaculatos in conspectu Agni esse oportet.

Ad Dei gratiam acquirendam, sola humilitas manuducit.

Sermo Dominicâ Palmarum.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

EN decima dies, dies perfecta, dies consummata primi mensis Nisan, (*Esth.* 3.) nimirùm Martij, hodie illuxit, PP. RR. FF. DD. in qua præceptum à Deo erat Hebræis conquirendi agnū sinè macula, masculum, anniculum, post 4. dies pro Paschate immolandum. Per hoc quatriduum aspectu agni & voce monebantur,

Præparatio Judæorum quatriduo ante Pascha ad agnum immolandum.

ut præpararent se ad sacrificium illius offerendum, ipsumque in epulum simul sumendum, simul ac ad exitum ex Ægypto inchoandum. *Rupertus* *Quoties enim agnus balatum emittebat*, ait Rupertus, *toties quasi tubæ sonitus exituras castrorum acies excitabat.* Idem frequens aspectus agni & balatus eosdem commonefaciebat recordationis de magna illa ab Ægypti servitute liberatione ac redemptione, & incitabat ad sermocinationem de illa faciendam; demùm animabat eos ad gratias Deo desuper agendas, & ad exitum fortiter peragendum.

Aspectus & balatus Agni quid denotabat? I. II.

Porrò postquam Scriptura Sacra dixit: (*Ex.* 12.) tollat unusquisque agnum per familias & domos suas, subdit: (*Ib.*) juxta quem ritum tolletis & hædum; non quòd & agnus & hædus esset pro Paschate immolandus, sed quòd in defectu agni poterat accipi hædus eodem ritu, ut esset immaculatus, masculus, anniculus. Per agnum proinde significatur pecus tam ovina quàm caprina, uti patet ex Hebræo, erit pecus mascula ex agnis, & quod intelligitur, aut hædis accipietis eam, de quo imperat Deus: (*Ex.* 12.) immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam. Et hæc in figura contingebant illis, (1. *Cor.* 10.) nobis autem in veritate hâc die ultrò se offert Agnus. Ecce Rex tuus, ait Propheta, (*Zach.* 9) venit tibi mansvetus instar agni, sedens super asinam, per ramos olivarum pacem, per ramos palmarum victoriam proferens, (*Matt.* 21.) post quartam diem non minùs uti ille Paschalis typicus in cruce assandus, & immolandus, & manducandus.

In defectu agni immolabatur hædus.

Est agnus respectu sui, quia innocens, purus sinè omni macula; respectu nostri est hædus, quia nostra peccata in se suscepit luenda & diluenda. Deus enim, ut inquit Apostolus, (*Rom.* 8.) Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne. Et iterùm: (2. *Cor.* 5.) eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso; acsi diceret: eum qui in se erat agnus, pro nobis hædum fecit, ut nos per ipsum agni fieremus; unde dicit ad Apostolos: (*Matt.* 10.) ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

Christus respectu sui Agnus, respectu nostri hædus, quomodo?

Immolandus autem erat agnus decimâ quartâ lunæ, videlicet in plenilunio Martij post vernum æquinoctium ad vesperam, vel uti in Deuteronomio, (*c.* 16.) ad solis occasum; juxta Hebræum textum inter duas vesperas, & juxta Chaldæum inter duos soles, videlicet inter declinationem solis ad vesperam, quæ est prior vespera; & inter ipsum solis occasum, quæ est ultima vespera, quo tempore occidebatur agnus & assabatur, & post occasum de nocte, cùm jam inciperet decimaquinta dies comedebatur, ita ut ante mediam noctem esus agni & omnis cæna absolveretur. Eademque nocte cæperunt transitum & exitum suum ex Ægypto Hebræi, statim namque post esum agni cæsis primogenitis, Ægyptij coegerunt Hebræos egredi, [*Ex.* 12.] ita ut nequirent panem coquere; diciturque à Moyse (*Ex.* 12.) hæc nox observabilis.

Tempus immolationis Agni Paschalis, sumptionis, & exitûs de Ægypto,

Omnia hæc in Christo Domino vero Paschali Agno adimpleta sunt. Nam primus vergente mundi vespere, in consumma-

Parallela Agni Paschalis & Christi. I.

summatione temporum, quando venit plenitudo temporis, (*Gal.*
4.) oblatus est in plenilunio, quando luna receptâ à sole luminis ple-
nitudine, sole jam occidente clara exoritur in oriente: *quia moriente*
Sole justitiæ, (Mal. 4.) *Ecclesia quæ per lunam designatur, caliginem* Rupertus
peccati discutiens novâ luce exoritur, & ad vitam consurgit teste Ru-
perto. Sicut noctu agnus comedebatur ab Hebræis, ita eadem no- II.
cte Agn⁹ noster se manducandum dedit, instituens Eucharistiæ Sacra-
mentum; ubi verè diffusa erat omnis gratia in labijs ejus, & effusa in
Eucharistiam græcè, latinè bonam gratiam. Quemadmodùm se- III.
quenti die, nimirùm primo azymorum solenni die holocausta DEO
immolabantur, ita quoque Christus Dominus se vivam hostiam Deo
Patri obtulit per passionem & mortem in cruce, & sic uno primo
Paschali die & incruentum & cruentum sacrificium per seipsum per-
solvit: siquidem etiam immolatio agni juxta Sanctos Patres typus fu-
it utriusque sacrificij in Missa & in cruce. Post æquinoctium autem IV.
vernum, ubi lux & dies accrescunt, noctemque cum tenebris supe-
rant, agnus offerebatur; quia ab immolatione Christi justitiæ lux cæ-
pit tenebras peccatorum superare. In hoc etiam æquinoctio fit terræ
apertio & regeneratio, uti Sanctus Ambrosius pulchrè exponit. *Est* S. Ambros.
Pascha in vere anni principium, primi mensis exordium, novella ger-
minum reparatio, ac tetræ hyemis nocte discussâ, primi veris restituta
jucunditas. Ipse mensis Nisan tendens ad Aprilem, ait Rupertus, *est* Rupertus
verna temperies, cùm tellus reflorescit, totusq; post hyemem quasi post
senium rursùs juvenescit orbis; nonne sensatum hominem docet, quate-
nùs spiritu mentis suæ renovatus, & fide viridis, speq; lætus, & chari-
tate floridus, spiritualibus Agni Paschalis intersit epulis? Pascha enim
nostrum, inquit S. Ambrosius, *non passionis est sed lætitiæ & resurre-*
ctionis. Non est transitus de vita ad mortem, qualis erat veteris agni,
sed de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de peccatis ad justitiam.
Porrò de Pascha Hebræorum dicit Deus: (*Ex.* 12.) Est enim Phase, *Phase transi-*
id est transitus Domini, & transibo per terram Ægypti nocte illâ, *tus Domini.*
percutiamque omne primogenitum. Ubi sciendum, quòd triplex e- *Triplex transi-*
rat transitus, & Angeli vastatoris, & Hebræorum ex Ægypto in Cha- *tus.*
naan, & eorundem per mare rubrum. Transivit igitur Agnus noster
Paschalis de morte ad vitam, de terra in cælum, ut nos à peccato ad
gratiam, ab inferni voragine ad cælestem gloriam transiremus. *Pascha*
juxta S. Ambrosium, *est transitus à passionibus ad exercitia virtutum.* S. Ambros.
Et iterùm: *Pascha Domini quotannis celebratur, hoc est, animarum* *Transitus no-*
transitus à vitiis ad virtutes, à passionibus carnis ad gratiam sobrieta- *ster qualis esse*
temq; mentis, à malitiæ nequitiæq; fermento (1. Cor. 5.) *ad veritatem* *debeat?*
& sinceritatem regenerationis. Ad idem exhortatur D. Gregorius. *A* D. Gregor.
regione nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum veti-
tum gustando discessimus: sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo,
visibilia contemnendo, atq; appetitum carnis refrenando redeamus. Jam
verò Agnus in crucis formam expansus assabatur; nam unus rectus pa-

Agnus Typicus quomodo comedendus erat?
S. Gregorius

xillus ab imo usq; ad caput traijciebatur, alter verò transversus armos agni assandi distendebat, teste D. Justino; *Mysterium Christi in cruce distenti, & amoris igne assati.* Deinde prohibebatur: (*Ex.* 12) Non comedetis crudum ex eo quid, nec coctum aquâ, sed assum tantùm igni; quod S. Gregorius sic explicat: *nempe Christum in cruce nihil habuisse aquæ, id est nihil mitigationis vel solatij in pœnis, sed tam dolore suo quàm amore nostri tostum & assum. Judæi verò negantes Christi Deitatem, & crudè ea quæ de Messiæ regno & gloria tradit Scriptura, accipientes, Christum crudum manducant. Rursùm Hæretici Christum comedunt aquâ coctum, quia omnia ejus mysteria suo ingenio & ratione humanâ, quæ est aqua, scrutari volunt & comprehendere; unde per proprium humanæ sapientiæ sensum evacuant humanitatis & Divinitatis sacramenta. Catholici autem sobriè & piè mysteria Christi meditantes, & per ea fidem, spem & charitatem accendentes, ac Christo ferventer servientes, ejusq; amore ardentes, comedunt assum Christum.*

Judæi Christum crudum,
Hæretici coctum aquâ,
Catholici assum manducant.

Adjuncta Agno ad manducandum, erant azymi panes cum lactucis agrestibus. (*Ex.* 12) Cùm enim agnus duplex beneficium liberationis repræsentaret, ab Angelo vastatore, & ab Ægyptiaca servitute; sic in esu agni duo ipsis declarabantur, dura servitus in Ægypto, signata per panes azymos insipidos; & per lactucas agrestes juxta Chaldæum amarulentus & festinus exitus ex Ægypto; quem significabat quoque azymus panis ob defectum temporis non fermentatus, & festina comestio agni absque comminutione ossium, [*Ex.* 12] & cum dispositione ad iter per calceationem in pedibus, baculorum gestationem in manibus, & lumborum præcinctionem. (*Ib.*) Ita sanè juxta B. Algerum, *lex dedit in calceamentis cautelam, ne à vitiis fallamur, in baculo disciplinam, quâ perpetrata corrigamus; in lactucis compunctionē; in festinatione desiderij ardorem, quo ad cœlestia suspiremus; in accinctis renibus continentiam & castitatem; quia Christo Agno immaculato, & Virginis filio crucifixo, ejusq; unitioni nihil ita adversatur, ut voluptas & fornicariæ societatis unitas.*

In esu Agni Paschalis duo designabantur, I.
II.
B. Algerus
Horum spiritualis denotatio.

Ita omninò lactucæ amaræ adhibebantur, quia Agnus noster cum amaritudine animæ est sumendus; ac potissimùm contritio & pænitentia Eucharistiæ præmittenda, præsertim in hac hebdomade sancta, de qua S. Epiphanius: *In diebus Paschatis apud nos fiunt humi cubationes, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, jejunia, & omnes animarum salutes per sanctas afflictiones.* Idipsum affirmat D. Chrysostomus: *Nunc fideles & jejunium intendunt, & vigilias & pernoctationes sacras, & eleemosynas faciunt, ut hebdomadæ huic honorem habeant.* Confirmat hoc etiam S. Bernardus. *Universi Christiani hâc septimanâ aut præ solito aut præter solitum pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt gravitatem, ut Christo patienti quodammodo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus qui non compungatur? Quis tam insolens ut non humilietur? Quis tam iracundus ut non indulgeat, Quis tam deliciosus ut non abstineat?*

Contritio & pœnitentia Eucharistiæ præmittenda.
D. Epiphan.
Hebdomas Sancta quomodo peragenda.
S. Chrysost.
S. Bernardus

stineat? Quis tam malitiosus ut non pœniteat his diebus? Hæc S. Pater noster. Ulteriùs præcipitur: (*Ex.* 12) caput cum pedibus ejus & intestinis vorabitis. Voluit enim Deus agnum manere integrum, & integrum manducari; ubi notandum, quòd in Christo Domino maximè assa fuerint, quia passa, per compassionem & amorem nostri viscera, pedes & manus clavis, & caput spineâ coronâ. Deniq́ue ut omnia compendio edisseram, immolatio agni apertissima fuit figura Christi velut Agni in cruce immolandi, per quem à captivitate Pharaonis [id est diaboli) sumus liberati, atq; per ejus sangvinem ac crucem postibus & superliminaribus Agni sangvine tinctis significatam, iram Dei ac vindictam effugimus, ab Angelo percutiente primogenita Ægypti, (*Ex.* 12) nempe primigenij peccati prolem exterminante conservati ac redempti. Agnum hunc universa multitudo filiorum Israël immolavit, (*ib.*) quia omnes Judæi petierunt à Pilato Christũ crucifigi. *Agnus porrò eligitur*, ait D. Augustinus, *ut simplicitas & innocentia designetur. Masculus quæritur, ut virtus comprobetur; immaculatus, ut sinè crimine. Anniculus verò erat: ut parvi arietis formam gereret, qualem pro Isaac Abraham immolavit.* Et benè in mense Martio, ubi Sol ingreditur arietem; ubi Sol noster formam in se arietis sive agni masculi anniculi assumpsit. Fuit quoq; instar hædi, tum quia inter iniquos reputatus (*Mar.* 15.) uti peccator & malefactor, tum quòd ipse fuerit hostia pro peccatis, tum quia in se nostra suscepit peccata. O execrandum peccati scelus! ô nefas detestandum! ô crimen horrendum! pro quo necesse fuit Deum hominem factum innocenter vulnerari, & crudeliter occidi. Ecce quot vulnera tot ora ad te ô homo peccator clamantia: cessa peccare, cessa me crucifigere, cessa me trucidare. Tot labia, per quæ pretiosissimus effunditur sangvis, prædicatur pœnitentia, diffunditur gratia; pro qua acquirenda sic oportebat Filium Dei & Virginis Sanctissimæ Agnum immaculatum pati, crucifigi, & in cruce mori. Hic Agnus taliter immolatus manducatur in Eucharistia, teste Divo Andrea Apostolo de se ita loquente: *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, omni die sacrifico non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, sed immaculatum Agnum, cujus carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus & integer perseverat & vivus.* Ejus sangvine uterq; postis tingitur, (*Ex.* 12.) cùm memoria passionis Christi in corde per fidem & in ore per confessionem manifestatur. Tingitur & superliminare, cùm cor nostrum ad spem cælestium per meritum passionis illius elevatur. Sangvis sic illitus liberat ab exterminatore, quia omnes qui Christi meritis non salvantur, morte æternâ condemnantur. Carnes ejus de nocte comeduntur, quia Christus in Eucharistia non videtur nisi fidei oculo, per speculum & in ænigmate conspicitur. Non comeditur crudus, quia Christus non creditur solus homo; nec aquâ coctus, quod fit, si per humanam rationem & sapientiam examinatus non creditur esse præsens verus Deus &

Immolatio agni figura Christi in cruce immolandi.

D. August.

Cur in Martio?

Cur Christus fuit instar hædi? I. II. III.

Vulnera Salvatoris, ora sunt ad peccatorem clamantia.

D. Andreas *Agnus comeditur in Eucharistia.*

Quid uterq; postis?

Quid superliminare?

Quomodo liberat ab exterminatore?

Quomodo de nocte comeditur?

Non crudus, nec aquâ coctus.

Cur assus comeditur? *Cur reliquum igni comburitur?* S. Gregorius

& homo. Assus manducatur, quia veri fideles igneam charitatem, quâ pro nobis tostus est, considerant & amplectuntur; Si quid ex eo usq; manè remanserit, igni comburitur; (*Exod.* 12.) quod enim de Christi mysterijs intelligere non possumus, potestati Spiritûs Sancti humiliter reservamus, dicente S. Gregorio: *Totus Agnus comeditur, quia totus Christus cum omnibus fidei articulis absq; alicujus rejectione est credendus & sumendus*: cum azymis panibus, nimirùm animi puritate; & lactucis agrestibus, utpote recenti semper amaritudine doloris pro peccatis: ipsaq; ejus passio corde mundo & compuncto ruminanda est. Caput Christi Divinitas, pedes ejus humanitas, cum intestinis, quæ sunt secretiora mysteria, vorandus, aviditate scilicet fidei & dilectionis assumendus. *Sacramentum Dei altissimi*, ait Mellifluus Doctor, *suscipiendum est non discutiendum, venerandum non dijudicandum, fide sortitum non innatum, traditione sancitum non adinventum.* Os non comminuitur in eo, fortitudo enim virtutis Christi per passionem non erat frangenda, sed caro tantùm ejus infirma. Jam qui comedit hunc Agnum in Eucharistia, habeat diffusam Dei gratiam in corde & in labijs suis, pro augmento gratiæ per bonam Sacramenti gratiam acquirendo. Sit renibus accinctus, *libidinem & delectationes carnis restringens*, interprete S. Gregorio Magno; sit calceatus, *exemplis Sanctorum munitus ad omnes lapides & spinas difficultatum & obstaculorum inoffenso pede superandos*, Sit tenens baculum, *quasi viator tendens ad cælum*, docente eodem D. Gregorio; *cùm Agnus Eucharisticus sit Phase, transitus à terra in cælum, est viaticum peregrinantium & morientium, est pharmacum immortalitatis, quia resuscitans in novissimo die.* Baculo quoque iter peragendum, quia bonis operibus & laboribus insistendum, ut in virtutibus fiat progressus. Deniq; comedendus festinanter, monente nos Apostolo: [*Heb.* 4.] Festinemus ergo ingredi in illam requiem, quia adesse festinant tempora; festinem⁹ cum Loth egredi ex hac Sodoma & Gomorrha mundi hujus, ut salvemur in monte (*Gen.* 19) superno; ex hoc exilio ad Patriam cælestem, ubi Agnum videbimus supra montem stantem, (*Ap.* 14.) & post hoc ejus viaticum, ad cænam nuptiarum ejus vocabimur, dono gratiæ diffusæ in labijs ejus, ad dexteram ipsius constituti, & in libro vitæ Agni inscripti canemus: Benedictum quod venit regnum Dei & Agni! Osanna in excelsis. (*Matht.* 21.)

Quomodo cum azymis panibus & lactucis agrestibus? *Quid caput? quid pedes? quid intestina?* S. Bernardus *Quomodo os nõ comminuitur?* *Comedenti Agnum Eucharisticum, quid faciendum?* *Quomodo renibus accinctus, calceatus, tenens baculum,* S. Gregorius *Quomodo comedendus festinanter?*

Sermo in Paschate.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

Commutatio Agni in leonem.

O Admiranda metamorphosis! ô desiderata transfiguratio! ô amplectenda & deprædicanda commutatio agni in leonem, occisi in resurgentem, mortui in redivivum PP. RR. FF. DD. Ecce vicit Leo de tribu Juda, (*Apoc.* 5.) cujus vexillum & insigne est Leo, radix David. (*Ib.*) Pugnavit Agnus, vicit Leo; occisus agnus, surrexit Leo; mortuus agnus, vivit Leo; de quo Jacob Patri-

archa

archa benedicens Judam prophetizavit (*Gen.* 49) Catulus Leonis Juda. Ad prædam fili mi ascendisti: Nonne Christus ex Juda prognatus ad prædam ascendit; cujus nomen est, Accelera spolia detrahere, festina prædari: (*Is.* 8) quando ascendens in crucem, principem mundi, tyrannū infernalem, rectorem tenebrarum devicit, universa arma illius, in quibus confidebat, abstulit, [*Luc.* 11] peccata pessundans ac mortem tollens; & spolia ejus distribuit, (*Ib.*) expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso, captivam ducens captivitatem, dona dans hominibus.(*Eph.* 4.) Præda diaboli fuit homo, hanc prædam ipsi ademit moriens in cruce Christus, factusq; & mors mortis & morsus inferni, (*Ose.* 13) animas è limbo inferni eripuit & eduxit. Requiescens accubuisti ut leo & quasi leæna, prosequitur Jacob Patriarcha. (*Gen.* 49.) Requievit à laboribus redemptionis humanæ Christus quando mortuus fuit quoad corpus; sed & tunc quoad animam fecit redemptionem sedentibus in tenebris & umbra mortis, & resurgens eandem continuavit per Ascensionem suam & Spiritûs Sancti missionem. Accubuit in sepulchro quasi leo & quasi leæna, quæ lactans catulos sævior & fortior dicitur esse leone; post occubitum enim mortis & accubitum in sepulchro virtus Domini leonina in Resurrectione cæpit, quando publicatus est Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio; Dominus virtutum, Rex gloriæ (*Ps.* 23.) declaratus: tunc leo vicit, tunc leænæ formam lactantis catulos præsetulit, quando Apostolos & discipulos suos parvulos adhuc in fide præsentiâ suâ roboravit, paceq; omnimodâ aluit & firmavit. Quis suscitabit eum? (*Gen.* 49.) quis amplius bello lacesset? Suscitavit ipse seipsum, resurgens à mortuis tanquam leo potentissimus. Hic ipse est radix David, (*Ap.* 5.) ramus & stirps ex prosapia Davidis, uti ipse se nominat: (*Ap.* 22.) Ego sum radix & genus David, propago ejus & filius. Utiq; ille est, de quo Isaias c. 11. Egredietur virga de radice Jesse Patris David, & flos de radice ejus ascendet. Et alibi: c. 53. Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti; radix planè germinans omnes homines, omnem in ijs gratiam, omnem gloriam generans, gratiam enim & gloriam dabit Dominus. [*Ps.* 83.] Ipse quà Deus, radix, id est Creator & Dominus Davidis, radix respectu eximiæ exaltationis, sanctificationis & glorificationis Davidicæ, licèt quoad humanitatem natus ex semine David secundùm carnem, filius sit Davidis. *Meritò David sancte*, ait S. Pater noster, *filium tuum vocas Dominum tuum, quia non tu radicem portas sed radix te.* Sed & David fuit instar leonis fortissimus, qui teste Siracide, (*Eccli.* 47.) cum leonibus lusit quasi agnis; & in ursis similiter fecit, sicut in agnis ovium in juventute sua. Nunquid non occidit Gigantem ipse puer? Jam leonem audimus qui agnus erat; ait namq; Joannes: (*Ap.* 5.) Et vidi, & ecce in medio throni Agnum stantem tanquam occisum. *Leonem Joannes audiverat*, inquit S. Pater noster, *& Agnum vidit. Agnus aperuit*

Quomodo Christus ad prædam ascendit?

Quomodo requievit?

Quomodo accubuit?

Christus radix David;

& Creator Davidis

S. Bernard.

Fortitudo David.

Idem.

librum, & apparuit leo. Dignus est non amittere mansvetudinem, sed accipere fortitudinem, ut & Agnus maneat, & leo sit. Agnus suis ovibus, leo hostibus etiam leonis speciem gerentibus. Divus verò Augu-
S. Augustin. stinus ait ad Dominum: *Quid dicis Domine bone Pastor? Tu enim bonus Pastor, qui bonus Agnus; idem Pastor & pascua, idem Agnus & leo.* Vidi, inquit S. Joannes *Ap.* 5. Agnum stantem non jacentem;
Cur Agnum stantem vidit Joannes? I stantem, quia Christus (ait glossa) resurrexit ad vitam immortalem.
II Stantem, *paratum* secundùm Richardum, *ad perficiendum opus re-*
III. *demptionis à se inchoatum*; *stantem ad opitulandum* juxta Hugonem, prout vidit Protomartyr dicens: Ecce video JESUM stantem ad dex-
IV teram Patris; (*Act.* 7.) *stantem coram throno Dei*, teste D. Augustino, *quia Advocatus noster est pro nobis interpellans*: stantem deniq;
V ad judicandum, quando veniet in nubibus cæli cum virtute multa & majestate. (*Matt.* 24.) Tanquam occisum asserit; verè quidem oc-
Cur tanquam occisum? I cisum in præterito, sed nunc vivum & viventem in sæcula. (*Ap.* 4) Mors etenim Christi, quæ nullam induxit corporis & membrorum dissolutionem, (non enim dedit Deus Sanctum suum videre corruptionem *Ps.* 15.) mortis imago potiùs & instar somni fuit, fuit quædam obdormitio propter celeritatem resurrectionis, juxta Psalmistam: (*Ps.* 3.) Ego dormivi & soporatus sum, & exurrexi; Chaldæus habet, me ipsum suscitavi; Syrus vertit, evigilare me feci: Sanctus Hieronymus, evigilavi. Idem declarat alter Psalmus dicens: (*Ps.* 40) Nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat? Dominus, qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit, (1. *Reg.* 2.) ait de se: (*Joan.* 10) ego pono animam meam, & iterum sumo eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Et potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Super quo S. Cyrillus Alexandrinus; *Ut homo ponit animam, ut Deus illam resumit.* Sed & Pater æternus soporavit Filium & suscitavit. Immisit utique soporem etiam in secundum Adam, ut ex illo fabricaret Eccle-
S. Augustin. siam. Ita D. Augustinus inquit: *Dormit Adam ut fiat Eva, moritur Christus ut fiat Ecclesia. Dormiente Adam fit Eva de latere, mortuo Christo lanceâ perforatur latus, ut supereffluant Sacramenta,*
II *quibus formetur Ecclesia.* Tanquam occisus ergo erat Agnus, juxta Græcum tanquam jugulatus & immolatus, & juxta Hebræum textum sacrificatus; quidni & ideo, quòd cicatrices vulnerum vestigia
III. occisionis suæ in sacratissimo corpore retinuerit? Sed & ideò tanquam occisus, quia in Eucharistia occisio & mors ejus repræsentatur, cùm ibidem sit vivus & integer, prout est sedens ad dexteram Patris. Jam igitur vidimus Agnum in Passione, agnoscimus Leonem in resurrectione, consideremus nunc potentiam Agni leoninam. Vidit S. Jo-
Potentia Agni leonina. Quid cornua Agni, quid oculi? annes *Ap.* 5. Agnum habentem cornua 7 & oculos 7. Cornua symbola sunt potentiæ, oculi providentiæ, quæ diadematis adinstar caput Agni coronant, & significant 7 Angelos, qui sunt 7 Spiritus missi in omnem terram. Uti & apud Zachariam dicitur: (c. 4.) Septem isti

oculi

oculi Domini, qui discurrunt in universam terram. Hi sunt Rectores mundi & primarij Ecclesiæ Præsides, per quos Christus Dominus leoninâ fortitudine & tuetur Ecclesiam, & hostes dæmones propulsat, & patrat miracula, justos conservat, impios castigat. Hi sunt cornua Agni, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, (*Matth.* 24.) quibus imperium exercet super universum orbem: sunt oculi Agni, quibus cuncta prævidet, provident & speculatur. Balaam robur Dei exprimens per fortitudinem Rhinocerotis, Israëli attribuit fortitudinem leoninam: (*Num.* 23) *Ecce populus ut leæna consurget, & quasi leo erigetur: non accubabit, donec devoret prædam, & occisorum sangvinem bibat:* quæ omnia resurgenti Domino Regi Israëlis attribui possunt, qui hostes calcavit in furore suo, & aspersus est sangvis eorum super vestimenta ejus. (*Is.* 63.) Hæc fecit agnus stans in cruce, & leo vincens in resurrectione. Abacuc vero inquit *c.* 3. cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus; Septuaginta hoc legunt sic: Cornua in manibus, & posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ; super quo D. Hieronymus: *Idcircò*, inquit, *Deus Pater operuit cælos gloriâ, & terram replevit laude; & cornua, id est regnum, posuit in manu Filij sui: ut faceret dilectum suum ab hominibus diligi, & diligi non leviter sed fortiter & vehementer.* Omninò fortis fuit sicut mors ejus in nos dilectio, dura sicut infernus æmulatio, (*Cant.* 8.) sive zelus amoris, quo nos planè deperibat, qui meritò reciprocum in nobis debet excitare amorem, quatenus dicamus cum Apostolo; (*Rom.* 8.) Quis nos separabit à charitate Christi? nec tribulatio, nec angustia, neq; mors, neq; instantia neq; futura, nec ulla creatura nos separare debet à charitate Dei, quæ est in Christo JESU. Et hoc debent operari cornua Crucis, quia ita dilexit nos, ut pro nobis in cruce moreretur Agnus innocens & immaculatus, & ut nos lavaret à peccatis nostris in sangvine suo. Ac ideò dignus est Agnus, qui occisus est, qui leo vicit, aperire librum mysteriorum Dei & Sacramentorum ejus, & solvere 7 signacula ejus. *Ap.* 5.) Audiamus interpretationem S. Gregorij Magni. *Signatum librum solus leo de tribu Juda aperuit, qui omnia ejus nobis mysteria in sua passione ac resurrectione patefecit. Et per hoc quod infirmitatis nostræ mala pertulit, suæ nobis potentiæ & claritatis bona monstravit. Caro enim factus est, ut nos spirituales faceret. Benignè inclinatus est ut levaret. Exiit ut introduceret. Visibilis apparuit ut invisibilia monstraret. Flagella pertulit ut sanaret. Opprobria & irrisiones sustinuit ut ab opprobrio æterno liberaret. Mortuus est ut vivificaret. Agamus ergo gratias vivificanti & mortuo.* Hæc D. Gregorius; juvat addere, Leoni & Agno. Hinc meritò novum canticum cantabant & 4 animalia & 24 Seniores, quia juxta Rupertum, *novum fuit filium Dei hominem fieri, & crucis mortem subire; novum fuit resurgere & in cælum ascendere, novum remitti peccata, & Spiritu S. visibiliter signari homines; novum accipere Sacerdotium sacræ observationis, &*

Balaam Israëli leoninam fortitudinem attribuit, & servit Christo Dõino.

Robusta dilectio fortitudinis in cornibus. S. Hieron.

Cornua crucis in nobis quid operari debent?

Libri & 7. signaculorũ ejus interpretatio. S. Greg. M.

Rupertus *Canticum novũ à 4 animalib9, & 24 Senioribus cantatum quale?*

regnum accipere immensæ repromissionis. Cantant igitur cadentes coram Agno Seniores cum citharis, phialis aureis, plenis odoramentorum: [*Ap.* 5.] Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus. Ecce victor Leo occisus Agnus jam Dominus vocatur, quia verè est Rex Regum & Dominus Dominantium. (*Ap.* 19.) Rationem dant, quia occisus es & redemisti nos: (*Apoc.* 5.) merito passionis & mortis tuæ dignitatem istam sortitus es, ut nobis reveles secretiora Divinitatis tuæ. Et fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. Ecclesia Christi est regnum sacerdotale, & regale sacerdotium 1 *Pet.* 2. JESU Christi; adeoq; omnes Christiani sancti, sunt Reges & Sacerdotes, ac necesse est, ut conscij sint futurorum Ecclesiæ mysteriorum. Et regnabimus super terram, (*Apoc.* 5.) concludunt cælestes novi cantici cantores. *Non in terra*, ait Rupertus, *quia Sancti conditione in terra sunt, sed vitâ & conversatione super terram & super terrena membra sua tenent principatum.* Hoc exprimit S. Augustinus: *Non caret* ait, *Regiâ potestate, qui corpori suo noverit rationabiliter imperare. Verè enim dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ.* Talem Agnum desiderabat Isaias c. 16. petens: Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Syon. Hujus Domini est regnum, & ipse dominatur gentium. *Ps.* 21) Hujus Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & qui habitant in eo. (*Ps.* 23.) Eapropter manifestat dicens: [*Matth.* 28.] Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra; ubi cornua suæ potentiæ exerit, & oculos suæ providentiæ dispergit. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, ait Salomon. (*Pr.* 30) Dominus noster tanquam leo fortissimus omnium, tanquam bellator fortis, (*Jer.* 20) Dominus fortis & potens in prælio, (*Ps.* 23.) generosissimus, bellicosissimus, victoriosissimus, ubiq; impavidus, hostibus incutiens pavorem. Leo enim rugiet, quis non timebit? (*Amos* 3.) Et sicut leo Rex est omnium animalium, ita Christus Domin⁹ Rex est cunctorum hominum & Angelorum. Quid quod & inimicus formam leonis gerit, jam insidians in abscondito quasi leo in spelunca sua, (*Ps.* 9.) jam ille ipse adversarius noster circumiens tanquam leo rugiens, quærens quem devoret, (1. *Pet.* 5.) velut leo rapiens & rugiens paratus ad prædam, à quo salvus fieri petit Propheta: (*Ps.* 7.) ne quando rapiat ut leo animam ejus; unde & orat: (*Ps.* 21.) Salva me ex ore leonis. Deo gratias, qui dedit nobis victoriam (1 *Cor.* 15) super hunc leonem per Dominum nostrum JESUM Christum Leonem fortiorem. Hinc quidem nominat illum Dominus fortem custodientem atrium suum, ipsemet autem fortior imò fortissimus superveniens vicit eum. (*Luc.* 11.) Vicit Agnus Leo de tribu Juda, (*Apoc.* 5.) illum de quo Job ait: *c.* 4. Tigris, juxta versionem LXX. mirmicoleon, id est formica leo perijt, eò quòd non haberet prædam, quia illam ipsi eripuit Agnus leo. Et catuli leonis dissipati sunt; (*Ib.*) imò uti antecedenter asserit, (*Job.* 4.) rugitus leonis & vox leænæ & dentes catulorum

Ratio hujus cantici. *Finis Cantici.* Rupertus. S. August. *Parallela Leonis & Christi.* *Diabolus etiam leo,* *ab Agno Leone victus.*

rum leonum contriti sunt; quia omnis satanæ potentia in nihilum redacta est per leonem nostrum. Diabolus autem dicitur formica leo, *Diabolus cur formica leo dicitur?* quia generosis contemptui est ut formica, ignavis verò terribilis est ut leo. Deinde dum tentat, parvæ formicæ formam gerit: sed admissâ tentatione intromissus in animam, crudelissimum agit leonem. Sed ubi gratia diffusa in labijs Leonis nostri? Jam novimus fortitudinem victoriosam; ubinam est dulcedo gratiosa? Agnus aperit signacula libri, Leo nobis ænigmata solvit. Samsoniani problematis recurrat nobis memoria dicentis: (*Jud.* 14.) De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo; de quo D. Augustinus: *Quid aliud significat quàm Christum à mortuis resurgentem? De edente utiq; id est de morte, quæ cuncta devorat atq; consumit, exivit cibus ille qui dixit:* (Joan. 6.) *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi, quem humana exacerbavit iniquitas, eiq; aceti & fellis amaritudinem propinavit, atq; ab eo plebs gentium vitæ dulcedinem conversa suscepit, ac sic de mortui leonis ore, id est Christi morte, qui accubans dormivit ut leo,* (Num. 24.) *apum id est Christianorum, processit examen.* Ita S. Augustinus. Ad rem nostram accommodatiùs S. Paulinus inquit: *Christus ipse nobis leo est, in cujus mortui ore cibum mellis invenimus. Quid enim dulcius Dei verbo? Et quid fortius Dei dexterâ? Aut in cujus mortui ore favus & apes, nisi in cujus verbo salutis nostræ bonum & congregatio gentium?* Ita planè quæ dulcior gratia diffundi potuit in labijs JESU, quàm cùm diceret Apostolis: (*Joan.* 20.) Pax vobis; accipite Spiritum Sanctum; pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. *Jo.* 14. Quid gratiosius pace Dei, quæ exuperat omnes sensus? (*Philip.* 4.) Quid desiderabilius Spiritu S. Dei, fonte omnis gratiæ & benedictionis? Eleganter Divus Paulinus alludens ad Samsonem, *quòd eo potissimùm tempore quo conjugium petebat, optatam potentis belluæ egerit cædem, quia videlicet non posset firmari conjugium, quod in Christo & Ecclesia partum est, nisi occiso leone de tribu Juda. Idem enim Dominus & leo ille, qui vicit, & catulus leonis est suâ sponte sopitus, & à semetipso resuscitatus, de quo scriptum est: Quis suscitabit eum? Voluntariè enim sacrificans pro nobis Patri hostiam sui corporis, idem summus & in æternum Sacerdos, animam suam [sicut ipse testatur] eadem resumpsit potestate, quâ posuit. Hic leonis catulus quia filius Dei, & idem leo quia æqualis Patri. Quare ut mihi videtur, huic aptius est Leoni: De edente exivit esca, & de potente dulcedo. A quo enim nisi à Salvatore nostro, cujus sermo vita est, & qui hanc nobis escam simul & ruminavit docens, & prompsit impertiens? Et si placet aliter, ut de edente esca sic exeat; quia hic leo de tribu Juda pro nobis victor ex ore nos adversi leonis eripiens, ideò venatur ut servet, capit ut absolvat, frangit ut solidet, mandit ut integret, hoc in nobis edens, quo corrumpimur.* Ubi præclarissimè idem Divus Paulinus concludit, & nos cum ipso: *Quamobrem optemus hujus leonis præda fieri, ne simus præda leonis inimici*

Margin notes: D. August. — *Dulcedo & fortitudo Agni Leonis varia* — I. — D. Paulinus — II. — III. — Idem — Idem — *Hujus leonis præda fieri debemus.*

inimici, efficiamur esca Dei, ne simus esca serpentis: edat nos Christus, ne voret diabolus. Edente enim Christo in nobis absumitur quo consumimur. Christus etenim vita est, & mortale hoc non poterimus deponere nisi absorbeamur, quia mortem nostram devorat Christus. Cibus verò Christi esse non possumus nisi faciamus voluntatem ejus, [Joan. 4.] *ut vicissim & ipse cibus nobis fiat, in quo semper vivimus, si ad ejus præcepta vivamus.* Audiamus nunc felicem commutationem nostram & gratiosam metamorphosim, quam nobis Agnus Leo adfert. *Sic ergo de potente*, ait idem Sanctus, *exivit dulce, cùm amaritudine malitiæ nostræ per ipsum in dulcedinem bonitatis commutatâ, dulcis à verbo ejus esca procedimus, qui nos edendo consumpsit peccato, reparavit ad vitam. Solus hic potens, dulciter potens, qui liberavit pauperem ab avaro potente, qui feritatem mei corporis per mysterium pietatis suæ in mortem sui corporis perimens, ibi cibum vitæ edit, ubi miseræ fames mortis arebat; qui mihi offensionem gratiâ, peccatum justitiâ, infirmitatem virtute, mortem vitâ, confusionem gloriâ, regno mutavit exilium. Qui audiebamus, terra es & in terram ibis, nunc jam audimus, conversatio nostra in cælis est.* Hæc præclarè S. Paulinus. Illuc nos deducat per gratiam labiorum suorum dicentium: venite benedicti, [*Matt.* 25.) vincens & triumphans in resurrectione hodiernâ Leo, rugiens autem in extremo judicio, ubi judicandi clamabũt ad terrorem vocis ejus, & dicent montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos: (*Luc.* 23) ut tunc auditui nostro det gaudium & lætitiam, & exultent ossa humiliata, (*Ps.* 50.) canamusque cum electis omnibus ad dexteram constitutis: (*Matt.* 25.) Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem pro infirmitate, Divinitatem pro humanitate mortuâ, sapientiam pro stultitia crucis, fortitudinem pro mansuetudine, honorem pro ignominiâ, gloriam (*Apoc.* 5.) pro contemptu, benedictionem pro maledictione. Quàm felix metamorphosis! quàm beata commutatio! quàm optata transfiguratio! Ergo sedenti in throno & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum. (*Apoc.* 5.) Dicamus omnes. Amen.

Cõmutatio nostra ex mediatione Agni Leonis.

S. Paulinus

Cõmutatio eorum quæ passus est Agnus in gloriosa.

Sermo in Inventione Sanctæ Crucis.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

CRux naturaliter est horrori, incutit timorem, causat fugam, parit mœstitiam, generat dolorem, aversionem infert, indignationem excitat, operatur cruciatum, haud dubiè ita à cruce dictum. Materialiter sumpta crux, est lignum vel patibulum, in quo aliquis suspenditur, de quo tria Sacræ Scripturæ loca in veteri invenio Testamento. In Genesi Patriarcha Joseph magistro pistorum ex somnio enarrato prædixit (*Gen.* 40) eum in cruce suspendendum, & volucres carnes ejus laceraturas: & suspensus est in cruce, inquit (*Gen.* 41.) Magister Pincernarum. In libro Josve Rex Hai ex mandato ipsius suspensus est in patibulo usque ad vesperam, quod crucem fuisse

Cruciatus à cruce dictus, quæ aliàs pro patibulo sumitur.

fuiſſe ſequens textus manifeſtat, qui ait c. 8 Præcepitq; Joſve, & depoſuerunt cadaver ejus de cruce. Fecit autem id Joſve juxta præceptum Dei in Deuteronomio, ubi dicitur: (*cap.* 21) Quando peccaverit homo, quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur. Redditur ratio; (*Ib.*) quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno. In Hebraico legitur: quia maledictio Dei eſt ſuſpenſus. Symmachus vertit, quia in blaſphemiam Dei eſt ſuſpenſus. Alius explicat; convitium Dei eſt ſuſpenſus. S. Hieronymus aſſerit, *quod dicebat Hebræus Barhonina nominatus, etiam ſic poſſe verti; Contumeliosè Deus ſuſpenſus eſt. Ebion Hæreſiarcha explicat*, ait idem Divus Hieronymus, *injuria ſive contumelia Dei eſt qui pendet.* Unde patet crucis ſupplicium fuiſſe execrabile & ſummè infame atq; ignominioſum tam apud Hebræos ex lege, quàm apud Romanos ex ductu naturali. Textum hunc allegat Doctor Gentium ad Galatas dicens, (*c.* 3) Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum, in Græco eſt maledictio vel execratio, quia ſcriptum eſt: (*Gal.* 3.) maledictus omnis qui pendet in ligno. Ubi notandum quòd omiſerit nomen Dei ſive à Deo propter Judæos & Galatas, à Chriſto ſemiaverſos, ne illos magis ab ipſo averteret, ſi audirent eum à Deo fuiſſe maledictum. Sicut igitur Chriſtus liber ab omni peccato, qui in ſe & ſua perſona erat benedictus veniens in nomine Domini, [*Mat.*21.) factus eſt peccatum, id eſt hoſtia pro peccato, cui manuum impoſitione omnia peccata imponebantur, (*Lev.*4.) ſic etiam hìc factus maledictum pro nobis, quaſi maledictus & execrabilis: *quia* juxta Rupertum *maledictiones humani generis Deus in Chriſtum tranſpoſuit, ut pro nobis infame & execrandum Crucis ſupplicium ſubiret, tum ad manifeſtandam deteſtabilis peccati enormitatem, tum ad patientiæ omniumq; virtutum exemplum, ut* dicente Sancto Auguſtino, *non ſolùm nullam mortèm, ſed etiam nullum mortis genus Chriſtiana libertas ſicut Judaica ſervitus formidaret. Ita injuria Domini*, teſte Divo Hieronymo, *noſtra eſt gloria Ille factus eſt ſtultitia, ut nos ſapientia fieremus. Ille pependit in ligno, ut peccatum quod commiſeramus in ligno ſcientiæ, ligno deleret appenſus. Ad poſtremum factus eſt ille maledictio, factus inquam non natus, ut benedictiones, quæ promiſſæ fuerant Abrahæ, ipſo authore & prævio trãsferrentur ad Gentes, & Spiritûs repromiſſio per fidem ipſius compleretur in nobis.* Ita Sanctus Hieronymus. Et hoc eſt quod ſequitur in Divo Paulo: (*Gal.*3.) ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret, cui Deus promiſit, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, quod eſt Chriſtus. Tertius veteris Teſtamenti locus de cruce eſt in libro Eſther, (*c.*8.) ubi Aman in cruce quam paravarat Mardochæo, per decretum Regis Aſſveri fuit ſuſpenſus, & poſtea filios ejus affixerunt cruci. (*Eſt.* 9.) Sed ecce quid fit? Hoc quod erat in veteri lege maledictio, in nova eſt benedictio. *Crux eſt omnium fons benedictionum* juxta Sanctum Leonem, *omnium eſt cauſa gratiarum.* Diffuſa eſt gratia in labijs

Appenſus in patibulo cur eadem die ſepultus in veteri Teſtamento?

S. Hieron.

Crucis ſupplicium execrabile Judæis & Romanis.

Chriſtus in cruce pro nobis cur factus maledictum? I

Rupertus

II

III

S. Auguſtin.

D. Hieron.

IV

V

Crux maledictio in veteri lege, in nova eſt benedictio.

S. Leo

Commutatio crucis ex malo in bonum.

Idem

Idem

bijs crucifixi, propterea benedixit illum Deus in æternum. *Execratio crucis versa est in adoptationem, abominatio in delectationem, mœror in gaudium, timor in spem, fuga in prosecutionem, dolor & cruciatus in summam consolationem*; deniq; ex mente prædicti S. Leonis Papæ, *per crucem credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Eapropter hodie solemniter Inventionem S. Crucis celebramus, & de ejus repertione agimus triumphum. Sed à quo primò inventa est crux in damnationem, quid putamus? Non ab alio quàm à Patre mendacij, pendente ex ligno scientiæ boni & mali; Deo detrahente fidem, honorem, & reputationem apud nostros Protoparentes in Paradiso, & dicentes: (*Gen.* 3.) nequaquam moriemini, eritis sicut Dij. Vnde crux peccati, diaboli, mortis & inferni suum habuit exortum. A quo rursùs inventa est crux in salvationem? Vtiq; facilè id resolvere possumus, nimirùm à Veritate pendente in ligno crucis esse repertam, restituente Deo fidem, honorem & reputationem. Vnde verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, ijs autem qui salvi fiunt, id est nobis virtus Dei est. (1. *Cor.* 1.) Ac rursùs; *ib.* Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atq; Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Ergo in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli, (1. *Joan.* 3.) peccatum per justitiam, incredulitatem per fidem, contemptum Dei per respectum debiti cultûs & honoris ac reputationis. Porrò crux spiritualiter sumpta habetur pro omni pœnitentia, mortificatione, afflictione, tentatione, tribulatione, cunctoque martyrio, & morte ipsâ, quam Christus Dominus invenit & adamavit ab æterno; & in tempore bajulavit factus obediens usque ad mortem crucis. (*Philip.* 2.) Hanc nobis omnibus ferendam præscribit dicens: (*Luc.* 9.) Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Et (*Matth.* 10.) qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Et (*Luc.* 14.) qui non bajulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Dicat igitur quisq; nostrûm cum Vase electionis Divinæ: (*Gal.* 6.) Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Tota vita Christi Domini crux fuit, ab ipso conceptionis momento incipiens, & in ipso crucis ligno finiens; quinimò semper fuit Agnus occisus per crucem ab origine mundi. Quam tamen crucem arbitramur fuisse ipsi inter omnes gravissimam? Non aliam reor, quàm proditionem Judæ Iscariotis. Quantumvis enim conqueratur Christus Dominus in Psalmo 40. de Judæis; Inimici mei dixerunt mala mihi, utiq; per detractionem, cõtumeliam, susurrationem. Detractio militat contra famam, & occultè; contumelia contra honorem, & palam; susurratio contra amicitiam; & sic detractio est denigratio famæ, contumelia est opprobrium honoris, susurratio est amicitiæ separatio. Omnia hæc consequenter

Crux in damnationem inventa à Patre mendacij,

in salvationem ab æterna Veritate.

Crux spiritualiter sumpta quid denotat?

Hæc omnibus ferenda.

Gravissima Christi crux proditio Judæ Iscariotis.

Detractio, contumelia, & susurratio quid sunt?

quenter innuuntur in singulari, quod in plurali per enallagen pluribus servit. Et si ingrediebatur ut videret, en curiositas inquirendi & sciendi facta vel verba aliena. Juxta S. Thomam, *hic fraus intelligitur: proponit*, inquit, *dolosum ingressum*, *fictum verbum*, *insidiosum animum*. Uana loquebatur, juxta Chaldaicum textum mendacium: & juxta Arabicum proferebat falsitatem. Cor ejus congregavit iniquitatem sibi, [*Ib.*] & hæc fuit malignitas. Ita Syrus vertit, in corde suo congerebat malum. Egrediebatur foras, en impudentia. Non erat satis in corde malitiam contrahere, non satis occultè detrahere, nisi etiam publicè mendacia sua impudenter venditaret. Et loquebatur in idipsum; id est, simul cum socijs suis cengregatis detrahebat. Tandem inquit: adversùm me susurrabant omnes inimici mei.

S. Thomas

S. Thomas docet, susurrationem sive murmurationem gravius esse peccatum detractione vel contumeliâ, quia amicitia est melior quolibet alio bono exteriori. Susurrare est submissâ voce loqui, lenem strepitum edere, quale est apum murmur. In Hebraico malignitas & vafrities susurratorum indicatur, ubi est, mussitabant sicut facere solent serpentum incantatores, qui carminibus submissâ voce immurmurantes sopiunt & sistunt serpentes, ut ijs ad libitum abutantur & occidant. Prosequitur ultra Psalmus 40. Adversùm me cogitabant mala mihi, en obstinatio in scelere; non desistebant à cogitando & coagitando, ac in animo versando, quomodo mihi nocerent. Tandem concludit: Verbum iniquum constituerunt adversùm me; in Hebræo est: verbum impium, injustum, diabolicum, Vnde S. Hieronymus vertit: *verbum diaboli infundebant sibi*; verbum Belial, id est sinè jugo, quod Septuaginta interpretati sunt: verbum quod legis jugum excutit, & hoc fuit deliberatio & statutũ de Christo occidendo. Hoc verbum ad effectum deduxerunt per conspirationem cum discipulo ejus Juda Iscariote. Hoc enim verbum uti diabolus miserat in cor Judæ ad Christum tradendum, ita misit in corda Judæorum ad Christum delendum & crucifigendum. Hæc omnia fuerunt crux Christi ingens & horrenda. Sed nullam magis Christus exaggerat; quàm Judæ proditionem. Sequitur enim: (*Ps.*40.) Homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, ampliavit adversùm me supplantationem. Notemus singula verba per quæ crimen Judæ exaggeratur & augetur. Homo pacis meæ, inquit; en hypocrisis, qui pacem & benevolentiam simulabat, quod patet, quando Christo dicenti, (*Mat.* 26.) unus vestrum me traditurus est, respondit per interrogationem: nunquid ego sum Rabbi? Acsi diceret: non sum tam perfidus & malignus, ut id faciam. quando te meum agnosco Magistrum. Ubi advertendum alios Apostolos quæsivisse: nunquid ego sum Domine? *Ib.* absolutè loquendo; ipse vero restrictè ad se Rabbi; quod est Domine mi, Magister mi, habetq; majorem benevolentiæ & amoris testificationem. Et sic etiam suam perfecit proditionem dicendo: (*Ib.*) Ave Rabbi. In quo speravi, subnectit Dominus. (*Ps.*40.) Sanctus Hieronymus

Susurratio gravior detractione vel contumeliâ.

Quid est susurrare?

Obstinatio

Conspiratio in mortem.

Judæ proditio omni cruce Christo gravior.

Judæ hypocrisis.

Perfidia,

nymus legit, *in quo habui fiduciam.* En perfidia Judæ post hypocrisim. Christus Dominus ipsi confidebat, & dum esset electus in Apostolatum, tunc etiam fuit justus & in gratia, neque enim Sapientia Incarnata aliquem improbum ad tantam dignitatem elegisse censenda est; & dum in æstimatione aliorum videntium ipsi pecuniam esse concreditam ad totum Collegium Apostolicum alendum, [cùm juxta D. Thomam habere loculos in communi non officiat perfectioni) Christum ipsi fidere judicaretur. Qui edebat panes meos, superadditur. (*Ps.* 40.) En ingratitudo. Quales panes edebat? Tres reperimus; panem communem & corporalem, panem doctrinæ spiritualem, & panem Eucharisticum supersubstantialem. Tandem concluditur, magnificavit super me supplantationem. (*Ps.* 40.) Sanctus Hieronymus vertit; *levavit contra me plantam*, alius legit: sublato pede velut calce petebat me. Pagninus, magnificavit adversùm me calcaneum; per quod magna calcitratio denotatur, sumpta vel à similitudine animalium Domino suo recalcitrantium, vel ab eo qui hostem pede proterit & & conculcat, vel à luctatoribus, qui pedem pedi adversarij implicant, ut eum deceptum prosternant; inde Syrus vertit, vehementer fraudavit me. S. Ambrosius in hac ampliatione & magnificatione supplantationis notat jactantiam & fraudem. *Ego vidi*, ait, *aliquem puer athletam, cùm elisisset adversarium, frontem ei percussisse calcaneo, quod signum fuit, quod insultaverit victo.* Hinc propter tam enormem, quam Christus Dominus à proprio suo discipulo passus est crucem, etiam integer Psalmus à Spiritu Sancto dictatus est contra Judam, qui est 108. Deus laudem meam ne tacueris; ubi Christus Dominus orat Patrem, ne laus ejus, id est bonum nomen & bona fama tot detractionibus & calumnijs obteratur. Quia os peccatoris & dolosi Judæ super me apertum est. Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, (*Ib.*) & Judas & Judæi, ego autem orabam: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. [*Luc.* 23.] Exinde possumus inferre omnes detractores & calumniatores esse similes Judæ. Primò quia sunt Christi & membrorum ejus proditores. Os peccatoris ait Psalmus 108. Audiamus Sanctum Patrem nostrum; *proditores fiunt quicunq; in hoc Domini castrum inimicos ejus introducere moliuntur.* Quinam sunt isti Sancte Antistes? *Quales utiq; sunt detractores*, ait, *Deo odibiles*, [Rō. 1.) *qui discordias seminant, nutriunt scandala inter Fratres.* Secundò, detractor & calumniator est alter Judas, quia osculo suum tradit amicum. Os dolosi super me apertum est. Ps. 108.] *Quòd si adulatur*, inquit idem S. Doctor noster, *si quasi consulentis animo venenum propinat fraternæ detractionis, & odium seminare conatur: à dextris est mihi iste*, [*Ps.* 108.) *sed Judas est, osculo me prodit.* Verùm in Sermone 24. in Cantica patheticè describit actionem detractoris. *Videas*, ait, *præmitti alta suspiria quædam cum gravitate & tarditate, vultum mœstum, demissis superciliis, & voce plangenti ejici maledictionem, & quidem tantò persuasibiliorem quando creditur ab his qui audiunt, corde*

Ingratitudo,

Supplantatio,

Calcitratio triplex, I. II. III

S. Ambros.

Psalmus 108 à Spiritu S. contra Judam dictatus.

Omnes detractores similes Judæ I.

S. Bernardus

II

Idem

Actio detractoris patheticè descripta.

corde invito & magìs condolentis affectu quàm malitiosè proferri. Doleo inquit *vehementer pro eo quod eum diligo satis, & nunquam potui de hac re corrigere illum.* Et alius: *mihi quidem*, ait, *benè compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta res est, veritatem negare non possum; dolens dico, revera ita est.* Et addidit; *Grande damnum. Nam aliàs quidem in pluribus valet, cæterùm in hac parte ut verùm fatear excusari minimè potest.* Ita Mellifluus Doctor noster. Sanctus Joannes Climacus primam asserit detractionis filiam hypocrisim, recensens totam hanc tartaream sobolem: *Plures illi puellæ sunt, hypocrisis, malitia, tristitia, acceptarum injuriarum recordatio, murmuratio cordis.* Detractor dolosus est instar venatoris laqueos suos occultantis: Narraverunt ut absconderent laqueos, dixerunt: quis videbit eos? (*Ps.* 63.) Est instar sagittarij in silva absconditi: Exacuerunt ut gladium lingvas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. (*Ib.*) De hoc conqueritur Jeremias: (*c.* 3.) Extenderunt lingvam suam quasi arcum mendacij & non veritatis. Est instar vulpis somnum fingentis, ut aves mordeat & devoret incautas. *Pessima vulpes*, ait S. Bernardus, *occultus detractor.* Est instar ursi insidiantis, dicente Jeremia: (*Thr.* 3.) Ursus insidians factus est mihi, blanditur ut devoret. Est instar serpentis venenum abscondentis: Furor illius secundùm similitudinem serpentis. (*Ps.* 57.) Acuerunt lingvas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labijs eorum. (*Ps.* 139.) Os dolosi super me apertum est, (*Ps.* 108.) id est, locutus est liberiùs, licentiosiùs, & prolixiùs, uti exaggerat Jeremias in Threnis *c.* 2. de Syone prostrata per Chaldæos. Aperuerunt super te os suum inimici tui, sibilaverunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt: devorabimus; en ista est dies quàm expectabamus, invenimus, vidimus. Aperuit noster detractor os suum, ut venenum suum diffundat, & ut devoret. Os illius est instar fontis venenati, ex quo rivi infecti promanant. Cujus maledictione os plenum est & amaritudine & dolo, sub lingva ejus labor & dolor. [*Ps.* 9.] Est adinstar ulceris purulenti hiantis, & pestem afflantis, unde sanies effluit abominanda. Est instar speluncæ mephitim exhalantis, ad quam aves cœli accedentes intereunt. Est postremò sepulchrum patens guttur eorum, *Ps.* 5.) in quo & vermes ob pruritum de rebus omnibus loquendi, & bufones ob abundantiam & malignitatem veneni, & serpentes ob pungendi subtilitatem inveniuntur. Si mordeat serpens in silentio, nihil eò minùs habet, qui occultè detrahit, ait Ecclesiastes. (*cap.* 10.) Et hæc est apertio oris quòad effusionem toxici. Quò ad devorationem verò, benè S. Hieronymus *rabidum os detractorum* nuncupat, *viperinos orbes, pumicatos dentes.* Doceat nos auriloquus Antistes quid vipera agat. *Vipera*, inquit, *conceptûs sui tempore intra os suum insertū caput conjugis refertur abscondere, ut per cruenta oscula non fœtum concipiat illa sed crimen. Synagogam fratres ejusq; filios tales fuisse demonstrant, ad quam Christus affectu conjugis cum*

Prima detractionis filia hypocrisis.
S. Climacus
Detractor est instar venatoris,
Sagittarij,
Vulpis,
Ursi insidiātis,
serpentis,
instar fontis venenati,
ulceris,
speluncæ,
& sepulcbri patentis.
Quomodo detractor ut serpens mordet, quomodo devorat.
D. Hieron.
S. Chyrsol.

venisset, dicente Joanne: qui sponsam habet, sponsus est, inter amplexus & osculamenta Judæ, Christi caput est expetitum & ore petitum, cùm dicitur: crucifige crucifige. Ita Sanctus Chrysologus Detractores sunt eò magis detestabiles, quòd sicut vipera scorpium sic ipsi se devorant. *Detractor devorans similis est leoni apertis faucibus in prædam involanti.* Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens & rugiens. (*Ps.21.*) Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva, ait Dominus apud Jeremiam. (*c.12*) Quidni similis illi bestiæ quam dilectus JESU discipulus vidit in Apocalypsi (*c.13.*) similem pardo, pedes ursi habentem atque os leonis, & virtutem ac potestatem sibi datam à dracone? Detractor est canis rabidus qui ore aperto huc illuc discurrens salivam diffundit venenatam, & morsu rabiem instillat. Detractores sunt instar locustarum armatarum, ab eodem Sancto Joanne (*Ap. 9.*) visarum ex inferno in medio fumo prodeuntium, solem & aërem obscurantium; caligo enim oritur à detractione, virosque virtute clarissimos, vel dignitate illustres, de quibus prohibitio Dei est: (*Ps.105.*) Nolite tangere Christos meos, id est unctos; obtenebrant, suntque similes equis paratis ad prælium (*Ap.9.*) per pravam concupiscentiam, & super capita earum tanquam coronæ similes auro *Ib.* per superbiam; & facies earum tanquam facies hominum *Ib.* per adulationem. Et habebant capillos sicut capillos mulierum, per mollitiem affectuum, & dentes earum sicut dentes leonum, per credulitatem, & habebant loricas sicut ferreas, per obstinationem, & vox alarum earum sicut vox curruum multorum currentium in bellum, per præcipitem levitatem, & habebant caudas similes scorpionum per proditionem, & aculei earum in caudis earum. Ultimariò habebant super se Regem Angelum abyssi, habentem nomen Exterminans, (*Ib.*) qui haud dubiè est diabolus detractoribus præsidens, imò stans à dextris ipsorum, ut mox dicetur. Detractor finaliter est mors & infernus ipsis flammis æternis ac sulphure exæstuans, dicente Ecclesiastico c. 28 de lingva nequam: Mors illius mors nequissima, & utilis potiùs infern' quàm illa. Et quis est, qui effugiet lingvam maledicam & detractoriam vel calumniosam? Venit Joannes neq; manducans neq; bibens, ait ipsa Veritas Christus, (*Luc. 7.*) & dicunt: dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: ecce homo vorax, potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. (*Ib.*) Eleganter Sidonius Apollinaris hoc deducit: *Quis, inquit, non exacerbescat cùm videat sordidari virtutum sinceritatem criminatione virtutum? Si eligimus Episcopum humilem, vocatur abjectus; si proferimus erectum, superbire censetur. Si minùs institutum, propter imperitiam creditur irridendus; si aliquatenùs doctum, propter scientiam clamatur inflatus. Si severum, tanquam crudelis horretur; si indulgentem, facilitate culpatur. Si simplicem, despicitur ut brutus; si acrem, vitatur ut calidus. Si diligentem, superstitiosus decernitur; si remissum, negligens judicatur. Si solertem cupidus, si quietum pronuntiatur ignavus. Si ab-*

Quomodo detractores similes sunt leoni?

bestiæ Apocalypticæ?

Cani rabido?

Locustis armatis.

Morti & inferno?

Lingvam detractoriam senssit Joannes abstinens,

& Christus manducans.

Sidonius Apollinaris

stemium

ſtemium producimus, avarus accipitur; ſi eum qui prandendo paſcat, edacitatis impetitur; ſi eum qui paſcendo jejunet, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condemnant, verecundiam pro ruſticitate faſtidiunt, rigidos ob auſteritatem non habent charos, blandi apud eos communione vileſcunt. Ac ſic apud eos utrolibet genere vivatur, ſemper hic tamen bonarum partium mores pungentibus lingvis maledicorum, veluti bicipitibus hamis inuncabuntur. Hæc præclarè Sidonius. Quæ tamen merces eſt detrahentium? Hanc fusè Pſalmus 108. explicat, ex quibus aliqua tangamus. Primam & primariam imprecatur recō-pensationem. Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris ejus. *Sicut in pace factus eſt locus Domini*, ait S. Pater noſter, *ſic in diſcordia locum fieri diabolo manifeſtum eſt. Detractio autem nunquam in pace quieſcit, ſed ſemper moratur in diſcordia, nova molitur diſturbia. Diabolus loco apud detractorem invento dominatur ei, & tanquam ſervi ſui aut mancipij os aperit.* Ita Origenes aſſeverat: *Vereor ne ſint aliqui*, ait, *quorum os diabolus aperit. Nam qui loquitur mendacium, certum eſt quòd diabolus aperiat os ejus, ut mendacium loqueretur. Qui falſum teſtimonium dicit, qui ſcurrilitates aut turpitudines & cætera hujusmodi de ore ſuo proferunt, diabolus aperuit os eorum. Vereor ne ſuſurronum & detractorum os diabolus aperiat.* Ita Origenes. Jam ore detractoris aperto diabolus lingvam occupat, ut eam inſtar equi ſeſſor improbus in omnem flectat partem. Mellifluus Doctor noſter aſſerit detractorem diabolum portare in lingva. Hâc occupatâ ad cor usque penetrat, & in illud diabolicas, ſuas nimirùm immittit affectiones. Equidem teſte S. Antiocho, *ſycophantarum & calumniatorum affectio gravis eſt & pervicax, aut ſi rectiùs loqui placet, diabolica.* Tandem totum corpus detractoris invadit & poſſidet, quod plurima docuêre exempla de S. Gregorio Thaumaturgo, de S. Vincentio Ferrerio, de S. Paphnutio furti inſimulato, & de S. Mauro Abbate, quorum detractores à diabolo obſeſſi fuêre. Hinc juſtè aureum Os concludit admonens. *Fugiamus dilecti fugiamus detractiones, docti quòd eſt totum diabolicum barathrum, inſidiarum ejus hæc inſeſſio.* Altera merces eſt, quòd cùm judicatur exeat condemnatus. Tertia, quòd oratio ejus fit in peccatum, eſt Deo execrabilis. Corpus enim Chriſti myſticum lacerat detractor, nec oratione poteſt caput placare, dum reliqua membra convellit & transfodit. Quarta, fiunt dies ejus pauci. Multi ceciderunt in ore gladij, ait Siracides, (*Eccli.* 28.) ſed non ſic quaſi qui intereunt per lingvam ſuam. Deniq; Epiſcopatum ejus accipiet alter. Hoc opus eorum, ait Regius Vates nomine Chriſti, (*Ps.* 108.) qui detrahunt mihi apud Dominum, id eſt in conſpectu Dei, qui omnia ſcit, videt, & audit. Vel poteſt intelligi, hæc merces eorum apud Dominum, videlicet à Domino, uti Hebræa ſonant; hæc eſt retributio his qui adverſantur mihi, à Domino, & qui loquuntur mala adversùs animam meam. Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione

I. retributio Detractorum.

S. Bernardus

Origenes

Detractor diabolum portat in lingva,

S. Antiochus

& poſt totum ejus corpus poſſidet

D. Chryſoſt.

II.

III.

IV.

V.

confusione suâ, (*ib.*) quia justo Dei judicio puniuntur, ut seipsos calumniatores & detractores confundant, seque invicem infames reddant, atq; calumnijs mutuis lacerent ac proscindant. Si invicem mordetis & comeditis, ait Apostolus, *Gal.* 5.) videte ne ab invicem cōsumamini. Ita proinde omnes imprecationes & maledictiones in Judam traditorem profusæ, serviunt omnibus detractoribus & calumniatoribus vices diaboli gerentibus, qui re & nomine est calumniator. Apud hos maxima crux invenitur. Pro coronide libeat inquirere, cur Dominus ab Apostolo & proprio domestico amico suo passus est proditionem? Crediderim ideò, quòd hæc injuria est longè acerbior quàm ab alieno & extraneo prodi. Deinde ut in omni statu securos nos esse non putemus. Si Angelus in cælo cecidit, Adam in paradiso, Judas in domo Christi, quis credet se fore securum? *Neq; enim* juxta D. Thomam, *status dignitas sanctificat hominem*; & dicente Sancto Hieronymo, *non statim qui eligitur tentari non potest nec perire, sed suo potest vitio corruere*; sicut in Saule accidit: sive hoc fiat *per propriam voluntatem* juxta Euthymium, sive *per negligentiam & pigritiam* ex sensu S. Chrysostomi. Tertiam rationem dat S. Augustin⁹: *ut discamus improbitatem ferre malorum, & cum illis vivere*; quasi diceret: Alter alterius onera portate. (*Gal.* 6.) Quartam innuit D. Hieronymus, *ut ostenderet domesticos ad nocendum esse efficaciores. Nulla enim*, ait, *pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus.* Inimici hominis domestici ejus, inquit ipsum Dei Verbum. (*Mat.* 10.) Vnde ab amicis & domesticis maximè cavendum. Demùm ne homo spem suam ponat in homine; maledictus homo, ait Jeremias c. 17. qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Sic igitur vidimus & perspeximus maximam crucem ipsum Filium Dei incarnatum reperisse in Juda proditore, quæ nobis quoque potest evenire. Hinc exemplo Christi diffusam gratiam in labijs nostris habeamus, & pro talibus detractoribus atque calumniatoribus Deum deprecemur. Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt, (*Luc.* 23.) & quid dicunt; Domine ne statuas illis hoc peccatum; (*Act.* 7.) ut tam ipsi per resipiscentiam, pœnitentiam, suique correctionem, quàm nos per patientiam, quæ unicum est crucis remedium, invenientes & sufferentes ejusmodi crucem, inveniamus gratiam in labijs Dei diffusam ad salutem æternam.

Cur Dominus ab Apostolo suo passus est proditionem? I.

II.

D. Thomas

S. Hieron.

III.

IV.

V.

Oratio pro detractoribus.

Sermo Extraordinarius de Charitate & Pace

Diffusa est gratia in labiis tuis. Ps. 44. *Gratia charitatis & pacis.*

DEUS charitas est, inquit corculum JESU Joannes; (*ep.* 1. *c.* 4.) est charitas formalis & increata, eaque & essentialis & notionalis est. Essentialis quia naturaliter à Divina essentia promanans, totique communis Sanctissimæ Trinitati, imò ipsa essentia Divina charitas est. Notionalis, quæ est Spiritus Sanctus, amor Patris & Filij, ab ipsis velut uno principio per actum amoris procedens, quo

Deus charitas est essentialis, & notionalis.

se

se invicem infinito amore complectuntur. Est autem charitas per essentiam, quia est per essentiam suam unicum purum, summum bonum, *cujus natura & esse est sui planè ac plenè communicativum ac diffusivum* teste Sancto Dionysio, quod proprium est charitatis. *Et licet possit dici; Deus est sapientia, Deus est potentia, Deus est justitia, melius tamen dicitur Deus charitas, quia hæc est dos nobilissima, & virtus excellentissima, omnes alias transcendens virtutes, imò & omnes in se complectens*, dicente Sancto Cyrillo, *charitatem omni virtute constare*; quod ipsum Vas electionis Divinæ testatur, asserens; (1.*Cor*.13.) quòd charitas patiens sit, benigna *sit, & reliqua*. Charitas est ordinis Divini, velut participatio Dei in summo gradu, non naturali, in quo cum omnes res naturales participant, sed in supernaturali, qui omnem creaturarum participationem superat & supergreditur. Jam charitas ex Deo est, (1.*Joan*.4.) velut ex fonte & origine causaliter producta; nostra videlicet creata charitas, quâ Deum & proximum diligimus. Hæc est donum Dei præstantissimum & supereminens universis, juxta illud Apostoli: (*Rom*.5.) Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui est ignis. Ita planè sicut ignis effundit lucem, diffundit calorem; etiam Deus noster ignis consumens est, (*Deut*.4.) illuminat & accendit. Illuminat gratiâ, quæ ipsa est mater charitatis diffusa in labijs (*Ps*.44.) Verbi Divini; accendit ipsâ charitate per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. (*Rom*.5.) Deinde charitas ex Deo est, (1.*Jo*.4.) quia ipse prior dilexit nos, (1.*Jo*.4.) & sic dilexit, ut filium suum unigenitum, (*Jo*.3.) viscera sua ex sinu suo daret, & Spiritum Sanctum suum realem amorem. Ex Deo est, (1.*Jo*.4.) quia per Deum sancita, & super omnia commendata; unde totus Decalogus nihil aliud est, nisi lex charitatis Dei & proximi. Hæc est sententia Doctoris Gentium: (*Rom*.13.) Omne mandatum, ait, in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut te ipsum; plenitudo ergo legis est dilectio. (*Ib*.) Denique charitas ex Deo est (1.*Jo*.4.) omni modo in omni genere causæ, materialis, quia ipse est objectum charitatis nostræ; formalis, velut exemplar & prototypon ejusdem; efficientis, quia ipsa est author & productor illius in nobis; finalis, quia ipse Deus Charitas, (*Ib*.) est & nostri & amoris nostri finis. *Deus* est charitas tum in abstracto tum in concreto, est & summa dilectio & summè diligens, ac ideo reciprocè summè diligendus & redamandus. Audiamus S. Augustinum. *Ut diligamus Deum, hortationem habemus. Quomodo possemus illum diligere, nisi prior ille diligeret? Si pigri eramus ad amandum, non simus pigri ad redamandum.* Audiamus & Divum Basilium quid inferat. *Quòdsi, ut Joannes ait, Deus charitas est, sinè dubio necesse est diabolum odium esse. Ut igitur qui charitatem habet, is Deum habet; sic qui odium habet, is diabolum in se nutrit.* Et iterum. *Si Deus est charitas, ipsa invidia dæmon sit oportet. Ut igitur qui charitatem habet, Deum in se manentem habet; sic qui invidiam fovet, dæmonem haud dubiè in seipso nutrit & alit.* Sed do-

S. Dionysius

S. Cyrillus

Charitas est ordinis Divini

Quomodo ex Deo est? I

II.

III.

IV.

Deus summa charitas, ideo summè diligendus.

D. August.

D. Basilius

Idem

Amor Dei & proximi quomodo cohæreāt?

ceat nos ulteriùs charitatem, maximus charitatis JESU Apoſtolus, quomodo amor Dei & proximi ſibi cohæreant & copulentur. Si quis dixent, (*ep.1.c.4.*) quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Dat rationem. (*Ib.*) Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere? *Ex his enim*, teſtimonio Sancti Gregorij, *quæ animus novit, ſurgit ad incognita quæ non novit, ut per hoc quod ſcit notum diligere, diſcat & incognita amare. Si frater eſt*, inquit Sanctus Auguſtinus, *& eum non diligis, quomodo Deum diligis, cujus mandatum contemnis? Nam & hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum* (Ib.) Terribile eſt quod aſſerit idem dilectus JESU diſcipulus. *ep.1.c.3.*) Qui non diligit, manet in morte; omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt; (*Ib.*] ſocius illius qui homicida fuit ab initio (*Ioan.* 8) ex odio erga Deum, & ex invidia erga hominem. In hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij diaboli, inquit idem Agapigraphus. *ep. 1. c. 3*) Super quo Sanctus Auguſtinus, *Non diſcernuntur filij Dei & filij diaboli niſi in charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt ex Deo, qui non habent, non ſunt nati ex Deo.* Ergo ex diabolo generati. Motivum inter alia ad amorem mutuum debet eſſe ipſum Chriſti Domini ſummi Legiſlatoris noſtri mandatum: Hoc eſt præceptum meum inquit, (*Joa.13.*] ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem. (*Joan.13.*) *Hæc eſt annuntiatio*, in græco Angelia quaſi evangelizatio, vel ſumma totius Evangelij, vel vita Angelorum, qui ſe invicem maximè diligunt; *quam audiſtis ab initio, ut diligatis alterutrum* (*1.Jo.3.*) Ergo ubi non eſt dilectio mutua, eſt diabolia ſive vita diabolica. Quis autem eſt præter plurimos alios effectus charitatis primarius? Non alius equidem, niſi Pax, *quæ* ſecundùm Divum Thomam, *non modò alienarum cum proprijs, ſed etiam propriarum inter ſe appetitionum congruentiam complectitur & unionem; differtq; à concordia, quòd hæc propriè ſumpta ſit ad alterum, in quantum diverſorum cordium voluntas ſimul in unum conveniunt conſenſum: & inde ex hac parte pax concordiam in ſe includit. Quin etiam ideo differt; quod poſſit dari concordia aliquorum in malo: non autem eſt pax impijs, Deo dicente apud Iſaiam.* (c.48.) *Et ſanè ſine gratia gratum faciente quæ eſt fons charitatis, non poteſt eſſe vera pax, ſed tantùm apparens. Ac licet dicatur apud eundem Iſaiam*: (c 32.) & *erit opus juſtitiæ pax, hoc intelligitur indirectè, in quantum ſcilicet removet prohibens, ſed directè pax eſt opus charitatis, quod ſecundùm propriam rationem à charitate cauſatur. Amor enim eſt vis unitiva* ſecundùm Divum Dionyſium, *pax autem eſt unio appetitivarum inclinationum.* Adnecto hic argumentum ex Divo Thoma, quod quis in contrarium opponere poteſt: *Illud non eſſe effectum charitatis, cujus contrarium cum charitate eſſe poteſt: ſed diſſenſio quæ contrariatur paci poteſt eſſe cum charitate, uti patet in Divo Paulo & Barnaba, qui*

ita

Marginal notes: S. Gregori9 (beside "his enim, teſtimonio Sancti Gregorij"); S. Auguſt. (beside "Si frater eſt"); *Qui non diligit, manet in morte;* (beside "diſcipulus... Qui non diligit"); Idem (beside "Super quo Sanctus Auguſtinus"); *Motivum ad amorem mutuum.* (beside "Motivum inter alia"); *Pax effectus charitatis primarius.* and D. Thomas (beside "Quis autem eſt præter plurimos"); Idem (beside "Adnecto hic argumentum ex Divo Thoma").

ita dissentiebant ut separarentur, nec minùs in Sancto Hieronymo & Augustino, qui in aliquibus opinionibus fuerunt dissentientes. Ergo. Ad quod respondetur juxta Philosophum, *ad amicitiam non pertinere concordiam in opinionibus, sed in bonis conferentibus ad vitam & præcipuè in magnis, quia dissentire in aliquibus parvis,* addit Divus Thomas, *quasi videtur non esse dissensus. Eapropter nihil prohibet aliquos charitatem habentes in opinionibus dissentire. Nec hoc repugnat paci, quia opiniones pertinent ad intellectum qui præcedit appetitum, quem pax unit. Similiter etiam existente concordiâ in principalibus bonis, dissensio in aliquibus parvis non est contra charitatem. Procedit enim talis dissensio ex diversitate opinionum, dum unus æstimat hoc, de quo est dissensio, pertinere ad illud bonum, in quo conveniunt, & alius æstimat non pertinere. Et secundùm hoc talis dissensio de minimis & de opinionibus repugnat quidem paci perfectæ, in qua plenè veritas cognoscetur, & omnis appetitus complebitur, non tamen repugnat paci imperfectæ, qualis habetur in via.* Ita Divus Thomas. Jam quis est qui non exoptet pacem? *Omnia pacem appetunt,* asserit Divus Augustinus. *Cùm enim pax in tranquillitate ordinis consistat* teste Angelico Doctore, *omnia pacem appetere necesse est, quatenùs tranquillè & absq; impedimento ad id quod appetunt desiderant pervenire.* Sed quotusquisque est, qui veram assequitur pacem? Habemus Imperium Domini quo mandat: (*Mar.* 9.) Pacem habete inter vos. Idipsum præcipit Apostolus: (2. *Cor.* 13.) Idem sapite, pacem habete, & *D*eus pacis & dilectionis erit vobiscum. Duplex autem pax in Apostolo innuitur juxta duplicem charitatem. Semel enim ait, (*Rom.* 5.) pacem habeamus ad *D*eum; & iterum, (*Rom.* 12.) cum omnibus hominibus pacem habentes. Pax cum Deo fit per gratiam, pax cum proximo per amicitiam. Pacem hanc utramq; sectari tenemur. Sunt qui conqueruntur cum Propheta: (*Jer.* 14.) Expectavimus pacem & non venit, quæsivimus bona & ecce turbatio. Alibi, [*Isa.* 33.] Angeli pacis amarè flebant. Quare? Quia dicebant: (*Jer.* 6) Pax, & non erat pax. Quis ergo est verus modus pacis acquirendæ? Apud Zachariam Prophetam dicit *D*ominus: (*c.* 8.] veritatem tantùm & pacem diligite. Ergò veritas & pax simul currunt. Ubi veritas ibi adest pax; ubi mendacium ibi abest pax. Rex vatum ait, [*Ps.* 84.] quòd justitia & pax osculatæ sunt. Ergo ubi justitia ibi pax, imò uti dixi ex Isaia, *c.* 32 opus justitiæ est pax: ubi injustitia, ibi pax non reperitur. Apostolus imperat Ephesijs, (*c.* 4.) ut sint solliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Ergo ubi unitas Spiritûs, ubi unio in vita spirituali, ubi spiritu vivitur, ubi spiritu facta carnis mortificantur, (*Rom.* 8.) ibi est vinculum pacis. Ita omninò. Non est pax universæ carni dicit Dominus apud Jeremiam. (*c.* 12.) Pax carnalis & pax mundana veræ Divinæ paci repugnat. Multi videntur habere pacem & prosperitatem exteriùs, cùm interiùs pleni sint turbulentijs propter diversas affectiones. Pulchrè quidam Benedictinus author illas enumerat: *Pugnant*

Idem

Pax in quo cō-sistit?

Qualis ad Deum, qualis ad homines habēda?

Modus acquirendæ pacis per veritatem.

Pax carnalis repugnat paci Divinæ.

Simulatæ pacis descriptio.

inter se variæ affectûs & appetitûs inclinationes, quia interdum prodigalitas vult expendere ut honoretur, parcitas vult tenere ut ditetur, luxuria vult quiescere ut delectetur, avaritia vult laborare ut satietur; negligentia vult dormire ne fatigetur, iracundia vult vigilare ut vindicetur; superbia vult ascendere ut dominetur; invidia vult descendere ut contristetur; gastrimargia sive gula vult devorare ut repleatur; hypocrisis vult jejunare ne contemnatur. Ita ille. Quantæ hic dissensiones ac differentiæ? quanti rumores & turbulentiæ? Quare? quia hic regnat impietas, non est autem pax impijs. (*Isa.*57.) Utique impij sicut mare fervens, quod quiescere non valet. [*Ib.*) Impij sunt sicut vir peccatorum, qui turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. [*Eccli.*29.) Verè tales viam pacis non cognoverunt. (*Ps.*13.] Quare? Quia non est timor Dei ante oculos eorum. (*Ps.*35.) Ergo ubi timor Dei, ibi via pacis. Tria hæc, veritatem, justitiam, & timorem jungit Deus apud Malachiam loquens (*c.*2.) de Levi. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labijs ejus. In pace & æquitate ambulavit mecum ait Deus, [*Mal.*2.) & multos avertit ab iniquitate.

Cur non est impijs pax?

Via ad acquirendam veram pacem,

Sed quid moramur? Doceat nos Regius Propheta inquirens: [*Ps.* 33.) Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? En via ad hoc recta, Prohibe lingvam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Susurro & bilingvis maledictus, ait Ecclesiasticus, c. 28 multos enim turbavit pacem habentes. Vnde rectè Deus apud Isaiam ait: (c. 57.) Creavi fructum labiorum pacem. Diverte à malo & fac bonum. (*Ps.* 33.) Verè in his vita & dies boni, quia in his perfectio omnis justitiæ Christianæ. His præhabitis inquire pacem & persequere eam. En pax in recta locutione & bona operatione. Sed hoc clariùs explicat dicens: (*Ps.*118.) Pax non simplex sed multa diligentib⁹ legem tuam, & non est illis scandalum. Vis habere multam pacem?

per adimpletionem legis Divinæ, & Regulæ sanctæ obeditionem.

Dilige legem Dei, serva præceptum ejus, observa Regulam quam vovisti, custodi mandata ejus, tene fortiter disciplinam Regularem, rigorem ejus non relaxa, apprehendere enim jubet Deus disciplinam, (*Ps.* 2.) & mandavit mandata sua custodiri nimis. (*Ps.*118.) Obedi ijs de quibus Deus dixit: (*Luc.* 10.) Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit; qui invigilant tanquam rationem reddituri animæ tuæ, [*Heb.* 13.] & non erit tibi scandalum, sed erit pax multa. (*Ps.* 118.) Quis est qui vobis noceat, inquit Caput Apostolorum, [1. *Pet.* 3.] si boni æmulatores fueritis; quod de studio charitatis explicat S. Pater noster, & S. Augustinus legit: *si boni amatores fueritis.* Ita omnino, siquis diligit me, sermonem meum servabit. (*Joan.* 14.) Opus

Opus dilectionis quale?

dilectionis est exhibitio operis, est mandatorum Dei exacta cultura; voluntatis Divinæ, quæ posuit homines super capita nostra, (*Ps.*65.) executio. Qui custodit legem, beatus est, juxta Salomonem, [*Prov.* 29.] & custoditio legum consummatio incorruptionis est. [*Sap.*6.]

Hinc

Hinc Deus dicit apud Iſaiam: *c. 48.* Utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris. Verùm ſatis nobis manifeſtat ipſa Veritas æterna, quomodo pax eſt conſequenda. Habere ergo in vobis ſal, inquit apud Sanctum Marcum, *c. 9.* & pacem habete inter vos. Sal eſt ſapientia vitæ Chriſtianæ, quæ eſt humilitas, obedientia, patientia, mundi contemptus, carnis mortificatio, & quod ſummum, charitas, quæ omnia in exemplari noſtro Chriſto reperimus, & inde ſequetur pax. Paulò aliter Scholiaſtes apud Sanctum Hieronymum loquitur, non minùs tamen ad rem noſtram: *Sal correctionis amor proximi temperet, & dilectionem ſal juſtitiæ conſervet. Et pacem habete inter vos,* [*Mar. 9.*] *quaſi dicat; Qui ſapienter loquitur, magnopere metuat, ne eloquio ejus unitas rumpatur:* videlicet ſal diſcretionis ad hoc requiritur. Venerabilis Beda aſſeverat; *habere ſal ſinè pace non virtutis eſt donum, ſed damnationis argumentum.* Quò enim plus quiſq; ſapit, nimirum quàm oportet non ad ſobrietatem, eò deterius delinquit. *Sunt enim multi* ait Gloſſa, *quos dum major ſcientia erigit, ab aliorum ſocietate disjungit; & quo plus ſapiunt, eò plus in concordiæ virtute deſipiunt.* Audiamus D. Gregorium: *Per ſal ſapientia deſignatur. Qui igitur loqui ſapienter nititur, magnopere metuat, ne ejus eloquio audientium unitas confundatur.* Loquamur igitur ſapientiam quæ Dei eſt; imò ſequamur ipſam & imitemur. Quid enim? Nonne ipſe Deus pax eſt, qui eſt & charitas? (*1. Joan. 4.*) Nonne Sapientia Dei eſt pax, quæ fecit utraq; unum? [*Eph. 2.*) Nomen ejus vocabitur Princeps pacis, ait Iſaias c. 9. Nonne veniens evangelizavit pacem his qui longè fuerunt, & pacem his qui propè? [*Eph. 2.*] Sic enim prædictum de eo eſt apud Zachariam: c. 9. Loquetur pacem Gentibus; & hi ſunt qui longè fuerunt. Et apud Regem Pſaltem: (*Ps. 84.*) Loquetur pacem in plebem ſuam; & hi ſunt qui propè fuerunt. Naſcitur, & quia infans, Angelis utitur ad pacem publicandam. Pax inquiunt hominibus bonæ voluntatis. (*Luc. 2.*) Sanctus Auguſtinus ait: *Quid aliud eſt charitas quàm bona voluntas?* Ergo & è converſo bona voluntas eſt charitas. Prædicat, idque efficaciter: (*Joan. 14.*) Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis etiam per teſtamentum. Sed qualem? Non quomodo mundus dat ego do vobis. (*Ib.*) Id eſt, mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant. (*Ps 34.*) Hæc eſt pax falſa mundi, quam exercuit ille homo pacis magnificans ſupplantationem. (*Ps. 40.*) Non illam, quæ ipſum afflixit, de qua Iſaias: c. 53. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum. Non illam quam habuit Jeruſalem, & quidem nunc, quæ ad pacem tibi, ait ipſa Veritas. (*Luc. 19.*) Hæc eſt pax peccatorum. In tali pace eſt amaritudo amariſſima. (*Is. 38.*) Sed quomodo Deus dat pacem? Dat veram, ſtabilem, cæleſtem, Divinam. Talem annuntiare Prædicatoribus imperat: (*Luc. 10.*) In quamcunq; domum intraveritis, primùm dicite: pax huic domui. Reſurgens venit in domum Eccle-

Quale ſal habendum in nobis?

S. Hieron.

V. Beda

Gloſſa

D. Gregor.

Nomen Chriſti, Princeps Pacis,

Hanc Gentibus longè, Judæis propè locutus eſt naſcens,

Prædicans,

Pax mundi qualis?

Pax Chriſti qualis? Reſurgens,

siæ suæ tunc in Apostolis constitutæ; facit hoc, & primam adfert salutationem: Pax vobis. (*Luc.* 24) Super quo glossa; qui pacem dedit, uno verbo omnia dedit. Quidquid igitur erat à Principe pacis, nihil

Princeps pacis Ecclesiam militantem & Triumphantē in pace fundavit.

nisi pacem spirabat, quia factus est in pace locus ejus. (*Ps.* 75.) Ecclesiam suam militantem posuit in pulchritudine pacis & requie opulenta; (*Is.* 52) & sicut orta est in diebus ejus justitia & abundantia pacis, (*Ps.* 71.) ita finaliter asserit in cælis de triumphante Ecclesia: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis; (*Is.* 66) fines enim utriusq; posuit pacem, [*Ps.* 147.] siquidem revera bonum pacis est

S. Chrysost.

super omnia bona. *Sicut cælum splendor solis*, inquit aureum Os, *ita*

S. Chrysol.

Ecclesiam fulgor pacis illuminat. Et aureus Sermo: *Pax* ait, *est alu-*

Quid est pax? I.

mna fidei, columna justitiæ, firmæ spei pignus idoneum. Illa est, quæ fœcundis charitatis nutritur uberibus, quæ terrena cælestibus, & Di-

D. August. II.

vinis humana conciliat. Dic nobis Sol Doctorum, quid est pax? *Est serenitas mentis*, respondet, *tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis.* Quid facit illa? *Hæc simulatio-*

Effectus illius:

nes tollit, iras comprimit, bella compescit, superbos calcat, humiles ar-

S. Climacus III.

mat, discordes sedat, inimicos concordat. Dic & tu Sancte Climace: *Est*, inquit, *palatium supremi Regis, ac corporis quasi mortalis quædam immortalitas. Firmamentum quidem pro ornatu habet stellas; ego autem*, dicit ille, *apathian sive tranquillitatem animi nihil aliud esse existimo*, (& hæc est vera interna pax) *quàm mentis in corde cælum, quod omnes improbas dæmonum artes deinceps pro ludo & ludibrio habet.* Jure ergo cum D. Chrysologo exclamandum: *O quàm desiderabile nomen pacis! quàm Religionis Christianæ stabile fundamentum, & altaris Dominici cælestis ornatus!* Et quid dignum de pace possumus proloqui? Pax nomen est ipsius Christi. sicut & Apostolus dicit, (*Eph.* 2.) quia Christus est pax nostra, qui facit utraque unum.

Quibus medijs Christus pacē attulit in terras?

Quæramus ultimò, quibus medijs attulit Christus Dominus pacem in terras? Et quidem præambula monstrat Regius Propheta inquiens: [*Ps.* 84] Misericordia & veritas obviaverunt sibi. Veritas urgebat punitionem hominis peccatoris, misericordia implorabat miseri liberationem. Illa habebat zelum judicij, hæc zelum pietatis: illa pœnam postulabat, hæc veniam precabatur. Tandem accessit justitia idipsum exaggerans & deposcens. Non erat modus has virtutes coadunandi, si pax non accessisset, & medium reperisset. *Legit ergo verba Judicis inclinantis se, & digito scribentis in terra*, dicente S. Patre nostro Ber-

S. Bernardo

nardo. *Hæc dicit, perij si Adam non moriatur: hæc dicit, perij nisi misericordiam consequatur. Fiat mors bona, & habet utraq; quod petit.* Sed quis est hic & laudabimus eum, (*Eccli.* 31.) qui mortem amarissimam, crudelissimam, omnium terribilissimam assumat pro salute aliorum? Et tamen doctrina est Evangelica, doctrina Apostolica: [1. *Joan.* 3.] In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas

Mors peccatorum,

ponere. Mors porrò est differens, & quidem mors peccatorum pes-

sima

sima, (*Ps.* 33.) pretiosa autem est mors Sanctorum. (*Ps.* 115.) En perfectio charitatis, en consummatio pacis. Sed ad hoc verè non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. (*Ps.* 13) Agnovit hoc Pontifex, (licèt ob necem Christi scelestus, tamen propter Sacerdotij dignitatem verificus Propheta) Expedit ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat. (*Joan.* 18.) *Ergo qui consilium dedit, ferat auxilium*, decernit pax dicente Mellifluo Patre. Hinc intulit magni consilij Angelus: (*Gen.* 6.) Pœnitet me fecisse hominem, pœna me tenet; & tunc dixit: (*Ps.* 39) ecce venio; non potest hic calix transire nisi bibam illum. (*Matth.* 20.) Humiliavit semetipsum & exinanivit, formam servi, qui erat Dominus, suscipiens, factus obediens usque ad mortem, ipsamq; mortem crucis. (*Philip.* 2.) Tunc justitia & pax osculatæ sunt (*Ps.* 84.) se invicem, & justitiæ Divinæ satisfactum, & pax omnium subsecuta. Propter tantum bonum pacis universæ immolavit semetipsum Dominus Majestatis, quid non faciat vermiculus vilitatis? *Intolerabilis impudentiæ est*, ait Doctor noster egregius, *ut ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus infletur & intumescat.* Apostolorum maximus, qui se minimum vocat, 1. *Cor.* 15] anathema optabat esse à Christo pro fratribus suis; (*Rom.* 9.) Super quo Origenes: *Et quid mirum, si cùm Dominus pro servis maledictum sit factus, servus pro fratribus anathema fiat?* Reverà servi sumus nos omnes Superiores, in quo nobis ipse Vicarius Christi prælucet, nominans se Servum servorum Dei. Utique & nos non venimus cum Christo ministrari sed ministrare. (*Matth.* 20.) Quanta autem hìc charitas fuit Apostoli! quantus zelus pro animabus, quis exprimat? Simile quid egit Moyses *Ex.* 32) deprecans Deum pro populo: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Sanctus Paulus à Christo, Moyses à Deo paratus erat separari propter salutem fratrum & populorum. Nec absimilis fuit resolutio Jonæ: c. 1. (licèt intentio fuerit pereundi, ne prophetaret Ninivitis) Si propter me tempestas hæc est exorta, mittite me in mare. Verè in ejusmodi labijs diffusa est gratia pacis, gratia charitatis. Hi sunt actus Heroici, hæ operationes sunt violentorum, regnum cælorum vim patiens rapientium. Et sanè est sententia Theologorum, licere optare etiam æternam damnationem pro salute multorum. Hoc enim majus est Dei bonum & gloria, quàm sit mea unius beatitudo. Quinimò tale votum, (quod etiam fecisse dicitur Sanct⁹ Ignatius Soc. JESU Fundator) non minuit sed auget charitatem, majoremq; ejus perfectionem, ad quod magis inclinat charitas, quàm ad propriam gloriam & beatitudinem; præsertim quia scit Deum liberalissimum, animo tam liberali & heroico, qui sua commoda & suam beatitudinem Divinæ gloriæ & fratrum saluti posthabet & postponit; liberalissimè quoq; charitatis gratiarum & aliorum donorum cumulos ac incrementa repensurum, nec passurum ut liberalitate suæ creaturæ ullatenus vincatur. Sit igitur in nobis tam excelsa charitas, ut unus pro alio

& Sanctorum qualis?

Propter bonum pacis Dominus majestatis immolari voluit, S. Bernard⁹

Apostolus anathema fieri optat,

Moyses de libro Dei deleri eligit,

Jonas in mare projicitur,

An liceat optare sibi æternã damnationem pro salute multorum?

Qualis charitas in nobis esse debet?

animam suam ponat, non detrectet humiliari, postponi, fieri anathema exemplo Christi, exemplo Pauli, exemplo Moysis, pro salute aliorum & pro bono pacis; ut fiat pax in virtute *Ps.121.* ista, virtute scilicet humilitatis & charitatis. Deniq; omnia sint in charitate, quæ De⁹ est; [*1.Joan.4.*) in pace quæ Dominus est; non in odio quod diabolus est, non in dissensione ac invidia quæ dæmon est. Faciamus faciœnda, servemus mandata Dei, non tantùm quæ in Sacra Scriptura

Exhortatio ad Regularem observantiam.

sunt, sed & quæ nobis Regula Sancta præscribit, quæ voluntas Superiorum ordinat, quæ perfecta obedientia exquirit. Quisque in suo se contineat officio, relinquatur cura Superioribus curandi inferiores. Præpositi exhibeant subditis amorem; subditi præpositis respectum, reverentiam, & obedientiam, neque se ingerant in ea quæ ad ipsos non spectant; sui ipsorum curam gerant; sibi attendant, & sic quisque pacem habebit, & per pacem temporalem ibit ad æternam. Uti pulchrè Richardus à Sancto Victore contemplans illud dictum Dei Abrahamo factum. (*Gen* 15) Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, sic

Richardus à S. Victore

loquitur: *Ad pacem properabat, qui ad pacem iturus erat. Ibat per pacem ad pacem, per pacem internam ad pacem externam; per pacem illam quæ mutuò sibi conciliat omnem sensum, ad pacem quæ exuperat omnem sensum* [*Philip* 4.] Et hæc utinam custodiat corda nostra, conscientias & intelligentias nostras, (*Ib.*) ut simus inter beatos pacificos, & filij Dei vocemur (*Matth.5.*) in Christo JESU Domino nostro. Sanctus Antonius Magnus vel exinde magnus quia parvus fuit in oculis

Exhortatio ad humilitatem

suis, viderat totum orbem retibus implexum, laqueis implicatum, pedicis & foveis repletum; unde exhorrescens exclamavit ad Deum: quis superabit hæc? Et audivit vocem de cœlo dicentem sibi. Humilitas. Reverà hæc unica est victrix, hæc triumphatrix omnium insidiarum diaboli, qui est Rex super omnes filios superbiæ. N. quia hanc viam est ingressus, potest infallibiliter sperare eventum, quem veritas promisit incarnata: (*Luc.*14.) qui se humiliat exaltabitur. In-

Exhortatio ad observantiam Vocationis, & æstimationem prædicationis verbi Divini.

terea vos PP. ac FF. Dilectissimi iterum iterumque exhortor in Domino. Videte & considerate Vocationem vestram, (*1.Cor.1.*) & ita agite, ne excidatis illâ. Nolite verbum hoc quod diffunditur per gratiam Dei ex labijs meis, vilipendere; facite ut non revertatur vacuum, & gratia Dei non sit in vobis vacua. (*1. Cor.15.*) Non cadat semen hoc Verbi Divini super corda vestra, vel secus viam, vel supra petram, vel inter spinas (*Luc.8.*) inutiles sollicitudinis vestræ non necessariæ.

Verbum Dei quomodo in cor recipiendum?

S. Bernard.

Putatis Fratres, utar verbis Beatissimi Patris Nostri, *parùm mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum quod loquor ad vos continuatis tot annis vacuum & sine utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego? Aut quis est hic sermo meus? Si homo tantillum vocis laborem inutilem esse doleret, homo pusillus imò & nihili, quàm justius indignabitur Dominus Majestatis, si tantam ejus operam, quam per verbum suum impendit, nostrâ aut duritiâ, aut negligentiâ contingat evacuari. Avertat hoc à servulis suis ipsum Verbum Caro factum,* (*Joan.1.*)

&

& in ore nostro diffusum. Audite ipsummet quid dicat, *Joan.*12) quàm est terribile & horrendum. Sermo, quem locutus sum etiam per indigna labia mea, ille judicabit eum, id est auditorem, in novissimo die. En judex super vos ipsum Dei Verbum, utinam cum gratia diffusa in salutem, si illius fueritis factores non tantùm auditores. Quod ipsummet utinam nobis impertiatur, sine quo factum est nihil; (*Joa.* 1.) & cum quo facta sunt universa, ut in hac Oliva pacis symbolo sint omnia in pace & charitate.

Sermo in Ascensione Domini.

Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te DEUS in æternum. Ps. 44.

Filius DEI factus homo PP. RR. FF. DD. itinerarium suum propter salutem humanam assumptum, à summo cœlo egressione factâ, (*Ps.* 18) & descensione ad inferiores partes terræ, imò usq; ad inferos peractâ, hostibus omnibus, diabolo, mundo, carne, peccato, morte & inferno per passionem ac mortem crucis, atq; resurrectionem subactis, Victor & Triumphator hodie per gloriosam super omnes cœlos ascensionem, & occursum usq; ad summum eorum, (*Ps.* 18.) quod est dextera Patris, felicissimè absolvit; per quod omnia adimplevit. Et quidem cùm esset Verbum Dei essentiale, seipso & doctrinæ suæ Evangelicæ præceptis, totius Scripturæ sacræ, legis ac Prophetarum Verbum scriptum complevit; verboque tradito per Apostolorum prædicationem, quando in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: (*Ps.* 18.) totum terrarum orbem virtute Spiritûs Sancti cooperante replevit. De hoc ipso Scriptura asserit, quòd Spiritus Domini repleverit orbem terrarum; (*Sap.* 1.) qui & auctor ac dictator fuit verbi in Sacris Scripturis revelati. Ad hæc omnia diffusa fuit gratia in labijs (*Ps.* 44.) ascendentis JESU, partim per promissionem dicentis, (*Act.* 1.) Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs Sancti in vos; partim per ordinationem imperantis: (*Mar.* 16.) Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Quid gratius Spiritu Sancto? quid acceptius Evangelio? Sed necessarium erat, ut ultima adhuc gratia diffunderetur in labijs Verbi Divini Incarnati. Quænam hæc? gratia benedictionis; quam & ipsi collatam asserit Psalmista dicens: *Ps.* 44.) propterea benedixit te Deus in æternum. Nec ista defuit Apostolis ac discipulis ejus, de qua Divus Lucas: (*c.* 24.) elevatis manibus suis benedixit eis. Ultimam hanc fuisse gratiam iter suum consummantis JESU patet apud eundem, nam sequitur: (*Ib.*) Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Sed quomodo recessit, qui ipsis pollicitus est, (*Matth.* 28.) Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi? Recessit corporali præsentiâ, mansit spirituali assistentiâ. Notandum, quòd cum ipsa & in ipsa benedictione ascendit, quasi continuans eandem usque nunc, imò continuaturus

Christus ascendens iter pro redemptione humanâ assumptum adimplevit.

Verbo scripto completo, verbo tradito per Apostolos totum orbem replevit;

virtute Spiritus Sancti cooperante.

Ultima gratia Ascendentis, benedictio.

Cum hac & in hac cur ascendit?

Quis effectus benedictionis? Benedictiones Dei variæ, I.

tinuaturus usque in æternum. Quis tamen effectus hujus benedictionis? Non alius crediderim, quàm ille, quem ipsa benedicentis Dei verba in Sacris literis manifestant. Primam à Deo benedictionem piscibus & avibus factam,

II.

secundam primis Parentibus impertitam lego hâc formâ: (*Gen.* 1.) Crescite & multiplicamini. Hâc eâdem metho-

III.

do benedictio à Deo Noë & filijs ejus fuit collata, (*Gen.* 9.) & Abrahæ, cui benedictionem omnium gentium dedit Dominus, (*Eccli* 44.) & in cujus semine benedictæ sunt omnes gentes. (*Gen.* 22.) Ipsemet *D*eus dixit illi post immolationem filij obedienter susceptam: (*Gen.* 26.) Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. Nec minùs Jacobo Patriarchæ benedicens Deus dixit: Ego *D*eus omnipotens, cresce & multiplicare. (*Gen* 35.) Et sic per totam ferè Sacram Scripturam benedictio Dei in crescentia subsistit & multiplicatione. Haud

Effectus benedictionis ab Ascendente, Apostolis & fidelibus datæ qualis?

dubiè benedictio Ascendentis JESU super Apostolos & fideles extensa eundem habuit effectum, ut cresceret multitudo credentium, [*Act.* 6] mundumque per multiplicationem sui, verbo veritatis in Christo JESU generando omnes, occuparet universum: idque primò ac primariò per Apostolos constitutos *P*rincipes super omnem terram, (*Ps.* 44.) qui annuntiaverunt opera *D*ei, (*Ps.* 63) verbumque

Forma benedictionis Christi.

fidei ubique disseminaverunt. (*Act.* 13.) Forma benedictionis Christi observanda, quòd elevatis manibus suis eam fuerit impertitus, (*Luc.* 24) quasi de cœlo illam requirens à Patre communi, qui in cœlis est. Item notandum, quòd illam dederit, signum crucis figurando, ut impleretur illud Isaiæ: [*c.* 66.] Videbunt gloriam meam, nimirùm in Ascensione, & ponam in eis signum, signum crucis. *Hoc nobis*, ait

S. Hieron.

Sanctus Hieronymus, *ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in nostris frontibus posuit, ut liberè diceremus: signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* (*Ps.* 4.) Hoc est signum Thau, quo servi Dei signantur in frontibus eorum in Apocalypsi. [*c.* 7.) Ita planè crux est

S. Leo

Crux fons omnium benedictionum

signum Christi, & est, teste Sancto Leone Papa, *omnium fons benedictionum, & omnium causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Nonne & in crucis benedictione crescentia & multiplicatio? Quinimò in melius transformatio cum augmento gratiarum Divinarum. Est arbor vitæ, & lignum vitæ duodecim fructus proferens, id est, omnium bonorum universitatem. Interea posset aliquis inquirere, utrùm non con-

Cur Christus tanquam Caput Ecclesiæ, non permansit cum illa corporaliter?

venientius fuisset Christum *D*ominum tanquam Regem, tanquam Pastorem, tanquam Caput Ecclesiæ hic in terris cum ipsa permanere, ac præsentiâ suâ corporali eam regere & animare? Ad quod dicendum, non fuisse congruentius propter virtutum Theologicarum operatio-

I.

nes. Et quidem primum, ut fides majus meriti perciperet incremen-

II.

tum: Beati enim qui non viderunt & crediderunt. (*Joan.* 20.) Deinde

D. Thomas

ut spes magis excitaretur; *per hoc namq;*, ait D. Thomas, *quòd Christus naturam humanam assumptam in cœlo collocavit, dedit nobis spem illuc perveniendi, quia ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.*

læ. (Matth 24.) Et hoc est, quod dicitur apud Michæam: (c. 2.) Ascendit pandens iter ante eos. Denique ut charitatis affectus ad cælestia erigeretur. Hinc monet Apostolus, (Coloss. 3.) quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite non quæ super terram: ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. (Luc. 12.) *Et quia Spiritus Sanctus*, inquit idem Angelicus Doctor, *est amor nos in cœlestia rapiens, ideo Dominus dicit discipulis*: (Joan. 16.) *Expedit vobis ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*; quod S. Augustinus exponens dicit: *Non potestis capere spiritum, quàmdiu secundùm carnem persistitis nosse Christum.* Christo autem discedente corporaliter, non solùm Spiritus Sanctus, sed & Pater & Filius illis affuit spiritualiter. Et quidem cùm Christus Dominus post Resurrectionem vitam immortalem & incorruptibilem inchoaverit; expediebat magis, ut ad locum incorruptionis potiùs tenderet per ascensionem, qui est in cœlo; quàm in loco generationis & corruptionis, qui est hìc in terris, remaneret. Cæterùm constat, quòd secundùm humanitatem Christus ascendit non secundùm Divinitatem. Quòd enim ascendit, quid est nisi quia & descendit? inquit Doctor Gentium, (Eph. 4.) imò ipsamet Veritas æterna: Nemo, ait, (Joan. 3.) ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Ubi sciendum Christum quà Deum ubique esse, cælum & terram implere, neq; locum mutare, cùm sit immobilis & inlocalis, unde nec descendere nec ascendere posse: quà hominem verò & loco contineri, eumq; mutare, & motui subjectum esse tam descensûs quàm ascensûs. *Quis est qui descendit?* interrogat D. Augustinus, *Deus homo. Quis est qui ascendit? Idem ipse Deus homo.* Cæterum duplex descensus Christo attribuitur. Primus, quo dicitur descendisse de cœlo, qui Deo homini attribuendus, quà Deus est; *non tamen secundùm motum localem est intelligendus*, teste Divo Thoma, *sed secundùm exinanitionem*, quà cùm in forma Dei esset formam servi accepit. (Philip. 2.) Sicut enim dicitur exinanitus, non ex eo quod suam plenitudinem amiserit, sed ex eo quòd nostram parvitatem suscepit; ita dicitur descendisse de cœlo, non quòd cælum deseruerit, sed quia naturam terrenam assumpsit in unitatem personæ. Idem sensus est Divi Cyrilli in Concilio Ephesino. *Quia Deus Verbum, ait, semetipsum exinanivit, ac filius hominis appellatus fuit, manens interim quod erat, hoc est Deus; fit ut tanquam unus cum propria carne consideratus è cœlo descendisse dicatur.* Secundus descensus Christi est in partes inferiores terræ; qui fuit localis secundùm humanæ naturæ conditionem. Cæterùm descensus Dei sumitur quoque antropopathos ex more & sensu hominum à summo deorsum: sicut dicitur (Gen. 11.) Deus ad videnda ac punienda Sodomæ scelera (Gen. 18.) descendisse, ad cernendam ædificationem turris Babel, &c. Jam ascensus Christi, de quo ipsemet loquitur, (Joan. 3.) quod nemo ascendit in cœlum, intelligitur in præterito; acsi diceret.

III.

D. Thomas

IV.

Christus quà homo ascendit; non quà Deus

Christus quà Deus immutabilis; quà homo motui est subjectus.

D. August.

Descensus Christi duplex I.

S. Cyrillus

II.

Quomodo sumitur?

Quomodo ascensus Christi intelligendus? I.

Joan. 3) Quomodo si dixero vobis cælestia, credetis; quæ nemo potest revelare nisi qui fuit & est in cœlo: Deum enim nemo vidit unquam. *Joan.* 1) Unigenitus filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit: ipse qui secundùm Divinitatem ab æterno & usq; in æternum est in cælo; imò ipsemet cælum est beatissimum, & secundùm humanitatem ab initio suæ incarnationis ascendit in cælum per communicationem idiomatum. Sicut enim dicitur de Christo, quòd Deus in tempore sit nat⁹, passus, mortuus, quia humanitas nata, passa, mortua; ita dicitur de Christo, quòd homo fuit ab æterno, & in cælo ab Angelis adoratus; quia Divinitas in eadem persona Christi existens hæc habet sibi appro-

II priata. Quin etiam Christus quà homo ascendit in cælum ab ipso incarnationis suæ momento, quia extunc anima ipsius vidit Deum, fuitque beata; quâ ascensione nihil majus dari potest. Vnde idipsum magis explicat & inculcat adjungens: (*Joan.* 3.) Filius hominis qui

Ascensio Christi quomodo facta? I. est in cælo. Ascensio porrò Christi facta est primò propriâ virtute Divinâ; *De nostro fuit*, inquit S. Augustinus, *quòd Filius Dei pependit*

II. *in cruce, sed de suo quòd ascendit.* Deinde virtute propriâ animæ glorificatæ, cujus locus proprius cælum est. Nec obstat quòd dicatur: *Act.* 1. elevatus est, assumptus à Patre in cælum, sicut dicitur suscitatus: quia nihilominùs propriâ virtute ascendit, cùm eadem sit Patris &

Quomodo ascēdit super coelos? Filij virtus in Divina natura. Ascendit autem supra omnes cælos, *Eph.* 4.) quandoquidem corpus Christi gloriosum perfectissimo modo Divinam participat bonitatem. Elevata est magnificentia tua, ait Propheta (*Ps.* 8.) super cælos, imò super omnem creaturam spiritualem. Constituit enim illum, ait Apostolus, (*Eph.* 1.) super omnem Principatum & potestatem & super omne nomen, quod nominatur sive in

S. Thomas hoc seculo sive in futuro. Sententia est Angelici Doctoris. *Quanquam Christi corpus secundùm suæ naturæ conditionem sit infra substantias spirituales, ut conjunctum tamen Deo in persona, est omnibus spiritualibus substantijs excellentius, ideóq; decuit, ut super omnem creaturam elevaretur.* Vnde Divus Gregorius: *Qui fecerat*, ait, *omnia, suâ virtute ferebatur.* Libet scire utilitatem Ascensionis Dominicæ?

Utilitas ascēsionis Dominicæ. Sicut propter nos & nostram salutem descendit de cælis, ita propter

D. Chrysol. nos & propter nostram salutem ascendit ad cælos. Ita Divus Chrysologus. *Ascendit* inquit, *non ut se referret in cœlum, qui semper mansit in cœlo, sed ut te perferret, quem taliter vinctum absolvit & subtraxit inferno. Intellige, unde ubi homo per Deum sis levatus, ut esses in cælestibus stabilis, qui eras lubricus & semper mutabilis in terra.* Idem breviùs in alio repetit Sermone: *Ascendit nos perferens, non se referens, qui nunquam recessit è cælo.* Nos omninò, quia corpus nostrum in cælum extulit, nos quia corda nostra sursùm levavit, & nos traxit post se, viam nobis in cælum præparando, ut verificaretur ejus promissum: [*Joan.* 12.] Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. *Mens enim nostra movetur in ipsum per ejus ascensio-*

D. Thomas *nem*, dicente S. Thoma, *per quam locus fidei, spei & charitati*, utì

S. Leo

diximus, *est concessus.* *Ascendit*, ait S. Leo, *ut fides non deficeret, spes non fluctuaret, charitas non teperet.* Liceat mihi dicere ampliùs, ut fides magis augeretur, spes magis excitaretur, amor magis inflammaretur. Accedit, quòd cultus & reverentia erga ipsum magis accrescat, dum illum non tanquam hominem terrestrem, sed tanquam Deum cælestem consideramus juxta Apostolum qui ait: (2. *Cor.* 5.) Et si cognovimus secundùm carnem Christum, id est mortalem, uti Glossa exponit, per quod putavimus eum tanquam hominem; sed nunc jam non novimus. Ita planè optimè dixit ipsemet Salvator: (*Jo.* 16.) Expedit vobis ut ego vadam, *id est*, ait D. Thomas, *ut recedam à vobis per ascensionem.* Expedit primò, ut viam nobis monstraret in cælum nos præcedendo, juxta Micheam jam allegatum c. 2. Ascendit pandens iter ante eos, & transibit Rex eorum coram eis velut ductor & antesignanus; & Dominus in capite eorum tanquam Princeps, imò sicut Imperator. Pandens in Hebræo sonat fractorem vel perruptorem, quia Christus priùs mortis vincula disrupit, contrivit portas æreas inferni, ejusq; vectes ferreos confregit, (*Ps.* 106.) ipsumq; cælum à creatione mundi clausum aperuit, inclamantibus Angelis inferioribus ad superiores: (*Ps.* 23.) Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Pulchrè S. Chrysologus de Symbolo Apostolorum discurrit: *Dicis* (ait) *ascendisse in cælos, ut cæli Dominum credas; ut unde venerat, rediisse fatearis*: (& ad rem nostram) *quia superato diabolo, calcatâ morte, liberato mundo, super cælos triumphat Christus, qui victus putabatur in terris.* Sic verificatum est illud Dei promissum, in persona Cyri factum Christo Domino apud Isaiam c. 45. Subjiciam ante faciem ejus Gentes, & dorsa Regum vertam; & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur; videlicet cæli, nisi fatuis virginibus. Ego ante te ibo ait Deus, & gloriosos terræ humiliabo, [malignos spiritus, principes tenebrarum] portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Tales fractores & perruptores vult esse sequaces suos noster Polemarchus dicens: (*Matth.* 11.) Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Expedit secundò, ut in domo Patris sui fidelibus disponeret mansiones juxta pollicitum suum: (*Joan.* 14.) Vado parare vobis locum. *Cùm enim ipse sit Caput nostrum, oportet illùc membra sequi quo Caput præcessit*, ait D. Thomas: unde subnectit: (*Ib.*) ut ubi ego sum, & vos sitis. Hoc ipsum hodie perfecit, quando animas Sanctorum è limbo eductorum, illam captivam ducens captivitatem (*Eph.* 4.) in cælum secum deduxit. *Hodie*, ait S. Leo, *non solùm cives paradisi firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetravimus.* Expedit tertiò, ut tanquam Pontifex assistens futurorum bonorum intraret in sancta æternâ redemptione inventa, (*Heb.* 9.) ad interpellandum pro nobis. *Ipsa enim* docente Angelico Doctore, *repræsentatio sui ex natura humana, quam in cælum intulit, est quædam interpellatio pro nobis; ut ex quo Deus humanam*

D. Thomas — *Cur expediebat Christum ascendere?* I.

S. Chrysol.

II.

S. Leo

III.

D. Thomas

naturam sic exaltavit in Christo, etiam eorum misereatur, pro quibus
IV. *filius Dei eam assumpsit naturam.* Expedit quartò, ut in cælorum sede tanquam Deus & Dominus constitutus divina dona hominibus mitteret, juxta illud Apostoli: (*Eph.* 4.) Ascendit supra omnes cælos, ut adimpleret omnia, (*glossa explicat*) donis suis. Ante omnia
V. potissimùm ascendit, ut Paracletum Spiritum Sanctum summum donum & fontem omnium donorum Ecclesiæ suæ impertiretur. Jam

Ascendentem quomodo sequi oportet?

igitur ascendentem *Ducem* sequamur milites, Dominum servi comitemur, Regi subditi aggregemur, ut fiat de nobis verus sermo, qui scriptus est apud Osee c. 1. Et congregabuntur filij Juda & filij Israël pariter, Ecclesia nimirùm Judæorum & Gentilium, & ponent sibimet caput unum, quod est Christus, & ascendent de terra, sive ab infidelitate Judaismi & Gentilismi ad fidem & Ecclesiam, è tenebris in admirabile lumen (1. *Pet.* 2.) Dei; à servitute depressa & descendente, in libertatem filiorum Dei ascendentem & erectam; à terrena conversatione ad cælestem deducti. Ascendent fideles, quia benedictione acceptâ crescent & multiplicabuntur per orbem terrarum, ac de

Multiplicatio fidelium ex benedictione Ascendentis.

generatione in generationem se propagabunt instar fontis è terra prosilientis & aquas eructantis, quemadmodum Jeremias de Pharaone & ejus exercitu loquitur c. 46. Quis est iste qui quasi flumen ascendit, & velut fluviorum intumescunt gurgites ejus? Ægyptus instar fluminis ascendit, & velut flumina movebuntur fluctus ejus, & dicet: ascendens operiam terram. Similiter de copijs Nabuchodonozoris asserit c. 47. Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans & operiens terram. Ita fideles post Ascensionem Christi ascendent è terra cælum versùs sub Principibus Apostolicis, de quibus Psalmus 138; mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum: dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur. Etiam principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, (*Ps.* 46.) qui fuit pater multarum gentium, (*Gen.* 17.) multò magis cum nostro Deo & Patre futuri seculi, Principe pacis, (*Is.* 9.) quoniam Dij fortes terræ (Apostoli) vehementer elevati sunt. Causam ascensionis & multiplicationis adjungit Osee c. 1. quia magnus dies Jezrahel; quod interpretatum est semen Dei: populus Dei ab Apostolo Paulo dictus, (*Heb.* 11.) Israël Dei, quia videns nunc Deum per fidem, postea per speciem; & quia in alia significatione dominans per subjectionem mundi, carnis & diaboli; aut prævalens Deo, impetrando ea quæ vult, & petit à *Deo.* Et hi sunt, qui regulam novæ creaturæ nonnisi in cruce Domini nostri JESU Christi gloriantis sequuntur. Horum est magnus dies Evangelij à Resurrectione & Ascensione usq; ad finem mundi prædicati, magnus dies gratiæ, quam fecit Dominus, (*Ps.* 117.) magnus dies benedictionis à Benedicto, qui venit in nomine *Domini.* (*Mat.* 23. Cæptus autem magnus hic dies Jezrahel, quo semen Dei Christus resurrexit & ascendit in cælum. *Magna illustratio seminis Dei*, ait

Causa ascensionis & multiplicationis.

Jesrahel semen Dei.

Israël in triplici significatione.

Rupertus

Rupertus, *quod est Christus; Seminis inquam resurgentis ex mortuis, cum quo consurgentes utiq; ascendunt de terra, faciendo quod ait Apostolus:* (Coloss. 3.) *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursùm sunt sapite non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Sic nimirùm ascensione factâ, quæ est resurrectio prima, tandem ascendunt corpora quoq; de terra, quæ erit resurrectio secunda; & sequentur caput suum sicut membra capiti conjuncta, & sicut ipse Christus expressit dicendo: Ubicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Ita Rupertus. Dedit igitur benedictionem Legislator (*Ps.* 83.) cælestis, dedit gratiam Pater cælestis; eamq; de virtute in virtutem, [*ib.*] crescamus & perficiamur in bonis operibus, ut videamus Deum Deorum, (*Ps* 83) qui est Christ⁹ Sanctus Sanctorum, (*Dan.* 9) in Syon. Concludo verbis Sancti Patris exhortantis nos: *Fratres si via nobis videtur ardua, exoneremus nos; si arcta, etiam exinanire nos non parcamus; si laboriosa, clamemus ei: Trahe nos post te, in odorem ungventorum tuorum curremus.* Felix qui sic currit ut comprehendat, (1. *Cor.* 9.) imò ut ipse comprehendatur à Christo Domino nostro in cælis regnante & triumphante. Fiat fiat.

Rupertus

S. Bernardus

Sermo Dominicâ Pentecostes.

Diffusa est gratia in labiis tuis. Ps. 44.

DIffusam in labijs Verbi caro facti (*Joan.* 1.) gratiam in præteritis jam percepimus Sermonibus; PP. RR. FF. DD. eamque copulâ Incarnationis per modum osculi audivimus absolutam. *Osculum enim oris Paterni*, sic sentiente D. Patre nostro, *intelleximus non aliud esse, quàm mediatorem Dei & hominum, hominem Christum JESUM.* 1. Tim. 2. Nunc iterato osculo dignatur humanum gen⁹ Divinitas per optatissimam Sancti Spiritûs missionem. *Et quidem primò ipsum Verbum Dei Incarnatum post Resurrectionem initium hujus osculi exhibuit, quando insufflavit eis,* Joan. 20. *haud dubium JESUS Apostolis,* inquit Mellifluus Doctor noster, *id est primitivæ Ecclesiæ; & dixit:* (Ib.) *Accipite Spiritum Sanctum,* quod explicans ait: *Osculum profectò fuit. Quid? Corporeus ille flatus? Non; sed invisibilis Spiritus; qui propterea in illo Dominico flatu datus est, ut per hoc intelligeretur & ab ipso pariter quemadmodum à Patre procedere, tanquam verè osculum, quod osculanti osculatoq; commune est.* Nonne Deus primum hominem creans (*Gen.* 2.) inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est in animam viventem? Ita impræsentiarum eundem hominem per peccatum mortuum recreans & resuscitans insufflavit Spiritum Sanctum, ut homo fieret in spiritum vivificantem. Anima namque carnis in sangvine est, (*Lev.* 16.) à quo in plurali, nempe à sangvinibus liberari Deum Deum salutis suæ *Ps.* 87 JESUM Salvatorem orat Propheta, *Ps.* 50. quia in illis omne comprehenditur pecca-

S. Bernardus *Osculum oris Divini quo sensu accipiendum?*

Osculum oris, infusio Spiritûs Sancti

per quem homo peccatis mortuus resuscitatur.

peccatum, quod in viris sangvinum tam irascibilis quàm concupiscibilis potentia operatur. Unde primus homo factus erat in animam postea in sangvinibus viventem. Sed caro non prodest quidquam, (*Joan.* 54.) imò si secundùm carnem vixeritis moriemini, minatur Apostolus. (*Rom.* 8.) Spiritus est qui vivificat, ideo si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis; subinfert Doctor Gentium. (*Ib.*) Ergo in carne sangvine animatâ mors, in spiritu carnem vivificante vita.

Cur in tertia persona dicitur, osculetur?

Redeo ad osculum quod expetit Sponsa Ecclesia à Sponso suo Christo dicens: Osculetur me osculo oris sui, (*Can.* 1.) in tertia persona ipsum alloquens, non tantùm reverentiæ & honoris ergo, sed etiam ex ratione Mysterij SS. Trinitatis, ita ut dicere videatur: Osculetur me Pater, osculo Spiritu Sancto, oris sui, quod est Filius Dei. Satisfacit votis Ecclesiæ Christus die hodiernâ mittendo Spiritum Sanctum, unde accipiendo virtutem Spiritûs Sancti supervenientis in se novum suscepit osculum, novum Paterni amoris erga se possedit documentum.

S. Bernard.

Hic sensus est Doctoris Nostri egregij explicantis sic: *Petit osculari ab osculo, quod non est aliud, nisi infundi Spiritum Sanctum. Nempe si rectè Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit abs re osculum Spiritum Sanctum intelligi, utpote qui Patris Filijq; imperturbabilis pax sit, gluten firmum, individuus amor, indivisibilis unitas.* Jam quis nescit osculum per labia formari, labijs imprimi, labiorum absolvi ministerio? Quidni proinde possit congruè Spiritui Sancto aptari ratio labiorum, per quæ osculum perficitur, per quæ verbum depromitur, quibus cibus & potus apprehenditur. Omnia hæc Spiritui Sancto patebit convenire.

Osculum Spiritui Sancto competit I. quà pax.

Ac primùm de osculo dictum est, & quia osculum pacis, amoris & gratiæ signum est, quid magis competit Spiritui Sancto quàm pax, per quem solliciti sumus servare unitatem spiritûs in vinculo pacis? (*Ephes.* 4.) imò inter fructus spiritûs tertium locum occupat; Charitas, ait Doctor Gentium, (*Gal.* 5) gaudium, pax.

II *quà amor.*

Quid rursus ipsemet Spiritus Sanctus est, nisi amor? Teste Divo Gregorio, *idq; personaliter acceptus* juxta Divum Thomam; [quia essentialiter sumptus, omnibus Personis Divinis communis est.] Spiritui tamen Sancto hoc nomen amoris proprium est, unde & operatio ejus primaria est amor testimonio, Apostoli dicentis; (*Rom.* 5.) Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.

III. *quà divisiones gratiarum donans.*

Denique nonne divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus? (1. *Cor.* 12.) Alij per Spiritum datur sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera lingvarum, interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult. (*Ib.*) Et sic osculum Spiritûs Sancti, est pacis affusio, amoris diffusio, gratiæ infusio. De verbo autem Dei quis non agnoscet, à Spiritu Sancto propalari, ipsomet fatente ac dicente de Spiritu Sancto: (*Joan.* 15.) Ille testimonium perhibebit de me? Div. Paulinus explicans illud *Ps.* 15. nec memor ero nominum eorum per labia

S. Paulinus

labia mea, *hoc est*, inquit, *per immortalium duo testamenta verborum, quæ oris Divini labia benè dicuntur, quia & cohærent sibi, & uno Dei verbo aperiuntur, & per ipsa nos osculatur ab osculis oris sui.* Concordat sensus in Divo Augustino expressus: *Labia Domini utriusq; Testamenti consonantia intelliguntur*, de quibus duobus Testamentis in Proverbijs scriptum est: (*c.16.*) Divinatio in labijs Regis, in judicio non errabit os ejus. Ita sanè judicium de rebus fidei & morum sumitur ex utroque tam veteri, quàm novo Testamento, quæ sunt instar labiorum Dei, suntque instar Divinationis & oraculi infallibilis Regis Regum Dei. Declarat hoc ipse Deus inquiens: (*Ps 88.*) Neq; profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis, videlicet per revelationem Spiritûs Sancti, non faciam irrita. Jam quis author utriusque Testamenti, in quo Verbum Dei continetur? Nonne Spiritus Sanctus? Testatur hoc Divus Petrus: Non enim, ait, (*ep. 2. c. 1.*) voluntate humanâ allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines. Apostolis suis ipsa Veritas æterna prædixit: (*Matth.* 10.) Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Quia ille est qui vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis. (*Joan.* 14.) Manifestator igitur Verbi Divini est Spiritus Sanctus, per ipsum velut labia verbum Domini prædicatur. Et sanè ad quid hodie descendit, nisi ut Apostolos ad prædicationem Verbi Divini informaret & animaret? Atque ideo quoque lingvarum ignearum formam præsetulit, (*Act.* 2.) ut eloquia Domini ignita (*Ps.* 118.) Apostolis instillaret, quæ per ipsum tanquam ignem Divinum, tanquam labia Dei proferrent. Quid quòd etiam nemo dicere potest ipsum Sacrum nomen Dominus JESUS, nisi in Spiritu Sancto? (*1. Cor.* 12.) Quantò amplius; quandoquidem quæ Dei sunt, nemo cognoscit nisi Spiritus Dei, qui scrutatur omnia [*1. Cor.* 2.] etiam profunda Dei: quidquid de Deo revelatum habemus, à Spiritu Sancto est. Dicit quidem Filius Dei ille ipse Vnigenitus in sinu Patris, qui enarravit nobis, quòd nemo novit Filium nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi Filiꝰ, aut cui voluerit Filius revelare. (*Mat* 11) Quomodo autem revelaverit, manifestat Vas electionis ejus: (*1 Cor.* 2.) Nobis autem, ait, revelavit Deus per Spiritum suum; super quo eleganter Sanctꝰ Pater noster explicans, quomodo *ipse Filius enarravit Joanni amico Sponsi, & Joanni Evangelistæ, utiq; Discipulo quem diligebat ipse JESUS, qui & super pectus ejus in cœna recubuit,* [Joan 21.] *unde & hausit de sinu Unigeniti, quod de Paterno hauserat ille; tum etiam Paulo, cujus Evangelium non est ab homine, neq; per hominem illud accepit, sed per revelationem JESU Christi;* [Galat. 1.] *quæ enarratio quid eis nisi osculum fuit?* Sanctus inquam Bernardus disserit dicens. *Trinæ agnitionis*, id est mysterij SS. Trinitatis, *infundi sibi gratiam, quantum quidem capi in carne mortali potest, Sponsa petit, cùm osculum petit.* (Cant. 1.) *Petit autem à Filio, quia Filij est, cui voluerit revelare.*

Vetus & novũ Testamentum duo sunt labia, de rebus fidei judicantia.

Spiritus S. author utriusq; Testamenti;

& manifestator Verbi Divini.

Revelationes Dei per Spiritum S. factæ.

D. Bernardꝰ

Quomodo Filius seipsum, & Patrem revelavit?

lare. (Matth. 11.) *Revelat ergo Filius seipsum cui vult, revelat & Patrem. Revelat autem sine dubio per osculum, hoc est per Spiritum Sanctum Apostolo teste qui ait:* (1 Cor. 2) *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. At verò dando spiritum, per quem revelat, etiam ipsum revelat: dando revelat, & revelando dat.* Distingvit autem

S. Bernard.

Divus Pater osculum ab ore, & osculum ab osculo. *Audi*, inquit, *osculum de ore: Ego & Pater unum sumus.* [Joan. 10.] *Item: Ego in Patre & Pater in me est. Osculum est ore ad os sumptum, sed nemo appropiat. Osculum planè dilectionis & pacis, sed dilectio illa supereminet omni scientiæ, & pax illa omnem sensum exuperat.* (Phil. 4.) *Veruntamen quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,* (1. Cor. 2.) *Paulo revelavit Deus per spiritum suum, hoc est per osculum oris sui. Igitur Filium in Patre & Patrem esse in Filio, osculum de ore est. Quod autem legitur:* Ibid. *Non accepimus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, osculum sanè de osculo est. Et ut apertiùs distingvamus,* concludit, *qui plenitudinem capit, osculum de ore sumit; qui verò de plenitudine, osculum de osculo recipit.* Et paulò infra: *Christo igitur osculum est plenitudo, Paulo participatio, ut cùm ille de ore, iste tantùm de osculo osculatum se gloriatur.* Ita egregiè Mellifluus Doctor.

Efficacia revelationis per Spiritum S. factæ.

Jam ex eodem sciendum est, quòd revelatio quæ per Spiritum Sanctum fit, non solùm illustrat ad agnitionem, sed etiam accendit ad amorem. Vnde Sponsa petit osculum, id est Spiritum Sanctum invocat, per quem accipiat & scientiæ gustum, & gratiæ condimentum. Huc accedit illud tertium de quo dixi, quòd per labia cibus & potus apprehendatur & intromittatur. Sed ille cibus est saluberrimus, de quo ipse Dominus ait: (*Joan.* 4.) Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus; & ad hunc sumendum vel maximè Spiritus Sanctus cooperatur. Beatus planè vir, qui in sapientia morabitur, (*Eccli.* 14.) cui datus est Spiritus sapientiæ & scientiæ, qui in justitia meditabitur per scientiam, & in sensu habet circumspectionem Dei per sapientiam: cibabit illum pane vitæ & intellectûs, & aquâ sapientiæ salutaris potabit illum. [*Eccli.* 15.] Simul scientia in intellectu, & sapientia in affectu currere debent.

Idem

Osculũ amoris indicium.

Prosequitur hoc insigniter Divus Pater noster: *Sat benè, ait, scientia, quæ in osculo datur, cum amore recipitur, quia amoris indicium osculum est. Scientia ergo quæ inflat cùm sinè charitate sit, non procedit ab osculo, sed neq; qui zelum habent & non secundùm scientiam, sibi ullatenùs arrogent illud. Utrumq; etiam munus fert osculi gratia, & agnitionis lumen & devotionis pingvedinem. Est quippe Spiritus sapientiæ & intellectûs, qui instar apis ceram portantis, & mel habet & ceram: & unde accendat lumen scientiæ, & unde infundat saporem gratiæ. Neuter ergo se osculum percepisse putet, sive qui veritatem intelligit nec diligit, sive qui diligit nec intelligit. Sanè in osculo isto nec error locum habet nec tepor.*

Idem

Tandem concludit, *Quamobrem geminæ gra-*

næ gratiæ ſacroſancti oſculi ſuſcipiendæ paret è regione duo labia ſua, quæ ſponſa eſt: intelligentiæ rationem, ſapientiæ voluntatem, ut de pleno oſculo glorians mereatur audire: Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Hæc ex mellifluo Doctore noſtro fuſiùs retuli, optimè conſonantia noſtræ intentioni, cujus pro coronide unam adhuc adnecto ſententiam. *Felix oſculum, per quod non ſolùm agnoſcitur Deus, ſed & diligitur Pater, qui nequaquam plenè cognoſcitur, niſi cùm perfectè diligitur. Quæ in vobis anima ſenſit aliquando in ſecreto conſcientiæ ſuæ Spiritum Filij clamantem: Abba Pater. Ipſa, ipſa Paterno ſe diligi præſumat affectu, quæ eodem ſe ſpiritu quo & Filius affectam ſentit. Confide quæcunq; es illa, nihil hæſitans. In Spiritu Filij filiam cognoſce te Patris, ſponſam Filij & ſororem. Soror ſiquidem eſt, quia ex uno Patre; ſponſa, quia in uno ſpiritu. Nam ſi carnale matrimonium conſtituit duos in carne una, cur non magis ſpiritualis copula duos conjungit in uno ſpiritu? Deniq; qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Ita ille. Notandum, quòd Sophar Nahamatites optat Job c. 11. dicens: Utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi; quod S. Gregorius M. ſic explicat. *Quid Dei labia niſi judicia ejus accipimus? Clauſis namq; labiis vox premitur, & ſenſus tacentis ignoratur; apertis autem dum ſermo promitur, animus loquentis invenitur. Labia itaq; ſua Deus aperit, cùm voluntatem ſuam hominibus per aperta judicia oſtendit. Quaſi enim reſerato ore loquitur, cùm remotâ obſcuritate diſpoſitionis intimæ renuit occultare quod vult. Nam velut clauſis labiis ſenſum ſuum nobis non indicat, cùm per occulta judicia, cur quid faciat, celat.* Sequitur in Job: (*ibid.*) ut oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quòd multiplex eſſet lex ejus. De ſecretis & publicis ſapientiæ ſequenti Sermone innuam, nunc de lege multiplici ſic diſſerit D. Gregorius. *Quid hoc loco lex Dei accipi, niſi charitas debet, per quam ſemper in mente legimus præcepta vitæ, qualiter in actione teneantur? De hac etenim lege Veritatis voce dicitur: Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem. De hac Paulus ait: Plenitudo legis dilectio. De hac iterùm: Invicem onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Lex etenim Chriſti quid congruentiùs intelligi quàm charitas poteſt? quam tunc verè perficimus, cùm fraterna onera ex amore toleramus. Sed hæc eadem lex multiplex dicitur, quia ſtudioſâ ſollicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur; quæ à duobus quidem præceptis incipit, ſed ſe ad innumera extendit. Hujus namq; legis initium dilectio Dei eſt & dilectio proximi.* Ita S. Gregorius. Quidni liceat hanc duplicem charitatem in unum tendentem duo labia ſibi unita nominare, cujus authorem & fontem ipſum Spiritum Sanctum agnoſcimus? Apertio ergo labiorum Dei eſt deſcenſus Spiritûs Sancti, eſt ſapientiæ infuſio, eſt charitatis diffuſio; ut ſic quoq; gratia ſit in labijs diffuſa, quam vel maximè charitas apud Deum meretur. Pro concluſione deſcenſum Dei circa ædificationem turris Babel, & deſcenſum Spiritûs Sancti circa

Idem *Oſculi hujus felix eventus.*

S. Gregorius *Labia ſua quomodo Deus aperit?*

Idem *Quomodo lex Dei multiplex?*

Collatio Deſcensûs Dei circa ædificationem turris Babel.

& deſcenſûs Spiritûs S. circa ædificationem Eccleſiæ.

ca ædificationem Eccleſiæ Chriſti, ſi placet, conferamus. Erat tunc terra labij unius & ſermonum eorundem. (*Gen.* 11.) Hæc unio quoq; labij unius per fidem, ſpem & charitatem in Eccleſia reperitur ac cõ-

I. ſervatur, ita ut poſſit verè dici de Eccleſia Chriſti: Ecce unus eſt populus *Dei*, & unum labium omnibus, illud labium electum, de quo Sophonias: c. 3. ut invocent omnes in nomine Domini, & ſerviant

II ei humero uno. Ibi tamen turrim ſuperbia ædificabat, hìc Eccleſiam

III Dei exſtruit humilitas. Ibi vanam nominis ſui celebrandi gloriam quærebant, hìc ſolius Dei & Chriſti ejus ac nominis ſanctificandi gloria

IV inveſtigatur & celebratur. Ibi Nemrod arcem ſuæ tyrannidis & impietatis tentavit ſtatuere, hìc Chriſtus montem gratiarum & virtutum, in quo beneplacitum eſt Domino habitare, (*Ps.* 68.) voluit erigere

V. & exaltare. Duplex ibi deſcenſus Dei exprimitur; primus ad videndam civitatem & turrim quam ædificabant filij Adam, (*Gen.* 11.) deinde ait: Venite deſcendamus & confundamus ibi lingvam eorum, ut non audiat unusquiſq; vocem proximi ſui. Hic quoq; primus fuit Filij *Dei* deſcenſus ad ordinandam civitatem *Dei*, & turrim regiminis in ea evehendam, quam filij ſecundi Adæ, ipſiusmet ſcilicet Chriſti exſtruere debebant. Poſtea inquit Deus Pater & Deus Filius: venite deſcendamus per Spiritum noſtrum, & infundamus omnem lingvam in Apoſtolos, ut audiant unusquiſq; lingvâ ſuâ illos loquentes

VI magnalia *Dei*. (*Act.* 2.) Ibi diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras, & ceſsârunt ædificare civitatem; hic ex monte Syon Chriſtus *Dominus* fecit diviſionem Apoſtolorum in mundum univerſum, & ſic cæperunt ædificare civitatem Dei. Nec unquam ceſſant eorum Succeſſores, neque ceſſabunt ad finem mundi, usque ad con-

VII ſum̃ationem ſeculi. Ibi vocatum eſt nomen loci illius Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ, *Gen.* 11. hic vocatum eſt nomen Eccleſia, id eſt cœtus, concilium, congregatio fidelium, quia ibi in-

VIII fuſum & diffuſum eſt labium omnium nationum. Ibi diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum: hic miſit Apoſtolos ſuper faciem terræ, ita ut in omnem terram exiret ſonus eorum, & in

Quomodo dignos effici oporteat oſculo Divinitatis?

fines orbis terræ verba eorum. (*Ps.* 18.) Jam igitur dignos nos faciamus hoc oſculo Divinitatis duplici per miſſionem Filij & Spiritûs Sancti à Patre æterno miſericorditer & gratioſè nobis porrecti, ut & cognitione intellectûs & dilectione voluntatis illi correſpondeamus. Spiritu ambulemus, ne deſideria noſtrâ in ſangvinibus perficiamus. (*Gal.* 5.) Habitet in nobis Spiritus Sanctus, ut templum ejus condignum efficiamur, ut teſtimonium reddat ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij *Dei*, (*Rom.* 8.) non ex ſangvinibus ſed ex Deo nati. *Joan.* 1. Spiritu ſerviamus Deo, qui Spiritus eſt; cujus ſimus adoratores in ſpiritu & veritate. (*Joan.* 4.) In civitate Dei maneamus, quæ eſt Jeruſalem, eſt viſio pacis, quam ſtruit amor Dei. *Fugiamus Babylonem*,

S. Auguſtin. (*Jerem.* 51) *quam facit amor ſæculi*, juxta D. Auguſtinum, & eſt confuſionis chaos, ubi nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat, velut

lut inferni vestibulo. Propter verba labiorum Dei custodiamus vias duras, (*Ps.* 16.) ut voluntate labiorum nostrorum non fraudemur; (*Ps.* 20) ac ideò reddamus Deo vota, quæ distinxerunt labia nostra. (*Ps.* 65.) Legem Christi, quæ est charitas per Spiritum S. diffusa, (*Rom.* 5.) diligenter custodiamus, pacem & dilectionem sectantes, & ad gratiam Dei anhelantes, spiritum Dei nunquam contristantes; *Ep.* 4.) ut ipse adjuvet infirmitatem nostram, & postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus, (*Rom.* 5.) quatenùs perseveremus, nec unquam, cùm spiritu cæperimus, carne consummemur; (*Gal.* 3) sed potiùs seminantes in spiritu, cum militantibus, agonizantibus & purgantibus in spiritu metamus vitam æternam. (*Gal.* 6.)

Sermo in Festo Sanctissimæ Trinitatis

Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum

Exinanitio sui in conspectu Dei, & nihili sui agnitio.

DOmine Deus, quis ego? nihilum ante Te. Quid nihilum cum Deo qui est? Finiti ad infinitum nulla est proportio. Quæ comparatio nihili ad Esse? Sed quid? Sum tamen aliquid à Te ex nihilo creatum? Hoc ipsum nihil est ex se, quia substantia mea tanquam nihilum ante Te; (*Ps.* 38.) nihil sunt dies mei, (*Job.* 7) gloria mea nihil est, (*Joan.* 8) sinè Te nihil possum facere; (*Joan.* 15) nihil attuli in mundum, nihil auferam mecum. Verùm ah! quoties per peccatum in nihilum redactus sum & nescivi? *Ps.* 72) Sed quid de meo loquor nihilo? Ecce aspicio cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, & intelligo quia ex nihilo fecisti illa ô mi Deus, & omne genus hominum. *Act.* 17 Appendisti terram super nihilum, *Iob* 26. & ipsa si aspiciatur terra, ecce vacua est & nihili. Omnes gentes quasi non sunt, sic sunt coram Te, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt Tibi. *Is.* 40. Extendisti velut nihilum ipsos cælos. Quid ergo ego comparatus universo, quod respectu Tui nihilum est? Quid Tibi ipsi comparat⁹? Verè infinitum nihilum sum respectu Tui, qui es Ens infinitum. Jam quid potero coram Te dicere, multò magis benè dicere, & vel maximè de Te ipso, nisi Tu dederis mihi, à quo omnia, ex quo omnia, per quem omnia? Quod amplius? vir pollutus labijs ego sum, (*Is.* 6.) sum labijs incircumcisus; [*Exod.* 6.] quomodo audebo ore meo immundo, quod maledictione plenum est, (*Ps.* 9.) verba benedictionis de Te Sanctissimo proferre, nisi Tu calculo ignito gratiæ Tuæ tetigeris labia mea, ut auferatur iniquitas mea, & peccatum meum mundetur? [*Is.* 6.] Munda igitur labia mea, & pone verba Tua in ore meo, (*Exod.* 4.) & jube benedicere. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. (*Ps.* 50.) Diffunde gratiam tuam in labijs meis, & benedicas mihi in æternum, ut & ego benedicam nomini Tuo in sæculum sæculi, *Ps.* 144. & labia mea laudent Te. *Ps.* 62. Sed unde incipiam? Ab ipso & in ipso nomine SS. Trinitatis Dei unius; videlicet in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti; quod est nobis per ipsum Verbum Dei revelatum, *Mat.* 28. veteri Te-

Omnia nihil.

Deus Ens infinitum.

Petitio mundationis labiorum, & benedictionis.

Nomen Dei figuratum in nomine Jehova, *quod est ineffabile juxta* S. Hieronym. Theodoret. S. Damasc. Platonem.

stamento penitùs incognitum. Benedictum est hoc nomen Majestatis (*Ps.* 71.) Divinæ triplex in personis, unum in essentia Deitatis. Fuit tamen hoc ipsum nomen figuratum in nomine *Jehova*, quod primò Moysi à Deo fuerat manifestatum, estq; tetragrammaton, id est, quadriliterum, dictum *ineffabile* juxta D Hieronymum, juxta Theodoretum *indicibile*, & juxta S. Damascenum *ineloquibile*. Cæterùm Plato quoq; Gentilis censuit Deum incorporeum, indicibilem, & innominabilem dicens in Parmenide: *Deo nullum inditum est nomen. Deus non potest definiri, non scientiâ capi, non in sensus nostros incurrere, nulla de eo haberi opinio; quocirca neq; nominari, neq; dici, neq; cogitatione comprehendi, neq; cognosci, neq; ab ullo Ente sentiri potest.* Ita Divinus Plato. Hinc factum est, quòd veteres Philosophi varias de Deo sententias protulêre, atq; in varios incidêre errores; unde jure meritò D. Chrysostomus eloquitur: *Sicut qui innavigabilem oceanum navigare se usurpat, dum non potest eum transire, necesse est per eandem viam redeat, ubi ingressus est. Sic antiqui Philosophi de Dei natura quærere contendentes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone; in ultimo nihil se ampliùs invenire potuisse confessi sunt, nisi quòd Deus sit incognoscibilis.* Inde fortasse Ara apud Athenienses dedicata erat ignoto Deo, ex cujus occasione *D.* Paulus prædicationem suam orsus est, eò quòd Judæi ignoraverint nomen Dei pronuntiare, & loco *Jehova* Adonai; vel si cum Adonai concurrat, Elohim exprimant.

S. Chrysost. *Error Philosophorum de Dei natura inquirentium.*

Cur hoc nomen Jehovah *est ineffabile?*

Est porrò hoc nomen *Jehovah* ineffabile ex eo, quòd habeatur sacratissimum & summè venerandum, utpote cùm sit nomen Dei primarium, *Deo* proprium & essentiale, imò sit radix omnium aliorum Dei nominum; quandoquidem ipsam immensam Dei essentiam & majestatem ejus incomprehensibilem declarat. Nihilominùs si nomen hoc exprimendum est, debet pronuntiari ex Hebræo *Jjve* vel *Jeheve*, ut indigitet verbum. Est nimirùm, uti seipsum *Deus* Moysi nominat: Ego sum qui sum; & imperat Moysi ut dicat Hebræis: Qui est misit me ad vos. (*Exod.* 3.) Ac proinde nomen hoc significat essentiam Dei, quæ est Esse, adeoq; ipsam Divinæ essentiæ abyssum. Sic Aristoteles Deum vocat *Æona* quasi *Æonta*, id est semper Entem & existentem; quia Deus est immensum essentiæ pelagus, omnisq; essentiæ principium, dans omnibus esse. Sic & Hermes Trismegistus: *Deus* (ait) *unus nomine non eget, est enim Ens sinè nomine*. Et hoc est proprium nomen Dei Ens, QUI EST, videlicet *Jehova*, de quo Deus apud Moysen: Ego *Domin*⁹ qui apparui Abraham, Isaac & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai (in Hebræo est *Jehovah*) non indicavi eis; (*Ex.* 6.) acsi diceret: Ego *Deus* cognitus Patribus primis Israëlis, cultusq; ab eis tanquam Adonai, Elohim & Saddai, videlicet Dominus, gubernator fortis, liberalis, omnipotens, quæ nomina certam aliquam perfectionis formam adinstar qualitatis alicujus in Deo designant. Sed nomen essentiale ipsis haud indicavi, quod tibi ô Moyses nunc revelo, quod ipsam meam substantiam in se

Significat essentiam Dei.

Proprium nomen Dei, est Ens.

significat

significat, atq; meæ essentiæ, quæ omnium rerum esse aliquod habētium fons est & causa, abyssum. Hoc nomen ineffabile apertè in novo Testamento detectum est à Verbo Dei incarnato: Deum enim nemo vidit unquam, ait dilectus JESU discipulus. c. 1. Nemo proinde potest *Deum* cognoscere intuitivè, adeoq; sicuti in se est; & licèt quis cognosceret Deum in se sicuti est, hoc tamen in ipso Deo duntaxat cognosceret videndo & intuendo eum; nomen autem quod Deo inderet, esset extra Deum & ejus essentiam: ac ideò nullo creato signo sicuti est in se, nominari & significari potest ac cognosci. Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis nomen Divinitatis, imperans baptismum faciendum esse in nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti. (*Mat.* 28.) En secreta Sapientiæ Divinæ, de quibus præterito innueram Sermone, in nomine Jehovah occultatæ, jam publica sunt, & manifestantur per nomina trium Divinitatis Personarum.

Hoc nomen ineffabile detectū est in novo Testamento per Verbum incarnatum.

Quomodo autem nomen Jehova triplex hoc nomen Deitatis literis suis repræsentet, & unà mysterium Incarnationis Verbi Divini, quæ sunt primaria & essentialia fidei nostræ Sacramenta innuat, ante biennium indigitavi. Nunc haud repeto, ipsam tamen nominis *Jehova* significationem in se placeat enucleare, quod est *Qui est.* Ego sum qui sum, (*Ex.* 3.) ipse *Deus* se nominat; quod juxta 70 sonat: Ego sum ille Ens; & hoc nomen est generalissimum, Deo tamen propriissimum, idq; multipliciter. Ac primò juxta S. Gregorium Nyssenum, *Ego sum qui sum, essentiæ pelagus immensum & interminum, sum omnis & totius Entis involucrum.* Pindarus ait: *Deus est, qui principium, medium & finem rerum omnium continet.* Plato inquit: *Deus est, qui universitatem rerum omnium complectitur.* Optimè S. Pater noster: *Deus est quod est, id est, est suum ipsius & omnium aliarum rerum esse. Ipse sibi, ipse omnibus est, ac per hoc quodammodo solus est.* Hinc secundò, *Ego sum qui sum*, juxta S. Hieronymum, *solus, quia solus à meipso habeo esse; solus seu qui non sum productus vel genitus ab aliquo. Cætera autem omnia ex se & ex natura sua non sunt, sed ex voluntate mea habent esse, quantum, quemadmodum, & quousq; ego volo.* Tertiò Ego sum qui sum, quia quidquid in me est, non est accidens, sed est meum esse, sive idem cum mea essentia, uti bonitas, sapientia, omnipotentia, idem sunt cum essentia. Mellifluus Pater noster ait: *Deus amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas: quæ omnia faciunt & Angeli, facimus & nos, sed longè inferiori modo; non utiq; bono quod sumus, sed quod participamus: Deus autem hoc ipso quod est.* Quartò, Ego sum qui sum, actus purissimus & simplicissimus. Si enim essem compositus, essem posterior partibus me componentibus, & ab illis haberem esse; jam autem à me solo habeo meum esse. Quintò ego sum qui sum, id est habeo esse universalissimum, illimitatum & infinitum. Nam cùm habeam esse à me, non potuit mihi

Variæ significationes nominis Jehova QVI EST.

S. Gregorius Nyssen. I

Pindarus

Plato

D. Bernardus

S. Hieron. II.

III.

S. Bernardus

IV.

V.

determinari ipsum esse, ideoq; sum ipsum esse subsistens, incompre-
VI hensibile, innominabile & infinitum. Sextò, Ego sum qui sum, im-
S. Greg. M. mutabilis, constans & stabilis; nam dicente S. Gregorio Magno, *id*
quod mutatur, propriè non tam est, quàm desinit esse quod fuit, & in-
VII *cipit esse quod non fuit.* Inde septimò, Sum qui sum, æternus, qui sum
in præsenti carens præterito & futuro. Ac licet Hebraicum, Sum qui
sum, significet ero qui ero. Sciendum est apud Hebræos præsens non
esse, sed per participium exprimi. Aliàs futurum Hebræi usurpant pro
præsenti, ubi consuetudo, continuatio, aut perduratio, & constantia
rei significatur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient, al-
loquitur Deum Rex Vatum. [*Psalm.* 101] Tu Domine in æternum
permanes, à sæculo & usque in sæculum tu es Deus. [*Ibidem*]
S. Dionysius *Deus est ævum ævorum*, ait S. Dionysius, *& Rex seculorum, quia*
ipse est esse existentibus, & ipsum esse existentium, & existens ante se-
S. Augustin. *cula.* Præclarè Sol Doctorum Augustinus. *Æternitas*, inquit, *est Dei*
substantia, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi
jam non sit: nihil est futurum, quasi nondum sit, quia non est ibi nisi
D. Thomas *est.* Sanctus Thomas cum Theologis dat quadruplicem differentiam
Quadruplex differentia inter tempus, ævum, & æternitatem. inter tempus & ævum & æternitatem. *Prima, quòd tempus sit men-*
sura durationis hominum & rerum corruptibilium; ævum sit mensu-
ra durationis Angelorum; æternitas sit duratio propria Deo. Secun-
1. *da, quòd tempus habeat principium & finem: ævum habeat princpi-*
2 *um sed non finem; æternitas autem careat principio & fine. Tertia,*
3 *quòd tempus sit mensura rerum earum, quæ actu corrumpuntur &*
intereunt; ævum sit mensura rerum incorruptibilium, quæ tamen ab-
solutè desinere & interire possunt; æternitas verò sit Dei, qui desinere
& variari nequit vel mutari. Quarta, quòd tempus habeat successio-
4 *nem, æternitas permanentiam, ævum partim successionem partim per-*
manentiam. Licet enim Angelus naturaliter in suo ævo semper sit sta-
bilis, tamen continuò dependet à Deo, ejusque continuato jugiter in-
fluxu; quo substracto, Angelus æquè ac alia quævis creatura statim e-
vanesceret, & in nihilum, ex quo prodijt, relaberetur. Deus ergo di-
cit, sum qui sum, (*Exod.* 3.) possessor & Dominus æternitatis, ævo-
rum & temporum omnium, nec volubilitati eorum, quæ per præ-
VIII teritum, præsens, & futurum distingvuntur, subjectus. Octavò,
sum qui sum, (*ib.*) causa omnis esse, quod res creatæ à me parti-
cipant: nam quod à se & per se est tale, hoc est causa eorum quæ sunt
IX talia per participationem. Denique nono, sum qui sum unus Deus,
ex me ipso habens esse. Benè Job c. 23. dicit: ipse solus est. Si enim
quis alius esset habens simile esse independens & infinitum, is esset
Deus alius habens aliam naturam, aliud esse independens; & conse-
quenter noster Deus verus & unus non haberet naturam, nec esse
alterius illius Dei, & ideo non haberet omne esse, ac consequenter
9 Rationes, ob quas Deus Ens vel Esse nominatur. non esset Deus. Sanctus Dionysius in libro de Divinis nominibus do-
cet Deum nominari Ens vel Esse, quàm aliquid aliud, ob 9. ratio-
nes.

nes. *Primò, quia Esse primò advenit cuilibet rei, & ultimò ab ea re-* 1.
cedit. Deinde est maximè intimum cuivis rei. Tertiò est maximè inde- 2. 3.
pendens. Quartò, maximè necessarium. Quintò, universalissimum. 4. 5.
Sextò, simplicissimum. Septimò, quodammodo infinitum. Octavò, est 6. 7. 8.
perfectissimum, quia emmenter & virtualiter omnes alias continet per-
fectiones. Nonò, quia Ens est nullius participatio, cùm cætera sint En- 9.
tis & Esse participatio. Porrò uti Deus propriè est, ita homo & quæ- *Deo propriè*
vis creatura propriè non est. Quare interroganti, (*Joan.* 1.) Tu quis *convenit esse, creaturæ non*
es, posset ritè respondere: Ego sum qui non sum; ac simpliciter cum *esse.*
*D*ivo Joanne Baptista dicere semper: (*Joan.* 1.) non sum, nihil sum,
idq; ex quadruplici ratione. Prima, quia omnis creatura cum homine *Quare?* I.
habuit æternum non esse. *S*ecunda, quia si corruptibilis est, habebit II.
rursùs æternum non esse: si incorruptibilis, habere potest non esse,
cùm sit in potestate *D*ei potentis ipsam annihilare. Tertia, quia est III.
variationi & mutationi subjecta, eapropter habet admixtum non esse.
Quarta, quia plus habet non Entis quàm Entis. Sic homo tantùm IV.
habet esse hominis, sed non esse Angeli, cæli, terræ, aliarumque re-
rum creatarum, quod numerosius est, simul habet: potestque dici ho-
minem habere unum duntaxat esse, & innumerabilia non esse. Re-
deo ad nomen *D*ivinum: QVI EST; quod Sol Theologorum ex tripli-
ci ratione asserit proprium esse *Deo. Primò propter sui significatio-* D. Thomas.
nem; non enim significat formam aliquam, sed ipsum esse; unumquodq; *Cur QVI EST nomen est Deo*
enim denominatur à sua forma; Deus à suo esse. Unde cùm esse Dei, sit *proprium?* I.
ipsa ejus essentia, & hoc nulli alij conveniat, nisi Deo; esse enim, juxta S.
Hilarium, *non est accidens in Deo, sed Subsistentiæ veritas;* & juxta S. Hilarius.
eundem D. Thomam, *Deus cùm sit primum efficiens & actus purus* D. Thomas.
& Ens simpliciter primum, habet indistinctam ab esse essentiam; ideoq;
ipse est suum esse. est sua essentia. Secundò propter ejus universalitatem, II.
nullam enim habet determinationem. Quolibet enim alio nomine deter-
minatur aliquis modus substantiæ rei: sed hoc nomen QVI EST, *nullum*
modum essendi determinat, sed se habet indeterminatè ad omnes. Unde
S. Damasc. dicit; *quòd principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur, nomi-* S. Damasc.
nibus est, QVI EST. *Totum enim in seipso est comprehendens velut quoddam*
pelagus substantiæ infinitum & indeterminatum. Tertiò ex ejus signi- III.
ficatione: significat enim esse in præsenti, & hoc maximè propriè de Deo
dicitur, cujus esse non novit præteritum vel futurum, ut dicit S. Augu-
stinus. Hæc dicta ex D. Thoma. Nomen ergo Dei, QUI EST, intel- *Quid per hoc nomen intelli-*
ligitur simul Pater & Filius & Spiritus Sanctus, unius essentiæ, trium *gitur?*
personarum. Est Pater, est Filius, est Spiritus Sanctus, & hi tres u-
num sunt. (1. *Joan.* 5.) Pater à seipso, Filius à Patre, Spiritus Sanctus
à Patre & Filio, omnes tres unus Deus. Liceat dicere diffusam esse
gratiam in labijs *D*ei Patris benedicentis, qui est fons omnis gratiæ &
benedictionis. Benedicere Dei in creaturis est ipsarum crescere & mul-
tiplicari: (*Gen.* 1.) quidni in Divinis benedicere Dei Patris est Verbum
suum progenerare, & cum Verbo Spiritum Sanctum producere?

Tres gratiæ apud antiquos. Aglaia, Thalia, & Euphrosyne. Cur illarum una aversa pingitur, duæ ad nos conversæ? Cur nudæ? connexæ? juvenes? virgines?

Invocatio Sanctissimæ Trinitatis, & Oratio ad illam.

Monasterium dictum Oliva SS. Trinitati dedicatum.

Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus apud Isaiam (*c. 66.*) Si ego qui generationem cæteris tribuo, idq; per benedictionem, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus, (*ib.*) qui æternam & infinitam habet in se fœcunditatem, eamque omnis gratiæ plenam & veritatis. *Joan. 1.* Tres gratias sive Charites finxit mythologica Antiquitas. Unam Aglaiam, ab hilaritate sive lætitia, eò quod hilariter præstandũ sit beneficium. Hilarem datorem diligit ipse Deus, teste Scriptura. 2. *Cor.* 9. Alteram Thaliam à viriditate, eò quod beneficij memoria nunquã marcescere, sed semper debet virere. Tertiam Euphrosynen ab oblectatione, eò quod non minùs in dando, quàm in accipiendo nos conveniat delectari. Harum una aversa pingitur, duæ ad nos conversæ, quo duplicem pro accepto beneficio gratiam rependi oportere significatur. Nudæ sunt, quia beneficia sine fuco exhibentur; connexæ, quòd beneficium semper pariat beneficium, perpetuumque esse debeat benevolentiæ fœdus. Juvenes, beneficij enim accepti gratia senescere non debet, sed semper florere. Virgines continuò in Acidalio Orchomoni fonte se lavantes, vel quòd pura beneficia, nullamque retributionis spem habere, vel quod nihil turpe rogare necesse sit. Applicet hæc qui volet, & in quantum comparari possunt SSmæ Trinitati, mihi sat erit dicere; nihil gratiosius, nihil beneficentius, nihil hilarius, nihil florentius, nihil purius, nihil pulchrius, nihil melius, nihil amabilius, nihil delectabilius in rerum natura dari Sanctissimo Deo nostro UniTrino, supereminenter & abyssaliter hæc omnia, & alia infinita bona in se comprehendente, in quo, & à quo, & per quem diffusa est omnis gratia atque benedictio & in creatione, & in redemptione, & in sanctificatione generis humani. O Sanctissima, gratiosa, benedicta Trinitas in unitate, & unitas in Tinitate, Pater, Fili, & Spiritus Sancte! Sanctum & terribile est nomen tuum; (*Ps.* 110) sanctum justis qui in gratia sunt, terribile iniquis qui in peccato sunt; sanctum benedictis, terribile maledictis; sanctum beatis, terribile damnatis. Hoc est nomen tuum ab æterno & usq; in æternum, & memoriale nostrum in desiderio animæ. *Is.* 26.) Benedic nos Deus Deus noster, benedic nos Deus. (*Ps.* 66.) Sit nomen tuum benedictum in nobis ex hoc nunc & usque in sæculum. (*Ps.* 112.) Domine labia nostra non prohibebimus (*Ps.* 39) à laude tua, tantummodò in illa diffunde gratiam tuam, ut qui ex nihilo, in nihilo, nihilum sumus per nos; per te, in te, & ex te habeamus esse gratiæ & benedictionis, sicut habemus esse creationis. In nomine sancto tuo speramus, (*Ps.* 32.) in nomine hoc confitebimur in sæculum, [*Ps.* 74] in nomine hoc magnificabimur, [*Ps.* 19] & exultabimus, (*Ps.* 88) & glorificabimus nomen tuum, [*Ps.* 85.] & exaltabimus illud in idipsum; (*Ps.* 33.) cui nomini da gloriam [*Ps.* 113] in nobis, in hac Oliva Tuo SS. Nomini dedicata, & salva nos propter nomen tuum, timentes nomen tuum & amantes. *Ens Entium miserere nostri*, qui nos cum mundo propter te creâsti, & mundum propter

propter nos condidisti, constituens nos super opera manuũ tuarũ, *Ps.* 8 fac ut ijs utamur propter gloriam nominis tui. Audiamus finaliter S. Basilium: *Deus fecit mundum, ut bonus utilem, ut sapiens pulcherrimum, ut potens maximum.* Si hæc didicerimus, nos ipsos agnoscemus, Deum cognoscemus, Conditorem adorabimus, Domino serviemus, Patrem glorificabimus, Nutritium diligemus, Benefactorem reverebimur, Authorem præsentis & futuræ vitæ colere nunquam desinemus; quam nobis cum sua gratia & benedictione impertiatur SS. Trinitas Unus Deus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus Amen.

Sermo in Festo Sacratissimi Corporis Christi.

Diffusa est gratia in labiis tuis. Ps. 44

Eucharistia bona gratia.

EUcharistiam ex græco bonam gratiam significare, apud omnes est in confesso. PP. RR. FF. DD. Idq; juremeritò Sanctissimum altaris Sacramentum tali nomine est insignitum. Quæ enim melior & major gratia dari potest, quàm quòd Deus panis & vini species induat, in cibum & potum se transformet, hominique tradat ad vescenndum? Quanta bonitas Dei, hominem pascere seipso tam spiritualiter quàm corporaliter! Quanta gratia, tot miraculorum adinventionibus, quot in hoc maximo Sacramento reperiuntur, Deum homini se communicare! Quantus amor, homini se velle incorporari & uniri, hominemq; planè deificare! Audiamus D. Chrysologum de circuitione JESU per castella in circuitu, & applicemus ejus processionibus in Sanctissimo Sacramento, & reduplicationibus per tot Ecclesias & altaria. *Ille qui capit ipse omnia, nec ab ulla capitur ipse creatura, intrat & tuo angustiatur in corpore, tuis in habitaculis se coarctat. Et ille, cujus Majestatem vox fidelium quotidiana testatur,* Pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ; *hic propter te circuit, apparet, videtur & tenetur in locis. Quò se movet immobilis plenitudo, quó accedit, vel unde recedit, quo plena sunt omnia? Et tamen vadit, redit, descendit, ascendit, & totum te & propter te homo Deus patitur. Quare?* Respondet Sanctus Præsul: *quia te nimis diligit, nimis amat.* Et ut nobis pateret, quantas assumat metamorphoses Deus in gratiam hominis, prosequitur idem auriloquus Doctor: *Habitus suscipit, formas variat, commutat officia; & nunc igneus tibi resplendet in rubo, ut te perfidiâ frigidum fidei calore succendat. Nunc elucescit cælesti flammeus in columna, ut remotis ignorantiæ tuæ tenebris per solitudines mundi hujus viam possis scientiæ percurrere Salvatoris. Nunc idem tibi nubis vertitur in columnam, ut ardentes tuorum temperet æstus animorum. Nunc te ut aquila protegit pennis sapientiæ, ut cælestem provocet ad volatum.* Testatur id Moyses dicens: (*Deut.* 32.) Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas & assumpsit eum, atq; portavit in humeris suis. *Nunc sicut gallina* [progreditur ultra S. Chrysologus) *ducit, educit, vocat, recipit, protegit, portat, fovet, ambit, amplectitur, & sui volatûs obli-*

Margin notes: S. Chrysol. — *Dignatio Dei in cor humanum se demittentis,* — *ex amore hominis,* — Idem. *quem accendit in rubo, illuminat in columna ignis, in columna nubis moderatur, protegit ut aquila,* — Idem. *fovet ut gallina,*

ta, suæ temporaliter immemor libertatis, tuis inpenetralibus, tuo versatur in pulvere, ut te vernaculis familiaribus domesticis alat, erudiat, instituat nutrimentis. Hoc est quod dicit ipsa Veritas: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? (*Matth.* 23.) Nonne hoc potissimùm præstat in desideratissimo Eucharistiæ Sacramento? Tandem concludit: *Nunc ut Pastor bonus altissimis errantem solus requirit in montibus, solus invenit, solus suis imponit humeris, & ne ampliùs in terrena pascua luporum morsibus deducaris, cælestes evehit & perducit ad caulas.* Hæc fusè D. Chrysologus. Cælestes omninò, quando panem cæli dedit ei, panem Angelorum manducavit homo, [*Ps.* 77] ut meritò possit dicere: Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. (*Ps.* 22.) Quis est iste locus pascuæ? Est Ecclesia sancta, ubi Christus Dominus bonus Pastor Sacramentis, doctrinâ, & gratijs oves suas pascit, primò super aquam refectionis educans easdem, (*ib.*) aquâ refectionis sive reparationis ac renovationis per baptismum lavat; aquâ sapientiæ salutaris, (*Eccli* 15.) & gratiæ fluentis potat; deinde animam convertit, quia magnâ charitate errantes oves quærit, & ad pascua refert, atq; per pœnitentiæ viam reducit. Postea deducit super semitas justitiæ, (*ib.*) per viam virtutis propter nomen suum, propter se per methonymiam ponendo nomen pro re nominata, quâ sæpe utuntur Hebræi; *propter gloriam nominis sui* juxta D. Thomam, *propter bonitatem suam* secundùm Hugonem, propter nomen suum ait vulgaris textus, quod est JESUS, propterea quia est Salvator. Porrò ovium tanta est securitas sub Duce Christo & Pastore, ut quivis dicere possit: Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. (*Ps.* 22.) Et quia correctio & correptio ovibus exorbitantibus necessaria est, Christus Pastor suâ severitate moderatâ oves continet in officio, ut quilibet cogatur dicere: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. (*Ib.*) Tandem optima pascua edisserit: Parasti in conspectu meo mensam. (*Ib.*) Qualem? Mensam panis, panis vitæ, qui de cælo descendit & dat vitam mundo. [*Joan* 6.) Hæc est mensa, de qua in Proverbijs c.9. Sapientia ædificavit sibi domum, & proposuit mensam Eucharistici panis, miscuit vinum, (*Ib.*) in sanguinem illud suum transmutando. En nova Dei hominis in panem transfiguratio hominis pascendi gratiâ. En locus pascuæ Davidicæ Bethleem, quod dicitur domus panis, non minùs Ecclesiæ Sanctæ figura, quæ & ipsa est domus panis. Quidni Ecclesiam denotet Bethlehem, ubi natus est Pater David & Filius ejus Christus Dominus? (*Matt.* 2.) Ubi David in figura Christi pavit greges, (1. *Reg.* 17.) ubi maxima pascuorum ubertas ex situ loci fonte irrigui, ob fertilitatem picta domus panis, & Ephrata id est frugifera. Tria explicat pascua Divus Ambrosius: *Quæ sunt pascua? interrogat, nisi Christus, in cujus pascuis se locatum Propheta lætatus est dicens:* (ps. 22.) *in loco pascuæ ibi me*

Idem. *Errantem reducit ut Pastor*

Quis locus pascuæ & modus?

Magna ovium sub hoc Pastore securitas.

Quæ mensa pro ovibus?

Bethleem figura Ecclesiæ.

S. Ambros. *Tria pascua.* l.

me collocavit. Ipse enim nos pascit & reficit. Deinde bona pascua Divina sunt Sacramenta. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit Resurrectionis: carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis: carpis rosam, hoc est Dominici corporis sanguinem. Tertiò, bona etiam pascua libri sunt Scripturarum cælestium, in quibus quotidianâ lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur; cùm ea quæ scripta sunt degustamus, vel summo ore libata frequentiùs ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur. Ita Divus Ambrosius. Sed redeamus ad pascua Bethlehemitica, ad domum panis, ad mensam in conspectu nostro paratam (*Ps. 22.*) in altari; & consideremus quanta hic gratia Dei erga nos sit manifestata: ubi memoriam fecit mirabilium suorum Dominus, escam dedit timentibus se. (*Ps. 110.*) Mensa hæc si tropologicè sumatur, denotat cibum fidei, & refectionem omnium virtutum, atq; supernæ contemplationis. Si anagogicè intelligatur, signat mensam cælestem, ubi beatus, qui manducabit panem in Regno *Dei*, (*Luc. 14.*) de qua ipse Dominus: (*Luc. 21.*) Ego dispono vobis, id est decerno, præparo, & per testamentum lego, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo, quod per catachresim dicitur: Deus enim in ipsos veluti transfusus, illis quodammodo incorporatur & unitur, sicut cibus & potus in substantiam aliti convertitur, & in eum transformatur, atque in illo vivit. *Mensa* symbolicè sumpta, *est Scriptura Divina* juxta Divum Hieronymum: *Sicut enim in mensa*, ait, *invenitur consolatio & refectio, sic & Sancti per mensam, id est per Scripturam Divinam habent consolationem & refectionem, id est fidem, spem & charitatem; adversùs persecutores Ecclesiæ, qui sunt dæmones, Judæi & hæretici*, videlicet adversùs omnes qui tribulant nos. (*Ps. 22*) Et paulò suprà: *ut jam non lacte quasi parvulus alar, sed solido cibo; id est ut spirituali dente ruminans Scripturas Sanctas, possim perversis resistere.* Super hanc mensam tot fercula sunt, quot sensus salutares reperiuntur. Sit panis quasi hordeaceus literalis expositio, sit siligineus allegoricus sensus, sit triticeus moralis, sit similagineus anagogicus, qui cùm sit cælestis, omnium est sapientissimus & sapidissimus. Sic ergo ultimatè mensa nostra [allegoricè sumpta] juxta sensum genuinum & intentum, ex mente Sanctorum, Chrysostomi, Basilij, Ambrosij, Divi Thomæ, & aliorum plurimorum Sanctorum Doctorum, est mensa Sanctissimæ Eucharistiæ, ab ipso Christo Domino nobis parata, & in ultima cæna instituta, atque semper conspectui nostro in altari exposita, in Ecclesia sancta præsentata, in qua summa ipsius gratia, infinitus amor, sapientia supereminens, copiosissima liberalitas, & potentia cernitur admiranda. Examinemus singula. Et quidē magna apparuit gratia *Dei* & Salvatoris nostri JESU Christi, (*Tit. 2.*) apparuit ingens benignitas & humanitas ejus, (*Tit. 3.*) quando propter indignum & ingratum hominem salvandum homo factus est. Longè major innotuit gratia, quando propter eundem redimendum

II.

III.

Mensa Eucharistica tropologicè quid designat?

Quid anagogicè?

Quid symbolicè?

S. Hieron.

Quid allegoricè?

Benignitas Dei propter hominem incarnati;

mortui, resurgentis, in cælum ascendentis, & Spiritum S. mittentis.

à diabolo, morte & peccato, passus, mortuus & sepultus est, tandemque resurrexit & ascendit in cælum, eiq; Spiritum Sanctum cum omnibus gratiarum donis indulsit. Sed hic maximam exhibuit gratiam, quando seipso nutrit hominem, carnem suam in cibum, & sangvinem in potum illi communicando. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* inclamat aureum Os. *Quis Pastor unquam membris suis oves suas nutrivit? Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, & sibi conjungit atq; conglutinat.* O diluvium gratiæ immensum! Sed ecce ô intermina charitatis abyssus! Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. [*Joan.* 15.) En adhuc major, quia non tantum animam, sed & corpus & Divinitatem ponit Christus in Eucharistiæ mensa; & cõsequenter Divinitatem Patris & Spiritûs Sancti, quia hæc est individua & inseparabilis à Filij Divinitate. Unde hæc mensa est Divina homines deificans. Inter elogia, quæ huic Pani Eucharistico dat Divus Albertus Magnus, est quoq; istud, dum dicit: *Hic Panis origine cælestis est, substantialiter Deificus est, causaliter vivificus, Sacramentaliter unitivus, effectu viaticus est, & specietenùs æternæ fruitionis designativus.* Sapientia porrò elucet incomprehensibilis, quòd ad se homini intimè uniendum, eumq; seipso nutriendum, hanc dispòsuit & ordinavit mensam. Quid enim fuit homini pro illicio ad peccatum? Esca. Hic quid potest homini appetitum ciere ad gratiam? Esca. Illa interdicta perdidit hominem in mortem, hæc addicta salvat hominem ad vitam. Quanta autem sit unio Christi cum homine, manifestat S. Cyrillus Alexandrinus: *Sicuti si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est: sic qui carnem & sangvinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso & ipse in Christo inveniatur.* Sed hic notandum, qui sic uniri vult Christo, debet ipsi similis esse per omnia; quia aliàs talis, qualis est ceræ, non fieret conjunctio. Quod attinet liberalitatem, hæc tanta est, ut nequeat cogitatione complecti, multò minùs verbis explicari. Quid enim ampliùs desiderare possumus à profusissimo omnium bonorum largitore Deo, qui se totum nobis tradidit, & planè effudit ac exinanivit, nihil sibi relinquendo in hoc Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento? Dat nobis corpus, sangvinem, animam & Divinitatem. Cum hac omnia bona & dona, sigillatim Spiritûs Sancti charismata nobis infundit; confert & adauget gratiam sanctificantem, ex opere operato datam, eam quæ datur intuitu actionum ipsius operantis, deniq; omnes virtutes gratiam consequentes, & cum ea infundi solitas accumulat, idq; copiosiùs quàm in ullo alio Sacramento. Postremò potentia hujus Sacramenti explicatur per Psalmum 22. Parâsti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me; quod Hebraicè sonat angustiatores, obsessores, coarctatores meos. *Est quidem* juxta Magistrum sententiarum *hoc Sacramentum* Eucha-

Maxima Dei gratia in SS. Eucharistiæ Sacramento.

D. Chrysost.

D. Albertus Magnus.

Elogia Panis Eucharistici.

Unio Christi cum homine quanta,

S. Cyrillus Alexandr.

& quâ ratione

Liberalitas Christi in SS. Sacramento.

Potentia hujus Sacramenti.

Magist. Sent.

Eucharistiæ duabus de causis, in augmentũ virtutis, scilicet charitatis, & in medicinam quotidianæ infirmitatis; & uti S. Joannes Damascenus inquit: *Illis qui Sacramentum istud per fidem dignè recipiunt, in peccatorum remissionem & vitam æternam, & in animi ac corporis præsidium cedit*: ita est, in remissionem peccatorum venialium, quia mortalia solum Pœnitentiæ Sacramentum tollit in baptizatis. De vita æterna mox dicam, nunc præsidium & defensionem explico, quòd etiã ante pugnam nos confortet, dicente Hugone Victorino: *Hoc Sacramentum est firmamentum contra hostes.* Sicut panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat, (*Ps.* 103.) ita hoc Sacramentum est fortitudo & salus & perfecta lætitia corporis & animarum. Et in pugna nos roborat & recreat, servitq; instar panis illius subcinericij vel hordeacei, evertentis & solo coæquantis castra Madianitarum. Et post pugnam vires debilitatas reparat ac refocillat, fructumq; offert victoriæ, adinstar panis & vini à Rege Melchisedech Abrahamo Victori oblati, tam ad sanandas plagas in prælio acceptas, quàm pro præmio victoriæ reportatæ. Restat fructus maximus Sacramenti Eucharistici vita æterna. Et quidem cùm hic Panis qui sumitur est Panis vivus, est Panis vitæ, est Panis qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, (*Joan.* 6.) imò est ipsa vita & resurrectio, (*Joan.* 11.) idcircò multipliciter vitam dat. Ac primò, vitam gratiæ, quia fontem & originem omnis gratiæ in se includit. In ipso vita erat, ait dilectus JESU Discipulus, (*Joan.* 1) vita formalis; acsi dicat: Verbi substantia est vita, ipsum Verbum est vita essentialiter, est vita per se subsistens. Deinde est vita causalis, tum naturalis, dans vitam omnibus rebus creatis; tum supernaturalis, tanquam fons gratiæ & gloriæ. Et vita erat lux hominum, (*Joan.* 1) eos per fidem & gratiam illuminans, tam clariorem Sanctissimæ Trinitatis & aliorum mysteriorum fidem suppeditando, quàm Sacramenta lumina gratiæ conferentia instituendo. Lex per Moysen data est, ait idem Apostolus, (*Joan.* 1.) gratia & veritas per JESUM Christum facta est. S. Augustinus asserit, *gratiam pertinere ad charitatis plenitudinem, veritatem ad prophetiarum adimpletionem.* Pulchrè S. Cyrillus: *Vivificativum Dei verbum*, inquit, *uniens seipsum propriæ carni fecit ipsam vivificativam. Decebat enim nostris quodammodo uniri corporibus per Sacram ejus carnem, & pretiosum sangvinem, quæ accipimus in benedictionem vivificativam in pane & in vino.* Dat quoq; gratiam nobis velut signum repræsentativum & rememorativum suæ Passionis, hoc efficiens in anima recipientis, quod Passio fecit in mundo. Dat gratiam ad normam cibi & potûs, vitam reparando, conservando & augendo in anima. Dat gratiam per modum Symboli nobis ostendendo, quòd sicut panis ex multis granis factus, & vinum ex multis acinis expressum denotat unionem, ita hìc signat conferri charitatem, quæ nunquam est sinè gratia sanctificante. Deinde dat vitam animæ eam nutriendo & vegetando, & hoc quod deperditur ex calore concupiscentiæ per pecca-

S. Joannes. Damasc.

Peccata venialia tollit,

ante pugnam confortat,

in pugna roborat.

post pugnam refocillat.

Fructus maximus SS. Sacramenti, vita æterna, quem Panis Divinus quomodo dat? I.

II.

S. August.

S. Cyrillus.

III.

IV.

V.

VI.

ta venialia, fervorem charitatis diminuentia, supplendo per remissionem peccatorum. Sic loquitur Sanctus Cyprianus: *Panis iste substantialis, & calix solenni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam salutemq; proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens. Tollit porro etiam*

D. Thomas. *am mortale peccatum per accidens*, uti asserit D. Thomas, *in eo qui absq; peccati conscientia & affectu devotè & reverenter illud suscipit.* Unde Ecclesia orans, ut hoc Sacramentum *sit ablutio scelerum*, intelligit vel eorum, quorum conscientiam non habemus, uti occultorum, vel ut contritio in nobis perficiatur per charitatem ad scelerum deletionem, vel etiam ut nobis detur robur ad scelera vitanda. Tollit verò re ipsa reatum pænæ debitæ ob peccata venialia, & ob mortalia priùs condonata, tum quatenus est Sacramentum, tum quatenus est Sacrificium. Non tamen omnem tollit reatum, sed secundùm modum

VII. devotionis & fervoris in eo qui accedit. Ulteriùs Eucharistiæ Sacramentum dat longam vitam gratiæ, siquidem præservat à peccatis futuris, intùs roborando velut cibus, extrà protegendo tanquam scutum. Concilium Tridentinum asserit hoc Sacramentum nobis datum tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis

VIII. mortalibus præservemur. Dat quod amplius vitam Divinam. Sanctus

S. Dionysius Dionysius dicit, *Sacerdotem in Deitatis consortium transire, & communionem esse Deificam: & eos qui dignè communicant, per vitæ sinceræ ac Divinæ similitudinem Christo compaginari.* Conciliū Tridentinum ait *Spiritualem hunc animæ cibum esse, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius qui dixit: Qui manducat me & ipse vi-*

S. Ambros. *vet propter me.* Unde faciamus quod S. Ambrosius mandat. *Et nos habeamus processum hujus vitæ, sicut habuit Paulus, qui dicit: Vivo ego jam non ego. Non ego qui terram ante manducabam: non ego qui fœnum sum, quia omnis caro fœnum, sed vivit in me Christus, vivit Panis ille vivus, qui venit de cœlo; vivit Sapientia, vivit*

IX. *gratia, vivit resurrectio.* Deniq; Sacramentum Eucharistiæ dat corporibus & animabus nostris vitam gloriosam & æternam: hoc quod promisit ipsemet Dominus: & ego resuscitabo eum in novissimo die.

S. Ignatius. Elogia SS. Eucharistiæ. (*Joan.* 6.) Hinc S. Ignatius Eucharistiam vocat *Panem vivum, pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, vitamq; in Deo concilians per IESUM Christum, purgans vitia & omnia pellens mala.* Sequamur

S. Ambros. igitur S Ambrosium exhortantem nos: *Accedite ad eum & satiamini, quia Panis est; accedite ad eum & potate, quia Fons est; accedite ad eum & illuminamini, quia Lux est; accedite ad eum & liberamini, quia ubi spiritus Domini, ibi libertas; accedite ad eum & absolvimini,*

Ad quem quomodo accedendum? *quia remissio peccatorum est.* Sed quomodo accedendum? cum emendatione vitæ, ne ampliùs peccemus, imò cum novitate vitæ in justitia & sanctitate veritatis ambulemus celando bona nostra, sicut ille Deus absconditus est; eâ quâ Christus in Eucharistia vivit vitâ vivendo, nos in ipsum transformando & totaliter in eum transsubstantiando, il-

lum

lum in omnibus imitando; demum totos nos ipsi consecrando, de quo S. Bonaventura: *Dominus indivisum & integrum corpus suum obtulit mihi; malè ergo dividor, & vel minimâ mei parte illum defraudo. Totus ipse est in tota hostia, & totus in qualibet parte vel puncto. Itaq; quot ibi sunt puncta, toties se tibi totum donat planè infinities. Da ergo totum pro toto, & accede cum fide viva, spe certa, charitate perfecta, atq; desiderio intensissimo te ipsi uniendi, in ipso manendi, & ipsi soli in æternum adhærendi.* Recede autem ab hac mensa cum lætitia, cum laude Dei, cum omnimoda gratiarum actione. Sit diffusa gratia in labijs tuis, sit gratitudo omnis in corde tuo erga tantam & tam bonam gratiam. Ultimariò audiamus D. Chrysostomum: *Christus gratias egit antequam discipulis daret, ut etiam nos à gratiarum actione incipiamus. Gratias egit, posteaquam dedit, & hymnum cecinit, ut nos quoq; similiter faciamus:* & sic (addo ego) semper gratiam pro gratia tantæ gratiæ Datori exhibeamus.

D. Bonaven.

Sermo in Festo Sancti Joannis Baptistæ

Diffusa est gratia in labiis tuis. Ps. 44.

QUidquid in Joanne Baptista, cujus ortum hodie celebramus, emicat, gratiæ Dei indicat excellentiam. PP. RR. FF. DD. Quidquid à Joanne profluit, gratiæ Divinæ explicat documenta. Deniq; quidquid Joannes est, totum id gratia Dei est; ita ut verè cum Apostolo possit gloriari: (1. *Cor.* 15.) Gratiâ Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit. Si præsagia & præfigurationes Prophetarum attendimus, si Angelicas prædictiones consideramus, si conceptionis ejus scrutamur mysteria, si Nativitatis insignia speculamur, si vitæ rimamur decursum, si prædicationis officium pensamus, si baptismi dignitatem suspicimus, si oracula ejus auscultamus, si præconia Verbi Divini de eo revolvimus, si mortis exitum trutinamus; omnia stupenda gratiæ Divinæ miracula in omnibus reperimus. Libet singula percurrere, ut ubiq; diffusam gratiam [*Ps.* 44.] in labijs omnium agnoscamus. Et quidem primùm labia Isaiæ Prophetæ calculo mundata ignito, [*Isa.* 6.] quidditatem Joannis nobis patefaciunt prophetizando: *Luc.* 3. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, *& reliqua*; quod ipsum vaticinium ipsemet interrogatus, (*Joan.* 1) Tu quis es, sibi appropriavit, ad demonstrandum humilitatis exemplum: neq; enim alteram Prophetiam Malachiæ *c.* 3 de se factam sibi vendicavit, quam ipsamet Veritas Dei Incarnata de eo debuit publicare dicens: [*Luc.* 7.] Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Sic qui se duntaxat vocem clamantis nominat, Angelus esse declaratur, utrumq; munere gratiæ Divinæ. Figuram ejus longè antè præsetulit Propheta Jeremias, cui adhuc puero dixit Deus, *cap.* 1. Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi

In Joanne Baptista omnia gratiæ sunt plena.

Vaticinia Prophetarum in ipso implentur. Isaia,

& Malachiæ.

Figura Joannis fuit Jeremias,

dedi te. Quin hoc quod vidit Jeremias, Joannes executus est. Virgam vigilantem & ollam succensam viderat ille, c. 1. hic per prædicationem pænitentiæ, & mortificationis exercitium virgam vigilare fecit, & per interminationem Divini judicij in igne venturi ollam succensam iræ Dei patefecit. Quidni & Elias, figura ejus fuit, in cujus spiritu & virtute venturus prædicebatur? [*Luc.* 1.] Jam Evangelizatio Archangeli Gabrielis nonne bonæ gratiæ nuntium dicendum? Missus sum inquit, (*Luc.* 1.) loqui ad te, & hæc tibi evangelizare. Annunciatio ergo de Joanne per partum Elizabeth generando, Joannis erat evangelizatio, erat boni nuncij manifestatio. Pulchrè Divus Chrysologus. *In hora incensi Fratres*, ait, *jam sol Judaico occumbebat in templo, ut Ecclesiæ matutinus exurgeret.* Liceat interloqui, utiq; ut ad vesperum demoraretur fletus, & ad matutinum esset lætitia. (*Ps.* 29) *Judaicæ doctrinæ instabat vesper, quia Evangelij imminebat aurora.* Detur venia mihi interroganti; quæ aurora? Haud dubiè Joannes, Evangelica aurora Solis justitiæ [*Malach.* 4.] præambula, diei gratiæ prænuncia. Unde benè sequitur apud S. Chrysologum: *Legis* ait, *obscurabatur dies, ut totus reluceret in gratiam. Hinc est quòd Zacharias in hora incensi, hoc est in extremo tempore legalium cæremoniarum Prophetali spiritu incensum infert, offert preces, desideria ingerit, vota commendat, tempus admonet, promissa repetit, exigit Christum.* Infert ultra Antistes Ravennatensis textum Evangelij; *Et omnis multitudo orabat foris*; super quo sic: *Ut ergo populus*, inquit, *qui stabat foris, intromitteretur, exorat; quia quos lex adducit ad januam gratiæ, intromittit in templum.* Quæ gratia? Joannes, qui primus januam aperuit Evangelio, portam legis gratiæ reseravit. Audiamus nunc præsagia Angeli, ea quàm rara, quàm stupenda de Joanne nascituro. Dicto quod Patris ad votum daretur, quia exaudita est oratio tua, inquit Angelus ad Zachariam; [*Luc.* 1.] subinfert: (*Ib.*) & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium. *Si Angelus ad petita respondit*, ait S. Chrysologus, *Sacerdos pro solo pignore supplicavit.* Sed postea subdit: *Quàm non sibi soli sed omnibus affuerit iste venerandus Antistes! Quàm responderit Angelus universis! Quàm Deus prospexerit in uno istius germine Sacerdotis, quem genitoribus, utiq. & ipsi ob hoc delegerat naturæ, ut eum daret universitati, largiretur seculis, populis condonaret, & fieret Sancti filius, inter Sacraria delatus, inter Sacramenta concessus; esset Antistes de Venerando generatus Antistite, esset Angelus ore Angeli sancta delatus in viscera, esset vox Christi ad Christum, sua reservatus ad tempora; esset Præco Judicis præsentiam clamaturus; esset pœnitentia, populos Christi ad veniam vocaturus.* Ita D. Chrysologus. Ergo Joannes non soli Patri, nec soli Matri, sed mundo natus est universo. Patet ex consequenti: (*Luc.* 1.) & multi in Nativitate ejus gaudebunt; ubi subjungit idem Sanctus Præsul. *Non est uni genitus, qui est cunctorum creatus ad gaudium.* Ratio gaudij multorum: erit enim magnus coram Domino; magna propterea poterit à Domino impetrare.

& Elias.

S. Chrysol.

Joannes aurora fuit Solis justitiæ præambula

Idem

Idem

Præsagia Angeli de Joanne nasciturо,

Idem

qui universo orbi natus est.

Idem

trare.

trare. Sed longè majora omnium Maximus de Joanne enuntiat dicens: (*Matth.* 11.) Non surrexit major Joanne Baptistâ. Et reverà magnum quid Angelus profert de Joanne, quòd Spiritu Sancto replebitur adhuc in utero matris suæ. (*Luc.* 1.) Quid majus dari potest homini nascituro? Dicat nobis sæpiùs citatus S. Chrysologus: *Videtis*, inquit, *quemadmodum Joannes antè pervenit ad cælum quàm tangeret terram; antè accepit Divinum Spiritum, quàm haberet humanum; antè suscepit Divina munera quàm corporis membra; antè cæperit vivere Deo quàm sibi; imo antè vixit ille Deo, quàm Deus viveret illi, juxta illud Apostoli: Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Hæc D. Petrus Chrysologus, qui idipsum alibi exaggerat dicens: *Beatus Joannes, qui antè Dei spiritu meruit intonare, quàm hominis vagiret in fletu; Beatus, qui antè Divina meruit possidere, quàm sortiretur humana; Beatus, qui antè cœlum meruit scire quàm terram; Beatus, qui antequam videret præsentia, futura meruit nunciare, Beatus, qui antè Deū capere potuit quàm suo ipse caperetur à corpore. Beatus & singulariter est beatus, qui antequam saperet quærere, meritum conquisivit; Beatus, qui non pervenit ad gratiam per laborem, sed ad labores ipsius gratiæ dignatione descendit.* Quis hic non fateatur, quòd totum quidquid Joannes est, gratia est? Ulteriora Joannis magnalia recenset Legatus cælestis, (*Luc.* 1.) quòd multos filiorum ex Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. (*Luc.* 1.) Magna functio, magnus labor, Apostolicum officium est homines ad Deum convertere. Quid dico? Divinum opus est dicente Propheta: (*Thr.* 5) Converte nos Domine ad te & convertemur. Nec satis est quòd convertet, sed etiam parabit Domino plebem perfectam. (*Luc.* 1) Perfectus igitur erat Joannes, qui alios poterat facere perfectos; sed quid mirum quando etiam in utero gratiæ possedit perfectionem? Penè exciderat nobis illud de Joanne abstemio futuro prædictum: *Luc.* 1.) & vinum & siceram non bibet, sed Spiritu Sancto replebitur, (*Ib.*) juxta illud Apostoli: (*Eph.* 5.) Fratres nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu Sancto. Libet sensum Auriloqui Doctoris desuper proponere: *Qui natus est sancto de corpore Sacerdotis, & summâ senectute ab omnibus vitijs defæcato, atq; exempto juventutis incendijs, vinum nescit, ignorat siceram, quæ pariunt luxûs & ebrietatis vitia, & tota dissipant morum decora, ornamenta virtutum.* Est alterum de Joanne vaticinium, quòd præcedet ante Dominum in spiritu & virtute Eliæ: *Luc.* 1 de quo sic sæpiùs nominatus Antistes: *Elias venit in spiritu, & in ejus virtute graditur, qui totum victu, vestitu, honore, castitate, abstinentiâ, & omnibus Eliam repræsentat & Christum.* Quod summum est, & veraciter juxta testimonium D. Gregorij M. *Joannes tantæ virtutis erat, ut Christus credi potuisset.* Hæc sunt encomia Joannis, Angeli ore prolata; quæ ut novo elucerent miraculo, silentio Patris sepeliuntur; & quod magis est, matris quoq; secreto celantur. Et occultabat se mensibus quinque, ait Evāgelista

Testimonium Christi de Joanne.

Idem.

Idem.

Multos convertet ad Dominum Deum,

& parabit Domino plebē perfectam,

vinum & siceram non bibet.

Idem.

In spiritu & virtute Eliæ Dominum præcedet.

Idem.

D. Gregor. Magnus.

D. Chrysol.

gelista. (*Luc.* 1.) *Pater tacet ex pœna*, exponit noster Petrus Ravennatensis, *ex verecundia Mater celat. O quanto silentio vox nascitur! O quantâ taciturnitate tuba sæculis inclamatura generatur! O quod secretum Divini Judicis dat Præconem!*

Joannes filius silentij,

Joannes igitur filius est silentij, ut vox esset clamantis in deserto. (*Luc.* 3.) Joannes dico, qui gratia dicitur, quia gratia Dei per Salvatorem acquiritur. In silentio & spe erit fortitudo vestra, (*Is.* 30.) cultus justitiæ silentium. (*Is.* 32.) Bonum est cum silentio præstolari salutare Dei. (*Thr.* 2.)

Idem.

Vacat humanus sermo, dicit idem S. Doctor, *silet prædicatio tractatoris, quando Angelico præconio Joannis profertur gloria, virtus insonat, laus collaudatur; nec est quod illi adijciat homo, cui Deus contulit totum.*

filius sterilitatis.

Sed Joannes non minùs est filius sterilitatis. Non erat illis filius, ait sacer textus, (*Luc.* 1.) eò quòd esset Elizabeth sterilis. Quomodo?

Idem

Respondet citatus Author; *Sterilis corpore, sed fœcunda virtutibus; tarda soboli, sed non tarda Deo; non germini clausa sed tempori; non negata pignori, sed servata mysterio.* Et alibi, *Sterilitas* inquit, *non erat maledicta sed mystica, in qua partus non ablatus est sed dilatus, neq; erat pignori clausa, sed tempori; celabatur tempore, virtute serebatur, maturabatur ætate, senectute crescebat, ut in filio singulari tota fæcunditas pensaretur, quandò in uno nascebatur numerositas congesta virtutum. Beata sterilitas, quæ unum servabatur ad partum, & expectabat Joannem, cui quia prima omnia debebantur, primogeniti dignitas non periret.*

Gratiæ primogenitus.

Ita sanè Joannes non minùs fuit gratiæ primogenitus; post JESUM enim plenum gratiæ & veritatis, (*Joann.* 1.) & Matrem ipsius gratiâ plenam, (*Luc.* 1.) ipse primus gratiæ participium possedit.

Idem.

Tandem concludit meus *Doctor*, cujus auctoritati singillatim in hoc sermone inniti volui: *Ergo in Zacharia & Elizabet stupet lex, frigescit caro, membra sopiuntur, tempus præterit, ætas transit, abolescit totum, quidquid est & humani ordinis, & negotij conjugalis, ut Divino munere non partu, ex hominibus Angelus nasceretur.* Ast dignum, est dignitatem Parentum non præterire, ut exinde dignitas generis & virtutis in prole patescat.

Genus Parentum Joannis, Idem.

Et quidem de genere loquendo: *major est innata gloria, quàm quæsita*, loquitur noster Præsul, *præcedit quod venit ab origine, quod sequitur ex labore; gloriam beatius est habere quàm quærere: hinc est, quòd Evangelista, ut extollat Joannis gloriam, Zachariæ Patris, Elizabeth Matris genus dicit, Avos memorat, scribit merita, loquitur titulos, gradus digerit, vitam pandit, dilatat insignia, prædicat sanctitatem. Sic laus Patrum, filiorum redundat in gloriam. Erant justi ambo ante Deum.* (Luc. 1) *Est nova felicitas, est conjugium singulare, quando manet in duobus mens una, una sanctitas in duobus. Constabat mente, quod distabat in sexu; & in moribus erat unum, quod germinabat à Spiritu; & virtutibus reddebat pares, impares dederat quos natura.*

& illorum justitia ante Deum.

Erant ambo justi ante Deum. (ib.) *Placere judicijs humanis, coram hominibus esse justum, est virtutis humanæ, maximi est laboris. Ante De-*

um

num qui scrutatur corda, (Pſ. 7.) *cogitationes discutit, videt mentium motus, esse justum; humani laboris non est, muneris est Divini. Si magnus est qui non peccat in carne, quantus est qui corde non peccat? Joannes ergo supra carnem est natus de istis, qui ante Deum nec corde nec corpore peccaverunt.* Proſequitur Evangeliſta laudem Parentum Joannis. Incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela. (*Luc.* 1.) *Hi in omnibus*, infert S. Chryſologus, *in quibus nemo vel pauci. Quis fumi nescius cupiditatum transit incendia? Quis vitæ lubricum nunquam lapsus evadit? Per vitiorum gurgites quis impollutus incedit? Carnis negotia, vitæ causas, actus mundi quis peragit, & non erit in querela? cùm nasci ipsum plenum sit, & lachrymis & querelis. Namq; parturiens queritur ex dolore, natus in lachrymis queritur ex natura. Sed in Zacharia & Elizabeth reatus occidit, perijt querela, omnis est amputata causa, quia in illis parabatur, unde tota Sanctitas nasceretur.* Quid tamen cauſæ, quòd Joannes Evangelij & legis gratiæ Primipilus ex ſterilibus Parentibus progeneraretur? Nam, ut filius gratiæ magis quàm naturæ cenſeretur? Id quidem. An, ut ſterilitatem legis veteris, & gratiæ fœcunditatem in nova lege præſignaret? Nec hoc abs re. Dat aliam cauſam Sermo aureus; *Hinc est*, inquit, *quòd Dominus tetro infidelitatis nubilo cordibus jam cœcatis, ut irradiaret partus Virginei Sacramentum, desperatæ & annosæ sterilitatis ante præmisit conceptum; ut qui videbat post senectutem longam arida membra reviviscere, & transacto curriculo jam vitæ veteranæ in primam reflorescere pubertatem, atq; ipsam naturam in occiduam ætatem adnascentis servi insignia suscitari; pudicitiæ florem, pudoris titulum, castitatis insigne, Virginitatis claustra manere post partum crederet, posse Auctore ipso ex utero procedente servari.* Sed jam accedamus ad opus gratiæ juſtificantis Joannem, quod per viſitationem Mariæ accidit, ubi ad vocem ſalutationis exultavit infans Joannes in utero Matris. (*Luc.* 1.) Loquatur pro me noſter Doctor. *Meritò Joannes in utero exultat, qui originis suæ libertatem antè nosse quàm esse meruit, antè meruit sentire quàm vivere. In hora incensi per Angelum aperitur sterilitas, conceptus jubetur, promittitur partus, & inter Sacraria nativitas sacra procuratur. Hinc est, quòd adhuc in utero cum membrorum compagine penè concepta est in Joanne Prophetia; antè nutu Dei loquitur, quàm perveniat ad vocis officium. Jure meritò à Patre puer Propheta Altissimi vocandus declaratur, imò ab ipsa Veritate Incarnata plusquàm Propheta nuncupatur.* Proſequitur & in alio loco idem Divus Joannis Encomiaſtes; *Sexto mense suæ Matris exultat in utero, & in uterum Virginis venisse nunciat Christum. Fervens nuncius, qui antè gestivit nunciare quàm vivere. Impatiens Dux, qui antequam perveniret ad corpus, pervenit ad Regem, antè rapuit arma quàm membra, antè aciem petijt quàm lucem; & ut vinceret mundum, vicit antè naturam. Ipse sine visceribus viscera Matris exsuscitat, & quia tardabat corpus, solo spiritu implet Evangeli-*

S. Chryſol. *Incessus ipsorum in omnibus mandatis Domini sinè querela.*

Cur Joannes ex sterilibus Parentibus natus?

I.

II.

III.

Idem.

Joannes per Mariæ visitationem gratiã justificationis in utero accepit.

Idem.

Idem.

zantis officium. Quid dicam? Joannes antequàm Christum præcederet, se præcessit; Patris, Matris, Filij, corda unus atq; idem implet Spiritus Sanctus, ut uno Sanctitatis organo resonet Nativitatis Dominicæ (in utero Virginis) *cantilena.* Ita Sanctus Chrysologus aureo eloquio de aureo Joanne ob summum gratiæ pretium. Verùm quid est? Hæremus in limine, nec ad Natalis gaudiosi & gloriosi solennia accessimus; interim tempus præterlapsum est. Quid de felici partu, quid de cognatorum congratulatione, de mirabili nominis impositione; quid de Paterni oris apertione, & Dei benedictione; quid de timore ac stupore vicinorum, de gaudio & exultatione tam domesticorum quàm aliorum multorum proferemus? (*Luc.* I.) Ubi manet exemplaris vitæ solitariæ in magna victûs & vestitûs austeritate decursus? Ubi resolutus prædicationis, baptismi & pœnitentiæ clamor? (*Luc.* 3.) Ubi libertas in redarguendis Pharisæis & Herode? (*Matt.* 14.) Ubi confessio, publicatio & indicatio aperta Christi jam præsentis? (*Joan.* I.) Ubi dignitas suprema Christum baptizantis? (*Matt.* 3.) Ubi panegyres ejus ab ipsa Sapientia Incarnata propalatæ? (*Luc.* 7.) Vbi demum corona Martyrij veritatis gratiâ adepta? Immensa hæc sunt gratiarum Dei in Joanne profluvia. Infinita penè deprædicandi Joannem materia, quam alteri necesse est tempori reservare. Nunc pro conclusione dicamus Joannem fuisse lucernam positam super candelabrum, ut luceret omnibus, qui in domo Dei sunt; (*Matt.* 5.) quæ est Ecclesia; ut gratiæ sibi à Deo concessæ radios spargeret, ut gratiæ advenientis, per Christum auctorem gratiæ, lumen manifestaret. Non erat ille lux, id est, vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; non erat lux ex se, sed ex participatione lucis sibi impertitæ, ut testimonium perhiberet de lumine hoc ipso. (*Joan.* I.) *Dicat pro me finaliter ille, cujus dignissimis & gratissimis verbis majori ex parte Sermonem hunc compilavimus, magnus aurei sermonis Pontifex: *In Joanne*, inquit, *Dominus accendit sui nominis & præmisit lucernam, ut degustato lumine in se jam Divini Solis jubar ipsum præferrent, ipsam Deitatis caperent claritatem, juxta illud, quod dixit de Joanne: Ille erat lucerna ardens & lucens, ut ille densas noctis placito lumine aperiret tenebras, ipse noctis nescium diem jam desiderantibus ad lucem perpetem redonaret. Nascitur igitur Joannes ex mundata longo tempore sterilitatis domo, sanctitatis hospitio, Angelico domicilio, aula Spiritûs Sancti, Dei templo; nascitur major homine, par Angelis, tuba cæli, Præco Christi, arcanum Patris, Filij nuncius, signifer superni Regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio Gentium, & ut propriè dicam, legis & gratiæ fibula, quæ diploidem Summi Sacerdotis sancto Patri jungebat in pectore.* Benè, si licet interloqui, lex jungitur gratiæ, quia per observantiam legis gratia acquiritur. *Nascitur demum Joannes, quia instat Nativitas Christi, surgit novus lucifer, quia jubar jam veri Solis erumpit. Dat vocem Præco, quia adest Judex, clamat tuba, quia venit*

Joannis magnalia reliqua tacentur.

Joannes quomodo lucerna fuit super candelabrũ posita?

S. Chrysol.

nit Rex: & quia processurus est Deus, Angelus præcedat. O utinam præcedat & ad nos procedat per suum Natalem pro impetranda ab ipso Deo gratiâ, quâ ipsemet inundatus est; ut & illa in nobis vacua non sit. (1.*Cor.* 15.) Etsi non det nobis ad culmen gratiæ & perfectionis Joanni datæ pertingere, saltem secundùm mensuram donationis Christi (*Ephes.* 4.) diffundat gratiam suam in nos Deus per merita Sancti Joannis, ita ut in ea vivere, crescere, perseverare ac mori valeamus.

Sermo in Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Diffusa est gratia in labiis tuis, Ps. 44.

OMne verbum foris prolatum per labia emanat, formatur, & discriminatur. PP. RR. FF. DD. Sine labijs lingva confusum quid proferret & indistinctum. Nec tantùm ad loquendum necessaria sunt labia homini, sed etiam ad sumendum & retinendum in ore cibum ac potum; qui postea in stomachum transmittitur pro congruo totius corporis nutrimento. Labia habent se instar valli ad deformitatem dentium tegendam, instar claustri ad verbum in ore occludendum, instar freni ad lingvam domandam. Diffusam Verbi Divini gratiam in labijs ejus ubinam verè esse colligimus? Nusquam sanè nisi in Sacris Scripturis; quæ cùm in utroq; nobis per revelationem Spiritûs Sancti pateant Testamento, juremeritò formam labiorum Dei præseferre dignoscuntur. Et quia duplex est Testamentum sibi consonum & conforme, bina quoq; labia simul juncta videntur, quandoquidem in veritatis revelatæ attestationem, perpetuam ad invicem tenent concordiam. Primum in umbra, secundum in luce; primum in figura, secundum in veritate: lex per Moysen data est in primo, in secundo gratia & veritas per JESUM Christum facta est. (*Joan.* 1.) In illo locuti sunt sancti Dei homines Spiritu Sancto inspirati, [2. *Pet.* 1.] in secundo Apostoli & Evangelistæ Spiritu Sancto repleti, (*Act.* 2) Evangelij mysteria nobis detexerunt. Quidni & ipsi labia Verbi Divini Incarnati fuerunt, quando per ipsos idipsum Verbum in orbe terrarum prædicatum promanavit? Sigillatim hodierni Principes Apostolorum veraciter labiorum Christi opus exercuerunt, quandoquidem ipsi primi apud Judæos & Gentiles annuntiaverunt opera Dei (*Ps.* 63.) verbo tam ore dicto quàm scriptis tradito; ita ut in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum; (*Ps.*18.) illorumq; Epistolæ Ecclesiam instruerent universam. Judicium labiorum ipsorum attendamus, (*Job* 13.) & à mandatis labiorum eorum non recedamus. (*Job* 23.) Non loquuntur labia hæc iniquitatem, *Ps.* 33) sententiam Evangelij puram loquuntur, & disciplinam conservant. *Pr.*5 Aperta sunt labia eorum ab ipso Verbo Dei incarnato, ut recta prædicarent. Quidquid egressum fuerat de labijs eorum, rectum fuit in conspectu Dei. *Ier.* 17. Locutum est enim eis verbum plenum gratiæ & veritatis, (*Joan.* 1.) & aperuit illis labia sua,

Labia homini necessaria ad loquendum, & cibum sumendum.

Sunt instar valli, claustri & freni.

Testamentum duplex labiorũ Dei formam exhibet.

Apostoli labia Verbi Divini fuerunt.

Quomodo?

Labia hæc ab ipsomet Verbo Incarnato ad prædicandum patefacta.

atq; diffudit gratiam suam in labijs eorum; ita ut & ipsi propter gratiam labiorum suorum haberent amicum Regem (*Pr.* 22) seculorum immortalem & invisibilem. (1. *Tim.* 1) In istius Regis labijs Divinatio, & in judicio non errabit os ejus, (*Pr.* 16.) quia judicia Domini vera. (*Ps.* 16.) Hujus Regis voluntas labia justa, (*Pr.* 16.) quæ fuerunt Apostoli. Horum justorum Prædicatorum labia considerabant placita Deo, eorumq; placita custodierunt plurimos. (*Pr.* 10.) Ab increata Sapientia hauserunt veram sapientiam, non mundi, quæ inimica est Deo; [*Rom.* 8] non carnis, quæ mors est, (*ib.*) sed Dei, quæ vita & lux est. Si cor Sapientis erudiet os ejus, & labijs ejus addet gratiam, teste Sapiente; (*Pr.* 16.) multò magis Divina Sapienta eructans ex corde verbum bonum eos erudivit, & labia ipsorum gratiâ replevit, ut essent verè summi Sapientes, & labia ipsorum disseminarent scientiam Dei. [*Pr.* 15.] Verba oris Sapientis, ait Ecclesiastes, c. 10 gratia. Consonat Ecclesiasticus dicens c. 21. in labijs sensati invenietur gratia. Et quis sapientior & sensatior Apostolis nostris? Uni eorum dicit Sapientia Incarnata: [*Matth.* 16.] Beatus es Simon Bariona, quia caro & sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. De altero asserit: (*Act.* 9.) quia Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & filijs Israël. Uterq; fuit Vas electionis Divinæ ad supremum Apostolatum, ille in dignitate Prælaturæ, iste in multiplicitate & sublimitate laboris Apostolici. Est aurum & multitudo gemmarum, ait Salomon, (*Pr.* 20.) vas autem pretiosum labia scientiæ, qualia fuerunt Divorum Apostolorum. Videtur Sapientissimus Rex scientiam sapientiæ Divinæ præferre omni auro & margaritis, acsi diceret: Sit maxima apud homines auri & gemmarum æstimatio, mihi in majori pretio sunt labia scientiæ, quæ quot effundunt sententias, tot auri massas producunt, & uniones vel lapides pretiosos. Si de fide disserunt, cæruleos cælestis doctrinæ saphyros spargunt. Si spem commendant, virentem smaragdum monstrant. Si charitatem prædicant, carbunculos ignitos fundunt. Quando castitatem laudant & continentiam, candidissimas margaritas proponunt. Dum temperantiam & abstinentiam extollunt, amethistos declarant. Dum patientiam svadent, rubinos jaciunt. Cùm constantiam & perseverantiam inculcant, adamantes martyriorum repræsentant. Scientiam etiam non speculativam sed practicam hæc labia docent, velut vasa organorum & instrumentorum pretiosa. Et hæc est vera Dei sapientia, de qua idem Rex Sapientissimus: (*Pr.* 3.) Melior est ait, acquisitio ejus negotiatione argenti & auri, primi & purissimi fructus ejus. Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Ipsamet de se Sapientia apud eundem sic perorat. (*Prov.* 8.) Melior est fructus meus auro & lapide pretioso, & genimina mea argento electo. Fatetur id ipsum Job c. 28. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Hujus tantæ Sapientiæ prædicatores, dispensatores & ad-

Ab increata Sapientia hauserunt Sapientiam.

Sancti Apostoli fuerunt vasa electionis.

Sapientia omni auro pretiosior, & margaritis.

Variæ Virtutes per lapides pretiosos explicatæ.

Hujus Sapiētiæ Prædicatores.

ministri

miniſtri primarij fuêre hodierni Apoſtoli, de quibus Propheta Iſaias c. 61. Vos Sacerdotes Domini vocabimini, miniſtri Dei dicetur vobis; acſi diceret: Vos Hierarchæ & Principes Sacrorum, & mediatores inter Deum & populum, intimi amici ac familiares, conſcijq; ſecretorum Sapientiæ caro factæ eritis, de quibus ipſamet aſſerit: (*Joan.* 15) Vos dixi amicos, quia omnia quæcunq; audivi à Patre meo nota feci vobis.

Petrus & Paulus.

Jam labia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, (*Mal* 2) ſunt vaſa & arcæ Divinæ Sapientiæ, legem Dei de ore ſpargentes.

Labia Sacerdotum, vaſa & arcæ Divinæ Sapientiæ.

Labia eorum deteſtabantur impium, [*Prov.* 8] hunc ipſum, quem ſpiritu labiorum ſuorum interfecit Chriſtus. (2. *Theſſ.* 2) Hic omnis impietatis caput, ſub cujus labijs venenum aſpidum, [*Pſal.* 13] mundum, cujus Princeps fuit ad Chriſti tempora, illum mundum in ſe maligno poſitum [1 *Joan* 5) replevit labijs tumentibus ſuperbiæ, cum peſſimo odij & invidiæ corde ſociatis.

Diabolus impietatis caput,

Contra hunc præmonet Sapiens: [*Eccli.* 12] In labijs ſuis indulcat inimicus, & in corde inſidiatur, ut ſubvertat te in foveam, utiq; gehennæ. Ipſe fuit vir impius fodiens malum, & in labijs ejus exarſit ignis, (*Prov.* 16) ignis concupiſcentiæ, ignis iracundiæ; & inſedit lingvam univerſitatem iniquitatis.

inſidet lingvã univerſitatem iniquitatis.

Et quidem fecit, ut favus diſtillans eſſent labia meretricis (*Prov* 5.) carnis noſtræ, lactantis nos labijs ſuis ejuſmodi, & inducentis homines ad peccatum. Irretivit illos multis ſermonibus caro, & blanditijs labiorum ſuorum protraxit (*Pr.* 7) ad conſenſum; non recogitantes, quòd noviſſima illius ſint amara quaſi abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps. (*Pr.* 5.) Verè gladius in labijs eorum, (*Ps.* 58) dæmonis videlicet & carnis; labia eorum loquebantur dolum, mendacium fuit ſub labijs illorum. Sic mundus deceptus fuit ab eodem Patre mendacij, qui & ipſe fallax obtemperavit labijs ejus mendacibus, quæ abominatio ſunt Domino: (*Pr.* 12.) & fraudes labia ejus loquuntur. (*Pr.* 24) Quinimò labia doloſa in corde & corde loquitur, (*Ps.* 11) quibus Sapiens minatur: (*Eccli* 2) Væ duplici corde & labijs ſceleſtis. Et Rex Vatum imprecatur: (*Ps.* 11) Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa & lingvam magniloquam. Et iterum: (*Ps.* 30) Muta fiant labia doloſa. Utinam labijs ſuis intelligeretur inimicus, cùm in corde tractat dolos.

Ab hoc mundus deceptus,

Dilatavit labia ſua ad diſſeminandam ſapientiam ſuam (*Pr.* 15) Deo inimicam, quæ vera ſtultitia reputatur. (1 *Cor.* 3) Vnde ſtultorum plena erant omnia in mundo, maximè inſipientium Idololatrarum. Os ſtulti mundi contritio ejus, & labia ipſius ruina animarum ejus. (*Pr.* 18) Labia inſipientis diaboli, qui dixit in corde ſuo, non eſt Deus, (*Ps.* 52) præcipitârunt illum. Labia ſtulti mundi miſcent ſe rixis, & os ejus jurgia provocat. (*Prov.* 18)

cujus ſapientia ſtultitia eſt apud Deum.

Interdum tamen abſcondunt odium labia mendacia. (*Prov.* 10) Non juſtificabitur hic mundus, caupo nugivendulus; fumos & fucos venditans à peccatis labiorum, propter quæ ruina proximat malo, (*Pr.* 12) imò ipſemet ſtultus cæditur labijs ſuis & verberatur. (*Pr.* 10) Tandem in verba præſumptionis & blaſphemiæ erumpens ait: (*Ps.* 11.) Lingvam no-

Abſcondunt odium labia mendacia.

ſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? Sic labia impudentium Gentilium & perfidorum Judæorum ſtulta narrabant, donec venirent verba prudentium Apoſtolorum, quorum verba ſtaterâ judicij ponderabantur. (*Eccli.* 21) Repererunt mundum adinſtar Babylonis in magna labiorum perverſorum & lingvæ iniquæ, & labiorum operantium mendacium, à quibus Siracides ſe gaudet liberatum, confuſione. Venerunt in medium populi polluta labia habentis; [*Is.* 6.] nam labor labiorum ipſorum operiebat eos, (*Ps.* 139) quod explicat D. Auguſtinus: *Ipſum mendacium ipſorum, labor eſt labiorum ipſorum. Ecce parturijt injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. In omni opere malo labor eſt, & omne opus malum cogitatum, mendacium Ducem habet. Non enim eſt veritas niſi in opere bono. Et propterea quia omnes laborabant in mendacio, veritas quid clamavit? Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ita S. Auguſtinus. Quidni falſos Deos, imò dæmonia colendo, laborabant in opere peſſimo mendacij?

Labor labiorũ impij.

D. Auguſt.

Interea Apoſtoli reddiderunt populo labium electum (*Sophon.* 3.) à Deo, labium Evangelij ſancti & doctrinæ Chriſtianæ, quæ Eccleſiam ſanctam facit terram labij unius in Deo; qui in loquela labij & lingvæ altera, quia Spiritûs Sancti ignitâ, locutus eſt per Apoſtolos ad populum iſtum. Percuſſerunt omnes hoſtes præfatos, diabolum, carnem, & mundum ex labijs charitatis ſuæ, non humanæ, uti Judith Holofernem, ſed Divinæ. Creavit per illos Deus fructum labiorum pacem; pacem ei qui longè eſt, populo utpote Gentili, & qui prope, Judaico nimirùm populo, dicit Dominus, & ſanavi eum. (*Is.* 57.) Pedes Apoſtolorum ibant in præparationem Evangelij pacis, (*Eph.* 6 quidni & labia idem ſonabant, quando tam in principio quàm in fine Epiſtolarum ſuarum optabant: Gratia vobis & pax à Deo multiplicetur? (1. *Pet.* 1.) Lex veritatis quoq; fuit in ore eorum, & iniquitas non eſt inventa in labijs ipſorum; (*Mal.* 2) inde labium veritatis firmum erit in perpetuum, (*Pr.* 12) nec portæ inferi prævalebunt contra Eccleſiam, (*Mar.* 16.) fundatam ſuper fundamentum Apoſtolorum noſtrorum [*Eph.* 2] in veritate fidei & doctrinæ. Sed libet gratiam diffuſam in labijs Apoſtolicis conſiderare. Et quidem Sponſus labia Sponſæ dilaudans, primam illis ſimilitudinem attribuit vittæ coccineæ. Vnde Apoſtoli Sancti, qui tam Sponſi quàm Sponſæ labia eſſe cenſentur, hujus quoq; comparationis ſpecimen in ſe repræſentant. *Si enim ſenſus hic labiorum ſignificat*, juxta D. Gregorium & Venerabilem Bedam, *Doctores & Prædicatores, quidni denotet Apoſtolos hodiernos, Doctorum & Prædicatorum Magiſtros? Sermo igitur prædicationis Apoſtolicæ fuit adinſtar vittæ planus & facilis ad intelligentiam Auditorum, colligatus, connexus, benè præmeditata, Deo grata, & utilia hominibus recto ordine diſpoſita proferens. Textura verborum concinna & ſuavis*, & juxta Theodoretum, *inſtar retis ac vittæ reticulatæ, homines ceu piſces ad ſe trahens, ac è mari con-*

Sancti Apoſtoli reddiderunt populo labium electum.

Per quos creavit Deus fructum labiorum pacem.

[Lab]ia eorum [vit]tæ coccineæ ſimilia.

D. Gregor.
V. Beda.

I.

II.

Theodoret9.

concupiscentiæ extractos Christo adstringens. Fuit demùm loquela labiorum eorum sicut vitta coccinea, rubeo Christi sangvine tincta, quem in Sacrificio Missæ bibebant, Passionem Domini eumq; crucifixum maximè prædicantes, ruborem quoq; charitatis Dei & proximi præseferentes. Hæc est sententia D. Gregorij dicentis: *Quid est, quòd non tantùm vittæ sed coccineæ comparatur, nisi quia per coccum flamma charitatis intelligitur, quâ ipsimet ardent, & alios accendunt.* Eloquium tuum dulce, addit Sponsus de Sponsa, (*Can.* 4) quod Apostolis nostris optimè servit; *per quos* ait S. Gregorius, *eloquium Sanctæ Ecclesiæ dulcoratur, quia dum quæ dicunt faciunt, prædicationes suas hominibus quasi sapidas escas apponunt.* Nec immeritò paulò inferiùs Sponsus infert: [*ib.*] Favus distillans labia tua Sponsa, mel & lac sub lingva tua; dulcedinem eloquij Apostolici demonstrans. Mel enim & lac habebant sub lingva, & per labia effundebant, parvulis lac dando pro potu non escam, provectioribus solidiorem mellis cibum subministrando. Pulchrè V. Beda quomodo labia Prædicatorum sunt favus & vitta, explicat inquiens: *Cùm hic satiando fauces delectet, illa crines vinciendo constringat; ista intùs reficiat, illa foris liget. Iidem namq; Doctores* (quales primariò fuère Apostoli Judæorum Doctores & Gentium) *& vittæ sunt in præceptis salutaribus, & favus in promissis cælestibus. Vittæ, cùm nos à fluxu carnalium voluptatum refrænant, favus cùm supernorum nobis gaudiorum dona promittunt. Item vittæ sunt in iis, quæ aperte agenda vel vitanda esse docent; favus in illis, quæ typicè gesta vel dicta, quid intùs arcani salutaris habent, pandunt.* Ita V. Beda. Sed quid de labijs Sponsi Sponsa proferat, non minùs ad trutinam sumamus; ait enim: [*Cant.* 5] Labia ejus distillantia myrrham primam, id est probatam; juxta LXX plenam, juxta Aquilam electam; Hebraicè transeuntem, videlicet ora & per manus ab omnibus laudatam & expetitam. Ita equidem Verbi Incarnati eloquia erant casta (*Ps.* 11) instar liliorum, & ad omnem corporis atque animæ puritatem accendentia, myrrhamq; crucis videlicet mortificationem prædicantia. Quod enim primum prædicationis ejus verbum erat? Pœnitentiam agite. (*Matth.* 3) Quid ultra? Beati pauperes spiritu, beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur. (*Mat.* 5) Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos. Percutienti maxillam præbe & alteram. (*ibid.*) Non veni pacem mittere sed gladium. (*Luc.* 6) Omnia hæc sunt myrrhea, pœnitentiam, mortificationem, continentiam, patientiam, ac vitæ austeritatem præseferentia. Quidni hæc omnia labia Apostolica distillabant? Legatur Epistolæ, ubique fasciculus myrrhæ JESUS Crucifixus extollitur, *ubiq; inquit S. Ambrosius, Christi Passionem loquuntur, ac mortificationem illius in suo corpore circumferunt.* Audiamus Principem Apostolorum: (*1 Pet.* 2) Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus; Christo passo in carne vos eadem cogitatione armemini: communicantes Christi passionibus gaudete

III.

IV.

D. Gregor.

Cur coccineæ?

Idem.

Mel & lac sub lingva eorum.

V. Beda.

Quomodo labia Prædicatorum favus & vitta?

Labia Sponsi qualia?

Primum verbum prædicationis ejus quale?

S. Ambros.

Prædicatio Sancti Petri.

dete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. [1 Pet. 4] Audiamus Coapostolum ejus Paulum: Mihi absit, ait (*Gal.* 6.) gloriari nisi in cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo; Christo confixus sum cruci: (*Gal.* 2. Stigmata Domini JESU in corpore meo porto. (*Gal.* 6) Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per ipsum abundat consolatio nostra. Si fueritis socij passionum, eritis & resurrectionis. (2. *Cor.* 1.) Hæc omnia vittam coccineam repræsentant Christi sangvine tinctam, hæc omnia myrrham passionis ejus electam distillant & instillant, diffundunt & infundunt gratiam ex merito Christi Crucifixi promanantem. O præclarissima JESU Christi Domini labia, verbum ejus distinctè proferentia nostri Primores Apostolorum! Sed illa ipsa quoq; panem vitæ & intellectûs, & aquam sapientiæ salutaris (*Eccli.* 15.) sunt apprehendentia, stomachis cordium nostrorum ministrantia; illa ipsa dentium nostrorum deformitatem tollentia & cooperientia, quando & morsum serpentis, cujus dentes arma & sagittæ, & lingva gladius acutus, (*Ps.* 56) reprimunt; & mordacitatem nostram in concupiscentias pronam ac quandoque profusam, eloquijs labiorum suorum vallant & astringunt: illa ipsa lingvas omnium in omnem maledicentiam effrenes, lingvas planè Babylonicas, ad labium unum labium electum in unitatem fidei, ad omne bonum reducentia & refrenantia, ita ut sint verè ostium circumstantiæ labijs nostris, (*Ps.* 140) ne in peccatum dilabantur. Loquuntur hæc omnia ipsorum sermones in Actis Apostolorum; scripta in Epistolis testificantur, gratiamq; in labijs eorum diffusam manifestant. Quid restat, nisi ut eloquijs labiorum ipsorum obtemperemus: sapientiam mundi, carnis & diaboli aversemur & detestemur, sapientiam Dei complectamur, lilia labiorum eorum myrrham distillantia (*Cant.* 5) acceptemus, vittæ coccineæ passionis Christi adstringamur, deniqúe ad exemplum eorum stigmata Domini JESU in corpore nostro portemus, (*Gal.* 6) mortificationem crucis in carne nostra circumferamus, (2 *Cor.* 4) labiorum nostrorum constrictione lingvam frenemus; panem verbi Divini & aquam Spiritûs Sancti per labia Epistolica nobis profusa in corda pro animæ nostræ nutrimento transmittamus, ut exinde vitam ducamus Apostolicam, & sic diffusam in labijs eorum gratiam cum tota Ecclesia militante, agonizante & patiente possimus per eorum merita promereri.

S. Pauli.

Sancti Apostoli labia Christi præclarissima,

qibus omnimodè obtemperandum.

In Festo Visitationis B. M. V.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

POstquam Verbum Dei plenum gratiæ & veritatis (*Joan.* 1.) in Mariam gratiâ plenam (*Luc.* 1.) pleniore supereffluentiâ per Incarnationem sese infudit, PP. RR. FF. DD. ita ut in eâ novam gratiam apud Deum inveniente habitaret corporaliter ipsa Divinitatis plenitudo; (*Coloss.* 2.) mox diffundi cœpit primaria gratia in labijs & ex labijs Mariæ; gratia gratum faciens, gratia justificationis & sanctificationis

Gratia gratum faciens, gratia justificationis & sanctificationis in labijs Mariæ.

tionis. Postquam enim facta est vox salutationis in auribus Elizabeth; (*Luc.* 1.) vox à Verbo in ipsa caro facta (*Joan.* 1.) procedens, & per labia ejus se diffundens; vox salutis (*Ps.* 117.) ab Authore salutis (*Heb.* 2.) per Matrem salutis sonans gratiosè in auribus Matris Joannis; vox Verbi ex utero Mariæ in uterum Elizabeth profusa ad vocem clamantis in deserto (*Luc.* 3.) Joannem, fecit illum exultare propter gratiæ sanctificantis infusionem. *Facta est igitur Maria alveus gratiæ*, prout eam Sanctus Pater noster nominat: planè alveus torrentis 4. Reg. 3. gratiarum Divinarum, qui de cœlo in eam inundavit, circumdatus fossis multiplicis & omnigenæ humilitatis, in quibus gratiæ Divinæ continentur. *Deus* enim, qui emittit fontes in convallibus, (*Ps.* 103.) humilibus dat gratiam. (*Jac.* 4.) Mariæ convallis est profundissima fossa humilitas per abjectionem sui, multiplex, quia interior & exterior erga Deum & homines, partim nominans se ancillam Domini; (*Luc.* 1.) cùm Mater ejus declararetur, partim exurgens abiensque in montana cum festinatione, (*Ib.*) ut Matrem servi & servum Domini sui visitaret. Inter medium montium pertransibunt aquæ gratiarum, ubi vallis humilitatis Mariæ; nimirum inter duos montes Virginitatis fœcundæ, & virgineæ fecunditatis, inter montes altissimæ humanæ virginitatis, & excelsissimæ Divinæ Maternitatis. Inde potabunt omnes bestiæ agri, *Ps.* 103 omnes peccatores hauriunt aquas gratiarum in gaudio ex fontibus Salvatoris (*Is.* 12) mediante alveo, sive potiùs aquæductu gratiæ Marianæ. Quid enim? *Nonne Maria est aquæductus gratiæ*, ex mente S. Alberti M. & ex sensu Melliflui Doctoris, *aquæductus noster desiderabilis, sublimis valde, quia fontis sublimis, per quem descendit vena cælestis; ita plenus, ut de plenitudine ejus cæteri accipiant. Aquæductus talis ac tantus, ut ejus summitas instar scalæ illius, quàm vidit Patriarcha Jacob, tangeret, imò & transcenderet cœlos; ut vividissimum illum aquarum, quæ super cœlos sunt, posset attingere fontem. Aquæductus demum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis dedit illum, prout capere poteramus.* Hæc S. Pater noster. Ante omnes tamen primò communicavit illum fontè gratiæ justificantis Joanni Præcursori, ut in utero sanctificaretur, & verè fieret Joannes, id est gratiosus, utiq; Deo, & formaretur in carne Angelus, præcedens faciem illius quem in utero gestabat, quod effecit ille ipse fons gratiæ diffusæ in utero ejus, & in labijs ejus salutantis Matrem ipsius. Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam, dicit Sapientia increata ab æterno generata à Patre: (*Eccli.* 24.) dicit idem Mater in tempore generans Sapientiam incarnatam. Per decretum enim prædestinationis Divinæ electa & prælecta ante omnem creaturam, ab æterno ordinata antequam terra fieret, (*Pro.* 8.) illa utique infecta & maledicta; (*Gen.* 3.) planè ex ore Altissimi, & ipsa prodivit immaculata; & benedicta inter mulieres hodie dicta, (*Luc.* 1.) quia inter viros fructus ventris ejus est super omnes benedictus; imò quia diffusa est gratia in labijs ejus, quæ labia sunt & Mater ejus & omnes Apostoli & omnes Prædicatores; propterea be-

Maria alveus gratiæ.

Montes duo; per quos pertranseunt aquæ gratiarũ; quales?

Maria est aquæductus gratiæ.

S. Bernardus.

Fontem gratiæ sanctificantis Cur primò cõmunicavit Joanni?

Quomodo Maria ex ore Altissimi prodivit ante omnem creaturam?

1.

II. nedixit eum *D*eus in æternum. Prodivit inquam Maria Mater Sapientiæ, quæ ipsa est Verbum *D*ivinum plenum gratiæ, (*Joan.* 1.) ex ore Altissimi, (*Eccli.* 24.) decreto nempe Divinitatis primogenita, à peccato originali præservata, uti Filius ejus est primogenitus omnis creaturæ, (*Col.* 1.) primogenitus mortuorum, (*Apoc.* 1.) non tantùm corporaliter sed & spiritualiter per peccatum originale mortuorum, liber ab omni sorde peccati, juremeritò protestans: Quis vestrûm arguet me de peccato? (*Joan.* 8.) Et ipsa tota pulchra, (*Cant.* 4.) quidni dicat: (*Joan.* 8.) Quis vestrûm arguet me de peccato? Labia ergo hujus incontaminatæ Matris Virginis, quæ sicut vitta coccinea, (*Can.* 4.) sicut vitta colligata cum Filio, & coccinea sangvine ac morte illius cruentâ tincta, per quem omne peccatum originale & actuale in ea præservativè deletum est, quid fecerunt? Gratiam *D*ei hæc labia per *S*apientiam & Verbum Dei, Filium Patris in se factum Filium hominis, Filium suum, in se diffusam & per sangvinem & mortem ejus acquisitam, diffuderunt in Joannem per vocem salutationis, ut & ipse fieret Primogenitus per gratiam JESU, & Mariæ eloquium à peccato Originali immunis, & posset dicere post sanctificationem: quis vestrûm arguet me de peccato? Unde hæc gratia? Unde ista immunitas à peccato? Unde hæc sanctitas in Joanne? Ab aquæductu gratiarum Dei Maria: *ut si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis ab ea noverimus redundare*, dicente S. Patre nostro, *quæ ascendit delicijs affluens; aquæductus qui de Paradiso, id est delicijs misericordiarum Dei exivit. Sic est voluntas ejus, qui totos nos habere voluit per Mariam.* Unde salus, unde Salvator? Ex Maria. Unde gratiæ profluvium? Unde justitiæ & sanctitatis initium? A Maria. Unde redemptio & mundatio à peccato? Per vocem salutationis Mariæ. (*Luc.* 1.) O quam præstantissimus Divinus aquæductus, baptismo flaminis, id est Spiritûs Sancti, quo prædictum fuerat, Joannem debere repleri adhuc ex utero Matris suæ, illum à culpa originali in ipso utero abluentis, ipsam quoque Matrem Spiritu Sancto replentis; sunt labia Mariæ! Sed & ipsamet quanta quanta est, est aquæductus juxta Ecclesiasticum exiens de Paradiso. *c.* 24. *Exivit namq;* ex mente Idiotæ, *de duplici Paradiso: nam tanquam aquæductus à Patre, qui est Paradisus cœlestis, exivit per creationem, à quo nobis attulit aquam vivam, id est JESUM Christum Filium suum benedictum Deum & hominem. Exivit etiam à Paradiso terrestri, hoc est ab Ecclesia militante per mortem corporis directa in cœlum velut quidam aquæductus, aquas miseriarum & tribulationum totius generis humani illuc ducens, benedicto Filio suo exponens, & pro eis intercedens.* Hæc Idiota. Sic Maria velut ipsa Sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. (*Sap.* 8.) Quis non agnoscet ex hoc aquæductu promanare nobis & irriguum superius, & irriguum inferius? dari nobis benedictionem de rore cœli, & de pingvedine terræ? (*Gen.* 17.) quandoquidem in ea quoque cælestia junguntur terrestribus

Sanctitas Joannis à Maria.

S. Bernardus

Maria justitiæ & sanctitatis initium.

Maria est aquæductus, I. Idiota

ex quo omnis benedictio promanat.

bus, summa imis connectuntur, Deus homini copulatur.

Idem II.

Ipsa est aquæductus, teste Idiota, *per quam venit ad nos Christus Deus homo, occultus in ejus utero Virginali, ut mysterium diabolo celaretur. Ad hoc venit, ut nos mundaret, reficeret, & potaret aquâ Sapientiæ salutaris; sicut per occultum aquæductum deducitur aqua ad necessaria Civitatis. Ideo datus est nobis*, ait Richardus à Sancto Laurentio,

Richardus à S Laurentio

quia ad omnes usus necessarios deerant nobis aquæ gratiarum. Hinc dicente Jacobo de Voragine,

Jacobus de Voragine III.

Maria est aquæductus artificialis, per quem multæ divisiones gratiarum fiunt, & multipliciter civitas animæ adjuvatur & administratur. Ipsa est planè aquæductus, per quem fluunt aquæ gratiarum de cœlo in mundum. Sigillatim tamen ex mente Ernesti Pragensis.

Ernestus Pragensis IV.

Maria est aquæductus exiens de Paradiso, rigans hortum plantationum, & inebrians partûs sui fructum. Exivit enim iste aquæductus de loco voluptatis, de templo Dei, de ipso qui est omnis bonitatis prima origo, sicut ipsa dicit: Ego ex ore Altissimi prodivi, sed per 5000. *annorum, & quasi per septuaginta septem generationes, quasi per tot milliaria abscondita in terra, per venam vitæ & occultos meatus venit ad nos. Rigavit autem hortum plantationum, id est Ecclesiam militantem, ubi sunt nonnullæ plantationes teneræ, & inebriavit partûs sui fructus, id est, eos qui tanquam fructus maturi in triumphantis Ecclesiæ horrea sunt collecti.* Ita Ernestus primus Pragensis Archiepiscopus. Simile quid habet Richardus à S Laurentio dicens:

Richardus à S. Laurentio V.

Maria aquæductus, qui exivit à paradiso, id est, à SS. Trinitate, quæ est locus totius voluptatis, per creationem ad irrigandum hortum Domini, id est Ecclesiam & fidelem animam aquâ triplici, scilicet doctrinæ, ut purgetur ab erroribus; gratiæ, ut ornetur floribus ac fructibus; & tribulationũ, quando mittit disciplinam sicut lucem, ut vexatio ejus det intellectum. Hæc Richardus. Quis non credit Ecclesiam Dei esse Paradisum, eumq; floridum, quando JESVS noster Nazarenus fundator illius de se dicit: (*Cant. 2.*) ego flos campi & lilium convallium; & de Matre sua: (*Ib.*) Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias? Ipsaque fatetur: (*Ib.*) Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia.

Joannes velut flos prodijt ex utero sterilis Matris.

En Joannes velut flos prodijt in utero sterilis Matris, sed emarcidus propter hyemem peccati Originalis. Adest Maria, adest JESVS. Jam hyems transijt, imber frigidus diluvij universalis per noxam primigeniam abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra. (*Ib.*) Et ecce Joannes irrigatus voce salutationis Marianæ comparet justus germinans sicut lilium, & florens in æternum ante Dominum. (*Isai. 35.*)

D. Alber. M. VI

Verè ergo Maria juxta Divum Albertum Magnum *est aquæductus paradisi, aquis gratiarum rigans hortum plantationis, id est Ecclesiam, in qua plantæ fidelium hominum sunt plantatæ; & noster Joannes jam de hoste triumphans justus factus in utero ut palma floret, sicut cedrus libani odore virtutum & incorruptionis multiplicandus, plantatus & ipse primarió in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri*, (Ib.) *in Ecclesia Christi, tanquam ejus Primipilus.* Vt autem summam hujus

Ernest. Prag. VII.

aquæductûs dignitatem agnoscamus; audiamus iterum Ernestum Pragensem Primatem. *Maria* ait, *est aquæductus, de quo duo maxima nobis beneficia proveniunt, nempe per modum generationis filius, quem de manibus ipsius per manus Simeonis suscepimus; & Spiritus Sanctus, sive dona Spiritûs Sancti, quæ de ipsa & per ipsam recipimus per gratiam liberalitatis & bonitatis.* Audiamus ipsammet in Ecclesiastico de se loquentem. (c. 24.) Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio. Ego quasi fluvius Dionx, id est alveus, rivus vel fossa è fluvio deducta ad transferendam aquam, & sicut aquæductus exivi de paradiso. *Ib.* Quid hæc triplex ferè ejusdem sensûs repetitio, nisi quòd per Beatissimam Virginem totius Sanctissimæ Trinitatis gratia diffusa sit in orbem terrarum? *Quid mirum* ait Sanctus Bonaventura, *si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?* Mirum quòd ipse Mahomet in Alcorano de Beatissima Virgine fatetur. *Dixit*, inquit, *Angelus Gabriel ad Mariam: O Maria DEVS te elegit & docuit gratiam, & elegit super omnes mulieres seculorum, & posuit te quasi novum mundum, dividens inter homines terrenos & Angelos Dei in paradiso deliciarum.* Placet jam scire magnas & excellentes hujus aquæductûs virtutes? Auscultemus Idiotam. *Maria* inquit, *est aquæductus integerrimus per inviolatam fidem, mundissimus per integritatem & purissimam castitatem, occultus per solitudinis dilectionem, concavus per veram humilitatem, fœcundus id est abundans aquis per gratiarum plenitudinem, jucundus per æternitatis desiderium & amorem, non plumbeus sed magis aureus per Regiam nobilitatem & eximiam charitatem. Quid ultra?* Progreditur Idiota. *Aquæductus longissimus excellentiâ meritorum, nam vehementis desiderij fervore, devotionis puritate, & orationis assiduitate fontem attigit tam sublimem, cujus plenitudinem tanquam aquæductus de corde Patris excipiens, nobis dedit illum non prout est sed prout capere poteramus. Verè longissimus, cujus summitate aquarum quæ super cælos sunt fontem potuit attingere, ut hauriret super Angelos & refunderet hominibus aquam vivam, id est fluenta gratiarum, quarum nondum nôrunt homines aquæductum.* Ita Idiota. *Quid quòd ex hoc aquæductu* ex mente Richardi à S. Laurentio *assiduè quoque influit vinum compunctionis, lætitiæ & devotionis in cellarium mentis nostræ?* Mensuram autem hujus aquæductûs describit nobis Bernardinus de Busto. *Aquæductus est*, ait, *magnæ longitudinis, latitudinis & sublimitatis. Ejus enim longitudo tanta est, quòd attingit à cælo usq; ad terram. Latitudo tanta, quòd totum divinum fontem capere potuit. Altitudo tanta, quòd usq; ad fontem totius Divinitatis se erexit & illum tetigit.* Hinc meritò dici potest secundùm Richardum à Sancto Laurentio; *Aquæductus piscinæ superioris, per quem derivatur ad nos gratia donorum illuminantium, quæ descendit à Patre luminum. Nonne hodie illuminavit Joannem in tenebris & umbra mortis sedentem, per quem dirigerentur pedes nostri in viam pacis, tanquam*

Triplex repetitio ex Ecclesiastico quid designat?

S. Bonavent.

Mahomet in Alcorano.

Idiota.

VIII. Virtutes hujus aquæductûs.

Idem.

Richardus à S. Laurent.

Bernardinus de Busto. Mensura illius

Richardus à Laurentio. IX.

quam re & nomine vera Illuminatrix, Mater lucis veræ, genitrix luminis æterni? Deniq; quantæ gloriæ sit hic aquæductus, instruat nos Divus Albertus Magnus. *Hic*, inquit, *est aquæductus nobilis gloriæ, qui à Christo suscipiens beatitudinem, deportat eam Angelis, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, & continentibus, ac deinceps omnibus alijs Sanctis.* Quid mirum igitur, quòd hunc aquæductum, *qui* iuxta Ernestum Pragensem *à parte australi influit civitatem Ecclesiæ vel fidelis animæ, ut dicitur Judith 7. & quamdiu eam influit, capi non potest, licet Holofernes id est diabolus curiosè satagat, quo ipsum intercipere possit.* Sed hoc clarius nobis explicat Idiota: *Aquæductus*, ait, *quem præcepit Holofernes incidi; quia per illum influebat fons quidam in civitatem Bethuliæ, quæ interpretatur domus doloris, in Ecclesiam & fidelem animam derivans dona gratiarum, quæ Diabolus incidere conatur, cùm ejus auxilium nobis auferre nititur. Invidet enim non quoad eum solùm, sed quoad nos; & hoc maximè, quia est aquæductus superior, quia per illam derivatur ad nos gratia à Deo.* Ita Idiota, cui suffragatur Richardus à S. Laurentio addens: *incidit autem quò ad nos, quantùm nos retrahit à semitis ipsius.* Absit hoc à nobis FF. D D. ut aliquando à servitio tantæ gratiarum Divinarum largitricis abstrahamur, & sic ejus auxilio privemur. Actum esset de nobis, si profluvia hujus aquæductûs, tam Filij Dei quàm Spiritûs Sancti charismata & dona per ipsam in Ecclesiam effusa in nos, cessarent. Experta est Elizabeth, expertus Joannes, quantum valet Mariæ præsentia, [*Luc.* 1.] quid possit assistentia, quæ & quanta operetur diffusa gratia in labijs, (*Ps.* 44.) & ex labijs ejus. (*Luc* 1.) Imò si quid oblationis habemus ad Deum, per ipsam velut aquæductum Deo præsentemus. Hoc docet nos S. Pater noster. *Cæterùm quidquid illud est quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit. Neq; enim impotens erat Deus & sinè hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit providere.* Ergo ô gratiosissima Domina exurge in adjutorium (*Ps* 34) nobis, exurge & adjuva nos & libera nos, [*Ps.* 43] exurge & dissipentur inimici tui & nostri, & fugiant qui oderunt te & nos à facie tua. (*Ps.* 67) *Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus. Per te nos suscipiat qui per te datus est nobis.* Illumina nos ô Illuminatrix Divina, irriga nos ô Aquæductus cælestis, purifica, justifica, sanctifica ope tuâ, intercessione tuâ, meritis tuis, sicut id Joanni hodie præstitisti, ut aqua, quam tu das nobis ex alto, qui est JESUS Christus Dominus noster, fiat in animabus nostris, tum militantium quàm purgantium, fons aquæ salientis in vitam æternam. *Jo.* 4.

D. Alber. M. X.

Gloria hujus aquæductûs quanta;

Idiota XI.

quem diabolus incidere conatur.

Per Mariam Deo præsentandum, quidquid impetrare volumus.

S. Bernardus

Invocatio Deiparæ.

Idem

Sermo In Festo Sancti Stephani

Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Ps. 44.

D. Stephanus, hæres benedictionis S. Benedicti.

BEnedictionem, quam accepit à Domino S. Patriarcha noster Benedictus, quæ illum fecit crescere & multiplicari, non minùs hæreditavit Divus Stephanus Ordinis nostri Propagator, quando per adventum Sancti Bernardi Sociorumq; ejus, miram Ordinis tunc cœpti fœcunditatem Domino revelante futuram agnovit, novellamq; plantationem Cistercienſem extendere palmites suos ultra mare, (*Ps.* 79.) & trans montes propagines suas emittere intellexit. Verè hic benedictionem dedit Legislator *D*eus, (*Ps.* 83.) fructusque benedictionis fuit ire de virtute in virtutem; (*Ibid.*) quod ipsum est crescere in gratia *D*ei, & in virtutibus multiplicari. Ita est, gratia Dei parit virtutes, generat rectas intentiones, & bonas producit operationes. In labijs Divi Stephani quis non fatebitur gratiam *D*ei fuisse diffusam, quando statuit in Ordine Sacro Chartam Charitatis? Et quid est Charitas perfecta, nisi gratia consummata? Propterea benedixit illum Deus in æternum, quia & charitas est æterna, nunquam excidit; (*1. Cor.* 13.) & hæc ipsa Mater est omnium virtutum ac operum bonorum. Recenset pignora ejus Vas electionis Divinæ dicens: (*Ib.*) Charitas patiens est, benigna est, & reliqua consequenter, ubi concludit: omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. En patientia, en benignitas, en fides, en spes, en sustinentia sive perseverantia, & aliæ filiæ charitatis. Gratia ergo Dei parit inter omnes virtutes potissimùm charitatem, charitas verò gratiam Dei conservat & adauget. Ad utrumque requiritur benedictio *D*ei, ut eatur de virtute in virtutem; (*Ps.* 83.) hoc est quotidie, imò quibusvis momentis fiat progressus in bono, profectus in virtutibus, tendendo ad perfectionem, quam nobis ipse Filius *D*ei Incarnatus imperavit: (*Matt.* 5) Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Habemus in ipsomet exemplum dicente Evangelista: (*Luc.* 2.) JESVS proficiebat sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines; quod Sanctus Basilius interpretatur, *non ut augmentum aliquod acciperet, cùm ab initio gratiâ sapientiâq; absolutus esset, sed quòd hæc hominibus ignaris paulatim apparerent.* Ita quoq; Venerabilis Beda: *Proficiebat Christus non per accessum temporis, accipiendo quod non habebat, sed pandendo donum gratiæ quod habebat. Nam* juxta Theophilactum, *emicatio Sapientiæ ejus, profectus ipse est, adinstar solis semper eâdem luce integrâ præditi; crescentis tamen in ea à mane usq; in meridiem, utiq; sensim magis eam explicantis & diffundentis.* Ita inquit S. Athanasius, *augescente corporis magnitudine, unà crescebat in eo Divinitatis manifestatio, innotescebatq; apud omnes, ipsum esse templum Dei, Deumq; in ejus corpore existere. Non ergo ipse* inquit S. Cyrillus, *sed humanâ proficiebat naturâ; nam dum indies in ipso Deitas manifestaretur, mirabilior & sapientior videbatur. Proficiebat autem in ipso natura humana hoc modo. Assumpsit Sapientia Dei, hoc est Filius Dei nostram naturam, paulatimq; tum verbis tum factis Deificationem assumpti hominis revelans, proficere ipsum revelando faciebat. Non igitur crevit JESVS in*

Gratia Dei in labijs eius diffusa per traditam chartam charitatis,

quam potissimùm gratia Dei parit.

Quomodo Jesus sapientiâ & ætate crevisse dicendus? I. S. Basilius

V. Beda II.

Theophil. III.

S. Athan. IV.

S. Cyrillus V.

in scientia beatifica, quâ Deum & omnia in Deo videbat, neq; in scientia infusa à Deo, quam utramq; à primo conceptionis momento possedit, sed in scientia & sapientia experimentali ipso etiam usu multa expertus, majorē acquisivit experientiam, dicente Apostolo: quòd didicit ex eis quæ passus est, obedientiam, id est novo & perfectiori modo quàm per totam vitam in passione expertus est, quid sit obedire. Quanta sit virtus & labor, ait S. Anselmus, *quàm difficile & arduum sit in omnibus se submittere usq; ad mortem crucis; nec minùs ut monstraret obedientiam, patientiam, & alias virtutes meliùs, pleniùs, & efficaciùs discit per exercitium quàm speculationem.*

S. Anselmus

Sic asserit Mellifluus noster Doctor, *Humiliatio* inquit *via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, non refugias viam humiliationis; nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi.* Ita S. Pater.

D. Bernard9

VI.

Crevit ergo JESVS cum ætate in sapientia & gratia, (*Luc.* 2) & quoad experientiam, & quoad opinionem hominum, & in specie externa atque ostensione. Unde non in habituali, sed in actuali & practicâ tam sapientiâ, quàm gratiâ crevit, per quas semper exercebat majores actus virtutum, prudentiæ sigillatim & maturitatis. Unde dicente Sancto Cyrillo; *Cùm audis eum profecisse in sapientia & gratia, noli putare quidquam ipsi additum fuisse, qui nullius unquam rei egere potest, sed quia videntibus atq; audientibus eum sapientiorem gratioremq; indies se præbebat, idcircò dicitur profecisse. Ita detegendo seipsum indies, non ipse sed qui mirabantur ipsum atq; amabant, proficiebant.*

S. Cyril. VII.

Ad exemplum proinde Christi incumbit nobis hic profectus, qui in S. Stephano Patriarcha nostro fuit admirandus. Nobilitate enim generis postpositâ, mundo spreto, habitu Regulari assumpto, Patriâ tandem propriâ relictâ exulare maluit & peregrè proficisci, non ut gyrovagi vitam duceret, sed ut sacris limitibus directè visitatis, ad specimen cresceret sanctitatis.

Profectus S. Stephani admirandus.

Integri Psalterij decantatione quotidianâ haud dubiè multùm profecit, habens in eo totius Sacræ Scripturæ compendium & doctrinam. Tandem vitæ perfectioris & observantiæ Regularis studio, Regulam S. Benedicti strictiùs custodiendam, locumq; Ordini in Cistercio inchoando statuendum, primus inter primos ferventissimè promovit.

Psalterium integrum quotidie decantabat.

Quid amplius? Ita crevit in gratia Dei & virtutibus, ut etiam dignitate cresceret, & sub S. Roberto primo Abbate Cistercij Supprior, sub B. Alberico Prior, tandem III Abbas Cistercij efficeretur. En profectus D. Stephani Patris nostri, post multa virtutum incrementa, primâ in Sacro Ordine cathedrâ meruit honorari; & ut nominis sui consequeretur coronam, ipsum Ordinem in coronam reduxit fraternitatis, per Chartam charitatis omnes vinciendo & coronando.

Cistercij primùm Supprior, deinde Prior, postremò Abbas efficitur.

Ita est, ut diffusio gratiæ in labijs operum nostrorum agnoscatur, ut benedictio Dei sit in nobis efficax, de virtute in virtutem eundum est. (*Ps.* 83) Consideremus sacra 4. animalia, quomodo currui Divino sunt proxima; ad quid? Vt Regis sui & Legislatoris vocem auscultent. Facies eo-

Moralizatio super 4. Animalia sacra.

rum & pennæ eorum extentæ desuper, (*Ezech.* 1) ad amorem utiq; Dei & cæli desiderium. *Duæ* pennæ singulorum jungebantur; [*Ib.*] en unio amoris & concordiæ conformitas. Duæ tegebant corpora eorum; (*ib.*) en castitas & paupertas. Vnumquodq; coram facie sua ambulabat; [*ib.*] en progressus in virtutibus. Vbi erat impetus Spiritûs illuc gradiebantur; (*ib.*) en obedientia ad nutum Spiritûs Divini, ad ductum Regulæ dirigentis, ad imperium Legislatoris Dei vices gerentis, de quo Veritas æterna: (*Luc.* 10) Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Deniq; nec revertebantur cùm ambularent; (*Ezech.* 1) en profectus & tendentia ad perfectionem. Neque enim ponens manum ad aratrum & retrò respiciens aptus est regno Dei. [*Luc.* 9.] Audiamus Doctorem Gentium, [*Philip.* 3.] & sequamur: Quæ retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis in Christo JESV.

Forma horum animalium.

Vt autem sciamus quæ forma fuerit animalium. Similitudo animalium, ait Propheta, [*ib.*] aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Id ipsum repetit consequenter, & confirmat dicens: Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Videmus hic & ignis ardorem & lucis splendorem. Nonne in his similitudo Dei, qui est ignis & lux: & qui vult ut omnes sint ad imitationem ejus lucernæ priùs ardentes, postea lucentes?

Modus profectûs quotidiani.

Vt porrò modum profectûs quotidiani intelligamus, indigitat illum nobis Sapientia Incarnata: (*Mar.* 4) Sic est Regnum Dei, inquit, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille. Vltrò enim terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.

Quid terra primùm herbam fructificans, deinde spicam educens, ultimò plenum frumentum in spica proferens denotat?

D. Gregorius

Præclarè S. Gregorius M. hoc interpretatur. *Semen homo jactat in terram, cùm cordi suo bonam intentionem inserit. Et postquam semen jactaverit dormit, quia jam in spe boni operis quiescit. Nocte verò exurgit ac die, quia in adversa & prospera proficit. Et semen germinat & crescit dum nescit ille, quia dum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad perfectum ducitur. Et ultrò terra fructificat, quia præveniente se gratiâ mens hominis spontaneè ad profectum boni operis assurgit.*

Idem

Quid autem sit herba, quid spica, quid frumentum, consequenter explicat: *Herbam autem producere, est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam verò herba pervenit, cùm se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum autem frumentum in spica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti & perfecti operis possit.* Hæc D. Gregorius. Quidquid sit, hoc certum est, virtutes paulatim crescere, non simul, cum accessu gratiæ & benedictionis amplioris.

S. Paulus quid de crescentia dicat?

Quid de multiplicatione?

Placet audire Apostolum de crescentia? Ecce scribit ad Ephesios: *c.* 4. Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Libet de multiplicatione eundem auscul-

auscultare, quid voveat (1. *Thes.* 3.) Thessalonicensibus? Vos autem, ait, Dominus multiplicet & abundare faciat charitatem Vestram ad invicem & in omnes. Utrobiq; & in crescentia & multiplicatione profectus fit per charitatem. In his tamen omnibus neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (1. *Cor.* 3.) per suam gratiam & benedictionem. Patriarcha Ioseph à Patre suo vocatus fuit filius accrescens; (*Gen.* 49.) nec semel dixisse sat erat, dicit iterum, filius accrescens & decorus aspectu. Erat accrescens in gratia & benedictione, erat accrescens exinde in virtutibus, sicque erat accrescens in bonis tam interioribus quàm exterioribus, tandem hinc erat decorus aspectu, quia ardens & lucens. Consideremus progressum ejus. Vita ejus erat continua ascensio, nomen augmentum significat, tunica polymita (*Gen.* 37.) decorem & favorem. In visione accipit vaticinium duodecim manipulorum, & solis, lunæ atque stellarum adorantium se. Transfertur per venditionem in Ægyptum, ubi Putiphari Domino suo redditur gratiosus. (*Gen.* 39.) Inter adversa tamen tam fratrum invidorum, quàm malevolæ fœminæ exilium patiens & carcerem, interpretationibus somniorum beatur, (*Gen.* 40.) elevatur, totique præficitur Ægypto, (*Gen.* 41) Salvator mundi proclamatur; denique Patrem suum ac totam Familiam nutrit, & ad bona Jessen pascua (*Gen.* 47.) transfert: postremò 80. annis in Ægypto gloriosè dominatur. (*Gen.* 45.) Videre mihi videor figuram Sancti Patris nostri Stephani in hoc Josepho Patriarcha accrescentis ex parvis initijs Religionis, ad culmen supremæ Præfecturæ. Sed magis in eo considero verticem perfectionis, quando meritis plenus & tamen humilis spiritu, quia cedens alteri Præfecturam, ad privatam se vitam reduxit. Quare? Credo ad imitandum humiliationis Filij Dei exemplum, ut in obedientia viveret usque ad mortem. O eximium in tanta humilitate profectum! O insignem etiam per demissionem sui progressum! O præcellentem in descensu ascensum! Unde tamen credimus eum ita crevisse & multiplicatum fuisse, gentemq; suam multiplicatam conspexisse? Liceat mihi originem petere ab origine salutis nostræ Maria, juxta Sanctum Andream Cretensem, *origine vitæ, quæ ipsam Divinitatis vivificam plenitudinem totam excepit.* Benedictionem dedit Legislatrix, tunc ibat de virtute in virtutem (*Ps.* 83.) Divus Pater noster Stephanus. Ita sanè, *sicuti* ex sensu Arnoldi Bostij, *Beatissima Virgo est Mater Legislatrix Eliæ, & totius Carmelitani Cœtûs Fundatrix primaria ritè dicitur, ideoq; quod stirpi rami, quod capiti membra, quod radij soli, quod fonti rivuli, hoc Serenissimæ Dominæ Mariæ Carmelicolæ cuncti se justè debere, gratè & piè recognoscunt;* ita Legislatricem & totius Cisterciensis Ordinis Fundatricem tenemur non diffiteri, imò Patronam, Dominam, Protectricem & Advocatam, quando noster Antesignanus Stephanus Virgini Deiparæ summè devotus novellam Cistercij plantationem ipsius singulari addixit clientelæ, unde omnia Monasteria sub titulo Beatissimæ Mariæ Virginis nominan-

Joseph Patriarcha cur filius accrescens à Patre dictus, idq; bis?

Progressus vitæ illius qualis?

S. Stephani figura Joseph Patriarcha.

Crevit in gentem magnam,

S. Andreas Cretensis

ex benedictione Mariæ,

cujus clientelæ Ordinem Cisterciensem consecravit.

Ita ut sit Ordo Cisterciensis primus inter Occidentales B. V. dedicatus, minantur. Et hinc Ordo noster est primus inter omnes Occidentales honori Beatissimæ Virginis dedicatus. Vnde ipsa posuit nomen suum in terris suis, *Ps.* 48 Monasterijs Ordinis Cisterciensis, quando B. Alberico apparens edixit: *Ego Ordinem istum usq; in finem seculi protegam & defendam.* *de cujus protectione promissum B. Virginis.* Pro conclusione notandum, quòd in Psalmo 83. non dicatur volabunt, sed ibunt de virtute in virtutem, utì & illa animalia, licet plures pennas habentia incedebant tantùm, non volabant, ambulabant & gradiebantur; (*Ezech.* 1.) *Quomodo intelligendum, ibunt de virtute in virtutem?* I. quia reverà in profectu requiritur labor, patientia & longum tempus. Hinc de virtute Hebraicus textus notat strenuitatem, robur, fortitudinem; vel ex Græco virtutem, quæ labore & pugnâ acquiritur; & in latino virtus à viribus nuncupatur. Significat etiam murum & propugnaculum, exercitum & divitias, quæ omnia virtus in se comprehendit. Optimè Isaias c. 40. Qui autem sperant, ait, in Domino, (& hi sunt, qui gratiæ Dei confidunt) mutabunt fortitudinem, id est ibunt de fortitudine in fortitu-

II. S. Hieron. dinem, utì Sanctus Hieronymus vertit; *assument pennas ut aquilæ,* non tamen volabunt, *sed current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient,* Sed quæret quis, de qua virtute in quam virtutem ibunt?

III. Respondet Euthymius, *à virtute donorum DEI, hæc sunt gratia & benedictio, ad eorum virtutem, quæ in regno cælorum tribuetur.* Re-

IV. spondet Sanctus Gregorius Magnus, *ab imperfecta virtute ad perfectam:* utì Ezechiel c. 47. à Viro traductus est post mensurationes singulas mille cubitorum, primò usq; ad talos, deinde usque ad genua, tandem usque ad renes, postremò torrentem non potuit pertransire; in hac enim vita quotusquisque ad summum perfectionis pertingit?

V. Ibunt quoq; de virtute actionis ad virtutem contemplationis. Deniq;

VI. de virtute una ad aliam perfectiorem, veluti Israëlitæ ibant ab una mansione ad aliam, donec venirent in terram promissionis; ita & nos donec videbitur Deus Deorum in Syon. (*Ps.* 83.) Hic terminus profectûs, visio Dei; hic finis gratiæ, gloria cælestis. *Hæc est merces, & hic finis & fructus nostri laboris,* ait Sanctus Pater noster, *visio scilicet Dei.* *Merces, finis & fructus laboris nostri, visio Dei.* Quis non hunc tantum fructum, rebus omnibus visibilibus & invisibilibus incomparabiliter præferat? Quis est cujus vel gelidum pectus hoc desiderium non accendat? Accendit Divum Stephanum, & fecit cum splendore & suavissimo odore, cum cantu Angelorum gloriosè pervenire. O utinam possimus & nos sequi Ducem nostrum & assequi, muniti meritis ejus & precibus, firmati gratiâ & benedictione Dei, proficientes de virtute in virtutem; (*Psal.* 83.) quatenus etiam tam hic quàm ibi diademate charitatis possimus coronari.

Sermo in Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: (Luc. 10.) *quando diffusa erat gratia in labijs ejus.* [Ps. 44]

S. Maria Magdalena à nomine B. V. Mariæ reddita illustrior. SAnctam Mariam Magdalenam, Matris Dei Virginis Mariæ nomine intitulatam, adeoq; ejus connominalem, participium tanti nominis reddit illustriorem; PP. RR. FF. DD. & quantumvis

fuerit

fuerit altera Maria Jacobi Joseph mater, potuerintq; plures eo nomine gaudere, inter omnes tamen post Mariam V. Deiparam ipsa tenet primatũ. Unde quoties mulieres Christum à Galilæa sequentes nominantur, ut plurimùm Maria Magdalene primo ante alias loco indigitatur. Magdalena porrò dicitur à Magdalo castro, quod posse sit; verùm per interpretationem agnominis magnifica vel magnificata, sive exaltata, aut turris intelligitur explicata. Et sanè talis erat magnifica velut Heroina, nihil nisi heroicos exercens actus, ac ideò optimam partem eligens, nunquam à se auferendam (*Luc.* 10.) Nomen Mariæ habuit & omen, quia Domina fuit non tantùm temporaliter sed & spiritualiter, dominans sibi & passionibus suis per pœnitentiam. Turris fuit, quia procera & corpore excelso, & magis animo excelsiori. S. Hieronymus ob sedulitatem ac fidei ardorem eam Magdalenen, id est turritam rectè vocatam asserit. Placet interea cursum vitæ ejus discurrendo pertransire. A pœnitentia, quæ est optima pars Mariæ Magdalenæ, per totam vitam practicata inchoemus; vitæ enim ipsius in peccatis transactæ, ubi mulier peccatrix appellatur, juxta S. Augustinum *conjugata & adultera*, juxta S. Hieronymum *vidua*, nulla extant vestigia, deleta per sententiam Christi, diffusâ ex labijs gratiâ promulgatam: (*Luc.* 7) remittuntur tibi peccata tua. Hæc est, de qua Salvator ejecerat 7 dæmonia, septem vitiorum capitalium ex ea solvit obsidionem, ut totidem virtutibus locum daret. Cernite actum heroicum pœnitentiæ ipsius: ut cognovit quòd JESUS accubuisset in domo Pharisæi, (*Mar.* 16) *ultrò se ingessit in domum*, inquit S. Augustinus, *ubi rogata non fuerat; & quæ priùs frontosa erat ad perditionem, postea frontosior facta est ad salutem;* & ideò audire meruit, quòd ei fuerint omnia peccata dimissa. *Non puduit illam fuisse notoriam peccatricem, nec voluit publicæ pœnitentiæ habere pudorem; quia semetipsam graviter erubescebat intùs*, ait S. Gregorius, *nihil esse credidit, quod erubesceret foris.* Unde dicit S. Augustinus: *Vide non invitatam irruisse convivio, ubi suus Medicus recumbebat, & quæsivisse piâ impudentiâ sanitatem; irruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio: noverat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum esse idoneum ad quem venerat sciebat.* Mirum tamen est, quòd nihil lingvâ loqueretur, nihil confiteretur, nihil deprecaretur; sed ipsâ tacente nihilominùs omnes ipsius actus plus quàm satis loquebantur, confitebantur, deprecabantur Salvatorem. Erat diffusa gratia pœnitentiæ in labijs ejus ore tacentis, sed corde misericordiam implorantis. *Tacitè loquebatur*, ait S. Augustinus, *non sermonem promebat, sed devotionem ostendebat.* Ac primùm stans retrò secùs pedes ejus; [*Luc.* 7] en verecundia: accessit retrò non antè, indignam se Divino æstimans aspectu. *Verecundia sanè* ex mente S. Patris nostri, *gemma morum, virga disciplinæ, soror continentiæ, lampas pudicæ mentis, expunctrix malorum, & propagatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes. virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem* forte

Magdalena unde dicta?

Quomodo fuit Domina?

quomodo Turris?

Pœnitentia illius.

Per sententiam Christi deleta sunt ejus peccata.

Cur se ultrò ingessit in domum Pharisæi? I. S. August.

S. Greg. I.
S. Aug. III.

Cur ibi nihil locuta est?

S. August.
Cur retrò secùs pedes JESU stetit? I. S. Bernardo
Descriptio verecundiæ.

II S. Augustin.

fortè invexerit pudor, quantum gratiæ & decoris suffuso afferre vultui solet! Hæc S. Pater. *Accessit non ad caput Domini*, ait S. Augustinus, *sed ad pedes*: en humilitas. Poterat dicere cum Sponsa: (*Cant.* 1) cùm esset Rex in accubitu suo, nardus mea, id est humilitas dedit odorem suum. *Pedibus advolvitur Christi, & quæ diu malè ambulaverat*, inquit idem S. Doctor, *vestigia recta quærebat*. Lachrymis cœpit rigare pedes ejus; en verus cordialis dolor de peccatis, exprimens ex oculis nectar pœnitentiæ. *Discite quo dolore ardet*, S. Gregorius asserit, *quæ flere etiam inter epulas non erubescit. Accubuit Christus, non pocula saporata melle, floribus odorata sumpturus*, inquit S. Chrysostomus, *sed pœnitentis lachrymas ex ipsius oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium lachrymas esurit, sitit lachrymas peccatorum.* Equidem ex sensu Melliflui Patris *lachrymæ pœnitentium sunt Angelorum vinum*; quibus utiq; gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente: (*Luc.* 15.) *quia in lachrymis est vitæ odor, sapor gratiæ, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ. Bonæ lachrymæ*, inquit S. Ambrosius, *quæ non solùm nostrum possunt lavare delictum, sed etiam verbi cælestis rigare vestigium, ut gressus in nobis ejus exuberent. Bonæ lachrymæ, in quibus non solùm redemptio peccatorum, sed etiam refectio est justorum. Justi enim vox est: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* (*Ps.* 41.) *Idem Propheta dicit* (*Ps.* 49.) *potâsti nos vino compunctionis.* Sequitur ulterior actus pœnitentis Magdalenæ. Et capillis capitis sui tergebat. *Luc* 7. Nimirùm juxta S. Euthymium, *instrumentum peccati facit instrumentum virtutis. Capillos suos quos antea comabat & fucabat, nunc dedicat pietati & pœnitentiæ. Osculabatur pedes lotos & abstersos ex charitate, petens osculo reconciliationem & pacem, illicitum amorem convertens in castum amorem Christi; & sic* secundùm D. Gregorium, *quod sibi turpiter exhibuerat, hoc jam DEO laudabiliter offerebat: oculis terrena concupiverat, sed hoc jam per pœnitentiam conterens flebat: capillos ad compositionem vultûs exhibuerat, sed jam capillis lachrymas tergebat: ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat.* Deniq; ungvento ungebat, (*Luc.* 7) quod ungventum ex peccatis confici docet S. Damianus. *Ipsa videlicet peccata in mortariolo pœnitentiæ macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, & in aheno disciplinæ concocta ungventum exhibent pretiosum, & acceptum pedibus Salvatoris.* Jam quis non cognoscet in his omnibus heroicos planè actus pœnitentis Magdalenæ eluxisse? *Quot in se habuit oblectamenta*, ait D. Gregorius, *tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.* Idem deducit eleganter S. Cyprianus: *Usa est capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro baptismo. Cor contritum erupit in lachrymas, fides lavit, charitas unxit, caput pro suppedaneo stravit, crinibus*

III *Cur lachrymis rigat pedes JESU?* I D. Greg. II.

S. Chrysost. III

Lachrymæ pœnitentium sunt Angelorum vinum.

S. Ambr. IV

Cur capillis capitis sui tergit? S. Euthymius.

D. Gregorius

Cur unguento ungit?

Actus Heroici pœnitentis Magdalenæ in his omnibus elucent. D. Gregorius

S. Cyprianus

nibus circumfusis pedes sacros involvit & tersit; nihil sibi de se retinens, totam se tibi devovit. (alloquitur Redemptorem) *Et tu affectum potiùs quàm factum attendens ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecùs pœnitentem.* Ita sanè ex mente *D.* Gregorij

D. Gregoriꝰ

Christus eam per gratiam traxit intùs, quam per misericordiam suscepit foris; ille qui dixit: (*Matth.* 11.) Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, imperat Propheta. (*Ps.* 98.) Fecit Magdalena, quando dicente S. Paulino, *ipsos sibi pedes Sacrarium,* ut ita dixerim, *& Altare constituit, in quibus libavit fletu, litavit ungvento, sacrificavit affectu. Sacrificium enim Deo Spiritus contribulatus, quem illa immolans, à Deo non solùm remissionem delictorum, sed etiam gloriam prædicandi cum Evangelio nominis meruit.*

Quomodo adoravit scabellū pedum Christi?

S. Paulinus

Ex his patent illæ Theologicæ virtutes; Fidei, de qua S. Augustinus: *Illa quæ sibi peccata à Deo remitti credidit, Christum non hominem tantùm sed & Deum credidit; ac idcircò dictum illi: Fides tua te salvam fecit.*

S. August. *Illius fides,*

Spei, utpote quæ prima inter omnes propter veniam & gratiam à Christo impetrandam venit, cùm alij sanitatum corporis causâ illum tantùm accederent.

spes,

Quanta in illa religio, devotio, sapientia, magnanimitas fuerit, sed super omnia charitas, quis explicabit? Heroica hæc sunt omnia, nonne in his optimam partem elegit? Nonne per hæc diffusam in labijs JESU gratiam veniæ meruit obtinere? Verè Maria magnifica, & magnificata per executionem pœnitentiæ, magnificata per adeptionem veniæ, exaltata per consecutionem gratiæ: turris planè virtutum & meritorum, sed maximè amoris Christi.

& Charitas,

Ideò remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm; *Luc.* 7 *quasi dicat,* ait S. Gregorius: *Incendit planè peccati rubiginem, quia ardet planè per amoris ignem. Tantò namq; ampliùs peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.* Ita S. Gregorius.

S. Gregoriꝰ *per quam rubigo peccatorum ejus est consūpta.*

Si tu multùm diligis Deum, Deus reciprocè multùm te diliget, qui te dilexit, priusquam tu illum. *Libenter,* inquit S. Pater noster, *Dei amor nostrum quem prævenit subsequitur. Nam quomodo redamare pigeat, quos amavit necdum amantes?*

S. Bernardus

Amatrix Christi Dei ac Domini sui singularis reiteravit unctionem suam super caput, quando habens alabastrum ungventi pretiosi effudit super caput ejus recumbentis in domo Simonis leprosi; (*Matth.* 26) ubi juxta S. Joannem etiam fertur antecedenter unxisse pedes, & extersisse capillis suis, & domus impleta est ex odore ungventi; [*Joan.* 12.] quod Dominꝰ signum fuisse ad sepeliendum corpus suum indicavit, & prædicari voluit Evangelium hoc in toto mundo, quòd hæc fecerit in memoriam ejꝰ. Porrò quanta amatrix pedū fuerit, manifestat nobis etiā, quando Martha sollicita & turbata erga plurima, ipsa sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, *Luc.* 10. & unum quærebat necessarium; videlicet uniꝰ Dei & verbi illius ac salutis suæ cognitionem, amorem, atq; studium. Hæc erat optima pars & sors Mariæ, quæ non

Sedet secus pedes JESU, *audiens verbum illius.*

auferetur ab ea: (*Ib.*) Domino adhærere, ut unus cum eo spiritus efficeretur. (1. *Cor.* 6.) Quid magis magnificum, magis heroicum, magis exaltatum, quàm unum fieri cum Deo Altissimo? Et hoc rogabat Redemptor Patrem ante passionem, ut omnes unum sint: sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. (*Joan.* 17.) Hinc individua comes & pedissequa Christi Maria Magdalena ubiq; sequebatur illum in prædicationibus suis, & ad ipsam passionem ac crucifixionem assistebat ei; nec unquam poterat ab ipso avelli velut cõmartyr Christi. Postremò erat etiam sepulto Domino ipsa & altera Maria pro decore societatis & honestatis sedentes contra sepulchrum. *Mat.* 27. Nonnisi sabbatum poterat illam à mortuo Domino separare. Interea tamen eo vix finito, vesperè mox Sabbati parant aromata & ungventa, & una sive prima Sabbati venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum. (*Matt.* 28) Quanta sollicitudo! quantus ardor! quantum desiderium videndi Christum etiam uti arbitrabatur mortuum, ad serviendum ipsi per condimenta ungventorum! Non contenta visione & relatione Angelorum, factâque annunciatione Apostolis de eo quæ dixerant Angeli, sigillatim videns lapidem sublatum à monumento, cucurrit ad Petrum & Joannem dicens illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum; (*Joan.* 20) sed ipsis post visionem rerum dictarum abeuntibus ad semetipsos, rediit ad sepulchrum, stabat ad monumentum foris plorans. (*Ib.*) *Oculi, qui Dominum quæsierant*, ait Sanctus Augustinus, *& non invenerant, lachrymis vacabant, ampliùs dolentes quòd ablatus est de monumento, quàm quòd occisus in ligno: quia tanti Magistri, cujus vita subtracta fuerat, memoria remanebat. Amor faciebat eam stare*, inquit Origenes, *& dolor cogebat eam plorare: stabat & circumspiciebat, si fortè videret, quem diligebat; plorabat eum, quia sublatum existimabat, quem quærebat.* Quid ergo? Dum fleret inclinavit se, & prospexit in monumentum. (*Joan.* 20.) Super quo Sanctus Gregorius: *Amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Perseveravit ut quæreret, unde & contigit ut inveniret; factumq; est ut desideria dilata crescerent, & crescentia caperent quod invenissent.* Idipsum ait Sanctus Augustinus: *Unde contigit, ut eum tunc sola videret, quæ remanserat ut quæreret. Quia nimirum virtus boni operis perseverantia est*, teste Divo Gregorio. In monumento autem vidit duos Angelos dicentes sibi: Mulier quid ploras? Quibus illa respondit: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum (*Joan.* 20.) En causa ploratûs. Hæc cùm dixisset, conversa est retrorsum. *Ib.*) Quare? Sanctus Chrysostomus asserit, *quòd Christo apparenti à tergo Magdalenæ Angeli signa reverentiæ & adorationis exhibuissent, ideo conversa est retrorsum, ut videret quis esset.* Audite lusus amoris. Videt JESUM nec agnoscit JESUM quem putat hortulanum. Dicit ei JESUS: mulier quid ploras? Quem quæris? Jam non dat rationem, nec ad quæsita respondet, sed dire-

Christi in passione individua comes, & commartyr.

Quo sepulto sedet contra sepulchrum.

Sollicitudo illius propter absentiam corporis Christi.

S. Augustin.

Origenes

D. Gregor.

S. Augustin.

Cur conversa retrorsùm?

S. Chrysost.

ctè

ctè dicit: Si tu ſuſtuliſti eum dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam. Quanta vis amoris! *Quid ſi ſit in atrio Principis Sacerdotum?* interrogat Origenes, *Ego eum tollam. Quid ſi in domo Pilati? Ego eum tollam.* Quàm magnifica eſt hæc Heroina in amore Chriſti, quoniam dilexit multum. (*Luc.7.*) Omnia etiam impoſſibilia, videntur poſſibilia amanti. Deniquè per vocem Maria cognoſcit JESVM Magiſtrum ſuum: ſed non diu gaviſa præſentiâ, imò prohibita eſt contactu, ne moram traheret annunciandi Apoſtolis viſionem ſuam & reſurrectionem; ſuffecturum tempus ad contactum ex eo quòd nondum aſcenderet ad Patrem ſuum. Quid tamen? Quòd ſoli negavit, conceſſit in ſocietate aliarum occurrens eis JESVS & dicens: Avete, ubi omnes acceſſerunt & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. *Mat.28.* Prima tamen Maria meruit videre JESVM, teſte Marco c 16. Surgens manè primâ ſabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ exceptâ Mariâ Matre Domini, quæ haud dubiò ante omnes meruit videre Filium reſurgentẽ, & cui hoc primariò debuit Filius tanquam Matri, quia ſum̃è dolebat, cujus animam doloris gladius pertranſivit. *Luc 2*) Poſt illam prima Maria Magdalena cenſenda eſt Dominum vidiſſe, unde venit annuncians; Syrus legit: evangelizavit diſcipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. (*Jo.10*) Nonne Maria Magdalena Apoſtola? nonne Evangeliſta? nonne prædicatrix Domini reſurgentis? Pulchrè S. Chryſoſtomus: *Mulieribus pro Apoſtolis uſus eſt ad Apoſtolos, honorans genus quod ex ſerpentis ſeductione infame factum fuerat. Et quia mulier viro facta eſt cauſa mœroris, nunc mulieres fiunt viris miniſtræ gaudij.* Clariùs Venerabilis Beda de noſtra Apoſtola: *Mulier culpæ inductrix, quæ primò mortem guſtavit,* [in Eva] *primò reſurrectionem vidit*; [in Beatiſſima Virgine, & Maria Magdalena] *ne perpetui reatûs apud viros opprobrium ſuſtineret.* Sed videte Evam in paradiſo, Mariam in horto: Illa curioſa circa arborem ſcientiæ boni & mali, per quam mors inducta; hæc ſtudioſa circa ſepulchrum atque corpus ejus, ex quo vita manavit. Illa cum ſerpente colloquens, hæc cum Angelis diſcurrens. Illa garrulitate peccatum incurrens, hæc ſilentio cordis duntaxat clamantis veniam promerita. *Surgente Domino*, Severianus inquit in Catena, *terrenis reddit cæleſte conſortium; & mulieri, cui fuerat cum diabolo lethale conſilium, fit cum Angelo vitale colloquium.* Illa fructu interdicto ſe paſcens, hæc lachrymas ſicut panes manducans. Illa viri deceptrix, hæc virorum informatrix. Illa à facie Dei fugitiva cum marito dicere debuit Deo deambulanti in paradiſo: vocem tuam audivi & abſcondi me; (*Gen.3*) hæc faciem Domini requirens, ad vocem Chriſti inſtar hortulani apparentis converſa juſtè valuit enarrare: Vox tua dulcis & facies tua decora. (*Cant.2.*) Illa demum excuſans peccata ſua meruit indignationem & pœnam, hæc accuſans delicta ſua meruit veniam & gratiam, facta toti Eccleſiæ primiceria pœnitentiæ, ſpeculum converſionis, exemplar virtutum, norma dilectionis, optimæ partis electrix,

JESUM per vocem cognoſcit.

Cur prohibita tangere?

JESUM poſt reſurrectionem exceptâ B.V. prima videre meruit.

Hæc cur Apoſtola dicenda?

S. Chryſoſt.

V. Beda.

Parallela inter Evam & Mariam Magdal.

Severianus

S. Maria Magdalena Regina poenitentium.

diffusæ gratiæ in labijs JESV inventrix. Quis Mariam Magdalenam non dicet esse Reginam pœnitentium, prout Maria Virgo Mater Domini est Regina Virginum, viduarum, & conjugatarum, idque vel maximè quòd eadem veniâ acceptâ à Domino, & maximâ donata gratiâ, in altissimo specu (quem licuit mihi quoque indigno prope Massiliam La Sainte Baume dicto videre, in eodemque Divina peragere) usque ad mortem à pœnitentiæ continuatione non destitit per 30 annos, hanc sibi optimam partem eligens in hac vita peccaminosa soli pœnitentiæ dedicatâ. Quidni imitemur pœnitentem, si secuti sumus peccantem? Quidni lachrymis diluamus peccata nostra? Quidni diligamus multùm? Concludo cum Sancto Paulino. *Ergo illum amemus, quem amare debitum est; quem Maria Magdalene dilexit multùm. Illum osculemur, quem osculari castitas est. Illi conjungamur, cui nupsisse Virginitas est. Illi subjiciamur, sub quo jacere supra mundum stare est; propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est; illi commoriamur, in quo vita est, in quo & mortui vivimus, qui vicissim nobis hoc esse dignetur, quidquid illi fuerimus servuli sui.* Sancto Paulino adnecto Origenem, suavissimè de Maria Magdalene scribentem. *Sequamur*, ait, *hujus mulieris affectum, ut perveniamus ad effectum. Ploret unusquisque ad JESUM, & quærat fideliter JESUM, quia non celavit se quærenti peccatrici. Disce peccator homo à peccatrice muliere, cui tamen dimissa sunt peccata sua; disce plorare Dei absentiam, & considerare ejus præsentiam. Disce à Maria JESUM amare, & in JESUM sperare, & quærendo JESUM investigare, nulla adversa formidare, nullam extra JESUM consolationem accipere, omnia propter JESUM contemnere.* Ita Origenes. Addo pro coronide. Discamus cum Maria optimam perpetuæ pœnitentiæ partem eligere, quæ non auferatur à nobis usque ad mortem; ut diffusam in labijs JESU gratiam per indulgentiam & remissionem peccatorum nostrorum obtineamus: sitque ipse nobis per munus gratiæ suæ finalis optima pars & portio nostra in terra viventium (*Ps.* 141.) intercessione Beatæ Mariæ Magdalenæ mediante. Fiat fiat.

In specu prope Massiliam poenitentiam continuavit usque ad mortem.

S. Paulinus *Exhortatio ad amorem JESV.*

Origenes *Quomodo Maria Magdalena imitanda?*

Sermo in Festo S. Annæ

Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Psal. 44.

Cum Deus in se ipso sit fœcundus, Pater enim generat filium ad intrà; ad extrà quoque magnam per productionem mundi & omnium eorum quæ in mundo sunt, fœcunditatem demonstravit: ubi singulariter cunctis viventibus sive vegetativè sive sensitivè, sive intellectualiter vim indidit generandi, singularissimè tamen filios adoptivos in hominibus per gratiam fidei generat ac multiplicat mediante Christo: sed per præviam benedictionem ejusdem mediatione beat fœcunditate universa. Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus apud Isaiam c. 66. Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis

Deus in se foecundus homines generat ut filios adoptivos per gratiam fidei in Christo, & per benedictionem reddit foecundos.

sterilis ero? dicit Dominus Deus tuus, (*ib.*) ex quo omnis Paternitas in cęlo & in terra nominatur, Patresq; spirituales, qui filios generant in verbo veritatis, instituit. Fœcunditas proinde est Divinæ benedictionis effectus. Benedixitq; illis Deus, inquit Genesis *c. 9.* & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Hoc ipsum manifestat Moyses in Deuteron. c 7. Benedictus eris inter omnes populos. Quomodo? Non erit apud te sterilis utriusq; sexûs, tam in hominibus quàm in gregibus tuis. Idem videtur Deus prædicere Israëlitis in Exodo: *c.* 23. Servietisque Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis & aquis; (hìc victus humanus notatur, panis & aqua vita hominis, ait Sapiens, (*Eccli* 29) pro cibo nimirùm & potu) & auferam infirmitatem de medio tui. Quæ est hæc infirmitas? Non erit infœcunda nec sterilis in medio tui, subnectit; non postrema enim infirmitas est non posse generare. Imò sterilitas Divinæ maledictionis specimen esse censenda est, mereturque maledictionem, uti illa fici arbor folia tantùm habens à Domino maledicta: (*Mat.* 21) nunquam ex te fructus nascetur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea. Datur tamē sterilitas temporalis non in signum maledictionis, sed in provectum benedictionis: non in detrimentum naturæ, sed in profectum & augmentum gratiæ. Ecce S. Anna Mater Genitricis Dei Virginis, & Avia Filii Dei Incarnati nomine, re ac gratiâ, primùm quidem sterilis, sed postea per gratiam Dei fœcunda per partum filiæ plenæ gratiâ, (*Luc.* 1) tempus gratiæ orbi advexit universo. Propterea benedixit eam Deus in æternum, quia generans filiam benedictam inter mulieres, ex ipsa benedictum ejus fructum, (*Luc.* 1) fontem omnis gratiæ & benedictionis ad æternam omnium hominum protulit salutem. Causam sterilitatis ejus eleganter deducit S. Chrysologus loquens de sterilitate Elizabethæ, quod S. Annæ apprimè potest applicari. *Hinc est* ait, *quòd Dominus tetro infidelitatis nubilo cordibus jam cæcatis, ut irradiaret partûs Virginei Sacramentum, desperatæ & annosæ sterilitatis antè præmisit conceptum, ut qui videbat post senectutem longam arida membra reviviscere, & transacto curriculo jam vitæ veteranæ in primam reflorescere pubertatem, atq; ipsam naturam in occiduam ætatem ad nascentis servi* (dicamus hic, ad nascentis Dominæ, hoc enim Maria significat) *insignia suscitari, pudicitiæ florem, pudoris titulum, castitatis insigne, ipsiusmet virginitatis claustra manere post partum, crederet posse Auctore ipso ex utero procedente servari.* Ita S. Chrysologus aureè, qui paulò inferiùs exclamat: *Felix, quæ ut in Deum cresceret, in senibus sic defecit naturâ; felix quæ sterilitatis damna Virgineâ fœcunditate mutavit, felix quæ uno concepit in partu, quod in toto orbe confundere deploravit; felix quæ facta est vitalium germinans Mater, quæ erat antè origo miseranda mortaliū.* Hæc aureus Sermo. Ethymologiam nominum Patris Joachim & Matris Annæ cognoscimus, illum vocari Domini præparationem, hanc gratiam nominari. Quid aliud igitur est Maria ipsorum proles, nisi præparatio Domini in gratia?

Fecunditas Divinæ benedictionis effectus.

Sterilitas Divinæ maledictionis specimen.

S. Anna cedit in augmentum gratiæ.

Causa sterilitatis illius.

D. Chrysol.

Idem.

Joachim præparatio Domini, Anna gratia.

Quandoquidem Dei templum, tabernaculum Altissimi, Virgo Mater in gratiam cum gratia ad gratiam humano generi producendam præparabatur. Audiamus desuper S. Epiphanium: *Joachim interpretatur præparatio Domini, eò quòd ex illo præparatum sit Templum Domini, nempe Virgo. Anna rursùs similiter gratia interpretatur, propterea quòd Joachim & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent, Sanctam Virginem adepti.*

S. Epiphanius

Quod quomodo intelligendū?

Sterilitas in S. Anna divinitus ordinata fuit.

Sterilitatis ordinatio in S. Anna Divina fuit, ut filia nascitura non tam naturæ quàm gratiæ filia agnosceretur. Utar ergo verbis auriloqui Doctoris: *Fratres, Elizabeth* ait ille, (dico ego, Annæ Sanctæ) *partus non ablatus sed dilatus, donec transiret tempus carnis, passio corporis, conjugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensûs, & totum, quod humanam confundit, gravat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore* (videlicet sterilitatis) *sacrificij domus, sanctitatis hospitium, meatus metatoris,* (ajo Matris Christi) *Angeli* (dico Virginis) *domicilium, aula Spiritûs Sancti, deniq; Dei templum.* Ita ille. Sterilitas igitur S. Annæ mater fuit summæ fœcunditatis, omnis fertilitatis fons & origo. Servit illi legitimè ille textus Isaiæ c. 54. à D. Paulo citatus: (*Galat.* 4.) Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis quàm ejus quę habet virum. Deserta erat infidelis Gentilitas à Deo, sola Synagoga Judaica colens verum Deum à Deo colebatur. In S. Anna primùm illuxit spes gratiæ gentibus exhibendæ, per illum cui Deus dicit: (*Is.* 49) Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea ad extremum terræ. Et sic per S. Annam sterilem & quasi desertam cæpit fertilitas Ecclesiæ major quàm Synagogæ per partum Virginis Deiparæ; quia & Ecclesia Virgo est teste Apostolo dicente: (2 *Cor.* 11) Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Igitur *fuerit sanè S. Anna sterilis corpore*, dicente S. Chrysologo de Elizabetha, *sed erat fœcunda virtutibus, tarda soboli sed non tarda Deo, non germini clausa sed tempori, non negata pignori sed servata mysterio.* Postea tamen facta est & fœcunda corpore, & præcox soboli, & aperta germini, & sacrata Deo, & novo gratiæ serviens tempori, & data pignori Virgineo. Præludia ejusmodi sterilitatis & fœcunditatis legimus etiam pro tempore Legis ad initia Synagogæ. Nonne Abraham & Sara steriles in ætate plus quàm depontana Isaac promissionis filium progenerârunt? *Novimus* (loquor verbis D. Chrysologi materiæ nostræ applicatis) *de Abrahæ & Saræ emortuis extremâ senectute corporibus, & à Patris Matrisq; nomine famosissimâ sterilitate submotis, Isaac ad totam fœcunditatem Israelitici germinis erupisse; cui non obfuit tantum defuisse naturam, quantum nasci profuit auctoris beneficio non naturæ.* Scimus Rebeccam diu sterilem gemellos Jacob & Esau ex Isaac generâsse: & uti fatetur Ravennatensis Antistes, *didicimus Rebeccæ & Annæ effœtis diu, diu naturæ suffragio destitutis dedisse Deum, quod sterilitas abnegaverat.* Nec ignotum nobis est de Manue & uxore ejus, cui apparens

D. Chrysol.

In qua primùm illuxit spes gratiæ gentibus exhibendæ.

S. Chrysol.

Felix sterilitas in Abraham & Sara,

D. Chrysol

in Rebecca,

in Manue & uxore ejus.

parens Angelus Domini dixit: (*Jud.* 3) Sterilis es & absq; liberis, sed concipies & paries filium, qui erit Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex utero Matris usq; ad diem mortis suæ; & vocavit nomen ejus Samson, quod significat sol ejus vel nominis iteratio. Omnia hæc in figura contingebant, quæ in S. Anna re ipsâ completa sunt. Nihilominùs Anna mater Samuelis potissimùm S. Annæ typus esse potest.

Comparatio Annæ matris Samuëlis, & S. Annæ.

Elcana vir ejus designans Deum zelotem, ex Anna, quæ est gratia, procreavit Samuelem ita dictum, positum à Deo, vel nomen ejus Deus. Quid magis exprimere potest S. Joachim, ex S. Anna generantem zelo planè amoris Divini; sic enim Deus dilexit mundum, ut Unigenitum suum daret, *Jo.* 3) Virginem Matrem Mariam, ex qua ipse Unigenitus, cujus nomen Emmanuel nobiscum Deus, *Is.* 8) verè posit⁹ à Deo, à Deo Patre missus, nomen ejus De⁹, & natura illius Deus, gigneretur. Sed quid? Concluserat antea Dominus vulvam ejus. (1. *Reg.* 1.) Quid hoc? Sterilem fecit, ut faceret miraculosè fœcundam, ut dono Dei agnosceret se habere filium non virtute naturæ; ut potentiæ orationis, non conjugij operationi prolem adscriberet. Sic fatetur ipsa met. *ib.* Pro puero isto oravi, & dedit mihi Domin⁹ petitionem meam quam postulavi eum. De Joachim & Anna asserit *D.* Epiphanius: *Joachim precabatur in monte, & Anna in horto suo. Pro quo? Haud dubiè ut benedictionem acciperent à Domino, ut gratiam fœcunditatis consequerentur.*

D. Epiphan. *Orat Joachim & Anna,*

Vti & Zacharias sine dubio orabat Deum, dicente Angelo Gabriele: (*Luc.* 1.) Exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem, id est gratiosum.

orat & Zacharias Deum pro tollenda sterilitatis nota.

Quàm omnia ad tempus acceptabile gratiæ gratiam resonant! Quàm præstans fructus orationis gratia Dei! Dicat nobis Sanctus Damascenus idipsum: *Quemadmodum* inquit, *prisca illa Anna cùm sterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promissionem Samuëlem procreavit,* [1. Reg. 1.] *eodem modo hæc etiam per obsecrationem & promissionem Dei Genitricem à Deo accepit, ut ne hic quoq; cuiquam ex illustribus Matronis cederet.*

Fructus orationis illorum, gratia Dei. S. Damasc.

Exaudita oratio fuit, oratio Sancti Joachim & Annæ, & felicissimè exaudita, quando effectum orationis suæ consecuti sunt thesaurum cæli & terræ, ipsum regnum cælorum in Filia Virgine Matre Dei, & in nepote Filio Dei & Filiæ suæ Mariæ. Benè simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. (*Matt.* 13.) Ipsi Parentes erant ager benedictionis, ex quo thesaurus Virginitatis absconditus erutus est, per singularem Dei præservationem intactus & incontaminatus.

Regnum cælorum quomodo simile thesauro abscondito in agro?

Sic alloquitur Sanctos Parentes Divus Damascenus: *Castè & sanctè munere vestro functi, Virginitatis thesaurum produxistis.*

Idem

In hoc thesauro velut gazophylacio templi thesaurus Divinitatis latuit; ille infinitus thesaurus datus hominibus, Sapientia Dei Incarnata; ille in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei erant absconditi, (*Coloss.* 2) qui de se ait: (*Ps.* 49) Pulchritudo agri mecum est. Unde odor Filij sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, (*Gen.* 27.) promanavit. Quis non invento hoc thesauro præ

gaudio eat extra se & extra mundum, imò vendat omnia quæ habet, & intra & extra se, & emat agrum istum, (*Matt.* 13) virtute devotionis sibi appropriet, efficaciâ orationis & continui cultûs obsequio vendicet & obliget sibi gratiam Sanctorum Joachim & Annæ? Redeo ad discursum comparationis Annæ Matris Samuelis, & Annæ Matris Virginis Deiparæ.

Vlterior comparatio Annæ matris Samuelis, & Annæ matris B. V.

In utraq; honor conjugij, matrimonij dignitas, differente Sancto Chrysologo, *est procreatio dulcium liberorum. Satìs enim grave est, & satis triste, & virginitatis carere præmio, & filiorum solatia non habere; sustinere onera matrimonij, & ad fructum matrimonij non venire. Pervenit utraq; Anna, ac felici prole beata fuit.*

S. Chrysol.

Jam quod fecit Anna Mater cum filio Samuele, hoc ipsum Anna Mater nostra cum Filia sua Maria est executa. De illa scribitur (1. *Reg.* 1.) quòd adduxit eum ad domum *Domini* in Silo: puer autem adhuc erat infantulus, quem ablactaverat, utique ex more Hebræorum anno ætatis tertio; adeoq; *triennem obtulit Domino*, juxta Sanctum Chrysostomum, *à mamma divulsum*, qui inferius sic ait: *Primâ statim pueritiâ à mamma Matris venit ad mammam spiritualem.*

S. Chrysost.

Et Sanctus Augustinus. *Natus* inquit, *Samuel fuit apud Matrem tempore lactis. Mox ut eum ablactavit, dedit in templum ut ibi cresceret, ibi roboraretur in spiritu, ibi Deo serviret.*

D. August.

Et S. Hieronymus: *Anna*, ait, *Samuelem non sibi sed tabernaculo genuit.* Ita sanè datum sibi à Deo, Deo reddidit. Idcirco & ego, loquitur ipsa, (*Ib.*) commodavi eũ Domino cunctis diebus, quibus fuerit cõmodatus à *Domino*; quod Vatablus legit: *Ego quoq; mancipavi eum Domino.* LXX vertunt: *ad usum Domini*; quasi dicat, tradidi eum Domino utendum ad quemlibet ejus usum. Sanctus Chrysostomus sic interpretatur. *Non ego hujus benefacti sum author, sed persolvo debitum. Depositum accepi, & hoc ei restituo qui dedit.*

S. Hieron.

S. Chrysost.

Audiamus jam de nostra Anna Sanctum Joannem Damascenum differentem. *Itaq; gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit: (id enim Mariæ nomine significatur.) Verè etenim rerum omnium conditarum Domina facta est, cùm Mater extitit Creatoris. In lucem autem editur in domo probaticæ Joachim, atq; ad templum adducitur, ac deinde in domo Dei plantata, atq; per spiritum saginata instar Olivæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur, ut quæ videlicet ab omni hujusce vitæ & carnis concupiscentia mentem abstraxisset, atq; ita Virginem unà cum corpore animam conservâsset; ut eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat.* Ita Sanctus Joannes Damascenus.

S. Damasc.

Anna Mariam, gratia Dominam parit.

Triennis Samuel in domo Domini, trimula Virguncula in templo *Dei* à Matribus suis oblati, ejusque servitio consecrati fuêre. Cecinit Anna Samuelis: (1 *Reg.* 2.) Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cor meum in Deo meo; & post pauca: donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est; & reliqua. *Utiq; & nostra Anna Mariæ Genitrix*, teste S. Joanne Damasceno, *meritò Divino Spiritu plena, læto hilariq; animo personabat: Congaudete mecum, quæ promissionis germen*

Idem.

ex

ex sterili ventre peperi, ac benedictionis fructum uberibus meis ut optaveram, nutrio. Sterilitatis mœstitiam exui, ac lætam fœcunditatis vestem indui. Congaudeat mecum hodie Anna illa Phenennæ adversaria, & novum hoc atq; inopinatum miraculum quod in me gestum est, suo exemplo concelebret. Exultet Sara senili gaudio gestiens, meumq; ab sterilitate conceptum præfiguret. Ita Sanctus Damascenus. Cecinit & ipsa Filia Sanctæ Annæ Domina nostra, Deum hominem gestans in utero, Canticum illud præclarissimum, (*Luc.* I.) Magnificat anima mea Dominum intonans; cui prælusit illud Annæ canticum, estque illi simillimum istud, ab eodem Spiritu Sancto dictatum.

Canticū Deiparæ

Sed si comparemus Sanctam Annam Matrem Dominæ nostræ cum omnibus mulieribus, quæ Annæ nomine in Sacra insignitæ fuerunt Scriptura; hæc nostra illas omnes longo antecellit & superat intervallo.

Comparatio S. Annæ cū mulieribus in S. Scriptura Annæ nomine insignitu.

I. Et quidem Annam Matrem Samuelis Prophetæ & Judicis Israëlitici, quidni multùm superet Mater Matris Dei, & Avia Authoris & Apicis Prophetarum, principij & finis omnium Prophetiarum, Judicis vivorum & mortuorum?

II. Phanuel, videns Deum. Aser, beatitudo seu felicitas

Glorietur sanè Anna filia Phanuelis, videntis Deum de tribu Aser, id est beatitudinis aut felicitatis, quòd fuerit Prophetissa non discedens de templo, serviens Deo die ac nocte: (*Luc.* 2.) quantò magis gloriari potest Anna nostra filia David de tribu Juda, generans templum Dei Mariam, coronam & coronidem omnium Prophetarum, cælestis beatitudinis auctricem?

III. Raguel, Pastor Dei

Fuerit equidem Anna Raguelis uxor, qui dicitur Pastor Dei nominetenùs tantùm non realiter; hodierna verò re ipsâ est genitrix pascentis Deum, suisq; ipsum nutrientis uberibus, qui totum terrarum orbem pascit & conservat.

IV. Tobias, bonus Dominus

Neq; exaltet se filia ejus, uxor Tobiæ, qui bonus Dominus intelligitur, à qua dæmonium Asmodeus dictum per Raphaëlem Archangelum sublatum; hìc gloria Matris filia sapiens, Mater Sapientiæ Incarnatæ, Domina bonitatis, omnis boni fons & origo, ad quam omne dæmonium nullum habuit accessum, cui nemo æquiparari potest; nam nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Sed quia post illam, quæ est immediata Dei genitrix, nemo sangvine vicinior Filio Dei, quàm Sancta Anna, imò ex ipsius sangvine prodijt mediante Filiâ Christus, qui sangvine suo orbem redemit universum: qui vult velocissimè invenire gratiam apud Nepotem ejus Deum, & apud Filiam ejus Matrem Dei, non quærat illam nisi per Sanctam Annam Aviam illius, & hujus Matrem, quæ nomen gratiæ præsefert, & verè gratiam summam merita est, eamque pro omnibus potest impetrare.

Per S. Annā gratia abud Deum & Matrem ejus quærenda.

Hic est thesaurus absconditus in agro (*Matt.* 13.) Ecclesiæ Sacrosanctæ, devotio ad Beatissimam Annam. Non sterilescet in virtutibus, fœcundus erit in meritis, qui patrocinio Sanctæ Annæ fuerit gavisus. Erit Samuel positus à Deo, Deo oblatus per ipsam, erit videns Deum cum ipsa, pascetur à Deo, & in loco pascuæ optimæ collocabitur, (*Ps.* 22) jungetur quoque bono Domino, adhærebit Deo, & sicut Sancta Anna cum Filia & Nepote est una caro; sic ille fiet unus spiritus cum

Samuel positus à Deo.

Deo (1. *Cor.* 6.) per Sanctam Annam, Mariam & JESUM. Ac ideo sæpiùs hæc Sacra Nomina sunt reiteranda, ut tam in vita quàm in morte semper sint nobiscum JESUS, Maria, Anna, quatenus & nos cum ipsis in æternitate felici maneamus.

Sermo In Assumptione Beatissimæ Virginis.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

Paradisus terrestris umbra fuit cælestium deliciarum.

PAradisus à *Deo* pro hominibus creatus & primò homini ad operandum atque custodiendum datus, (*Gen.* 2.) umbra fuit cælestium deliciarum. PP. RR. FF. *DD.* Cælum enim verè est locus voluptatis, tanquam sedes & regnum *Dei*, ubi *Deus* velut summum, æternum, infinitum & perfectissimum Bonum, seipsum SS. Angelis & hominibus in omnem communicat æternitatem. In illo Paradiso terrestri fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum. (*Ib.*) Utique & in hoc cælesti Paradiso ex illa abysso omnium bonorum & omnis gaudij plenitudine ac supereffluentiâ, nimirum *Divinitate*, vero voluptatis loco egreditur fluvius non tantùm ad irrigandam sed etiam inundandam totius paradisi amœnitatem. Quemnam hunc esse fluvium arbitramur? Refert *Daniel* vir desideriorum (*c.* 10) se vidisse Antiquum dierum in throno sedentem, & à facie ejus fluvium igneum rapidumque egredientem: sed addit c. 7. quòd judicium sederit & libri aperti essent. Porrò *Divus* Joannes Propheta Evangelicus vidit Filium *Dei*, & de ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat. (*Apoc.* 1.) Hic est gladius judicij, fortasse adinstar illius gladij Cherubici flammei atque versatilis. (*Gen.* 3.) Nec mirùm, quia omne judicium dedit Pater filio suo. (*Joan.* 5.) Hiccine est fluvius recreans paradisum? Si sumatur in statu Judicis, quando justitia & judicium erit correctio sedis ejus, tunc ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. (*Ps.* 97.) *Dominus* enim Deus ignis consumens est (*Deut.* 4.) omnem malitiam creaturarum. Hic fluvius erit ad vindictam & pœnam reproborum, nec quidquam electis Beatis nocebit. Quid tamen? Cùm Deus ignis sit, num etiam in bonam partem fluvium igneum non profundet? Quinimò. Igneus amoris fluvius ex illa abysso, quæ Deus charitas est, (1. *Joan.* 4.) haud dubiè progredietur, omnesque paradisi cælestis incolas complectetur & penetrabit. Nonne sic *Deus* dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret? (*Jo.* 3.) qui venit ut ignem mitteret in terram, cumque voluit accendi, ac re ipsâ Spiritum Sanctum ignem *Divinitatis* suæ super paradisum terrestrem, primitivam suam Ecclesiam Apostolicam effudit. *Act.* 2.) Ubique hic ignis amoris exardescet. Quidni in cælesti paradiso hic ignis instar fluvij replet totam domum & habitantes in ea Beatos? Sed quandoquidem dicitur, quòd Sancti inebriabuntur ab ubertate domus *Dei*, & torrente voluptatis ejus potabuntur, (*Ps.* 35.) quoniam apud te est fons vitæ, ait Propheta (*Ib.*) ad Deum: necessariò quoq; fluvius aqueus egreditur de loco voluptatis ad irrigationem paradisi. (*Gen.* 2.) Ita est, nec alius nobis occurrit verior & efficacior Matre

Fluvius egrediens de Paradiso cælesti qualis pro reprobis, qualis pro beatis?

Fluvius Paradisi cælestis Virgo Deipara.

omnis gratiæ, Matre misericordiæ Mariâ. Si enim Filij est justitia & judicium, Matris erit gratia & misericordia. Honor Regis judicium diligit, (*Ps.98.*) honor Reginæ amat misericordiam. En ascendit hodie *Domina*, ex hoc terrestri paradiso militantis Ecclesiæ, elevatur & transfertur ad cælestem triumphantis Ecclesiæ paradisum. Ad quid? Ut fluminis ejus impetus lætificet civitatem *Dei*, (*Ps.45.*) ex sensu Idiotæ *utramq; Ecclesiam & in ea quamlibet animam fidelem.* Sanctificavit enim tabernaculum suum Altissimus, (*Ps.45.*) glorificavit sanctuarium suum, cujus anima ipsum magnificavit. Surge Domine in requiem tuam acclamat Rex Vatum, (*Ps.131.*) Tu & arca sanctificationis tuæ. Hinc ubertas domûs *Dei*, hinc torrens voluptatis, (*Ps.35.*) hinc fluvius gratiarum; quia ipsamet est *Fluvius clementiæ*, juxta Sanctum Anselmum Lucensem, *flumen inexhaustæ pietatis* ex sensu Trithemij, *flumen totius bonitatis* secundum Divum Damascenum *ex paradiso procedens, ineffabilium gratiarum suarum copiosissima dona omnibus servis suis semper concedens. Ipsa est*, ex mente Sancti Andreæ Cretensis, *fluvius vitæ perennis, quo effici possumus immortales: est flumen Dei repletum aquis* interprete Richardo à S. Laurentio, id est charismatibus gratiarum, *est fluvius*, dicente Sancto Joanne Damasceno, *aromatum Spiritu Sancto plenus*; *est fluvius aquæ vivæ splendidæ tanquam Crystallus*, ait Joannes Picus Carthusianus, *procedens de sede Dei & Agni, multiplicium repletus aquis gratiarum ad mortalium salutem.* Et quidem adhuc in terris existens erat fluvius currens, teste Isychio Patriarcha Jerosolymitano, *fonte quacunq; ex parte clauso. Mater enim fuit absq; passione eorum quæ mulieribus accidunt. Peperit tanquam mulier, non tamen ut mulier corrupta est. Juxta legem naturalem gestavit in utero, quoniam tempus pariendi præscriptum expectabat, veruntamen concepit præter legem naturalem. Fuit flumen sanctissimum*, ex sensu Idiotæ, *in quo natus est ille piscis unicus & sempiternus JESUS Christus Filius ejus benedictus, qui quasi piscis captus est in aquis generis humani, hamo mortalitatis, ut vitam nobis conferret sempiternam, in quo inventus est Frater redemptionis nostræ. Et sicut flumen in ortu suo parvum est, sed postea multùm augmentatur, sic Virgo inviolata parva fuit in principio per humilitatem, sed tandem supergressa est Angelorum dignitatem. Nec ex augmento alveum qui est misericordia, mutavit, sed jugiter defluit quia in gratia Sancti Spiritus perseverans continuò nos irrigat. Quinimò sicut flumen loca vicina fœcundat, sic largissima Virgo fœcundat conscientias sibi per amorem adhærentes. Fœcundat namq; ex verbis Sanctarum Scripturarum; cogitationum & meditationum campis, floribus honestorum desideriorum, folijs sanctorum verborum, fructibus bonorum operum, virore vernantium exemplorum: & sine isto flumine omnia arescunt.* Hæc Sapientissimus Idiota, qui quantam de Beatissima Matre Dei habuerit æstimationem, in hac patefecit Conclusione dicens: *sine isto flumine omnia arescunt.* Fontem enim bonitatis & misericor-

Quæ hodiè cur assumitur in cælum?

Maria fluvius clementiæ, pietatis, totius bonitatis,

fluvius vitæ perennis,

fluvius aromatum, aquæ vivæ,

Idiota *flumen sanctissimum,*

sine quo omnia arescunt.

diæ Divinæ, quem Primi Parentes peccatis suis obstruxerunt, ista sola primùm aperuit, super quam primùm rorârunt cœli desuper & nubes pluerunt justum; (*Isai.45.*) in quam Filius Dei descendit sicut pluvia in vellus. (*Ps.71.*) Quid non aridi fuit in terra absque hac pluvia, quam nobis conciliavit Maria? Per ipsam velut fluvium venit ad nos profusa plenitudo Divinitatis. (*Coloss. 2.*) *Altiùs intuemini Fratres mei*, monet Sanctus Pater noster, *quantò devotionis affectu à nobis Mariam voluerit Deus honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria?*

S. Bernard9

Maria hortus deliciarum,

Quærimus paradisum? Ipsa est: *hortus planè deliciarum, quem non modò afflaverit veniens, sed & perflaverit superveniens Auster ille Divinus, ut undiq; fluant & affluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Ipsa fluvius voluptatis*, juxta Ernestum Pragensem, *ex quo accipimus aquam ad peccatorum ablutionem, oleum ad vitiorum curationem, lac ad puritatis & innocentiæ reparationem, butyrum ad devotionis pingvedinem, mel ad contemplationis dulcedinem, vinum ad perfecti gaudij & amoris beatitudinem.* Hæc omnia nobis est Christus, quem orbi attulit & contulit universo. Hæc omnia & ipsa gratiæ suæ ubertate & multiplicitate diffudit.

fluvius voluptatis,

Ernestus Pragensis

in quo nonnisi aureis retibus piscandum. Quæ qualia?

Sed in hoc flumine voluptatis nonnisi retibus aureis, juxta Ernestum Pragensem, *piscandum est, id est, meditationibus & studiis amorosis*: continuis, addo ego, orationibus, invocationibus, servitijs & cultibus ex amore sincero profectis; sed & imitationibus perfectis gratia *Dei* & ipsius est aucupanda. Interea si Maria est fluvius paradisi, utique etiam sicut ille ita & ipsa in quatuor capita dividitur. Illa Civitas cælestis describitur (*Apoc.21.*) esse in quadro posita; orbem quoque quatuor plagis constare notum est. Ergo profluvium gratiarum & gloriæ Mariæ, tam in illam civitatem, quàm in hunc terrarum orbem abundanter dispensatur quadriformi Cardinalium virtutum fluxu & influxu cum omni & perpetua firmitate & stabilitate.

Influxus gratiarum Mariæ qualis?

Quatuor fluvij è medio Paradisi egredientes.

I. Phison, qui circuit terram Evilath.

Hujus moralis denotatio.

Phison, oris mutatio, sive multitudo seu extensio

Quatuor fluvij ex fluvio Paradisi enascuntur. Nomen uni Phison, ait Genesis c. 2. Ipse est, qui circuit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibique invenitur Bdellium & lapis Onychinus. Phison intelligitur oris mutatio, sive multitudo aut extensio. Ex mente Divi Ambrosij *typus est prudentiæ, quæ mutat verba juxta capacitatem Auditorum.* Circuit terram Evilath, hoc est, placidam, mitem, propitiamque constitutionem conservat. Ibi nascitur aurum optimum, hoc est vivendi disciplina. Non vincitur à falsitate, quemadmodum carbunculus qui ibi nascitur, non vincitur à nocte; sic enim aliqui ex Hebræo Bdellium vertunt in Carbunculum.

Bdellium quid designat?

Cæterùm & Bdellium, quod est arbor aromatica, cuius lachryma lucida, gustu amara, & boni odoris est, denotat bonam famam, quam præcipuè nutrit & conservat prudentia.

Quid lapis onychinus?

Lapis verò Onychinus significat spem, miracula, & martyrium juxta Glossam ordinariam. Et quia LXX pro Onychino prasinum legunt, non minùs virorem spei, & terræ innuit viriditatem; cujus typum fluvius Phison gestat. Aliàs Onyx niger humili-

militatem, candidus puritatem, rubeus passionem possunt indigitare, quæ omnia prudentiam concomitantur. Juxta Venerabilem Bedam verò *Phison est oris dentatio*, quia dum in terra sumus, dentibus, id est cunctis viribus animæ premendus, conterendus, & ruminandus est omnis cibus, quem pro anima capimus; & hoc est prudentiæ opus, sicut Maria conservabat omnia verba conferens in corde suo. (*Luc.* 2.) Et nomen fluvij secundi Gehon, continuat Scriptura Sacra, (*Gen.* 2.) ipse est qui circuit terram Æthiopiæ. Gion sive Gehon, id est, pectus vel eductio, aut exitus, seu vallis gratiæ vel mansionis, [putatur esse Nilus circumiens terram Æthiopiæ, scilicet adustæ;] ex sensu Sancti Ambrosij designat *temperantiam*, quæ libidinis ardorem refrigerat, & vitiorum nigredinem emundat: vel juxta eundem Sanctum Doctorem interpretatur *hiatus*, quia inordinatas absorbet concupiscentias. Juxta Philonem verò & Venerabilem Bedam significat *fortitudinem*, quia Gion est pectus vel cornupeta, circa pectus autem ubi est cor, habitat fortitudo ad defensionem sui parata. Circuit terram Æthiopiæ calidam & ferventem, quia fortitudo fervens est in actione. Et quia Gion significat pectus, typum gerit aquæ fluentis sine manibus & pedibus super alveum terreum, quasi pectore super terram, sicut & aqua maris super littora, quasi eodem modo reptat. Circuit omnem terram Hûs, quod Æthiopiam & coopertum interpretatur; quia & aqua circuit omnem terram, cooperiens & involvens eam in circuitu; demptâ hâc parvâ portione terræ quam inhabitamus. Nomen verò fluminis tertij Tigris, ait Textus Biblicus, (*Gen.* 2.) ipse vadit contra Assyrios. Tigris dicitur à velocitate animalis sic nominati, quia rapidè currit; secundùm Divum Ambrosium significat *fortitudinem*, vadens contra Assyrios, id est insidiantes, vel planè contra Dæmones, qui per Assyrios denotantur. Vel juxta Sanctum Augustinum, Bedam, & Philonem designat *temperantiam*, vadens contra Assyrios, id est corrigentes, quia corrigit impetum concupiscentiæ. Tigris porrò typus est aëris vel spiritûs aërei qui levis est & penetrativus magis quàm ignis, qui faciliùs potest excludi quàm aër ne intret. Hic vadit contra Assur, id est contra speculantem pro se. Qui enim per seipsum vult Divina speculari, remanet vento plenus. Tandem autem ille aëreus spiritus adeò acuet corpus per dotem jam effectum leve, ut penetrare possit cælos, & quodcunque ipsi objicietur, meliùs quàm áër hic crassus. Fluvius autem quartus ipse est Euphrates, (*Gen.* 2.) id est frugifer sive fructificans aut crescens, typus justitiæ juxta omnes Doctores, quæ maximè bonis operibus fructificando in proximos redundat; typus quoque virtutum corporis, per quas bonæ operationes exercentur. Non describitur quà fluat, sicut alia flumina de Paradiso ortum habentia, propter generalitatem justitiæ, quæ undequaque extenditur. Tunc autem oritur Euphrates, cùm irascibilis & concupiscibilis obtemperant rationi. Designat verò calorem & vim igneam, quæ omnibus fœcunditatem præstat. Nam adveniente calore incipiunt omnia ger-

sive oris dentatio,

Nomen fluvij II. *Gehon, & ejus denotatio.* *Gion sive Gehon, pectus sive eductio, sive exitus, sive vallis gratiæ vel mansionis, sive hiatus,*

sive cornupeta.

Hus Æthiopia, sive copertũ.

III. *Tigris, à velocitate animalis sic dictus.* *Quid designat?* *Assyrij insidiantes.*

Assur speculans pro se.

IV. *Euphrates.* *Hic quid denotat?* *Euphrates frugifer sive fructificans sive crescens.*

minare, & ipso fervescente maturescere; & eodem recedente spoliatur terra decore, & arbores dimittunt fructus ac folia. Sol enim, qui Pater vitæ dicitur, mediante calore rebus inferioribus vitam præstat, & convenit cum Deo, qui ignis existens dat omnibus fœcunditatem & fructum. En figura quatuor virtutum Cardinalium, & quatuor elementorum naturalium in quatuor fluminibus Paradisi; & sicut quatuor elementa naturam, sic illæ quatuor virtutes spiritum conservant.

S. Ambros. *Supradictorũ recapitulatio.*

Unde breviter recapitulando, docente Sancto Ambrosio, *Paradisus voluptatis est anima sapiens & sancta profluviis rigata, Gange*, qui est Phison, *id est prudentiâ; Nilo, id est temperantiâ; Tigri, id est fortitudine; Euphrate, id est justitiâ.* Harum autem virtutum in summa perfectione speculum & exemplar est B. V. Deipara, simul ac earum origo, auctrix & collatrix. Longum esset omnia hic deducere, hoc duntaxat innuo, Sapientiam Increatam & Incarnatam, quæ est Christus, apud Ecclesiasticum comparari quoq; 4. fluminibus paradisi Posuit inquit c. 24. David puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum. Hic est Messias ex David natus Rex Regum & Dominus Dominantium, 1. *Tim. 6.* cujus regni non erit finis; (*Luc.* 1.) non Salomon, licet & ipse fuerit Filius David & Regum Sapientissimus. Qui implet quasi Phison sapientiâ, & sicut Tigris in diebus novorum fructuum, scilicet terræ & frugum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum, qui multiplicat quasi Jordanis in tẽpore messis. *Eccl* 24. Jordanem adjungit quatuor fluminibus, quia & ipse sacer est in terra sancta existens, transitu Hebræorum miraculoso clarus, & Eliæ ac Elisæi per pallium divisione, & Naaman mundatione, potissimùm verò Joannis & Christi baptismo, atq; exundat sicut illi circa tempus messis; in mense Nisan vertit Syrus in Martio, quando in Judæa fruges maturescunt. Deniq; qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Gehon in die vindemiæ, circa solstitium, quando vindemiæ in Ægypto inchoantur; ubi Gehon, id est Nilus diffundit se, & limo suo fęcundat Ægyptum. Hæc omnia conveniunt Christo tanquam Sapientiæ ab æterno & in tempore genitæ, qui perfecit primus scire ipsam, Ille est, qui apud Baruch c. 3 indigitatur dicentem: Non est qui possit scire vias ejus, nimirum Sapientiæ, neq; qui exquirat semitas ejus, sed qui scit universa (hic est fons sapientiæ verbum Dei in excelsis *Eccli.* 1) novit eam. Tandem post pauca concludit. (*Bar.* 3) Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus; homo factus, ut homines doceret sapientiam. Porrò Ecclesiasticus c. 24. prosequitur: A mari enim abundavit cogitatio ejus, & consilium illius ab abysso magna: quod intelligitur præ mari; plus quàm mare, & præ abysso, id est aquarum voragine quæ fundo caret. Liceat mihi dicere, quòd Sapientia Divina à mari Maria Matre sua cogitationem accepit sapientiæ in orbem diffundendæ, & consilium ab abysso magna à Patre suo, cujus beneplacito incarnatus est Filius Dei in Matre Maria. Sicut ergo ipsa Sapientia, quæ est sicut paradisus in benedictionibus, quatuor fluminibus comparatur,

Sapientia Incarnata quomodo 4. fluminibus Paradisi comparatur?

ad

ad profusionem sapientiæ suæ, & gratiarum indicandam; cur non Mater Sapientiæ hisce fluvijs æquaretur, & eorum exundationibus ipsa quoque Regina assistens à dextris Regis (*Ps.* 44.) Mater ejus ex Regali progenie David, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias, ut possit dicere: ego Sapientiæ genitrix, effudi flumina omnium charismatum, donorum, & gratiarum ex abysso magna Deitatis profluentium, & in Sapientia à me genita contentarum atque emanatarum? Nunc in cælesti paradiso eidem corpore & anima juncta, quidni superabundanter & supereffluenter diffundit tam virtutum Cardinalium, & Theologicarum liquores, quàm Divinorum bonorum torrentes ope suâ, merito suo, doctrinâ suâ, exemplo suo, ut verè fluminis impetus non tantùm utramque Dei civitatem lætificet, (*Ps.* 45.) sed etiam fœcundet & faciat fructificare. Denique juxta Sanctum Damascenum: *Ipsa est fluentum immortalitatis, quod casum sublevavit pauperis Adæ, & ad primum gaudium reduxit; fluentum incorruptionis*, juxta S. Joseph hymnographum; & secundùm Andream Cretensem, *fluvius vitæ perennis, quo possumus effici immortales.* Ipsa ad se vocat omnes cum Filio suo: (*Eccli.* 24.) Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis, à tot fluviorum emissionibus velut paradisus emanantibus, adimplemini. *Ego sum Regina cœli*, loquitur ipsamet in revelationibus Sanctæ Birgittæ, *ego Mater misericordiæ, ego justorum gaudium & aditus peccatorum ad Deum. Nullus est adeò maledictus, qui quamdiu vivit, careat misericordiâ meâ, quia propter me leviùs tentatur à dœmonibus, quàm aliàs tentaretur. Nullus est ita abalienatus à Deo, nisi omninò fuerit maledictus, qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum & habeat misericordiam. Nulla etiam pœna est in purgatorij igne, quæ propter me non remissior erit & lenior ad ferendum, quàm aliàs esset.* O verè gratiosissime Fluvie aquæ vivæ! splendidè tanquam crystallus procedens de sede Dei & Agni! (*Apoc.* 24.) Verè in medio plateæ Civitatis illius tanquam Mediatrix Dei & hominum hodie posita, & ex utraque parte fluminis, nimirum in triumphante & militante Ecclesia lignum vitæ afferens fructus duodecim, id est universaliter omnes, per menses singulos reddens fructum suum, quia omni tempore fructificans in Ecclesia Dei ad vitam æternam; fac nos diffusam gratiam in labijs tuis per intercessionem tuam pro nobis ad Deum, & Filium tuum gustare: fac nos in flumine gratiæ tuæ velut Naaman mundari: fac irriguo fluminis tui & exundatione fœcundari, & virtutum tuarum germina producere; ac denique illo tuo fluminis jucundissimi impetu per cœlestem tecum gloriam in abysso Divinitatis lætificari æviternè.

Quomodo Maria ijsdem 4. fluminibus comparatur?

S. Damasc. quæ est fluentum immortalitatis, & fluvius vitæ perennis.

Verba Deiparæ ad S. Brigittam loquentis.

Sermo In Festo Sancti Bernardi

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps. 44.

ELoquium dulce, verbum suave, lingva eucharis, (*Eccli.* 6.) Sanctum Patrem Nostrum Bernardum absq; omni dubio ad titulum

D. Bernardus unde Mellifluus Doctor dictus?

Mellifluì Doctoris evexit PP. RR. FF. DD. Unde diffusam fuisse gratiam in labijs ejus nemo ibit inficias, quicunque scriptis ejus legendis immoratur. Favus distillans fuêre labia ejus, (*Cant.* 4.) per quæ mellitâ eloquentiâ suâ mella sapientiæ cælestis Divinitùs haustæ cunctis porrigebat & propinabat. Favus mellis composita verba, ait Sapiens (*Prov.* 16.) dulcedo animæ sanitas ossium. Hebraicè legitur: Favus mellis, eloquia pulchritudinis vel elegantiæ, aut verba decoris & amœnitatis, dulcis animæ & medela ossi. Est enim etiam sua loquelæ pulchritudo, velut speciei externæ. Quemadmodum decor faciei rapit oculos intuentium, ita species sermonis rapit aures audientium, quando ab ore, quod de Hectore Homerus tradit, melle dulcior fluit oratio; dulcedinem animæ cum sanitate ossium, videlicet intimi in anima roboris conjungit, acsi diceret: sicut favus mellis delectat palatum, simulque reficit, nutrit & roborat corpus; sic verba prudenter & suaviter concinnata aures delectant, dulcorant animam, adduntque robur constantiæ.

Officium oratoris est docere, delectare, & movere.

Et sanè Oratoris vel Prædicatoris est tria operari, docere, delectare, & movere; quod per favum mellis repræsentatur, cùm mel reficiat, dulcoret, & satiet. Unde refectio denotat doctrinam, dulcedo delectationem, salubritas motum & persvasionem.

S. August.

Hic sensus est Divi Augustini: *Dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem ut doceat, ut delectet, ut flectat. Docere necessitatis est, delectare svavitatis, flectere victoriæ.* Percurrantur opera Patris Sancti, & re ipsâ hæc omnia in ipsis reperientur; hæc sigillatim, quæ mellitus quoque Ambrosius recenset:

D. Ambros.

Varietas sermonum.

Est sermo fortior, qui confirmat cor hominis validioribus scientiæ cælestis alimentis. Est etiam sermo svasorius, dulcis ut mel, & tamen peccatoris conscientiam in ipsa svavitate compungens. Est etiam ferventioris spiritûs sermo, qui inebriat sicut vinum, & cor hominis lætificat. Est etiam lacteus sermo purus & candidus. Hos cibos dulcium utiliumq; sermonum epulandos Sponsus proximis suis dicit: Comedite proximi mei, & bibite, & inebriamini Fratres mei. Ita Sanctus Ambrosius. Cuncta hæc in scriptis Melliflui Doctoris sunt manifesta, ita ut verè apis argumentosæ, id est operosæ, sedulæ, industriæ formam, favum & mel ex floribus coacervantis repræsentet.

D. Bernardus quomodo api argumentosæ comparatur?

Brevis in volatilibus apis, inquit Ecclesiasticus, c. 11. & initium dulcoris habet fructus illius. Tigurina verterunt: parva quidem inter volucres apis est, sed fructus ejus est origo dulcium; vel primas obtinet in dulcedine, dulcoris quasi tenet principatum; acsi diceret: Apis esto sit corpore parva, specie horrida, aculeo acris, est tamen sapientissima, mel saporosum, typum dulcis sapientiæ producens. Ita sanè Divus Pater Noster humilitate parvus, austeritate vitæ Religiosæ horridus, mortificatione acris quantumvis fuerit, mella tamen Divinæ fundebat sapientiæ, ut ritè illud

Severus Sulpitius

Severi Sulpitij de Sancto Augustino dictum liceat ipsi applicare. O *verè artificiosa apis, Dei construens favos, Divini nectaris plenos, manantes misericordiam,* (en mel) *& veritatem,* (en aculeus) *per quos*

quos discurrens deliciatur anima mea, & vitali pastu, quidquid in se minùs invenit aut imbecillum sentit, resarcire & suffulcire molitur. Quid mirum, quòd Sanctum Patrem api comparem, si D vus Chrysostomus ipsum Dominum Maj. statis illi similem facit? *Est quædam apis super apes,* inquit: *& quomodo inter apes Rex quidam est, qui nominatur esse Rex, sic Princeps apum Dominus meus est JESUS Christus, ad quem mittit me spiritus, ut comedam mel, bonum est enim; & favum ejus, ut indulcentur fauces meæ. Et fortè subtiliores literæ favi erunt, mel verò, qui intùs est, intellectus. Atqui licet imbecilla sit viribus, ut quæ sapientiam honorârit, provecta est.* Idem aureum Os Doctorem Gentium api assimilat: *Apis diligens & operosa erat Paulus,* ait, *utpote à legis floribus ejusdem umbris & typis prædulces mellis favos colligens, sapientiaq; studium præ cæteris in honore habens: cujus quidem mellis dulcedine, & Reges & idiotæ, hoc est illi qui ex Israël, & illi rursus qui ex Gentibus conversi erant, ad sanitatem usi sunt. Idem ille licet viribus parum firmus esset, ut ipse fatetur, in Christo tamen robustus erat. Ego inquit,* (Phil. 4.) *in infirmitate & tremore, sed omnia possum in eo qui me confortat.* Alludit per hoc in utroque Aureus Doctor ad textum LXX Interpretum in Editione Romana exstantem. *Aut vade ad apes, & disce quomodo operaria est. Operationem quoq; quàm venerabilem facit, cujus labores Reges & idiotæ ad sanitatem afferunt. Appetibilis autem omnibus est & clara, etiam cùm sit robore infirma; sapientiam honorans, evecta est.* Ita Septuaginta Interpretes. Omnia hæc Beatissimo Doctori possunt adaptari. Et sanè quid Claustris Religiosorum verisimilius est, alveantibus apum? Utrobique omnibus est in commune vita, in communi labor, communis omnibus cibus, neque separatim vescuntur, ne inæqualitas fiat operis, cibi & temporis. Pax inter illos & concordia perpetua, nullum otium, sed continuum negotium. Sic in vitis Patrum Abbas quidam inquit: *Sicut apis mel operatur, sic Monachus ubiq; bonum opus.* Et alter Abbas Ampo dictus, *Sicut apis quocunq; vadit, mel operatur, ita & Monachus quocunq; pergit, si propter opus Dei perrexerit, dulcedinem bonorum actuum potest offerre.* Pastus apum in floribus, nec tantùm ex odoriferis quibus delectatur, sed & fœtidis mel sugunt. Mira in eis munditia, castitas perpetua. Audiamus de hoc Sanctum Ambrosium Virgines alloquentem: *Digna Virginitas,* ait, *quæ apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoq; Virgineus est sermo Divinus, quia sicut ros verba Dei descendunt. Pudor Virginis est intemerata natura, partus Virginis fœtus labiorum; expers amaritudinis, fertilis suavitatis, in commune labor, communis est fructus.* Quis hæc omnia non videat in Virgineo Bernardo? Et cui magìs competit insigne castitatis? Actus pro castitate Heroici noti sunt, hinc placuit & Sponso, qui pascitur inter lilia, (*Cant. 2.*) & Sponsæ, quæ lilium est Virginitatis. Porrò cùm integritas corporis Virginalis sit apibus, &

D Chrysost. *Quomodo Christus Dominus?*

Idem. *Quomodo D. Paulus?*

Claustra Religiosorum alveatibus apum similia.

Ampo Abbas

Castitas in apibus perpetua. S. Ambros.

Cujus insigne maximè competit S. Bernardo.

& tamen maxima filiorum emittunt examina: idem cernim⁹ in D. Patre, qui adeò Ordinē protunc sterilem fœcundavit, ut præter monasteria ab alijs exstructa Filiationum variarum, ipse ex sua Maternitate Claravallensi ultra centum sexaginta ædificaverit Cænobia.

Qui ex Maternitate Claravallensi ultra 160. ædificavit cænobia.

Sunt diversa inter apes officia; *aliæ ceras struere*, ait Plutarchus, *aliæ mel coquere, aliæ favos polire, aliæ flores libare, aliæ deniq; æquare ab initio discunt*; ut meritò Sanctus Hieronymus Rusticum Monachum moneat, *apum fabricare alvearia, ad quas te mittunt Salomonis Proverbia; & Monasteriorum Ordinem ac Regiam disciplinam in parvis disce corporibus.*

S. Hieron.

Opus apum,

Quid mirabilius quàm videre favos apum, tantâ proportione in formas sexangulares à singulorum pedum opere efformatos, in ijsq; cellas pro cera & melle condendis tam concinnè fabricatas? Quid magis stupendum quàm cernere apes singulas tanto ordine laborare, colligere succum florum, inferre, conferre, distribuere, quasi partitis inter se ex condicto operis; tandem examina nova procreare, fovere, animare, educere. Juremeritò Poëta Homerus refert; *esse apibus partem Divinæ mentis, & haustus æthereos dixêre*; ac rursus: *ingentes animos angusto in corpore versant.*

Homerus

& labor admirabilis,

Videres omnes certare de munere; alias invigilare quærendæ annonæ, alias de castris esse solicitas, eaque custodire, alias fucos ignavum pecus á præsepibus arcere, habere privatim consilia, pariter aggregatas suaviter cantare: quibus est adolescentia, ad opera exire, seniores intus operari, juniores disciplinâ quadam senioribus subesse, nec agere quidquam sine majorum imperio, tempora prænoscere, si dies pluvia & ventosa, domi manere, si serena, provocare universas; ita ut in ipsis totius virtutis insigne, specimen industriæ, vigor operis, ordinis norma reperiatur. Quis hæc non judicabit domibus Religiosis competere, ubi docente Didymo in Catena Græca *versandum nobis est in Sacris Scripturis, ut apes in campis floridis, ut ex illis opportuna libantes, mellis, id est sapientiæ, favos nobis conficiamus, eos deniq; dextrè in mentis alveario recondamus.*

ideam domuum Religiosarum repræsentat.
Didymus

Sed quid moror in recensendis qualitatibus & virtutibus apum? Thomas Cantipratensis in duobus libris admirandas apum proprietates ac dotes piè & ingeniosè fidelibus & Religiosis eas adaptans exponit. Libeat ad mellis particularitates accedere, cujus primaria similitudo est in Sapientia Dei. Hæc ipsa de se dicit: (*Eccli.*24.) Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum; quod Tigurina legunt: Memoria mei melle dulcior est, possessioque mea favo mellito jucundior. JESUM Sapientiam Incarnatam esse *mel in ore, melos in aure, jubilum in corde*, amator JESU Bernardus patefecit dicens: *JESU decus Angelicum, in aure dulce canticum, in ore mel mirificum, in corde nectar cælicum.* Sapientia Increata ejusque possessio erat Divo Bernardo sapidior omni favo & melle. Legimus & in veteri Testamento Ezechieli Prophetæ c. 3. volumen, & in novo Sancto Joanni ejus primario Prophetæ librum traditum esse; (*Apoc.* 10.) illi ad comedendum, (*Ezech.* 3.) huic ad devorandum, (*Apoc.*10.) utrique

Proprietates mellis.

Possessio JESU, D. Bernardo omni melle dulcior.

que

Volumen ab Ezechiele & D. Joanne sumptum cur postremò ventrem amaricari fecit?

que autem factum esse in ore tanquam mel dulce. Sed Ezechiel postea abijt amarus in indignatione spiritûs sui: Divo quoque Joanni liber devoratus fecit ventrem ejus amaricari. Intellectum esse os animæ quis dubitat? dentes verò scrutinia & indagines veritatis, quibus ipsa cognoscitur, & in ventrem, cellam videlicet memoriæ trajicitur & reconditur. Venter Ezechielis volumine cibati comedit & viscera ejus impleta fuerunt; nimirum cognitione Prophetiæ, quæ de populo Judæorum erat ad effectum deducenda. Unde recordatio ejus causabat ipsi amaritudinem. Sic Apocalypsis quæ erat liber devoratus à Sancto Joanne, cùm esset revelatio & prænotio futuri Ecclesiæ statûs, maximè sub Antichristo, primâ facie & primo gustu gratus, hoc est in ore erat dulcis Sancto Joanni ob miram novam arcanam & Divinam Prophetiam, sed consideratis calamitatibus & lapsibus etiam Sanctorum, ac multitudine reproborum, sensit amaritudinem, gemitus & dolores. Ita est, Divina & arcana Dei consilia ac judicia cognoscere dulce est. Hoc fatetur Rex Vatum: (*Ps.* 18.) Judicia Domini vera justificata in semetipsa, dulciora super mel & favum; dulcia sive quando convertuntur peccatores per eorum prædicationem, sive quando Dei honorem zelanti peccatorum supplicia placent propter justitiæ Divinæ vindicativam executionem. Hinc in manibus Sanctorum erunt gladij ancipites ad faciendam vindictam in nationibus. (*Ps.* 149.) Sed quia judicia Dei sumuntur quoque pro lege & mandatis Dei, inde sapor mellitus eorum potiùs est nunc petendus. Pulchra equidem similitudo mellis & legis Divinæ, illud è cælo veniens est medulla roris, hæc provenit à Deo & à sede altitudinis ejus. Nihil melle dulcius, nihil quoque dulcius juxta Ecclesiasticum c. 23. quàm respicere in mandata Domini. Mel colligitur è floribus; lex Dei, lex gratiæ & veritatis per JESUM Christum facta est, qui est Nazarenus, floridus, flos florum, flos è radice Jesse, (*Isai.* 11.) flos campi & lilium convallium. (*Can.* 2.) Mel apes colligunt, & in favis recondunt: Prophetæ & animæ Sanctæ instar apum melle Verbi Divini, ejusque legis pastæ, illud in cordibus ac libris suis deponunt. Talis apis fuit Sanctus Doctor noster, qui librum Scripturarum ita comedit, ita cœlesti hoc pastus est nectare, ut in scriptis suis nihil funderet nisi mella, nihil nisi Scripturam etiamnum loquatur. Asserit ipsemet super Cantica: *Est spiritus sapientiæ & intellectus*, ait, *qui instar apis ceram portantis & mel, habet omnia, & unde accendat per lumen scientiæ, & unde infundat saporem gratiæ.* Hoc spiritu repletus fuit D. Pater, hunc profudit mellito eloquio suo; ita ut lingva ejus esset calamus scribæ velociter scribentis (*Ps.* 44.) Spiritûs Sancti, scribentis & in cordibus Auditorum, & in mentibus lectorum. Diffusa planè erat gratia in labijs ejus vel proloquentis ad aures, vel exarantis in pargameno, ut & viventis labia, & mortui monumenta favus essent distillans. Unde meritò Ecclesia Sancta in ejus Collecta orat, ut ad obtinendam Divinæ gratiæ largitatem, quâ & ipsemet abundabat, & quam in alios exuberare

Arcana Divini consilij cognoscere dulce est.

Comparatio mellis & legis Divinæ I. II.

III.

IV.

Mellitum eloquium in scripto D. Bernardi.

S. Bernardus

berare faciebat, suis quoque meritis & precibus intercedat. Poterat equidem in vita sua dicere Deo cum Propheta: (*Ps. 118.*) Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. *Benè faucibus dulcia*, explicat melleus Ambrosius, eò *quòd intimis infusa visceribus gratia spiritualis sit. Faucibus* inquit, *ad diuturnitatem ac perseverationem gustûs denotandam, quòd non in primis labris, vel primoribus linguæ partibus, sed in extremis hæreat ac perduret. Faucibus non stomacho, qui facilè satiatur, cùm fauces nunquam. Fames*, inquit Hugo Victorinus, *in faucibus satiari nunquam potest, quia ibi nec appetitus mensuram habet, nec delectatio finem; in stomacho autem fames satietatem recipit, quia ibi appetitus edendi certam mensuram habet, & delectatio finem.* Hinc Sapientia de se dicit: (*Eccli. 24.*) Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient. Benè Sanctus Gregorius; *Scriptura Sacra usu fastidium tollit, & tantò amplius diligitur, quantò amplius consideratur.* Sapientia Dei est Verbum Dei inspiratum, dictum & scriptum in libris Scripturæ Sacræ. Accipe librum, & devora illum, imperat (*Apoc. 10*) Angelus Sancto Joanni. *Et tu Frater*, aptè infert idem Hugo à Sancto Victore, *devora librum vitæ, comede Verbum Dei, nec solùm comede, sed avidè comede: cum aviditate sume & consume tanquam mel dulcissimum. Mel sapientia est*, ait Augustinus, *primatum dulcoris tenens in escis cordis.* Monet idipsum Rex Sapientissimus: (*Prov. 24.*) Comede fili mi mel, quia bonum est, & favum dulcissimum gutturi tuo; sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ. Plinius mel eximiè collaudat dicens: *Sive cæli est sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aëris succus purus & liquidus, cùm magnam cælestis naturæ voluptatem affert*; quod proculdubiò magis Divinæ congruit Sapientiæ. Ecce ipsamet se commendat vocans omnes ad se: (*Eccli. 24.*] Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Quæ sunt generationes istæ? Haud dubiè Scripturæ Sacræ: Spiritus enim meus super mel dulcis, (*Ib.*) spiritualis planè sensus in Scripturis; de quo alibi; O quàm bonus & suavis est Domine spiritus tuus! & hæreditas mea super mel & favum, (*Eccli. 24*) quæ est gratia & gloria, vel sanctitas & felicitas æterna. Eliphaz Themanites præcipit Job, cap. 22. Suscipe ex ore illius, nimirum Dei, legem; & pone sermones ejus in corde tuo, tunc super Omnipotentem delicijs afflues; quod Sanctus Gregorius sic exponit: *Super Omnipotentem delicijs affluere, est in amore illius Scientiæ Sacræ epulis satiari.* His planè satiatus fuit Doctor Mellifluus, quando Scripturæ Sacræ verba ita sibi appropriavit, ut ut nihil nisi eloquia Verbi Divini proferat & profundat. Quid tamen est quòd Salomon alibi dicit: (*Prov. 25.*) Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus evomas illud? Doceat nos Divus Gregorius: *Dulcedinem spiritualis intelligentiæ qui ultra quàm capit, comedere appetit, etiam quod comederat evomit; quia dum summa intelligere ultra vires quærit, etiam quæ benè intellexerat, amittit.* Hinc rursùm

Quomodo eloquia Dei faucibus dulcia?
D. Ambros.

Hugo de S. Victore

S. Gregori9

Hugo Victorinus

Plinius

Generationes Sapientiæ quæ?

Quid est, suprà omnipotentem effluere delicijs?

D. Gregori9

rursum dicit: Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui perscrutator est Majestatis, opprimetur à gloria. Gloriâ quippe invisibilis Conditoris, quæ moderatè inquisita non erigit ultra vires, perscrutata premit. Ita Hæretici qui de sublimitate intelligentiæ quantò amplius repleri ambiunt, tantò amplius inanescunt. Ita Sanctus Gregorius. Videtur hic Sapiens monere, ne quis plus sapiat quàm oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem; (*Rom.* 12.) vel ad illud Apostoli (1. *Cor.* 3.) collimare: Qui apud vos vult videri sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens. Ubi sciendum dulcia facilè in bilem verti, & mel in fel transmutari. Vulgò dicitur; *omnis satietas mala, studiorum autem pessima*; videlicet quæ se erigit ad superbiam, quæ ambulat in mirabilibus super se, (*Ps.* 130.) quæ non fundatur in humilitate: scientia enim inflat, charitas ædificat. [1. *Cor.* 8] Deinde dulcis est ut mel oratio, sed etiam debet subsequi actiò, ipsique adjungenda est mortificatio; aliàs nauseam parit & tædium, si hâc variatione non temperetur. Qui volet pro & contra applicet hæc Sancto Patri, qui aliàs hoc de laudibus explicat humanis dicens: *Meritò non ab omni, sed immoderato mellis hujus edulio prohibemur. Est enim, cùm utiliter humanas laudes recipimus fraterno duntaxat intuitu charitatis, & ad salutem eorum, qui nobis propterea faciliùs acquiescunt* Sed sublato hoc excursu redeamus ad mel sapientiæ *Divinæ*, quæ in se continens sensûs recti sinceritatem, eloquentiæ claritatem, castitatis puritatem, gratiæ svavitatem, dulcedinem clementiæ, benignitatis & misericordiæ, abundanter in mellifluo *Doctore* reperiebatur. Sed undenam hoc mel suxit? Haud dubiè de Petra, quæ est Christus. (1. *Cor.* 10.) Cernitisne fasciculum myrrhæ (*Cant.* 1) continuum in manibus ejus? Quantò magis in corde, quantò ampliùs in opere? quantò abundantiùs in prædicatione? Non arbitrabatur se aliquid scire nisi JESUM & hunc crucifixum, 1. *Cor.* 2) ipsemet illi concrucifixus. Non gloriabatur nisi in Cruce *Domini* Nostri JESU Christi. Hæc ipsius *fuit maxima Philosophia*, id est amor sapientiæ, uti ipse testatur: *hæc summa Theologia.* Ex foraminibus petræ ex caverna maceriæ (*Can* 2.) spiritum super mel dulciorem (*Eccl.* 2.) suxit sapientiæ cælestis & *Divinæ*, quæ ipsi omnem austeritatem vitæ, omnem corporis, sensuum, & passionum mortificationem, omnem deniq; crucem reddebat svavissimam ac dulcissimam; quod de Sancto Andrea affirmat inquiens; *Spiritus JESU Crucem & mortem fecit non solum non molestam, sed etiam desiderabilem atq; omnino delectabilem esse. Spiritus autem meus, ait Dominus, super mel dulcis, ita ut ne ipsa quidem dulcedini ejus prævalere queat amarissima licet mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoq; facit esse dulcissimam? Quæ resistere poterit asperitas unctioni illi, quæ mortem quoq; facit svavissimam?* Ita S. Pater noster. Ubi tandem concludit. *Quæramus hunc spiritum Fratres, totâ sollicitudine operam demus, ut mereamur habere hunc spiritum, imò ut quem jam habemus, abundantiùs habeamus. Qui-*

Quid melle satiari ut evomatur?

Oratio ut mel dulcis.

Mel Sapientiæ Divinæ.

Divus Bernardus unde suxit?

Ejus Philosophia & Theologia, scire JESUM, & hunc crucifixum.

D. Bernardus *Crux JESU S. Andreæ dulcis.*

Mel & lac sub lingva D. Bernardi à Crucifixo amplexati, à Deipara lactati.

Nobis Filijs ejus quid faciendum?

Petr. Blesen.

cunq; enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. (*Rom.* 8) Verè Spiritum Christi Sanctus Bernardus habuit, quando cum Crucifixo JESU in unum & unitum meruit amplexum conspirare. Sed quid illi potuit deesse, quando ab ipsa Matre Sapientiæ Incarnatæ dignationem lactationis est adeptus, ut planè mel & lac esset sub lingva ejus, (*Cant.* 4.) adeoque ut non tantùm Claravallis flueret rivis lactis & mellis, sed etiam totus Ordo Sacer per ipsum humus lacte & melle manans redderetur? Nos Ordinis albo inscripti, nos Sancti Bernardi pedissequi, filij Clarævallis, sacris ejus insistamus vestigijs, apum solertiam imitemur, ad *D*ivi Patris exemplum facientes hoc, ad quod Petrus Blesensis monet unumquemque. *Discurre scripturarum amœnissimos campos, lege tanquam apis & reconde in alveolo memoriæ suavissimi odoris flores,* [addo ego dulcissimi saporis mella] *castitatis lilium, olivam charitatis, patientiæ rosam, uvas spiritualium charismatum.* Elegans est Paronomasia inter Hebraicum Thabor, quod est verbum, & Debora, quod est apis; quia Verbum Dei spirituales apes debent frequentare, quod dulce est rationi, licet amarum sit sensualitati. Unde procul à nobis erit mel carnalis illecebræ, (*quæ major voluptas*, ait Tertullianus, *quàm fastidium voluptatis?*) imò totalis ejus exclusio, qualis erat in castissimo Bernardo. Aberit à nobis delectatio in melle prosperitatis mundanæ, quod figurat mel super faciem agri positum ad saltum, à vulgo repertum, à Jonatha gustatum; per quod illuminati sunt oculi ejus, utique sicut primorum Parentum oculi fuêre aperti per transgressionem mandati Divini, prout & illi per prævaricationem juramenti; unde dixit: (1. *Reg.* 14.) *Gustans gustavi in summitate virgæ quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce morior.* Mortem animæ adfert gustus mundanæ sapientiæ & carnalis concupiscentiæ; & hoc est mel, quod *D*ominus prohibet poni in sacrificio, dicens: *Lev.* 2.) Nec quidquam mellis aut fermenti adolebis in sacrificio Domini. Hôc nobis blanditur hostis, & ejus dulcedine plurimos irretit & illaqueat; habet enim in cauda aculeũ hæc apis infernalis mel in ore præferens, perducitq; ad acidum fermentum malitiæ & nequitiæ, 1 *Cor.* 5.) primigenij peccati, mel fallacis adulationis adliniendo, mellis enim inunctione acetum perficitur. Hæc est uva acerba, quam Patres nostri comederunt, unde dentes filiorum obstupuerunt. *Jer.* 31. Inde mel Sapientiæ Divinæ, mel castitatis, mel benignitatis, affabilitatis & beneficentiæ arridebit nobis, quod tam Scripturæ sacræ mellea verba, quàm scriptorum Melliflui Patris mellita eloquia propinant abundè; ubi medicamenta dicente Plinio, non tam mella gignuntur, varijs morbis curandis dona cælestia. Postremò sicut Sancti Patriarchæ Benedicti memoria apud nos est in benedictione, (1. *Malach.* 3.) ita Melliflui Patris nostri adinstar Josiæ in omni ore nostro quasi mel indulcetur: & sicut *mellis natura est* teste Plinio, *ut putrescere corpora non sinat*, à Babylonijs pro condiendis corporibus usitati; ita memoria Sancti Bernardi perpetuò in cordibus nostris & sermo-

Mel carnalis illecebræ totaliter excludendum,

quia mortem generat.

Quod mel in sacrificio poni Dominus prohibet?

Mel malum.

Mel bonum.

sermonibus conservetur, atque in operibus per diffusam mellitæ gratiæ Divinæ dulcedinem ad cælestem æternæ vitæ suavitatem acquirendam perseveret.

Sermo in Dedicatione Templi

Diffusa est gratia in labiis tuis. Psal. 44.

Locus gratiarū Dei est Ecclesia Dei & templum;

LOcum diffusarum Dei gratiarum quemnam censemus esse? PP. RR. FF. DD. Non alium equidem præter Ecclesiam Dei, cujus figuram quodvis Dei templum repræsentat: sicut enim illa sic & istud est congregatio fidelium, coadunatio Christianorum, cœtus generationis quærentium *Dominum*, quærentium faciem *Dei* Jacob. (*Ps.* 23.) Hic diffunditur multiformis gratia Dei, hic accipitur benedictio à *Domino*, & misericordia à *Deo* salutari nostro; hic Sacramentorum gratiam conferentium vel conservantium & augentium peragitur dispensatio; & omnia hæc per labia perficiuntur. Hic reciprocè Deo offertur Sacrificium spiritûs contribulati, (*Psal* 50.) Sacrificium laudis honorificans nos, (*Ps.* 49.) quia nos constituens in officio Angelorum & Beatorum; super omnia immolatur Deo Sacrificium altaris incruentum, cruenti memoriale, memoriam omnium mirabilium, quæ fecit misericors & miserator Dominus, (*Ps.* 110) comprehendens. Et quidem Sacramenta quæ sunt sacræ rei signa rememorativa Passionis Christi, & Divinæ gratiæ demonstrativa, ac futuræ gloriæ prænuntiativa, primariò nobis in domo Dei Ecclesia conferuntur. Hæc sunt ordinata ad significandam sanctificationem nostram, in qua considerantur tria; videlicet causa sanctificationis nostræ, quæ est Passio Christi; & forma nostræ sanctificationis, quæ in gratia & virtutibus consistit; & ultimus sanctificationis finis, qui est vita æterna. Ideò hæc tria Sacramenta designantur. Cùmq; naturale sit homini per sensibilia ad intelligibilium cognitionem pervenire, Sacramentum, quod spiritualia & intelligibilia bona homini significat, res esse debet sensibilis, per Divinam institutionem determinata. Ut verò Sacramentum Verbi Incarnati & hominis sanctificati similitudinē quandam ac proportionem habeat, atq; perfectiùs res sacras significet, convenientissimum est in Sacramentis ad res sensibiles verba adhiberi. *Accedit verbum ad elementum* ait D. Augustin. *& fit Sacramentum. Cùmq; determinata sit Sacramentorum materia, res nimirùm sensibiles determinatæ*, ait D. Thomas, *multò magis oportet determinatam esse verborum formā in Sacramentis: neq; licet quidquam addere vel minuere verbis, in quibus forma Sacramentorum consistit, per quod verus eorum sensus corrumpatur. Quòd autem Sacramenta hæc necessaria sint homini ad salutem, perspicuum est ex eo, quia* juxta D. Augustin. *in nullum nomen Religionis seu verum seu falsum homines possunt coadunari, nisi aliquo signaculorum seu Sacramentorum visibilium consortio colligentur. Item quòd homines ex conditione humanæ naturæ per corporalia & sensibilia ad spiritualia & intelligibilia deducantur; ideò*

in quo Sacrāmentorum dispensatio peragitur.

Sacramenta sunt sacræ rei signa.

Causa, forma, & finis sanctificationis nostræ.

In Sacramentis ad res sensibiles verba adhibenda.

D. Augustin. D. Thomas

Sacramenta necessaria sunt homini ad salutem.

D. Augustin. I.

D. Thomas II.

convenienter Divina Sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus & sensibilibus signis, quæ sunt Sacramenta. III. Tum etiam quòd homines corporeis rebus per affectum se subjecerint, neque facilè se ab iis abstrahant: ideò ibi debet medicinale remedium adhiberi, ubi est morbi sedes. IV. Deniq; patet ex studio actionis humanæ, versantis se præcipuè circa corporalia; ne homini esset durum, si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum; vel qualitercunq; noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. Sic, concludit D. Thomas, ex quo hæc & sequentia sunt desumpta, *sic* (inquit) *per Sacramentorum institutionem homo convenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia; humiliatur se cognoscens subjectum corporalibus, dum sibi per ea subvenitur; præservatur etiam à noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum.* Porrò in statu innocentiæ homo non indigebat Sacramentis, nec pro remedio peccati quod non erat, nec pro perfectione animæ. Per rectitudinem enim status illius sicut mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Jam contra hunc ordinem esset, si anima per aliquid corporale perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, quod fit in Sacramentis. Post peccatum veró cùm nullus sanctificari possit nisi per Christum, quem posuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, ut sit ipse justus & justificans eum, qui ex fide est JESU Christi; ideò oportebat ante Christi adventum esse quædam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu, quæ signa dicuntur Sacramenta. Post Christi autem adventum (cùm sicut Patres veteres per fidem Christi venturi salvati sint, ita & nos per fidem Christi nati & passi salvamur) præter veteris legis Sacramenta, quibus futura Christi mysteria prænuntiabantur, oportuit alia quædam esse in nova lege, quibus ea significarentur, quæ in Christo præcesserunt. Vnde dicente S. Augustino, *Sacramenta veteris legis sunt ablata quia impleta, & alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Et hæc novæ legis, quæ est lex gratiæ, Sacramenta causant gratiam per modum instrumenti, quia solus Deus est causa gratiæ effectiva & principalis. Hæcq; gratia Sacramentalis super gratiam virtutum & donorum addit quoddam Divinum auxilium ad finem Sacramenti consequendum, sicut dona & virtutes super gratiam addere videntur perfectionem quandam determinatam ad proprios potentiarum actus perficiendos. Unde Sacramentum continet ex sanctificatione invisibilem gratiam, teste Hugone Victorino, sicut causa instrumentalis dicitur effectum continere; estq; in Sacramentis quædam instrumentalis virtus ad inducendam gratiam, quæ est Sacramenti effectus; proportionata instrumento, non permanens quidem sed transiens; sicut instrumentum nisi à principali agente motum non operatur. Habent autem omnem

Quomodo Sacramentorum institutio homini conveniat.

In statu innocentiæ cur homo non indigebat Sacramentis?

S. Augustin.

D. Thomas

Sacramenta novæ legis quomodo causant gratiam?

Hugo Victorinus

D. Thomas

nem suam efficaciam Sacramenta novæ legis à Passione Christi. Per ejus enim humanitatem & passionem non modò meritoriè sed & satisfactoriè operatus est Deus nostram à peccatis liberationem & satisfactionemè. Hinc dicit Glossa: ex latere Christi dormientis in cruce fluxerunt Sacramenta, per quæ salvata est Ecclesia. Porrò veteris legis Sacramenta nullam virtutem in se habuerunt ad conferendam gratiam justificantem, sed tantùm fidem significabant, per quam justificabantur Patres.

Sacramenta veteris legis nullam virtutem in se habuerunt ad conferendam gratiam justificantem.

Efficiens namq; causa suo effectu posterior esse nequit, quæ est Passio Christi, nostræ causa justificationis, à qua convenienter virtus justificativa ad Sacramentum novæ legis derivatur; non ad Sacramentum veteris legis, quæ erant quædam fidei protestationes, in quantum significabant Passionem Christi & effectus ejus. Si enim ex lege est justitia, dicit Apostolus, Christus gratis mortuus est; virtus verò Pasionis Christi copulatur nobis per fidem & Sacramentum. Jam aliqua Sacramenta imprimunt characterem spiritualem in anima, qui est quædam spiritualis potestas, animæ collata ad ea peragenda, quæ sunt Divini cultûs; estq; character Christi, quo fideles ejus ipsi configurantur, inestq; animæ indelebiliter Hunc tria duntaxat Sacramenta imprimunt, videlicet Baptismus, Confirmatio & Ordo; per quæ homo ad recipiendum vel tradendum ea, quæ sunt Divini cultûs, ordinatur, eaq; non possunt reiterari.

Tria duntaxat Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo, in anima characterem imprimunt.

Deniq; sicut solus Deus est institutor Sacramentorum, quia virtus illorum fit à solo Deo, ita homo ministerialiter ad idem operatur. Christus Dominus in quantum Deus, habuit potestatem auctoritatis in Sacramentis: in quantum homo, habuit ministerij principalis & excellentiæ potestatem, quatenùs ipse est, qui per Pasionem suam meritoriè & effectivè operatus fuit nostram salutem, & meruit, ut in illius nomine sanctificarentur & instituerentur Sacramenta, qui absq; Sacramentis solus potuit homines justificare.

Potestas Christi in Sacramentis, quà Dei, & quà hominis, qualis?

Illud prius non potuit communicare ministris sed posterius, qui soli sunt homines non Angeli; nec obest si sint boni vel mali: quod totum pulchrè S. Augustinus docet, explicans illud Joannis, *Ego autem nesciebam eum* ; ubi interrogat: *Quid in Christo non noverat Joannes? potestatem baptismi ipsum Dominum habiturum & sibi retenturum; sed ministerium planè transiturum in bonos & malos. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? Minister enim instrumentaliter operatur in Sacramentis, sed si malus est, peccat mortaliter administrans Sacramenta, ob magnam Dei irreverentiam & Domini non conformitatem.*

Potestas ministrorum Christi.

S. Augustin.

D. Thomas

Intentio autem requiritur ad perfectionem Sacramentorum in eorum administratione, sive Ecclesiæ, faciendo id quod circa hoc Sacramentum administratum facit Ecclesia. Hæc intentio si sit non recta sed perversa respectu Sacramenti ipsius, tollit veritatem Sacramenti, non autem si sit mala respectu eorum quæ sequuntur Sacramentum.

Intentio requiritur ad perfectionem Sacramenti.

Interea quemadmodum mali ministri extra charitatem existentes possunt Sacramentum conficere & ministrare, ita & infidelis vel hæreticus, dummodo ea non omittantur, quæ sunt de necessitate Sacramenti.

Mali ministri conficere possunt Sacramentum.

Convenientia Sacramentorũ septem.

cramenti. Jam verò convenienter posita sunt Sacramenta Ecclesiæ in numero septeno, quibus homo sufficienter perficitur in his, quæ pertinent ad Divinum cultum, & contra defectum peccati communitur. Ad hæc enim duo Sacramenta ordinantur, ut cultus Dei secundùm Religionem vitæ Christianæ peragatur, & remedium contra defectum peccati habeatur.

Idem

Convenientiam hanc eleganter Doctor Angelicus deducit à similitudine vitæ corporalis, quæ perficitur vel per respectum ad propriam personam, vel per respectum ad totam societatis communitatem, in qua vivit: homo enim est naturaliter animal sociale.

Vita corporalis & spiritualis per quid perficitur?

I. Quo ad se perficitur vita corporalis primò per generationem, per quam incipit esse & vivere; & loco hujus in spirituali vita est Baptismus, qui est teste Apostolo lavacrum regenerationis. II. Secundò per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem & virtutem; loco cujus in spirituali vita est Confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur, per quem induti fuerunt Apostoli virtute ex alto. III. Tertiò per nutritionem, quâ servatur in homine vita & virtus; cui correspondet Eucharistia, nisi enim manducaveritis carnem filij hominis, (dicit ipsa Veritas Christus) & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet vitam impassibilem, sed quia incurrit interdum & corporalem infirmitatem & spiritualem, quæ est peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate, quæ est duplex:

Curatiò hominis ab infirmitate duplex.

I. una Sacramentalis, quæ restituit sanitatem, quæ in spirituali vita est pœnitentia, secundùm illud Psalmi 40. Sana animam meam quia peccavi tibi. II. Alia est restitutio valetudinis pristinæ per bonam diætam & exercitium; & loco hujus in spirituali vita est extrema unctio, quæ removet peccatorum reliquias & hominem paratum reddit ad finalem gloriam; unde dicit S. Jacobus Apostolus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.

Quoad communitatem homo per quid perficitur?

Quoad verò communitatem perficitur homo dupliciter, I. Uno modo per hoc, quòd accipit potestatem regendi multitudinem & exercendi actus publicos, loco cujus in vita spirituali est Sacramentum Ordinis. II. Secundò quantùm ad naturalem propagationem, quod fit per Matrimonium tam in corporali quàm in spirituali vita, eò quòd est non tantùm Sacramentum sed & naturæ officium.

Septem Sacramenta ordinata quo ad defectum peccati.

Ex his etiam patet Sacramentorum numerus, secundùm quod ad defectum peccati ordinantur. Nam baptismus est contra carentiam vitæ spiritualis; Confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis invenitur; Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum; Pœnitentia contra actuale peccatum commissum post baptismum. Extrema Unctio contra reliquias peccatorum, quæ non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ vel ex negligentia vel ex ignorantia; Ordo contra dissolutionem multitudinis; Matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, & contra defectum multitudinis, quæ per mortem accidit.

Ad Sacramentum Eucharistiæ omnia alia velut ad finem ordinantur.

Patet igitur ex Divo Thoma perfectissima convenientia & necessitas Sacramentorum, inter quæ potissimum Eucharistia, in qua ipse Christus reverà secundùm substantiam continetur, & ad hoc Sacramentum velut ad finem omnia alia ordinantur.

dinantur. Tria autem sunt ad salutem necessaria; & quidem baptismus absolutè sive fluminis, sive flaminis, sive sanguinis. Pœnitentia existenti in peccato mortali; Ordo respectu Ecclesiæ. Cætera verò Sacramenta eatenus sunt necessaria, quatenus per ea commodiùs consequimur salutis effectum. In his omnibus nonne omnes actus & laudes Dei in Ecclesia vocali prolocutione absolvuntur? Nonne per verba labiorum forma Sacramentorum depromitur? Nonne diffunditur gratia Dei in labijs Christi, & per labia ejus ministrorum? Nonne Verbum Dei labijs annunciatur & prædicatur populis? Unde locus gratiarum Dei non est alius nisi templum Dei, Ecclesia Christi, non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cæli. (*Gen.* 28.) Cogitemus eapropter cum quanta reverentia locum talem accedere debeamus, quia non minùs terribilis est locus iste. Si ad templum Salomonis accessus non dabatur nisi per 15 gradus, juremeritò & nobis per ejusmodi gradus ascendendum. De his Sanctus Augustinus. *Tot sunt Psalmi qui appellantur graduum, quoniam tot fuerunt etiam templi gradus.* Quod colligitur ex gradibus templi Ezechieli c. 40. in visione ostensi, ubi atrio exteriori illius templi 7 gradus assignantur, atrio verò interiori dantur 8 gradus; quod templum per Zorobabelem debebat taliter restaurari. Porrò hi gradus erant necessarij, quia templum erat à Salomone conditum in summitate montis Moria. In sensu Allegorico *per hos gradus* V. Beda *vult figurari duo Testamenta: septenario quidem vetus Testamentum, in quo septimus dies, septimus Mensis festi erant, & septimo anno servus fiebat liber. Octonario autem novum Testamentum, in quo dies octavus, qui est Resurrectio Christi, qui & Dominicus vocatus, est in veneratione.* Sic etiam S. Gregorius *septem gradibus atrij exterioris legem veterem, & octo gradibus legem gratiæ vult denotari.* In sensu Tropologico variè ad spirituales sensus hi gradus trahuntur. Alij septem dona Spiritûs Sancti & octo Beatitudines explicant, alij ad quindecim conditiones sive effectus charitatis applicant; sunt qui tribus virtutibus Theologicis & quatuor Cardinalibus, atque octo Beatitudinibus attribuunt. Genebrardus à Psalmis graduum sive Canticis sumens, sensum hos 15 gradus sic designat, quibus scanditur ad templum Dei, quod est cælum. *1. afflictio, 2. prospectus ad Deum, 3. lætitia communionis, 4. invocatio, 5. gratiarum actio, 6. confidentia, 7. patientia & expectatio Divinæ liberationis, 8. Dei gratia & favor, 9. timor Domini, 10. Martyrium, 11. peccatorum detestatio, 12. humilitas, 13. Christi adventûs desiderium, 14. concordia & charitas, 15. assidua Dei benedictio.* Et hæ virtutes in contextu 15 Psalmorum, incipiendo à Psalmo: Ad Dominum cùm tribularer clamavi, usque ad Ecce nunc benedicite Dominum, reperiuntur. Aignanus in tres quinarios dividit 15 Psalmos; primum quinarium incipientibus, secundum proficientibus, tertium perfectis appropriando. Et quidem *incipientibus, qui ab initio experiuntur tentationis & tribulationis difficultatem, servit primus Psalmus. In secun-*

Locus gratiarum est Dei templum.

Ad quod per 15. gradus ascendendum.
D. August.

Quid designant hi in sensu Allegorico?
V. Beda I.

S. Gregorius II.

in Tropologico?
I.
II.
III.
Genebrardus
IV.

V.

do habetur fiducia Divini auxilij. In tertio lætitia. In quarto spes præmij cælestis. In quinto humilitas. Proficientes rursùs sedatis aliquantùm passionibus confidunt primò per adjutorium Dei magìs confirmari. Deinde ad Divinas contemplationes & consolationes assurgunt; ultra accenduntur in alios charitate, & simul implorant Deum, ut spirituale hoc ædificium firmiter construatur. Tandem pollicetur se ex hac ædificatione proximorum non quærere præmium terrenum, sed gratìs agere. Demum ne dictis bonis excidant, quærunt adversis exerceri. Perfecti postremò non solùm adversa patienter tolerant & optant, sed etiam pro persecutoribus Deum orant, exemplo Christi. Secundò omnem elationis motum ex virtutibus orientem reprimunt. Tertiò quidquid habent, totum Divinis applicant obsequijs. Quartò in charitate Dei & proximi perficiuntur. Quintò in charitate perfecti obliviscuntur hujus seculi, quantùm possibile est humanæ fragilitati, atq; laudibus Divinis occupantur. Jacobus Alvarez eosdem tres ordines incipientium, proficientium & perfectorum paulò aliter dividit. *Primis quidem assignat recessum à peccato mortali cum proposito in id non relabendi, horrorem levium peccatorum, contemptum & derelictionem bonorum externorum, castigationem corporis sensuumq; mortificationem; abnegationem proprij judicij & voluntatis. Secundis verò acquisitionem virtutum, exemplo alijs esse, verbo etiam docere, humiliari sub omnibus, patienter ferre dejectiones. Tertijs ultimò familiaritatem cum Deo & Sanctis, desiderium soli Deo placendi, fervorem spiritûs, ut agi videantur à Deo, resignationem in Dei beneplacito, perfectamq; cum Dei voluntate concordiam, adhæsionem per modum ejusdem Spiritûs cum Deo. (1. Cor. 6.)* Hæc divisio observatur quoque in 150 Psalmis. Nihilominùs rectiùs hi 15 Psalmi graduum in duas partes dividuntur, prout erant ipsi gradus per duplex atrium divisi, quos Sanctus Gregorius sic exponit. *Per 15 illius templi gradus spirituales Sanctorum signantur ascensus. Numerus enim iste in septem & octo dividitur, & ideo per eum gemina justorum vita signatur: activa videlicet & contemplativa. Activa namq; in mundo versatur, contemplativa verò ad cælestia erigitur. Quia verò septenario numero temporalis, octonario verò perpetua vita signatur: rectè per eosdem numeros & contemplativa vita exprimitur & activa. Hinc namq; prædicti templi authot Salomon Dominum exorans ait: Da mihi Domine partes septem nec non & octo.* Ita Divus Gregorius, qui deinde docet *per septenarium posse intelligi bona temporalia, per octonarium æterna;* quòd alibi expressiùs diducit. *Per septenarium,* ait, *hoc quod septem diebus agitur, præsens tempus expressit: per octonarium verò vitam perpetuam designavit, quam suâ nobis Dominus resurrectione patefecit: Dominico scilicet die resurrexit, qui dum diem septimum, id est Sabbatum, sequitur, à conditione octavus invenitur.* Hæc Sanctus Gregorius. Cæterùm per hos 15 Psalmos graduales describuntur omnia, quæ contingunt in perfecta liberatione animæ à vinculis dæmonis, & in con-

Jacobus Alvarez *VI.*

S. Gregorius *VII.*

Idem *VIII.*

structione

structione civitatis, domûs ac templi spiritualis per virtutes; atq; pro illa liberatione & constructione, gratiæ aguntur. Notandum autem finaliter, quòd gradus serviant tam in descendendo quàm in ascendendo. Unde si ad templum Dei cæleste volumus pervenire, scalam à Jacob visam, *Gen* 28. in qua erant Angeli ascendentes & descendentes, nobis construamus; ut sic ascendendo & descendendo per orationem & contemplationem ad Dominum ascendere curemus: ad proximos per charitatem & misericordiam, ad nos ipsos per humilitatem & mortificationem descendere satagamus. Audiamus desuper S. Prosperum: *Nomine graduum*, inquit, *significatur ascensio, quâ proficientes quiq; à temporalibus ad æterna, à terrenis ad cælestia evehuntur. Idem autem gradus ascensionum sunt & descensionum; non quia deficiunt qui profecerant, sed quoniam qui se humiliat, exaltabitur. Et præcipua sublimium virtus est, compati cum infirmis, & ad eos qui insipientes sunt, hoc est ad parvulos inclinari, ut omnes quæ sursùm sunt sapiant, & frater fratrem adjuvans exaltetur. Habent enim omnes fideles formam descensionis ipsum JESUM Christum, qui manens in gloria sua, quâ æqualis est Patri, naturam & similitudinem servi recepit, ut quibus gradibus ad nostra ima descendit, ipsi possemus ad ejus summa conscendere.* Hæc Sanctus Prosper. Sit igitur nobis curæ talis ascensio & descensio, per quas datur talis ad summum Dei templum conscensio. Beatus vir cujus est auxilium abs te, inquit Rex Prophetarum, (*Ps.* 83.) ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit. Ita planè ex hac vera lachrymarum valle, ex hac abysso miseriarum, ubi fluctus maris magni & spatiosi manibus, (*Ps.* 103.) hujus mundi super nos velut super Jonam c. 2. transierunt, abyssus tentationum diaboli vallavit nos, pelagus carnalis lubricitatis cooperuit caput nostrum; ut cum illo dicere possit quisque nostrum ad Deum: Putas videbo templum sanctum tuum; quidni ascensiones faciamus veloces per ejusmodi virtutum gradus prout enumerati sunt, euntes de virtute in virtutem? ut abstrahamus nos ab hoc exilij profundo sursùm tendentes, ut adoremus in templo sancto Dei in timore suo, (*Ps.* 5.) ubi quidem in hoc terreno templo Sacramentorum vivificantium nos & sanctificantium atque gratiam omnimodam conferentium participium adipiscamur, atque ultimariè ad templum gloriæ Divinæ admittamur. Et quia ibi diffusa erit gratia laudum Divinarum in labijs nostris, eructent & hic labia nostra hymnum; *Ps* 118 quatenùs hoc agere inchoemus virtute diffusæ gratiæ, quod perpetim agemus in loco diffusæ gloriæ per Christum Dominum nostrum.

Ad templum Dei scala Jacob construenda.

S. Prosper IX

Qualis ascensus & descensus nobis curæ esse debet?

Sermo In Nativitate B. V. Mariæ

Diffusa est gratia in labijs tuis Ps. 44.

FOns ascendens è terra, & irrigans universam superficiem terræ, (*Gen.* 2.) est Beatissima V. Maria, hodie è sterili Sancta Anna velut è sicca petra scaturiens, & ex arida terra progenerata. Ab

B. Virgo fons est, irrigans universam superficiē terræ.

hujus fontis gratiâ tota terræ superficies irrigatur. Quid enim? Nonne totum genus humanum est terrea substantia, ipso *Deo* dicente ad primum hominem Adam: (*Gen.* 3.) terra es & in terram ibis? Pulvis es utiq; terræ, & in pulverem haud dubiè terræ reverteris? Quod ipsum nomen Adam derivatum à terra Adama, id est rubea designat.

Homo per peccatum factus terra arida,

Sed quid? Per peccatum, quod exsiccavit fontem *Divinæ* Bonitatis, factus est terra arida omni humore gratiæ Divinæ carens, adeoq; maledicta. Sicut enim Dei benedictio crescere, ita ejus maledictio arescere facit universa. Patet exemplum in ficu à Verbo Dei Incarnato maledicta, quæ continuò aruit. (*Marc.* 11.) Testatur idipsum de se Regius Propheta dicens ad Deum: (*Ps.* 142.) Anima mea sicut terra sinè aqua tibi.

per ascensum fontis, nascentem sc. Deiparam Virginem irrigatur rore gratiarum.

Exinde proculdubiò terra talis nihil boni potuit fructificare, donec hodiernus fons ascenderet è terra hac ad irrigandam superficiem terræ universam, (*Gen.* 2.) ad totum genus humanum inundandum.

Testimonia SS. Patrum de hoc fonte.

Idiota

S. Bonavent.

Ipsa enim est fons, ex sensu Idiotæ, *qui terram, id est genus humanum aridum humore gratiæ carens irrigavit plenitudine gratiarum. Est fons* ex mente Sancti Bonaventuræ *rigans mundum novo rore, quem desiderabant antiqui Patres clamantes*, (Isa. 45.) *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum. Est fons domûs Domini irrigans ariditatem peccatorum*. Sed sciendum, quòd fons iste sit juxta S. Ephrem *fons præstantissimæ procreationis, qui de loco voluptatis* secundum D. Albertum Magnum, *id est de SS. Trinitate per prædestinationem ab initio & ante secula egressus est. Venit de supernis, profluxit de altissimis, diffusus est ab excelso, ab illis aquis quæ super cælos sunt*; (Ps. 148.) *fons planè divinitùs scaturiens*, uti inquit S. Germanus Constantinopolit. *unde agnitionis Dei currentia flumina limpidissimis & purissimis Ortodoxiæ aquis limum exportant hæreticum.* Cui accinit Ecclesia: *Gaude Maria Virgo, quia cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.*

D. Ephrem

S. Albert. M

S. German 9

Fontis hujus ascensus & descensus qualis?

Ita fons iste ex alto descendens juxta dictum Sapientis, unde exeunt flumina eò revertuntur, redit ad originem suam, rursus ascendit sursum, idq; sublimissimè ad ipsam abyssum gratiarum unde venit; ad sinum Patris, ipsum ejus ad se attrahens unigenitum, qui in ipsam descendit sicut pluvia in vellus. (*Ps.* 71.) Non enim ante ascensum hujus fontis pluerat Dominus Deus super terram. (*Gen.* 2.) Nulla gratiæ pluvia descenderat è cælo clauso per peccatum. Pluviam hanc voluntariam, quia propter immensam charitatem quâ dilexit nos Deus, (*Eph.* 2.) nobis datam, segregavit Deus hæreditati suæ (*Ps.* 67.) Mariæ, huic soli reservata, quia sola illius capax fuit;

Maria hæreditas Domini.

Vera hæreditas Domini, antonomasticè juxta Sanctum Albertum Magnum, & *specialiter* juxta Beatum Isaac Abbatem: *in tabernaculo enim uteri Mariæ moratus est Christus novem mensibus.* Hæreditate possedit hoc sanctuarium suum. Hæc est præclara & electa *Dei* hæreditas, species Jacob quam dilexit; (*Ps.* 46) quam *Dominus* exercituum benedixit dicens: (*Isai.* 19.) opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israël.

Maria Israel.

Verè Israël, sic dicta à Mellifluo Doctore;

re;

re; & juxta Richardum à Sancto Laurentio, *Israël, quia principatur cum Filio in cælo & in terra*, Israël enim interpretatur Princeps cum Deo. Dicitur quoque Israël videns Deum, prævalens Deo, dominans Deo: quidni talis fuit Maria, quia Mater Dei hominis? Sequitur in Genesi c. 2: & homo non erat qui operaretur terram. Homo ille de terra terrenus perierat; homo de cælo cælestis non erat, qui operaretur terram opere redemptionis; donec ascendisset fons gratiarum è terra generis humani, Maria gratiâ plena, (*Luc.* 1.) & in ea ac per eam veniret Deus homo, qui operaretur salutem in medio terræ. (*Ps.* 73.) Operaretur autem eo ipso, quod ex hoc fonte hauserat; natus enim ex sangvine Mariæ Virgineo, eundem in redemptionis lytrum ac pretium salutis humanæ profudit. *Fons salutis* rectissimè dicente Trithemio, *quia per ejus partum Virgineum salus mundi restaurata est. Fons perennis Divinæ Incarnationis*, inquit Sanctus Joannes Damascenus, *ex qua vita principium habuit & salus omnium; deniq; vera salus* (*Apoc.* 19) *& vita æterna.* (1. *Joan.* 5.) Et ideo *ipsa est quoq;* eodem asserente, *fons auriftuus vitæ æternæ, verum nectar cæleste profundens. Fons vitæ vivificans à morte lethalis culpæ. Fons vitæ æternæ*, inquit Sanctus Sophronius, *animam nostram æstu cupiditatum exarescentem per gratiam suam vivificans, atq; de abundantia sua adeò divitem reddens, ut salutaribus fluentis manare non desinat. Et quia est fons vitæ æternæ, est quoq; fons immortalitatis*, juxta Sanctum Andream Cretensem, *qui non potest exhauriri; est fons vitæ perpetuus*, eodem authore, *quo omnes consequi possumus immortalitatem. Est fons immortalitatis*, ex mente Anastasij Antiocheni, *ex quo prodijt corruptionis corruptor & mortis mortificator, ex quo*, secundùm Sanctum Joannem Damascenum, *emanavit in mundum aqua immortalitatis.* Ex his Testimonijs Sanctorum Patrum elucent primarij effectus hujus fontis hodie feliciter ascendentis & fructuosissimè erumpentis per optatam Nativitatem; qui sunt salutis, vitæ & immortalitatis æternæ. Placet ulteriores hujus fontis operationes scrutari, quatenùs earum participio liceat nobis gaudere. Dicat nobis Idiota fontis hujus proprietatem & effectum. *Fons*, ait, *qui ascendebat de terra irrigans superficiem terræ: Sicut enim fons ille est abyssus aquarum multarum, ex qua fontes & flumina oriuntur: sic Benignissima est abyssus multarum gratiarum, ex qua peccatores hauriunt gratiam incessanter. Fons beatissimus*, eodem assertore, *ex quo emanant rivuli gratiarum, recreantes quoscunq; ex eis haurire humiliter aquam gratiæ cupientes. Fons* inquit Richardus à S. Laurentio, *de quo dicitur Zach.* 13 *in die illa notabili, quæ signat tempus gratiæ, erit fons patens domui David & habitantibus in Jerusalem in ablutionem peccatoris quoad viros, & menstruatæ quoad mulieres; patens scilicet per misericordiam pro amicis & inimicis.* Edisserat quoque nobis D. Albertus Magnus hujus fontis gratias. *Fons*, ait, *est Maria, sordida lavans; ipsa quippe per efficacissimam intercessionem suam peccatoribus compunctionem infundit*

Israel Princeps cũ Deo, videus Deũ, prævalens Deo, dominans Deo.

Maria fons salutis, Trithemius.

S. Joan. Damascenus.

Fons vitæ, S. Sophron.

Fons immortalitatis, S. Andreas Cretensis

Anastasius Antiochenus.

S. Joannes Damascenus

Ulteriores hujus fontis operationes. Idiota

Richardus à S. Laurentio.

S. Albert. M

& contritionem, per quam à peccatorum suorum sordibus emundantur. De hoc fonte dicitur Zachariæ 13. *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus in Jerusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Per domum David intelligitur S. Ecclesia, per habitantes autem in Jerusalem figurantur omnes fideles, qui sunt de Regno Ecclesiæ. Beatissima Virgo Maria patet per misericordiam & compassionem, ut quicunque Christianus ex intimo cordis ipsam imploraverit, ejus meritis & intercessione suorum peccatorum veniam consequatur. Ita omninò, quia *ipsa est fons clementiæ* juxta Idiotam, *abluens sordes animarum nostrarum, fons pietatis erga miseros peccatores, ad quos fluunt misericordiæ ejus. Fons pietatis*, secundùm Joannem Damascenum, *extendens palmas manuum suarum, quibus omnium Dominus tanquam infans est gestatus, propter multitudinem bonitatis, nec derelinquens nos sperantes in eam; vigilanti patrocinio suo, atque immensâ compassione suâ miserans nobis & parcens animabus nostris.* Quidni? Cùm sit *fons misericordiæ*, ex sensu Idiotæ & Richardi à Sancto Laurentio, *quia sicut fons per subterraneos meatus semper recipit aquam & semper refundit, sic Beatissima Virgo fons & puteus est aquarum viventium, quæ à Christo ad eam, & ab ea ad nos peccatores fluunt impetu benignitatis utriusque.* Paulò aliter Richardus à Sancto Laurentio inquit, *Sic Beatissima Virgo aquas gratiarum, quæ à Christo ad ipsam, & ab ipsa ad nos fluunt impetu de Libano, id est de candore benignitatis utriusque profundit. Est enim*, uti idem inquit, *fons misericordiæ, cujus fontis ille se fecit rivum, de quo dicit Psalmus* 58: *Deus meus misericordia mea. Est fons*, juxta Alanum, *in quo ineffabilis misericordiæ fluentum, in quo gratiarum omnium irriguum, in sinu suæ pietatis recipiens lachrymarum nostrarum profluvium. Sicut fons pietatis*, ita dicta à Divo Antonino, *sive quantùm ad actus Divini cultûs & reverentiæ, sive quantùm ad actum miserationis, & subveniendi pauperibus. Tanquam fons largifluus*, dicente Sanctâ Brigittâ, *de quo misericordia miseris fluit.* Notandum tamen, quòd Richardus à Sancto Laurentio asserit, *quod sit fons misericordiæ, signatus sigillo justitiæ; sic enim ejus misericordia exuberat, quòd semper fluunt ad miseros miserationes ejus, salvâ tamen justitiâ.* Unde etiam potest dici *fons Siloe*, juxta eundem Richardum, *cujus aquæ fluunt cum silentio, id est cum intermissione; quia beneficia Mariæ non jugiter fluunt ad quemlibet, sed quando vult & quantùm vult. Siloe enim fons est juxta montem Sion, qui non jugiter manat, sed quandoque silet, id est, non ebullit vel fluit*; quod ipsum asserit Idiota. Quærenda proinde est gratia Mariæ & promerenda, ut semper erga nos diffundatur. Audivimus igitur Mariam esse fontem gratiarum, fontem clementiæ, pietatis, & misericordiæ: sed & fontem ablutionis nostræ à sordibus, de quo idem Richardus à Sancto Laurentio: *Si ad rivos fontium abluuntur pedes, manus, facies, oculi, & vestes; per exempla Mariæ abluuntur affectus nostri & opera interna, facies & ipsius mentis intentio,*

&

Idiota
Fons clementiæ.
Fons pietatis.
S. Jo. Damasc.
Fons misericordiæ.
Richardus à S. Laurentio.
Alanus
S. Antoninus
Maria fons est misericordiæ, signatus sigillo justitiæ.
Richardus à S. Laurentio
Maria fons Siloe.
Idem.

& ornamenta virtutum, quæ quandoq; squallorem contrahunt ex vicinitate vitiorum. Est fons, juxta eundem, *lavans & recreans peccatores, justos rigans ad fructificandum, & perfectos potans in desiderijs suis.* Quid quòd etiam est *fons medicaminum*, dicente Sancto Joanne Damasceno, *ab animarum medico factus, ut nostris animabus medeRetur?* Sed ascensum hujus fontis & irrigationem consideremus. *Maria est fons ascendens in honore ex Divina bonitate*, ait Sanctus Bonaventura, *rigans terram charitate Dei, crescens in amore.* Fons ascendens de terra, ait Sacra Scriptura, irrigans universam superficiem terræ; super quo præfatus Richardus: *De terra enim ascendit, quia tota ejus vita* [haud dubiè incipiendo non tantùm à Nativitate illius, sed etiam à Conceptione] *fuit quidam ascensus, & quædam quasi elongatio à terrenis. Irrigat etiam superficiem terræ, id est Ecclesiam & viros justos, qui de abundantia Mariæ hauserunt omnes & hauriunt incessanter.* Ernestus Pragensis notat singularem fontis in mari ascensum, & Beatissimæ Virgini applicat. *Fons*, inquit, *mirabilis, quia sicut in mari superioris partis Thyrensis civitatis, dicitur fons à fundo maris ascendere, & duobus vel tribus cubitis super undas maris, cùm mare tranquillum est, dulcissimus salire: ita Beatissima Virgo in mundo fuit, & mundi amaritudinibus impermixta permansit, & tanquam virgula fumi dulcissimè supra mundum ascendit.* Quoad irrigationem verò pulchrè Richardus à Sancto Laurentio declarat. *Si fons terram irrigat à qua oritur, & inde transit ad aliam irrigandam: Maria irrigavit Matrem Annam, à qua orta est, & postea Elizabeth cognatam & Joannem cognatulum, non solùm gratiâ & agnitione, sed etiam spiritu Prophetiæ, ac deinde de plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia.* Quid? Nos tantùm accepimus in terra? Quinimò etiam cælestes teste Divo Alberto Magno, quia *est fons irrigans Paradisum, id est Angelicam naturam, & universam supercælestem curiam. Angelica quippe natura, quæ est paradisus deliciarum, per Beatissimam Virginem irrigatur: mirabiliter enim diligunt & amplectuntur, quantùm per ipsam ipsorum ruina reparatur. Ecce quidam eminentiores Angeli, qui erant conscii secretissimorum consiliorum Domini, ab ipsa constitutione mundi per ipsam irrigabantur, quia de futura ejus Nativitate inenarrabiliter gratulabantur. Nihil minùs etiam universa Beatorum curia per gloriosam Dei Matrem irrigatur, quia speciali exultatione & lætitiâ ex ipsius amabili præsentia continuè jucundatur.* Hæc Divus Albertus Magnus. Possumus tamen dicere, quòd Beatissima Deipara sit sigillatim *fons hortorum irrigativus, id est Ecclesiæ & conscientiæ justorum*, juxta Richardum à Sancto Laurentio, *quos hortos rigat rivo suo, id est Filio mediante. Fons hortorum specialiter, videlicet congregationum Sanctarum*, uti inquit Adam de Persenna Ordinis nostri Abbas. *Quot enim habet Ecclesia Conventus sacros in fide viventes partûs Virginei, tot sunt & horti. Fons hortorum*, explicante Hugone Carensi, *id est Religiosorum; nam de facili impetrant ab ea aquas*

Fons medicaminum.

Fons hic quomodo ascendit?

S. Bonaventura I.

Richardus à S. Lauren. II

Ernestus Pragensis. III.

Quomodo irrigat?

Richardus à S. Laurent. I.

S. Albert. M II.

Maria fons hortorum.

Hugo Carensis.

aquas gratiarum Religiosi: cæteri autem seculares non ita de facili, sed cum quodam labore, ut aqua de puteo extrahitur. Juxta Philippum tamen Abbatem Præmonstratensem, *est fons conspicuus & illimis, ad quem quisquis vult hortus fieri, & campo sterili se præferre, qui decorem floridum & fructum utilem vult proferre, debet studiosus se conferre, vel oblatæ fortè gratis repulsæ contumeliam non referre. Est fons hortorum*, dicente Idiota, *omnes irrigans hortos; ad quem currat fidelis, si aridum fuerit ejus cor, rigari indigens.* Singularem habet reflexionem Garnerius Abbas noster, dicens Beatissimam Virginem esse *fontem hortorum, quia non cessat irrigare hortum nucum, hortum pomorum, hortum aromatum. Nucum, quia suam animam pertransivit gladius passionis; pomorum, quando ascendit in montana cum festinatione & ministravit Elizabeth; aromatum, quando conservabat omnia verba quæ de Christo dicebantur, conferens in corde suo.* Mauritius de villa probata hortos eleganter explicat, quorum Maria fons esse declaratur. *Fons hortorum, id est devotorum & bonorum suorum, in quibus tanquam hortis sunt herbæ virentes & redolentes sanctarum virtutum, & devotarum meditationum, flores mundarum affectionum, arbores Divinarum contemplationum, folia virentia sanctorum verborum, & fructus bonorum operum.* In hoc horto animæ nostræ non minùs singularem observat operam Jacobus de voragine dicens: *Fons cælestis Maria, terram animæ nostræ primò germinare faciens herbam, id est Dei timorem, qui est principium novæ vitæ; deinde spicam, id est pœnitentiam asperam; deinde plenum fructum in spica, id est charitatem.* Imò idem Mauritius Dominicanus asserit, quòd sit *fons virginalis, sine cujus aqua id est gratia, nec herbæ virtutum sanctarum, nec flores mundarum affectionum, nec arbores Divinarum contemplationum possunt in hortis, id est bonis crescere & fructificare.* Unum adhuc restat inquirendum de quatuor capitibus, in quæ fons noster diffunditur. Dicemus quatuor partes orbis? nec abs re. Tangemus quatuor Evangelia? & in his potissimùm diffunditur gratia fontis nostri. Quinimò tota Scriptura, uti hoc innuit Mauritius prædictus de villa probata dicens. *Fons qui dividitur in quatuor capita, est Maria; quia à Virgine benedicta egressus est Christus, á quo habemus quatuor magna beneficia: scilicet creationis, recreationis, justificationis, & glorificationis; & de his omnibus loquitur totus Sacer codex.* Sed quid dicimus quatuor capita? Benè Fridericus Fornerus Suffraganeus Bambergensis nostri seculi author innuit: *Fons affluentissimus non in quatuor sed centies millies misericordiarum flumina divisus, & totam Ecclesiæ superficiem irrigans, ac fidelium servorum suorum animas cumulatissimè perfundens, atq; ad omne bonum fœcundans.* Interea est fons *sapidus & dulcis*, juxta Richardum à Sancto Laurentio, *maximè quatuor generibus hominum, scilicet operarijs, qui suorum & filij mandatorum jugum trahunt; viatoribus, qui manentem civitatem in hoc mundo non habentes, futuram inquirunt; pauperibus, qui defectus proprios*

[Margin notes: Philippus Abbas — Garnerius Abbas — Mauritius de villa probata. — Jacobus de voragine. — Mauritius de villa probata. — *Quæ 4. capita sunt, in quæ fons dividitur?* — Idem — Fridericus Fornerus]

prios attendentes, & Divinam ex hoc justitiam formidantes, Matris misericordiam expetunt & mendicant; æstuantibus, qui malo concupiscentiæ fatigantur. Postremò ne quis arbitretur fontem hunc exhauriri posse, audiat quid dicat D. Albertus Magnus, *quòd sit fons indeficientis aquæ per plenitudinem gratiæ ipsius, à quo peccator accipit absolutionem veniæ, justus autem securitatem gratiæ; tentatus refrigerium temperamenti, devotus haustum dulcem consolationis consolantis.* Audiat Dionysium Carthusianum: *Fons indeficientis communicabilitatis est Maria*, (reddit rationem) *ex quo rivus ille oritur, qui in quatuor mundi plagas se expandit, omne seculum rigans atq; venustans.* Idipsum affirmat Richardus à Sancto Laurentio dicens: quòd sit *fons continuum habens fluxum, unde dicit, usq; ad futurum seculum non desinam, (Eccli. 24.) miseris scilicet misereri; ideo dicitur Isaiæ 58. Erit quasi fons vivus, non deficiens aquæ, id est misericordiæ.* Majora nobis refert S. Andreas Cretensis. *Maria est fons nunquam deficiens Divinorum splendorum: Maria fons est, qui non potest exhauriri, Divinarum illuminationum*; imò juxta eundem, *Maria fons est specialis Divinarum providentiæ rationum, quâ res nostræ aguntur.* Et Sanctus Methodius. *Maria fons est propensionis filij erga genus humanum, nimirum ipsa est, quæ cor filij regit ad gratias hominibus impertiendas.* Quis jam audebit dicere, in hoc fonte gratiam Dei non esse diffusam; idque in labijs fontis fluentis copiosissimè, per quæ aquæ promanant salutares, quinimò mel & lac sub lingva (*Can.* 4.) hujus fontis? Sed quis omnes hujus fontis prærogativas & profusiones poterit enarrare? Ad futuram Sacræ Conceptionis ejus Solennitatem libet differre ulteriora fontis hujus præconia; nunc quandoquidem *est fons aquas suas liberaliter largiens*, juxta Richardum Laurentinum; clamat enim cum Filio: (*Isai.* 55.) Omnes sitientes per desiderium, venite ad aquas gratiarum mearum; quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, *Ps.* 41) ita nos condignè & continuò anhelemus ad hasce ejus salubres aquas, tam salutis, vitæ, & immortalitatis, quàm gratiarum, pietatis, clementiæ, & misericordiæ, per quas ad illas pervenitur; ut sic & aquæ sub cælis & supra cælos (*Ps.* 148.) existentes, ex hoc fonte derivatæ in nos, si non profluant, saltem destillentur, adeoque portiuncula terræ nostræ, sed vel maximè animæ nostræ irrigetur, dividaturque in quatuor capita *Gen.* 2.) apud nos, quatuor virtutum Cardinalium nobis profundat effluvia, quibus & hic & illic cum nascente Domina nostra nasci, adeoque renasci ad æternam gloriam mereamur.

Fons qui non exhauritur.
S. Albert. M.
Dionysius Carthusian.
Richardus à S. Laurentio
S. Andreas Cretensis
S. Methodius

Sermo in Festo Omnium Sanctorum.

Diffusa est gratia in labijs tuis, Ps. 44.

MEmoria Omnium Sanctorum in cælis cum Deo regnantium juremeritò in nobis immensum illorum consortij desiderium excitare debet. PP. RR. FF. DD. Sed qui ipsorum societati adjungi exoptat, haud dubiè ipsis conformari tenetur & assi-

Per Sanctorum imitationem ad eorum consortium pervenitur.

milari, quòd nemo assequitur nisi is, qui illos studuerit imitari. Diffusam esse gratiam in labijs Sancti Sanctorum, (*Dan.* 9.) supremi Capitis illius Beatissimi Corporis nemo potest ambigere, cùm sit Verbum plenum gratiæ & veritatis, (*Joan.* 1.) Eandem porrò gratiam non minùs diffusam esse in corpus & in singula ejus membra, quis non agnoscet dicente Apostolo; gratia Dei per JESUM Christum Dominum nostrum? (*Rom.* 7.) Qui hujus gratiæ participium vult habere, necesse est, ut sit membrum Christi; sit ipsi unitus per fidem, spem & charitatem. Et hæ ipsæ virtutes Theologicæ sunt gratia Dei: per gratiam Dei ex meritis Christi acquisitam nobis infunduntur. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare Fratres in unum, (*Ps.* 132.) possumus dicere de illa cælesti congregatione; sicut ungventum in capite quod est Christus, qui est Messias unctus Domini, à quo omnis unctio Divinæ gratiæ derivatur. Hinc dicit Psaltes noster: (*Ps.* 44) Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis, qui utiq; participes sunt illius unctionis. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplevit. Hoc caput unctum est & Sacerdotali & Regiâ unctione, ut totum corpus ejus fieret Regnum Sacerdotale, *Ex.* 9.) & Sacerdotium Regale. (1. *Pet.* 2) Ex hoc capite descendit ungventum in barbam.

Christus Caput Ecclesiæ.

Quomodo unguentum dicitur descendere in barbam Aaron? I.

Quænam hæc sit, explicat, barbam Aaron, quæ est Summi Pontificis symbolum, usque ad oram vestimenti ejus, (*Ps.* 132.) ad Episcopos & Sacerdotes, & per hos ad totum Fidelium cætum: quandoquidem gratia sanctificationis per Sacramenta, administratione & dispositione Rectorum Ecclesiæ in omnes transfunditur. Omnes enim ministri Christi sunt & dispensatores mysteriorum Dei. (1. *Cor.* 4.) Vel

II.

etiam cùm sit Christi Vicarium Caput, Summus Pontifex, ab ipso fluit ungventum in barbam, videlicet inferiores Episcopos & Sacerdotes oleum consecrationis. Aliàs certùm est, Judæorum Sacerdotes & populum barbam aluisse, unde barbæ rasio pro pœna habetur apud Isaiam c. 7. In illa die, ait, radet Dominus in novacula conducta in his qui trans flumen sunt, in Rege Assyriorum, caput & pilos pedum & barbam universam, videlicet in signum luctûs & servitutis. Ægyptijs quoque & Assyrijs detonsa barba signum erat mœroris: econtra Romani in luctu barbam & capillos crescere permittebant. Pulchrè S.

S. Ambrosius III.

Ambrosius. *Ideo in barbam Aaron*, ait, *ut fias electum genus, Sacerdotale, pretiosum; omnes enim in regnum Dei & in Sacerdotium ungimur gratiâ spirituali.* Notandum ungventum fluere in barbam, quòd

S. Augustin. IV.

competit viris perfectis. Sic docet Sanctus Augustinus. *Barba non intelligitur nisi in perfectis. Non ergo habitant in unum, nisi in quibus perfecta fuerit charitas Christi. Nam in quibus non est perfecta charitas Christi, etiam in uno non sunt, odiosi sunt, molesti sunt, turbulenti sunt, anxietate suâ turbant cæteros, & quærunt quid de illis dicant.* Acsi diceret Sanctus Augustinus: Non sunt labia, in quibus diffusa est gratia, sed sunt dentes, qui mordeant. Unde subdit: *Murmuratores*

omnes

omnes magnificè descripti sunt quodam loco Scripturarum: Eccli. 33. Præcordia fatui quasi rota carri. Quid est hoc? Fœnum portat, & murmurat. Ita Divus Augustinus; quasi dicat: res nullius momenti facit, & multùm loquitur, garrit & obstrepit. Procul hæc absunt ab ungvento charitatis. Carrum benè unctum sine strepitu benè currit; Congregatio uncta charitate, nulla admittit murmura, vel oblocutiones, vel detractiones & his similia. Videtis ergo Fratres quale sit ungventum à capite fluens? Est charitas quæ est & oleum, docente Sancto Augustino: *Ipsa est supereminens via, id est charitas, quæ meritò oleo significatur, omnibus enim humoribus oleum supereminet. Mitte aquam & superfunde oleum, oleum supereminet. Mitte oleum, superinfunde aquam, oleum supereminet. Si ordinem servaveris, vincit; si ordinem mutaveris, vincit. Charitas nunquam cadit.* Hæc Sol Doctorum. Et hæc est quæ in omnibus Sanctis regnavit in terris: diffusa in corde, diffusa in labijs, diffusa in operibus, regnat & in cælis, quia dicente Apostolo: (1.*Cor.* 13.) Charitas nunquam excidit. Nec aliud opus Sanctorum erit, nisi actus charitatis Dei, JESU, & ad invicem in illa cælesti amoris civitate. Inde nos monet Doctor Gentium: (*Ephes.* 4.) Veritatem facientes crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis secundùm operationem, in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Præclarè Mellifluus Pater noster. *Quis nos separabit* inquit, *à charitate Christi? Ipsa enim est, per quam omne corpus per nexus & juncturas crescit. Hoc glutinum bonum, cujus meminit Isaias. Hæc, per quam bonum est & jucundum, habitare Fratres in unum. Hoc ungventum, quod descendit à capite in barbam, à capite descendit & in oram vestimenti, ut ne minima quidem fimbria careat unctione. In capite siquidem plenitudo gratiarum, de qua accepimus omnes, in capite universitas miserationis, (ubi omnes docentur scientiæ ab orbis Doctore, schola ejus est misericordia;) in capite inexhaustus fons pietatis Divinæ, in capite affluentia tota spiritualis ungventi.* Ita Sanctus Pater noster. Et sic influxu ungventi usque ad infimam fimbriam denotatur gratiæ à Christo promanantis ubertas. Non ad mensuram dat Deus spiritum, ait D. Joannes Apostolus & Evangelista c. 3. Christo in terras veniente ruptæ sunt cataractæ cæli, aquæ decidunt sine mensura, omnia sudant balsamo; quando rorârunt cæli desuper, & nubes pluerunt justum. (*Isai.* 45.) Quidni Christo nunc in cælo triumphante fluminis impetus lætificat civitatem Dei, (*Ps.* 45.) ubi Deus declinat super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium. (*Isai* 66.) Ubi omnes Sancti lætantur cum Jerusalem, & exultant in ea omnes, qui diligunt eam. Gaudent cum ea universi, qui lugebant super eam; (*Ib.*) qui super flumina Babylonis hic in terra sederunt & fleverunt, dum recordarentur Sion (*Ps.* 136.) per luctum pænitentiæ & mortificationis, euntes

Quomodò murmuratores carro similes?

S. Augustin. Charitas est oleum.

Opus Sanctorũ in cælis, amare Deum.

S. Bernardus

Defluxus ungventi usque ad infimam fimbriam vestimenti quiddem notat?

ibant & flebant mittentes semina sua; jam autem venientes veniunt cum exultatione portantes manipulos suos; (*Ps.* 125.) ut sugant & repleantur ab ubere consolationis ejus, ut mulgeant & delicijs affluant ab omnimoda gloria ejus, *Is.* 66.) Et hoc est oleum lætitiæ & exultationis, quo ibi unguntur ab eo, quem unxit Deus oleo eodem præ participibus suis. Nonne sicut lætantium omnium habitatio est in ea? (*Ps.* 86.) In voce exultationis & confessionis sonus epulantium ibidem. (*Ps.* 41.) Et hic est affectus charitatis ex visione Dei beatifica profluentis derivatus. Hæc enim tria faciunt Omnium Sanctorum beatitudinem: visio Dei, amor & gaudium de utroque; in his subsistit Regnum cælorum. Sicut hìc in terris Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto. *Rom.* 14.) Quidni justitia faciat pacem, & ex utroque prosiliat gaudium in Spiritu Sancto fonte omnium gratiarum? Hìc tamen per Christum & propter Christum datus est nobis. Quando petra fundebat mihi rivos olei, loquitur Job c. 29. Super quo præstantissimè Divus Gregorius: *Christus petra nunc ad usum Sanctæ Ecclesiæ olei rivos fundit, quia in ea loquens Dominus prædicamenta unctionis intimæ profundit. De hac petra olei rivus exijt, liber Matthæi, liber Marci, liber Lucæ, liber Joannis. In diversis hujus mundi plagis quot prædicamenta edidit, tot petra hæc per ora Apostolorum omnium olei rivos fudit. Toties adhuc de petra hac olei rivus funditur, quoties à Spiritu Sancto ungendis mentibus Auditorum ea, quæ in libris veteribus de Christo dicta sunt, explanantur. Et rivi vocantur olei, quia decurrunt & ungunt: in quibus quisquis tingitur, quisquis ungitur, in terris impingvatur. De qua nimirum pingvedine Psalmista ait psalmo 62: sicut adipe & pingvedine repleatur anima mea.* Ita Sanctus Gregorius. Benè sequitur in eodem Psalmo; & labijs exultationis laudabit os meum. Ecce unctionis cælestis in anima effectus; diffunditur in labijs omnium Sanctorum gratia exultationis, gratia laudis, gratia benedictionis. Et in Psalmo 132. benè infertur: quoniam post ungventum diffusum à capite in totum corpus, mandavit Dominus benedictionem & vitam usq; in sæculum. Ibi planè vita æterna, ibi æterna Dei laus & benedictio. Sed antequam hanc explicem, placet S. Gregorij sensum de oleo continuare, qui dicit: *Potest nomine olei ipsa Spiritûs S. unctio designari, de qua per Prophetam dicitur: Computrescit jugum à facie olei; jugum quippe à facie olei computrescit, quia dum S. Spiritûs gratiâ ungimur, à captivitatis nostræ servitute liberamur. Dumq; maligni spiritûs dominatio superba repellitur, jugum conteritur, quo libertatis nostræ colla premebantur. De hoc oleo rursùs scriptum est: Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Filij quippe olei fidelis populus dicitur, qui ad fidem Spiritûs Sancti unctione generatur.* Ita S. Gregorius Magnus. En generatio, en crescentia, & multiplicatio ab unctione & benedictione Divina. Etenim benedictionem dedit Legislator Deus omnibus Sanctis suis, iverunt de virtute in virtutem per unctionem

Sanctorum beatitudinē quid constituit?

S. Gregorius *Quomodo petra Christus olei rivos fundere dicitur?*

Idem *Olei nominē quid designatur?*

unctionem sibi à Deo datam, & jam vident Deum *Deorum* in Sion. *Ps.* 83.) Hinc gaudium, hinc lætitia, hinc exultatio. Exultabunt Sancti in gloria, asserit Regius Vates Ps. 149. lætabuntur in cubilibus suis. Et quidem exultant primò in intellectu, videntes summum Bonum omnis beatitudinis abyssum. Exultant deinde in voluntate, quæ propria est gaudiorum sedes, per amorem. Sic ponit S. Paulus fruct⁹ Spiritûs: charitas primò, postea gaudium; amor enim hominem in extasim rapit lætitiæ. Tandem exultant in memoria cum Psalmista dicente *Psal.* 76. Memor fui Dei & delectatus sum. Quidni recordētur ejus, quem intuentur, quo fruuntur, cujus præsentiâ intimè pascuntur. Deniq; in tota anima exultant dicentes cum Rege Prophetarum *Psal.* 34. Anima mea exultabit in *Domino*, & delectabitur super salutari suo; aut deniq; cum Sanctissima *Deipara*: (*Luc.* 1.) Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quare? quia Deum habebat in se manentem; ita & Sancti habent Deum sibi inhabitantem velut animam animarum suarum, vitam cælestem ac Divinam ijs aspirantem; ita ut sicut in terris qui vivunt, jam non sibi vivunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit, ita in cælis non sibi vivunt sed Deo, qui in ipsis vivit. Quemadmodum & D. Paulus ait: (*Gal.* 2.) Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus. Hinc dicitur *Ps.* 132. Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum, nimirùm Deum, qui unus sufficit universis. Habent scilicet *Deum* in se habitantem, ita ut eos sibi unitos deificet & in se transformet. Sanctus Basilius dicens: *homo habet per inhabitatorem Spiritum* (atqui Spiritus est Deus) *dignitatem Propheticam, Apostolicam & Angelicam, cùm antea fuerit terra & cinis*; adjungit: *hujus gratiâ Deus est quisq; Sanctorum. Dictum est enim illis: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* Hujus similitudinem pulchram à ferro ignito petitam adfert: *Sicut ferrum quod in medio ignis jacet, ferri naturam non amisit: vehementi tamen ignis actione ignitum, cùm universam ignis naturam in semetipsum acceperit, & colore & calore & actione ad ignem transit: ita qui Domino adhæret uti Sancti, unus Spiritus est cum eo.* Jam quoad corpus Sancti exultant in corde dicentes cum Propheta: (*Ps.* 12.) Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo *Domino* qui bona tribuit mihi. Secura mens quasi juge convivium; [*Prov.* 15.] Exultant in vultu, lætitia enim flos est bonæ mentis in corde radices agens, & in vultu promicans juxta Sapientem: [*Pr.* 15.] Cor gaudens exhilarat faciem. Sigillatim in oculis. Exultant in capite suo coronato; præventis enim à se in benedictionibus dulcedinis, posuit Deus in capitibus eorum coronam de lapide pretioso. (*Ps.* 20) Exultant ore dicentes cum Regio Vate: [*Ps.* 125.] Repletum est gaudio os nostrum, & lingva nostra exultatione. Exultant opere, plaudunt manibus, jubilant Deo in voce exultationis. (*Ps.* 46.) Exultant pedibus, exsiliunt præ gaudio, uti David saltavit totis viribus ante arcam. (2 *Reg* 6.) Postremò omnes

Exultatio Sanctorum in intellectu, voluntate,

memoria,

& in tota anima.

Per Deum sibi inhabitantem quomodo quasi deificantur?
S. Basilius

Exultatio Sanctorum quoad corpus, in corde,

vultu,

oculis, capite,

in ore,

manibus,

& pedibus.

Sancti exultant toto corpore, ut gaudium ipsorum sit plenum. (*1. Jo. 1.*) Cur tanta exultatio? Non alia de causa, quia sicut omnes baptizati Christum induerunt, ita omnes Sancti Deum induunt, & sic ipsi in *D*eo manent, & Deus in eis. Ita Isaias inquit c. 61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in *D*eo meo: quia induit me vestimento salutis, & indumento justitiæ circumdedit me. Et benè equidem Syrus & Arabs, Sancti tui exultent, verterunt: Justi tui amiciantur gloriâ, quia ex justitia provenit gloria, uti S. Gregorius inquit: *gloria uniuscujusq; justitia est.* Lumine proinde gloriæ induti omnes Sancti quidni exultent & dicant: Cor meum & caro mea, anima mea & spiritus meus exultaverunt in Deum vivum, (*Ps.* 83.) apud quem est fons vitæ, & ubi in lumine gloriæ videtur lumen, (*Ps. 35.*) ipse Deus. Huic exultationi & gaudio adjuncta est exaltatio Dei per laudes & benedictiones & cantica expressa in Apocalypsi. Hoc refert Rex Vatum (*Ps.* 149) Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, in illis mansionibus æternis in domo Patris à Christo præparatis. Exaltationes Dei in gutture eorum. (*ib.*) Ita planè beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te: (*Ps.* 83.) laus Dei est in Ecclesia Sanctorum. (*Ps.*149.) Ita est uti inquit Isaias c. 51. de illa Sione beata: gaudium & lætitia invenientur in ea, & gratiarum actio & vox laudis, novum canticum, hymnus, tripudium, jubilus. Iam igitur si volumus Sanctis assimilari, eorumq; frui consortio, debemus eos imitari in charitate non ficta, ut veræ charitatis unctionem possideamus, proscriptis odijs, turbulentijs, rixis & dissensionibus, detractionibus, murmure, & alijs maledicentijs, quæ Sanctis haud conveniunt. Solum Deum continuò intueamur, veluti Sancti in cælo, ut semper nobis præsentem consideremus, simulque hilares datores, quos diligit Deus, (2. *Cor.* 9.) ac eorum, ad quæ obligamur votorum redditores, cum gaudio serviamus *D*eo, etiam gloriantes in tribulationibus, (*Rom.* 5.) gaudium non aliud habentes nisi in Deo & de *D*eo. Christum induti curemus semper inter membra ejus connumerari, ut diffusam ab ipso gratiam possimus participare. Vita nostra nihil sit nisi laus Dei. *Suggero medium,* docet Magnus Augustinus, *unde tota die laudes Deum,* (si tota die, ergo & tota vita) *si vis. Quidquid egeris, age bene, & laudasti Deum. Quidquid cogitas*, liceat mihi idipsum ulteriùs applicare: quidquid loqueris, *benè cogita*, benè loquere, *& laudasti Deum corde, ore & opere.* Vtamur canticis Sanctorum expressis in Apocalypsi, ut hoc quod in cælo pro laude *D*ei canemus, hic in terra incipiamus frequentare, ipsos omnes Sanctos in hoc etiam imitantes; ita non tantùm in illa æterna, sed etiam in hac vita societati eorum poterimus annumerari & aggregari.

Causa gaudij istius

Cui adjuncta est exaltatio Dei.

Quæ qualis?

Quid faciendū, ut Sanctis assimilari valeamus?

S. August. *Bonis actionibus laudatur Deus*

Sermo In Die Animarum.

Diffusa est gratia in labijs tuis Ps. 44.

Miseri-

MIsericordissimus Redemptor, Rex & Sponsus Ecclesiæ suæ, Author gratiæ & salutis, qui non venit in primo adventu suo, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, (*Joan.* 3.) nihil in labijs suis habuit, præter gratiam diffusam, quam liberaliter omnibus impertiebatur. Ecclesia Sponsa ejus, & Regina astans à dextris ipsius in statu gratiæ, in vestitu deaurato charitatis, circumamicta varietatibus operum bonorum & meritorum; & ipsa nihil libentiùs diffundit ex labijs suis, quàm gratiam in dispensatione Sacramentorum, & indulgentiarum collatione. Quid enim indulgentia nisi gratia, per quam remittitur vel tollitur pœna pro peccatis satisfactoria? Et hæc indulgentia servit tam vivis quàm defunctis. Sententia est Divi Thomæ Aquinatis. *Cùm ex infinito illo Ecclesiæ thesauro*, ait, *in quem ad universalis Ecclesiæ utilitatem suscepta Christi & Sanctorum supererogationis opera recluduntur, virtutem habeant indulgentiæ; non tantum hìc pœnam satisfactionis locò, sed etiam in purgatorio persolvendam remittunt.* Argumentum pro indulgentijs sumitur ex donatione Sancti Pauli factâ Corinthijs: *Nam & ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi. Glossa interlinearis explicat, id est, ac si Christus donasset. Sed Christus poterat relaxare pœnam peccati absq; omni satisfactione, uti patet de muliere adultera; potuit ergo & Paulus; potest & Papa, qui non est minoris potestatis in Ecclesia, quàm Paulus fuit.* Alterum argumentum D. Thomæ est, *quòd Ecclesia Universalis errare non possit, quia ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, dixit Petro, super cujus confessione Ecclesia fundata est: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; atqui hæc Ecclesia approbat indulgentias, ergo indulgentiæ aliquid valent.* Valere autem illas etiam ad absolvendum à reatu pœnæ, quam quis in purgatorio secundùm judicium Dei meretur, patet ex Privilegio Divo Petro dato; quòd nimirum hoc, quod ipse in terra remitteret, in cælo etiam remitteretur. Unde remissio, quæ fit quoad forum Ecclesiæ, valet etiam quoad forum Dei. Præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias concedens, magis damnificaret quàm adjuvaret, si animabus in purgatorio non prodessent; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorij, absolvendo à pænitentijs injunctis, quod est absurdum. Ac ideo credendum est, quòd valeant tam in foro Ecclesiæ, quàm in judicio Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & confessionem, & absolutionem, sive injuncta sit, sive non. Rationem hujus, verbis ipsius Angelici Doctoris exprimere malo. *Ratio*, ait, *est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, & multas tribulationes etiam injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum potuit expiari, si eis deberetur. Horum autem meritorum tanta est copia, quòd omnem pœnam debitam nunc viventibus excedant; & præcipuè propter meritum Christi, quod etsi in Sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus includitur in Sacramentis;*

Gratia ex labijs sponsæ Christi Ecclesiæ diffusa in collatione indulgentiarum,

quæ serviunt tam vivis quàm defunctis.

D. Thomas

Quod probatur duplici argumento. I.

II.

Indulgentiæ valent tam in foro Ecclesiæ, quàm in judicio Dei.

D. Thomas

tis, sed suâ infinitate excedit efficaciam Sacramentorum. Unum verò pro alio satisfacere posse, certum est; Sancti autem in quibꝰ superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinatè pro isto, qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt, aliàs absq́ omni indulgentia remissionem consequerentur, sed communiter pro tota Ecclesia; sicut Apostolus ait; Je adimplere ea, quæ desunt passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia, ad quam scribit Col. 1. *& sic prædicta merita sunt communia totius Ecclesiæ. Ea autem quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundùm arbitrium ejꝰ, qui multitudini præest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem pænæ, si alius pro eo satisfecisset, ita etiam consequitur, quando sibi satisfactio alterius per eum, qui potest, distribuitur.* Ita Divus Thomas. Consultum tamen ijs, qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis à debito pœnitentiæ essent immunes, & præcipuè quia quandoq́; sunt plurium debitores quàm credunt. Delicta quis intelligit? dicit Vir secundùm cor Dei; (*Ps.* 18) quomodo intelligit homo pænæ debitæ congruentiam? Unde qui justus est justificetur adhuc, (*Apoc.* 22) non tantùm per bona opera justitiæ, sed etiam per actus pœnitentiæ. Porrò indulgentiæ tantum valent quantùm pronuntiantur; dummodo ex parte dantis authoritas, ex parte recipientis charitas, & ex parte causæ pietas adsit, quæ comprehendit honorem Dei & proximi utilitatem; quandoquidem meritorum Ecclesiæ abundantia, quæ causa est remissionis pænæ, in indulgentijs omnem pænam hominibus debitam excedit. Deinde Ecclesia prædicando indulgentias non mentitur. Nunquid Deus indiget vestro mendacio, inquit Job c. 13. ut pro illo loquamini dolos? Si in prædicatione Ecclesiæ aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiæ alicujus authoritatis ad fidem roborandam; *sicut si* dicente S. Augustino, *in Scriptura Sacra deprehenditur aliquid falsitatis, jam robur Sacræ Scripturæ perit.* Dantur autem indulgentiæ etiam pro temporali subsidio ad spiritualia ordinato, quale est eleemosyna pro constructione Ecclesiæ, vel quid simile, sed non pro temporali simpliciter, propter vitandam simoniam; nec minùs pro purè spiritualibus fieri possunt indulgentiæ, quales sunt certæ orationes. Collator autem indulgentiarum quisnam est? possumus interrogare. Respondet Gloria Aquinatis, *quòd solus Papa ob plenitudinem Pontificalis potestatis quam habet, pro libitu suæ voluntatis plenarias indulgentias potest dispensare, legitimâ tamen causâ existente; cæteri autem Episcopi, quantùm sibi à Papa taxatum fuerit;* Episcopi enim assumuntur in partem solicitudinis, quasi judices singulis civitatibus præpositi in regno Ecclesiæ, cujus Sum̃us Pontifex Rex est. Unde in literis suis illos solos Papa vocat Fratres, reliquos autem omnes, etiam Reges & Principes, imò Imperatores Filios nuncupat. Ac proinde solus Episcopus, qui tanquam proprius Ecclesiæ Prælatus, plenam habet in so-

Opera pœnitentiæ injũcta non omittenda.

Indulgentiæ tantùm valent, quantùm pronunciantur.

S. Augustin.

Dantur etiam indulgẽtiæ pro temporali subsidio.

Solus Papa indulgentias dispensat,

deinde Episcopi per delegatã potestatem.

ro Ecclesiæ, in qua sola est meritorum indeficientia, jurisdictionem; potest indulgentias conferre, non verò aliquis Sacerdos Parochialis, qui non est simpliciter Prælatus, sed quasi Coadjutor. Potest autem etiam Diaconus & qui non est Sacerdos, si tamen ei commissum sit regimen Ecclesiæ, thesaurum hunc Ecclesiæ, qui est indulgentia, dispensare; quia potestas faciendi indulgentias sequitur jurisdictionem. Sciendum quoq; est, quòd indulgentiæ effectum habent, secundùm quod opera satisfactoria unius alteri computantur, non tantùm ex vi charitatis, sed etiam ex intentione operantis aliquomodo directa ad ipsum. *Ast hæc intentio*, dicente Divo Thoma, *potest ad alterum dirigi tripliciter; aut in generali, aut in speciali, aut in singulari. In singulari quidem, sicut cùm quis pro alio satisfacit determinatè, & sic quilibet potest alteri opera sua communicare. In speciali autem sicut cùm quis orat pro Congregatione sua, & familiaribus & benefactoribus, & ad hoc ordinat opera sua satisfactoria: & sic ille qui congregationi præest, potest opera sua aliis communicare, applicando intentionem illorum, qui sunt de congregatione sua ad hunc determinatè. Sed in generali, sicut cùm quis ordinat opera sua ad bonum Ecclesiæ in generali: & sic ille qui præest Ecclesiæ generaliter, potest opera illa communicare, applicando intentionem suam ad hunc vel ad illum. Et quia homo est pars congregationis, & congregatio est pars Ecclesiæ, ideò in intentione privati boni includitur intentio boni congregationis, & boni totius Ecclesiæ. Et ideò ille qui præest Ecclesiæ, potest communicare ea quæ sunt congregationis & hujus hominis; & ille qui præest congregationi, potest communicare ea quæ sunt hujus hominis, sed non convertitur. Neq; prima communicatio neq; secunda dicitur indulgentia, sed solùm tertia propter duo. Primò quia per illas communicationes quamvis homo solvatur à reatu pœnæ quantùm ad Deum, non tamen solvitur à debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus est ex præcepto Ecclesiæ, sed per tertiam communicationem homo etiam ab hoc debito solvitur. Secundò quia in una persona vel in una congregatione non est indeficientia meritorum, ut sibi & omnibus alijs valere possint; unde iste non absolvitur à pœna debita pro toto, nisi tantùm determinatè fiat pro eo, quantum debebat. Sed in Ecclesia tota est indeficientia meritorum, præcipuè propter meritum Christi, & ideò solus ille, qui præficitur Ecclesiæ, potest facere indulgentias. Sed cùm Ecclesia sit congregatio fidelium, congregatio verò hominum sit duplex, scilicet Oeconomica, sicut illi qui sunt de una familia; & politica, sicut illi qui sunt de uno populo: Ecclesia assimilatur congregationi politicæ, quia ipse populus Ecclesia dicitur. Conventus verò diversi vel Parochiæ in una Diœcesi assimilantur congregationi in diversis familiis, vel in diversis officiis. Et ideò solus Episcopus propriè Prælatus Ecclesiæ dicitur, ipse solus quasi Sponsus annulum Ecclesiæ recipit, ipse solus habet plenam potestatem in dispensatione Sacramentorum, & jurisdictionem in foro causarum Ecclesiæ quasi persona publica: alij autem*

D. Thomas

Intentio in applicatione indulgentiarum, ad alterum dirigitur tripliciter: I. II. III.

Congregatio hominum Oeconomica & Politica.

secundùm quod ab eo illis committitur; ac ideò soli Episcopo competit Indulgentiarum dispensatio, quantum ipsi à Papa concessum est.

Potest facere indulgentias etiam in mortali peccato existens.

Potest autem etiam in peccato mortali existens facere indulgentias, quia per peccatum homo non amittit jurisdictionem, cujus est indulgentias distribuere; ac idcircò æquè valent indulgentiæ, si fiant ab eo, qui est peccato mortali innodatus, sicut si fierent ab eo, qui est sanctissimus. Non enim remittet pœnam ex vi meritorum suorum, sed ex vi meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiæ.

Indulgentiæ tantùm prosunt contritis & confessis. l. 11.

Hoc tamen necesse est scire, quòd mortalium criminum reis nullatenùs prosint indulgentiæ, sed tantùm contritis & confessis. Nulli enim dimittitur pœna nisi priùs dimissa sit culpa. Deinde membrum mortuum, quale est existens in peccato mortali, non suscipit influentiam ex alijs membris vivis.

Valent indulgentiæ laicis & Religiosis

Valent porrò indulgentiæ non tantùm laicis sed & Religiosis, qui non minùs quàm cæteri aliorum meritis juvari possunt. Neque enim ullus ex bono, quale etiam est Religio, debet reportare damnum; quod fieret, si eis indulgentiæ non servirent. Neq; propter indulgentias debet dissolvi regularis observantia, quia Religiosi magis merentur religionem suam servando, quantum ad præmium vitæ æternæ, quàm indulgentias exquirendo, quamvis minùs ad dimissionem pœnæ, quod est minus bonum.

In Capitulo Forum judiciale magis quam pœnitentiale.

Neq; per indulgentias dimittuntur pœnæ injunctæ in Capitulo, quia in eo est forum judiciale magis quàm pœnitentiale, quandoquidem & non Sacerdotes celebrant Capitula; sed absolvitur religiosa pœna injuncta vel debita pro peccato in foro pœnitentiali. Hoc totum ex sensu Angelici Doctoris prolatum est.

Quid facto opus, ut quis indulgentias consequatur?

Debet porrò qui vult indulgentias consequi hoc facere, pro quo datur indulgentia, quæ sub certa consequitur conditione; remotâ enim causâ removetur effectus. Deniq; tametsi non possit Prælatus pro se solo indulgentiam instituere, uti tamen potest indulgentiâ alijs concessâ (cùm non sit pejoris conditionis cæteris hominibus) & thesaurum Ecclesiæ quem alijs dispensat sibi applicare.

Quomodo per indulgentias succurrendum defunctorum animabus?

Si igitur volumus animabus defunctorum per indulgentias prodesse, primùm necesse est, ut vel per confessionem vel per contritionem cum proposito confessionis liberi à peccatis in gratia Dei constituamur. Deinde opus est certæ alicui animæ eas applicare; si enim particulari animæ speciatim eas non applicamus, redit ipsa ad generalem & communem Ecclesiæ thesaurum.

S. August.

Ac ideò *primò*, ait *S.* Augustinus, *preces debere offerri à Matre communi, nempe Ecclesia pro illis defunctis fidelibus, qui nullos habent notos vel amicos. Deinde possunt applicari animabus vel quibus magis indulgentia convenit, aut quæ etiam ampliùs desiderant, seu quæ illâ magis indigent, sive è quarum liberatione major Dei resultat gloria, vel quæ majori, dum viverent, excelluerunt charitate.* Excellens quoque modus est offerre indulgentias SS. Trinitati, aut Christo Domino, vel Beatissimæ Virgini, vel alicui ex Angelis & Sanctis, sive Angelo Tutelari ad beneplacitum eorum animæ cui voluerint applicandas. Si porrò indulgentiæ sint adjunctæ certis rebus, utì coronis,

coronis, crucibus, & numismatibus, necessarium est illas semper ad manum habere & secum ferre. Cùm ergo tam magnum ac planè infinitum habeamus thesaurum, de quo illud Sapientis potest dici c. 7. Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. Utamur ritè hoc thesauro pro nobis, utamur & pro alijs; ac vel maximè animabus defunctorum, quæ sibi nequeunt opitulari, eas dispensemus; diffusam erga illos gratiam in labijs nostris habeamus, infallibilem ab ipsis dum liberatæ fuerint à pœnis, gratitudinem & gratiarum actionem experturi.

Sermo In Præsentatione B. V. Mariæ.

Diffusa est gratia in labijs tuis. Ps.

Beatissima Virgo, Virguncula Trimula se Deo in templo præsentat.

Virguncula trimula Maria, Filia Sanctorum Parentum Joachimi & Annæ hodie præsentatur in templo, imò ipsa semet præsentat Deo. PP. RR. FF. DD. *Virguncula*, juxta Sanctum Patrem nostrum, *humilis*; secundùm Dionysium Carthusianum, *pudicissima*; ex sensu Ludovici Blosij, *perfectæ innocentiæ*; ex mente Hugonis Victorini, *Virguncula nostra singulariter casta, excellenter speciosa, unicè munda*; verbo, Virguncula & corpore & mente & spiritu, triennis, vix ambulare potens, potens se Deo consecrare; vix gressu firma, quindecim templi gradus liberè scandens; vix videns mundum, nec volens esse visa mundo, invisum habens mundum, soli Deo videri & placere cupiens, non cogitans quæ mundi, sed quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu, (*1. Cor. 7.*) præsentissima Deo, præsentissima sibi, præsentissima parentibus in templo se præsentat, templo se devovet, templo includit, templum pro claustro assumit æternùm Deo servitura, quæ ipsamet templum imò sacrarium & Sanctum Sanctorum (*Num. 4.*) erat totius Sanctissimæ Trinitatis. Dixi Filia sanctorum Parentum Joachim, qui dicitur præparatio Domini, & Annæ, quæ intelligitur gratia; quia à gratia Dei genita, Domino in Matrem præparabatur. Sed quid dixi? parùm hoc est, quoad carnem Filia sanctorum Genitorum; majus est, quoad spiritum Filia Regis juxta Psalmum nostrum, & secundùm Idiotam, *Filia Regis Dei Patris per creationem & gratiam, cujus omnis gloria ab intus, quando Christum gestabat in suo utero virginali: vel omnis gloria ejus ab intus, id est in conscientia illius pura, si enim foris gloriam quæreret, intus gloriam, quam Rex concupisceret, non haberet.* Vel ex doctrina Richardi Laurentini: *Filia Summi Regis, id est Dei Patris per creationem gratiæ, cujus gloria quòd hospita sit, & triclinium totius Trinitatis, cujus gloria testimonium conscientiæ bonæ, cujus omnis gloria ab intus, quando Christum gestabat in utero, qui dicit apud Zachariam, in gloria ero in medio ejus.* Dicamus nos: cujus gloria in abscondito, ubi videt Pater cælestis, (*Matt. 6.*) cujus gloria in solitudine & silentio, quæ reperit in templo, cujus gloria in gratia Dei, quæ animæ est intrinseca, cujus gloria in interiori homine, in conversatione interna cum solo Deo;

Cur filia SS. Joachim & Annæ?

Quomodo Filia Regis, cujus gloria ab intus?

Idiota I. II.

Richardus à S. Laurentio. III.

IV.

cujus gloria ab intùs in virginitate per votum castitatis, in abrenuntiatione mundi per votum paupertatis, in subjectione sui Deo per votum obedientiæ in fundamento humilitatis innixæ. Secuta est Patris æterni monitum, diffusam gratiam in labijs habentis & dicentis: (*Ps.* 44.) Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Nonne id hodie adimplevit vera simul Abrahæ filia, cui dictum erat: (*Gen.12.*) egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram quam monstravero tibi. Egressa utique Maria à Parentibus suis, obaudivit Domino, oblita populi sui & domûs Patris sui, totam se Deo in templo dedicavit. Sed ô quanta differentia inter Abraham Patrem ejus & Mariam Filiam?

Egressus Abrahæ de Haran anno ætatis suæ 75.

Mariæ de seculo nequã in templum Domini anno tertio.

Ille septuaginta quinque annorum erat, cùm egressus esset de Haran, quod Syriacè libertatem significat: ipsa trium annorum puellula egreditur de seculo nequam, de domo servitutis, aliàs omnis licentiæ & pessimæ libertatis ergastulo; & domum Dei ingreditur, Divino se præsentans & mancipans servitio. O quàm suaviter diffusa erat gratia in labijs ejus tunc Deo offerentis se in holocaustum, in odorem suavitatis? Et nos quid? Nonne præsentavimus nos Deo per ingressum ad Ordinem Sacrum, ac primariò per religiosam Professionem, ubi Deum oravimus: suscipe me secundùm eloquium tuum & vivam, & non confundas me ab expectatione mea? Sed quales? annosi, antea mundo immersi, carnis illecebris abstracti, peccatis gravati. *Hic autem præsentat se parvula puella, impolluta*, dicente Chrysippo; juxta Prudentium, *intacta & intemerata*; secundùm Divum Joannem Damascenum, *castissima, immaculatissima, incorruptissima, innocentissima, integerrima, omnis maculæ expers, omni laude dignissima*, deniqúe *sanctissima ac Deo gratissima*; & teste S. Sabba, *Puella prorsus Divina.*

Disparitas immensa inter nostram, & B. Virginis præsentationẽ.

Quàm ingens & immensa disparitas inter ipsius & nostram præsentationem? Quia tamen secundùm propositum vocamur sancti, venimus peccatores, ut justificemur & sanctificemur. Utiq; in exitu nostro de Ægypto mundi facta est Judæa, Religio sacra, confessione omnimodâ ac Dei laudatione celebris, sanctificatio nostra. (*Ps.113.*) Jam quò se obtulit ac præsentavit Maria? in templum Dei. Ad quid, nisi ut in illo Deo constanter serviret?

Ad quid venimus ad monasterium?

Venimus & nos in templum Domini, in domum Dei, in tabernaculum Altissimi, quòd est Monasterium Dei honori ac servitio dedicatum. Ad quid? non ad aliud, nisi ut Deo hic serviamus. Ideo promisimus stabilitatem nostram in hoc loco, qui dicitur Oliva. Sed ah! quàm facilè votorum nostrorum obliviscimur? quàm repentè stationem nostram deserere affectamus? quàm licentiosè mox vagari desideramus immemores stabilitatis & perseverantiæ Deo appromissæ?

Mariæ stabilitas in templo. S. Joannes Damasc.

Maria non recessit à templo cui se semel addixit, quinimò teste Sancto Joanne Damasceno, *in domo Dei plantata, atq; per spiritum saginata instar Olivæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur*, quæ utique jam erat Sacrarium Spiritûs Sancti, sic

eam Ecclesiâ sanctâ nominante. Pudeat nos inconstantiæ nostræ, imò prævaricationis votorum nostrorum, quòd audeamus vel minimam divagationis cogitationem admittere. Quid causæ habemus? nihil equidem, nisi licentiosioris vitæ requisitionem, proprij sensûs prosecutionem, propriæ voluntatis executionem; quæ omnia quàm sint detestanda, & quantùm è diametro opposita sint obedientiæ quam vovimus, ipsique sanctæ Regulæ, secundùm quam obedire promisimus, contraria, quis non videt? Sed quàm insanæ sunt istæ apprehensiones? quasiverò Superiores ejusmodi insolentias permittent; quàm stupidæ imaginationes? quasiverò id status Ordinis indulgeat; quàm amentes præsumptiones? quasiverò ad nutum talium gyrovagorum omnia possint evenire. Hæccine est vocatio vestra Fratres? Ad quid venistis? Ad quid vos Deo in ordine præsentâstis? Ad quid creditis vos obligari? Ad primarium votum, cui reliqua includuntur, quod est obedientia. Nonne hæc ubivis locorum in Ordine servanda, observanda, & Superioribus est præstanda? Hæccine prætendet evagationes? Nunquid non resignata debet esse in voluntatem Prælatorum? Quid putatis? Si lignum benè plantatum aliò transferatur & transplantetur, fructificabitne? Cum magna equidem difficultate, nec statim, imò ut plurimùm arescit. Beatus Vir, ait Psaltes, (*Ps.* 1.) qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Consilium impiorum, via peccatorum, cathedra pestilentiæ est, quærere divagationes. Sed beatus vir erit tanquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod dabit fructum in tempore suo. (*ib.*) Non venit statim unicuique tempus fructuum, expectandum est & reexpectandum. Itaque Fratres mei Dilecti, verbis Apostoli (1. *Cor.* 15.) vos alloquor: Stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini, semper scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Cernite Dominam servi, Patronam clientes, Matrem filij constantem in habitatione templi, ubi meruit fieri Mater Dei. Dominus in templo sancto suo, in quo nos sæpissimè commoramur; Dominus in cœlo sedes ejus. (*Ps.* 10.) Videte à templo primum statim dari gradum ad cœlum. Considerate quòd Maria sicut seipsam in templo consecravit, ita & Filium suum Dominum nostrum obtulit in templo, nec alibi JESUM quærens prætterquam in templo invenit. Sumus & nos continui ferè templi inquilini, magnam partem vitæ nostræ absumimus in templo, quotidie multoties templum frequentamus, quærimusne JESUM Salvatorem, & per illum salvationem nostram in templo? agimusne ea quæ ratio templi Divini requirit? Domum Dei decet sanctitudo; (*Ps.* 92.) templum enim Dei sanctum est, mirabile in æquitate. (*Ps.* 64.) In conspectu Angelorum psallam tibi, ait Rex Vatum, (*Ps.* 137.) adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. En cum quanto respectu, cum quanta reverentia, cum quanta devotione ob Angelicam assistentiam, (quid dico!) ob ipsius Dei, quem alloquimur, cui concinimus,

Exaggeratio inconstantiæ.

Adhortatio ad stabilitatem.

Gradus à templo ad coelum.

Reverentia templi Dei.

mus, quem laudamus, præsentiam, orandum nobis est & psallendum. Sed nos quid? quantis indulgemus evagationibus, non tantùm mentis sed & corporis? quot sunt, quibus pruriunt pedes ad discursus extra chorum faciendos? quàm multi à laudibus Dei se abstrahunt sinè causa? quanti exeunt ex choro absque necessitate? Utinam hi viderent Æthiopem illum, quem Divus Patriarcha aliquando monstravit per laciniam vestis illos ab officio Divino extrahentem, & aliò retrahentem.

Opus Dei facere fraudulēter quomodo?

Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter, (*Jer.* 48.) iste defraudat se gratiâ Dei, sed non Deum, verùm seipsum decipit & seducit. Deus non irridetur, (*Gal.* 7.) nec illuditur Deo in Superioribus, seipsos tales deludunt, sibiq; illudunt. Quid dicam de negligentijs, de erroribus, de excessibus, qui committuntur? Maledictus qui facit opus Dei

quomodo negligenter?

negligenter, legit alia versio. Quid de festinatione, quid de præcipitatione, quid de pneumatum protractione, quid de transcursione proferam? Diligunt verba præcipitationis lingvæ dolosæ, (*Ps.* 51.) quia sibi dolum irrogant, Deo injuriam faciunt, seq; fructu orationis & cantûs defraudant. Credimusne diffusam esse gratiam in labijs nostris, dum ita Divinum absolvimus officium? Equidem ita nos Deo præsentantes fore ipsi multum ingratos necesse est ut credamus. Quid quòd ipsimet

Maria templū Dei.
S. Joannes Damascenꝰ

templum Dei sumus. (2. *Cor.* 6) En *Maria templum animatum Divinæ lucis*, D. Joannis Damasceni testimonio, *quod beneplacito Dei Patris & cooperante Sancto ac vivifico Spiritu Christus Dei Filius lapis angularis ædificavit, & ipse in eo habitavit, ut legem & Prophetas impleret, veniens ad salvandum nos. Est templum*, ait idem Damascenus, *purissimè compacta domus Domini, de qua ait David: est templum tuum mirabile in justitia, ex qua sibi Christus corporis templum exstruens, templa Dei vivi mortales effecit.*

Nos sumus viva Dei templa

Cùm igitur simus viva templa quibus Deus inhabitat & inambulat, glorificemus & portemus Deum cum omni honore & decentia in corporibus nostris, (1. *Cor.* 6.) sed multò magìs in animabus.

Simus Deo præsentes

Simus semper Deo præsentes, semper nos Deo, ita uti decet tantam Majestatem, præsentantes, ut ei serviamus in timore, & exultemus ei cum tremore. (*Ps.* 2.)

& nobis,

Simus semper præsentes & nobis, ne motis per instabilitatem pedibus nostris, moveatur candelabrum nostrum de loco suo, (*Apoc.* 2.) vigilando ne inimicus in nobis locum reperiat, neq; demus locum diabolo, (*Ephes.* 4.) quem deserere ipso instigante cogitamus, ne quando dicat, prævalui adversus eos; (*Ps.* 12.) adeoq; invigilemus cogitationibus, locutionibus & actionibus nostris, ut sint omnia Deo digna, Deo placita, Deo grata.

& proximis ac Fratribus.

Simus deniq; semper præsentes & alijs proximis ac Fratribus nostris, ut ipsis opitulemur; alter alterius onera portantes, *Gal.* 6.) in visceribus charitatis uniti, unanimes & concordes, tanquam uni Deo militantes. Si nos per decursum vitæ nostræ mortalis ita Deo præsentaverimus, haud dubiò patrocinio Virginis Deiparæ, ejusque meritis & intercessione per diffusam in labijs ipsius gratiam in templo gloriæ Divinæ præsentabimur, æternùm tunc gratiâ Dei fruituri.

SYNOPSIS

SYNOPSIS SERMONUM CAPITULARIUM
ex Tomi Tertij Tractatu Quarto.

